

Digitized by Google

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI P. P. P. P.

OPUSCULA MISCELLANEA

Quorum non pauca nunc primum prodeunt,

TRES IN PARTES DIVISA.

In hac prima Editione Neapolitana adduntur

EPISTOLÆ ANATOMICÆ DUÆ.

PARS PRIMA.



NEAPOLI MDCCLXIII.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

SUMPTIBUS DOMINICI TERRES.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRI VIRO

ANATOMICO ET BOTANICO SUMMO

PHYSIOLOGO DOCTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

ALBERTO

V. HALLER

PRÆSIDI SOCIETATIS REG. SCIENT. GOTTING.
SODALI ACAD. REG. SCIENT. PARIS. REG. CHIR. GALL.
IMPER. BEROLIN. SUEC. BONONIENS. BAVAR.
SOCIET. SCIENT. BRITANN. UPSAL. BOT. FLOR. HELVET.
IN SENATU SUPREMO BERNENSI DUCENTUMVIRO

OB TANTA IN REM PHYSICAM ET IN SE MERITA
GRATO OBSEQUIOSOQUE ANIMO

D. D.

JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARTE HAC PRIMA
CONTINENTUR

NOva Institutionum Medicarum Idea. pag. 3
De via atque ordine in tradenda publice Medicina, & Anatome servato Epistola. 13
Procemia quædam Anatomicarum Prælectionum. 16
De Anatomicis Eustachii Tabulis Epistola. 32
De Glandulis Epistola. 41
De Lacrymalibus Ductibus, eorumque Obstructione Epistola. 42
De Lumbricis Epistola. 44
De Acu intra Vesicam intrusa, & de Excrescentia Membranæ Adiposæ Epistola. 47
De Calculis Felleis Epistola. 49
De Venæ Cavæ Varicibus Epistola. 55
De Vesicæ Calculis a Fr. Jacobo Beaulieu Patavii exsectis, & de Casu Corneliæ Bandiæ Epistola. 56
In locum Vitruvii Medicum Epistola. 58
De iis quæ a Valsalva in Bononiensi Academia Instituti Scientiarum recitata fuerant, Epistola. 62
Experimenta circa Aquam calcis vivæ. 65
Responsum Medico-Legale circa Obstetricum judicium de Mulieris Virginitate. 67
Responsum Medico-Legale alterum super seminis emittendi impotentia. 79
Responsum Medico-Legale tertium. An post septem a conceptione menses infans nasci possit vitalis, & perfectus? 82
In A. Corn. Celsum, & Q. Ser. Samonicum Epistolæ decem. 85

Digitized by Google

Die undecima menſis Julii 1763. Reimprimatur:

VARGAS MACCIUCCA.

Carulli.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS, ATQUE EXCELLENTISSIMIS VIRIS

HIERONYMO VENERIO

EQUITI, AC ÆDIS D. MARCI PROCURATORI,

MARINO GEORGIO

JOANNI FRANCISCO MAUROCENO

EQUITI

Senatoribus Amplissimis, & Triumviris Litterariis

Joannes Baptista Morgagnus S. P. D.

Quod facere Architecti neque inconsiderati, neque indociles solent, antequam ædificia, præsertim magna, & longi temporis, atque laboris, exstruere incipiant, ut eorum formam in publico expositam, meliorem, dum adhuc licet, ex aliorum reddere judiciis conentur, idem ego & paucis ante mensibus feci, & nunc quoque facio, VIRI AMPLISSIMI. *Cum enim Institutiones quasdam Medicas olim animo concepissem novas illas quidem, & , nisi fallor, formando illi perfecto Medico quem omnes optamus, apprime utiles, sed easdem tantæ operæ, & tam diuturnæ, vix ut illis perscribendis tota hominis vita sufficere posse videatur ; ne ad eas, inexploratis aliorum sententiis, aggrederer, quo primum die mihi licuit* AUGUSTISSIMI SENATUS, *atque adeo Vestro Beneficio in hoc Florentissimo Gymnasio verba facere, in magna hominum doctissimorum frequentia earum ideam & quasi formam proposui. Et quanquam per temporis quo scripsi, ac multo magis quo dixi, necessariam brevitatem, partim quoque per ipsam formæ naturam atque rationem neque omnia exponere quæ sentio, neque ea ipsa quæ exposui, ita exprimere potui atque explicare, ut non sine aliquo timore essem, ne alicubi in rebus, alicubi in rerum causis mancus quodammodo, & subobscurus, præsertim minus attentis, viderer, sæpius item aut vanus promissor rerum, nemini, nedum mihi, possibilium, aut eorum qui laudandi hic illic Auctores fuerant, dissimulator ingratus ; ea tamen fuit*

Digitized by Google

universæ illius Concionis cum in diligenter audiendo benignitas, tum in judicando æquitas, ut ea omnia necessaria esse brevitatis illius incommoda, nec futuri Operis vitia, existimaverit. Quinimmo ex præstantissimis illis hominibus, quorum ut doctrinæ, sapientiæque, ita prudentiæ, atque candoris plurimum tribuo, non pauci fuerunt qui me non semel hortati sint, ut eandem Orationem typis mandarem, credo quo, non hujus tantum Gymnasii, sed omnium Eruditorum antequam Operi admoverem manum, sententias perspicerem. Quorum ego hominum consiliis non modo deesse nolui, sed ut satis sapere habeam & ad cognoscenda aliorum judicia, & ad formam hanc quam propono, judiciorum eorum ope, meisque ulterioribus meditationibus, hoc addendo, illud demendo, illud immutando, perficiendam, constitui initium Operis in quintum, vel sextum annum differre: quo intervallo (ne omnia inchoare videar, nihil absolvere) in Adversaria Anatomica Altera subcisivi temporis partem impendam, ut eorum editio, de qua annis superioribus occupatus in medicina facienda, ne cogitare quidem potui, paulo ante primos Institutionum libros habeatur. Atque hæ sunt, VIRI AMPLISSIMI, rationes omnis ejus temporis quod mihi a Munere assignato vacabit. Quas si cæteris, & inprimis si VOBIS probari intelligam, eas porro sequar, & constanter servabo; sin minus, alias quas magis VOBIS placere sentiam, inibo. Nam qui ab SENATU AUGUSTISSIMO, atque adeo a VOBIS in hanc sim nobilissimam Sedem honestissimis conditionibus vocatus, homo sim omnium ingratissimus necesse est, si quidquam aliud dies noctesque quam satis VOBIS, & Reipublicæ facere contendam. Qua etiam causa est cur me a Vestris Laudibus vel in hoc aptissimo contineam loco, quod eas nimirum VOBIS scio mereri quidem placere, audire autem non placere. Itaque sermonem omitto quo neque illustrior, neque uberior, neque optatior contingere mihi potest, de Magnificentia, de Consilio, de Gravitate, de Constantia, de Fide, de Innocentia, de Magnitudine Animi, neque istis cæteris summis atque incredibilibus Virtutibus quibus magno usui Reipublicæ & privati, & in Magistratibus, domi, foriseque & sæpe fuistis, & assidue estis, quisque ob Virtutes Vestras estis, ut Maxima, & Sapientissima, sic eadem Justissima cæterarum RESPUBLICA cum in vos Honores amplissimos contulit, tum majores conferre meditatur. Tantum per eximiam Vestram in tuendis, augendisque Litteris Curam, atque Prudentiam, ac singularem istam, dignamque & VOBIS, & Familiis Vestris Inclytis illis, ac Vetustissimis Benignitatem illud VOS oro, ut quo me vultu (quæ Vestra fuit Humanitas) excepistis, eodem & meum hoc litterarium munusculum excipiatis. Valete.

Patavii Postridie Kalendas Junias MDCCXII.

JO-

Digitized by Google



JO. BAPTISTÆ MORGAGNI

ORATIO

Habita in Gymnaſio Patavino XVI. Kal. April. A. CIↃ IↃCC XII. cum primum ad Theoricam Medicinam Ordinariam publice profitendam accederet.

SI ad tradenda Medicinæ Præcepta Magiſtrorum valet auctoritas, in celeberrimo hoc Gymnaſio ab nobiliſſimis Viris traduntur; ſi uſus, a peritiſſimis; ſi ingenia, ab ſolertiſſimis; ſi facundia, ab eloquentiſſimis; ſi ſtudia denique, ab diligentiſſimis, & cum omnia ſuis Auditoribus officia, tum maximam ſedulitatem præſtantibus. Quæ ſunt igitur meæ partes? auctoritatis tantæ quantam vos pro veſtra humanitate in me eſſe, volueritis, uſus mediocris, ingenii vero, &, ſi ulla eſt in me, facundiæ minime voluntati parium; nam Auditoribus quidem meis ſi minus reliquis facultatibus ſatisfacere potuero, at officiis certe, & ſedulitate me ſpero ſatis eſſe facturum. Quæ hic & ſemper habitæ fuerint, & nunc habeantur cum de Scientiis ceteris, atque Artibus, tum de Re Medica Prælectiones, qua gravitate, qua facultate, qua copia, neque dico, neque ſi maxime vellem, dicere tamen pro dignitate ſatis poſſem; hoc tantum dico, nihil me unquam legiſſe, nihil audiviſſe quod mihi de Theorica Medicina ſubtilius dici videretur, nihil de Practica peritius, nihil illuſtriore auctoritate de exemplis, nihil de controverſiis gravius, nihil acutius, nihil de tota re medica ornatius. Quo mihi difficilius contingit impoſitum hic Medicinæ tradendæ munus; nam & poſt eos, & inter eos tradenda eſt Præceptores ex quorum Prælectionum recordatione plus utilitatis, & voluptatis, quam non modo ex meis, ſed ex cujuſquam Prælectionibus capere poſſitis. Sed mos eſt gerendus, non modo Ampliſſimis Rei Litterariæ TRIUMVIRIS, quorum magnitudinem erga me meritorum nulla unquam delebit oblivio, ſed etiam omni Auguſtiſſimo VENETORUM SENATUI, cujus ego honeſtiſſimo de me judicio, benigniſſimoque Conſulto nullo modo deeſſe poſſum; deeſſe autem? immo vero etiam non ea ratione reſpondere, ut omnes intelligant, me ſummis opibus eniti, & quam maxime poſſim, contendere, ut Beneficia in me Sua recte poſita, & ratione collocata eſſe videantur. Et cogitan-

Digitized by Google

gitanti quidem mihi, ac omnes animo ad novum aliquod utilissimum opus, atque pulcherrimum vias, adituſque repetenti nihil denique viſum eſt dignius novo quodam genere Medicarum Inſtitutionum, quod antequam planius quale ſit, dico, neceſſe eſt quemadmodum olim in ejus venerim cogitationem, proponere. Quod quidem ſic faciam, ut tria illius præcipua capita, itemque eorum utilitates, difficultates, auxilia eâdem operâ ediſſeram. Id cum breviter fecero, atque ita quæ de illis Inſtitutionibus generatim ſunt dicenda, expoſuero, tum longiorem aliquanto, & tripartitam orationem ingreſſus, quæ de ipſis ſigillatim, ſed per ſumma capita, tradi poſſunt, explicabo.

2. Cum in quavis Facultate nemo poſſit perfectus exiſtere qui id ipſum non ſpectet, & ad ſumma contendere non laboret, tum vero idem in Medicina contingere neceſſe eſt. Non hic pono, liberum eſſe humano ingenio ad conſummatam, & numeris omnibus abſolutam medendi artem pervenire; hoc enim alias in loco videndum eſt; ſed qui ad eandem ſe conferunt, illis ad ſummam eſſe tendendum, id pono. Cum enim vel ex hiſce ipſis qui in quavis arte primas appetunt, raros videamus ad ſecundas, tertiaſque provectos, in hac certe cui non minus difficultatis, quam utilitatis, dignitatiſque, inſitum eſſe confitemur, in imo ſubſiſtat neceſſe eſt quiſquis ad ſumma non enitatur. Hac de cauſa illud primum viſum eſt mihi, eſſe Medicum ad ſpem ſummam inſtituendum, talemque informandum qualis adhuc fortaſſe fuerit nemo. Præterea animadverti, qui Medicas Inſtitutiones ſcripſerunt, quos mihi quidem videre contigerit, eos ita omnes ordiri quaſi perfectis omni alio genere doctrinæ ſummam in arte medica manum imponerent, ſive contemnentes tanquam parva quæ prius diſcimus, ſtudia, ſive non ad ſuum pertinere officium opinati, quando diviſæ profeſſionum vices eſſent, ſeu, quod proximum vero, nullam ingenii ſperantes gratiam circa res, quamvis neceſſarias, procul tamen ab oſtentatione poſitas, ut operum faſtigia ſpectantur, latent fundamenta. Mihi vero nihil arti Medicæ alienum exiſtimanti ſine quo optimum Medicum non poſſe fieri, fatendum eſt, nec ad illius rei ſummam, niſi præcedentibus initiis, perveniri, viſum quoque eſt oportere ad minora illa, ſed quæ ſi negligas, non ſit majoribus locus, deſcendere, nec aliter quam ſi Medicus traderetur educandus, ſtudia ejus ab infantia formare, & per omnes quæ modo aliquid Medico futuro conferant, artes ad ejus operis ſummam perducere. Illud noviſſime occurrebat, ſatis eſſe non putandum eximio inprimis quem inſtituendum poſuimus, Medico ægrotantium lectulis aſſidere, ſed præterea inſerviendum eſſe poſteritati, quæ is ſcire potuerit, quæque artis gratia inquirere, candide illa, atque ſimpliciter in omnium ſæculorum notitiam proferendo, tum Reipublicæ obtemperandum, in Scholis modo atque in Gymnaſiis artis rationem aperiendo, in foro alias atque in judicio de veneficiis, de prodigiis, de vulneribus, de aeris, ciborumve ſalubritate reſpondendo. In quibus, atque in aliis pariter hujuſmodi rebus cum nemo queat recte atque ordine ſe ſe gerere qui ad eaſdem non ſit inſtitutus, hæc quoque omnia Medicis Inſtitutionibus comprehendenda eſſe videbantur. Sic igitur colligebam, & perfectum Medicum, & per cuncta ab infantia uſque ſtudia, & ad omnia quæ in ipſum cadere poſſunt, officia diligenter eſſe informandum.

3. Quæ cum colligerem, non ego iſtas quæ ſunt in uſu, Inſtitutiones abjiciebam (probo enim; ne quis forte ſecus exiſtimet; & valde utiles eſſe, profiteor) retinebam potius, retentiſque omnia quæ dixi, addebam, ut Medicus tandem inſtitueretur ille perfectus, & quo ne cogitatione quidem & mente excellentior confingi poſſit. In quo non multum illud verebar, ne ſi id quod vellem, efficere, eumque Medicum quem cupio, inſtituere valerem, retardarem ſtudia multorum, qui deſperatione debilitati, experiri id nollent quod ſe aſſequi poſſe diffiderent. Nam par eſt, omnes omnia experiri qui res magnas, & magnopere expetendas concupiſcunt. Quod ſi quem aut natura ſua, aut illa præſtantis ingenii vis forte deficeret, dum teneret modo eum curſum quem poſſet, non evaderet ille quidem in ſummum, mul-

Digitized by Google

multos tamen infra se videret. At summa assequi arduum est, & nemo est assecutus. Ante omnia, sufficit ad exhortationem studiorum, non capere id rerum naturam, ut quidquid non est factum, ne fieri quidem possit; namque omnia quæ magna sunt atque admirabilia, tempus aliquod quo primum efficerentur, habuere, & quidquid est optimum, ante non fuerat. Accedebat, tot nos præceptoribus, tot adjumentis instructos esse, ut possit videri nulla sorte nascendi ætas felicior, quam nostra, cui docendæ cum tota antiquitas, tum vero inprimis noviſſima tempora elaboraverunt. Quibus nunc addere æquum est vestrum istud acre, & excellens ingenium, & egregiam istam, ac præclaram indolem, Adolescentes studiosissimi, quos propterea unos ex omnibus ad bene medendum maxime natos aptosque reputo, ut vel ex vobis summus ille quem opto, Medicus, vel ex nemine fortasse omnium expectandus esse videatur.

4. Sed cum illud, ut dico, minus timerem, ne ab aliis magna nimium exigere judicarer, illud contra verebar maxime, ne nimio plus de me polliceri, & jactare me intolerantius viderer, si forte susciperem tradere tantam rem, quantam, non modo facultate consequi, sed etiam animo complecti longe esset difficillimum. A quo quidem consilio etsi ego tam aberam, quam qui maxime, ut qui de me, meisque viribus, ut a principio dixi, semper ita senserim, & adhuc sentiam, ex quo tamen die allatum est, me summa hujus Immortalis Reipublicæ liberalitate in hoc omnium locupletissimum optimarum Artium, atque Scientiarum Domicilium vocari, ex eo die mihi sum visus id posse eniti, non perficiendi quidem spe, sed adumbrandi voluntate. Quod ipsum profecto magnum erat onus, & perquam grave, atque adeo non hisce humeris suscipiendum, nisi illud occurrisset, nusquam tot Socios, nusquam tales consiliorum Adjutores, qui tantum onus magna ex parte verbis, exemplisque allevarent suis, quot, qualesque in doctissima hac, & ornatissima Civitate, me esse reperturum. Cum enim Medicus sit mihi educandus eloquentia excultus, in dialecticis eruditus, in mathematicis, & philosophia exercitatus, juris divini, atque humani non inscius, rei anatomicæ, reique herbariæ, omnisque materiæ medicæ scientissimus, universæ demum medendi rationis peritissimus, mihique propterea cum Magistris earum Artium, Doctrinarumque nobilissimis multi sint sermones conferendi, multa sint ab illis postulanda, multa sumenda; ubi hæc omnia commodius quam in hac Urbe, consequi possim, non video. Ubi enim terrarum eloquentia ornatius, dialectica acutius, matheſis nervosius, philosophia probabilius, divina, atque humana jura incorruptius? ubi corporis humani, ubi stirpium, ubi rerum naturæ historia diligentius? ubi denique cautius, ubi præclarius, ubi felicius omnis Medicinæ ratio, viæque traduntur?

5. Quo magis confidentiæ notam, & offensionem effugere posse videor, præsertim cum tot præter tantosque Socios atque Adjutores, Duces Auctoresque summo judicio, & auctoritate nactus sim duos, quorum vestigia, non pressa leviter, persequenti apparent, sed fixa atque alta se se ita ostendunt, ut aberrare non sinant. Quid? quod, non certam modo, apertam, directam, sed munitam quoque viam hi duo reliquerunt, verba nempe, sententias, præcepta instituti mei tam propria, tractandisque rebus tam apta, ut ego iisdem non solum verbis, atque sententiis, sed perpetua interdum oratione, parce ad materiam hanc meam detorta, non uti non possim: quod vel in hac ipsa Præfatione non latere vos, certo scio. Cujus a me facti non est expectanda deprecatio (quanquam quis hanc ultro confitenti negaret veniam?) sed gratia potius habenda est, quod non commiserim, ut vel minus idonea oratione, vel compellationum inepta, atque odiosa assiduitate uterer, in quorum alterutro peccandum alioquin erat, optimis videlicet occupatis. Nam ut institutum animo complexus sum meum, nullas paullo notiores aliarum quoque Artium Institutiones omittenti, quin excuterem, & cum meis contenderem, brevi post tempore usu venit, ut M. T. Ciceronis, & M. F. Quintiliani libros oratorios in manus sumerem, & diligentius considerarem.

Di-

Digitized by Google

Dici non potest, quantum ipse mihi sim gratulatus, quantumque id gavisus, quod in tantorum Præceptorum vestigia incurrissem; uterque enim (quod vos minime ignoratis) Oratorem omni ex parte perfectum instituunt, alter vero etiam ad ejus studia prope ab incunabulis formanda, atque regenda se se demittit. Itaque cum in binis instituti mei capitibus eos Auctores nactus essem, quorum gravissima auctoritate tueri illa possem, modo, atque ordine luculentissimo exponere, oratione autem locupletissima etiam ornare; tertium, quod relinquebatur, caput de Medico ad cuncta quæ in ipsum cadere possunt, officia informando, hoc vero adjectum ceteris videbatur tum eorum gratia, & suæ utilitatis admitti posse, tum eadem ratione tractari, quam in tradendis illis prioribus didicissem. Quod quidem & cœpi facere, & porro quantum mea valebit infirmitas, sum facturus.

6. Exposui quod primum pollicitus sum, Auditores, quidquid generatim ad institutum pertinet meum, nunc sequitur, ut quale sit, per singula rerum capita edisseram sic quidem, ut quæ nostri Alumni sint partes antequam Medico Præceptor tradatur, postquam erit traditus, & ex quo eidem ægrotantes tradentur, oratione tripartita proponam: quæ si me intelligitis ut brevissime possum, planissimeque præstare, vos, quæso, benigne, ut facitis, & diligenter attendite. Postquam principio demonstravero, quæ puer animi, quæque corporis debeat bona præ se ferre, quo de puero spem Medici capere quam optimam possint, hanc vero tantam spem & expectationem neminem posse, nisi virum bonum, explere, illud primum consequetur, ut puerum doceam fragendis cupiditatibus, & conformandis moribus operam dare, fine sibi proposito, cujus causa nihil non faciat, & quo omnem rationem referat, DEO. Strictim deinde attingenda erit cum istis omnium communibus, contritisque præceptis homine ingenuo, liberaliterque educato dignis prima illa puerilis institutio, qua sic satis græce, luculenter autem sciat latine. Hic fere de Præceptorum electione sermo erit aliquanto longior instituendus, deque eorum moribus, atque officiis, utque his mutuo discipulum deceat respondere. Non illos pudeat fateri nescire quæ nesciant; pudeat potius quæ unos se existiment scire, ea non candide communicare. Perspicue doceant, atque distincte. Ingeniorum discrimina intelligant, & ut cujusque natura feret, in hoc frenis, in eo calcaribus uti sciant. Discipulos sive domi, sive in publico exerceant, jejuna concertatione verborum digladiari, nunquam sinant, neque eos educent contentionis cupidiores, quam veritatis. Hæc, & alia hujusmodi quæ in Præceptorum delectu spectari cupio, cum satis ostendero, tum quæ ipsos Præceptores prima omnium præstare discipulis malim, demonstrabo. Quorum hæc fere summa est. Ut infantiæ falsas opiniones, & præjudicia ex animo evellant. Ut fallaciis sensuum detectis, & erroribus maxime omnium communibus & pervagatis, contra hos in posterum muniant. Ut nullius in verba, ne in sua quidem, jurare doceant. Non vetustatem, non novitatem, non consuetudinem admirari & sequi, sed unam, ubi ubi fuerit, veritatem. Hanc illos facile non assequi qui facile & e vestigio pronunciant, quique potius argumenta numerant, quam expendunt. Attamen non esse homini turpe se deceptum fateri, turpe esse, cum monitus fuerit, non fateri. Sed cum multo quidem & sæpius, & facilius promptissimi homines, & præfidentes labantur, quam dubitantes, & hæsitantes, esse tamen ubi in hanc quoque partem peccetur, vel nimia videlicet cunctatione, vel scientiæ omnis, & veritatis desperatione.

7. His cum præceptis discipuli animus imbutus fuerit, tum auctor ero, ut ea tradantur axiomata, quæ possint pluribus addiscendis postea Facultatibus inservire. Quorum non pauca cum sint penitus in media Matheſi retrusa atque abdita, ad hanc ut primus gradus fiat, hortabor. Cujus quidem elementa, arithmeticam deinde, & geometricam partem, mechanicam quoque, & staticam, tum geographicam, hydrostaticam, opticam, dioptricam, & astronomicam præ ceteris commendabo. His autem sic erudiri puerum velim, ut quæ ad ipsas attinent, experimenta, quasque

Digitized by Google

que haberi in ipsis observationes contingeret, illo semper comite, atque adjutore habeantur. Idemque in Chymicis, idem in Botanicis, atque Anatomicis etiam laudabo, quarum nempe elementa artium jam tum puero tradenda censeo, ejusque avidæ, & prope vacuæ memoriæ eam vim nominum innumerabilem qua absterreri solet adulta ætas, mature ingerendam. Et illa quidem puer ratione non observationes modo, & experimenta addiscet, sed quæ præterea in hisce excogitandis solertia, in capiendis dexteritas, in confirmandis sedulitas, in tradendis fides requiratur. His tot instructus adjumentis utilius multo, atque facilius cognoscet quæ ab acutissimis hominibus in tota sunt naturali Philosophia cogitata: quorum quæ probabilia magis fuerint, verique simillima, ea demum sub rerum historiis cumulatissimis, & ut fieri poteri, accuratis ita proponantur, ut liberum sit probabiliora in dies, ut fit, occurrentia reponere, neque tamen philosophica illa commentatio idcirco invertatur, & commutetur universa. Neque interea admovere aurem negligat divinarum Legum, & humanarum peritis: quos si palam audire non audeat, quod eorum Facultatibus nostra hæc medendi vis ne minima quidem societate conjuncta esse videatur; subauscultando tamen mihi excipiat eorum voces, & procul quid ajant, attendat; multos enim Medico incidere casus in quibus id juvet non neglexisse, cum ante a me indicatum est, tum alio loco demonstrabitur. Jam vero Dialecticis, & Rhetoribus dare operam licebit: quas a me doctrinas neque inconsulto, nec sine Auctore gravissimo in hoc tempus differri, tum planum fiet, cum quam illas emendatas velim, quam serias, quam actuosas, declarabo. Sed ut homines labore assiduo, & quotidiano assueti cum festorum dierum causa, aut voluntate sua ab opere interdum feriantur, ad pilam se, aut ad discum, aut ad metulas conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio non inertem ludum, sic noster cum ab severioribus illis studiis quasi colligere se se volet atque reficere, subcisiva hæc tempora haud alia in re utilius posuerit, quam in Philologia, & in Critica Facultate.

8. Locus hic erit nonnullorum querelis, & monitionibus occurrendi: me jam jamque memoraturum, quam multa & magna, & difficilia sint medentibus necessaria, horum industriam in plura studia non bene distraxisse, vel si mea ratione ad alia ista persequenda satis spatii relinquatur, me tamen nimis duras leges primis ætatibus imposuisse sic ut a me potius absterritæ a Medicina cognoscenda, quam excitatæ, voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abjecturæ esse videantur. Quibus ego monitoribus sic respondebo: qui vulgari ista & quotidiana facultate sit contentus, eum nostras Institutiones nihil onerare, nihil distinere, nihil morari, quin quantum ex ipsis videbitur, sibi sumat, cætera eximio illi Medico & absolutissimo quem informamus, relinquat. Hujus interesse maxime qua mentis acie medicam rationem sit aspecturus, eadem rerum omnium vim naturamque prævidisse. In his tamen artibus non doceri a me tantum temporis, & laboris impendere, quantum ii qui ipsarum tractatione delectati nihil in vita sint aliud acturi; sed ex iis tantum arripere, & cursim gustare, quantum illi satis sit qui ad alium usum sit translaturus. Nec tempus illi nimis breve futurum, qui parce ipsum, ut nos docebimus, & sapienter dispensaverit, præsertim neque tardi, neque segnis ingenii, qualem quidem instituimus, juveni, neque uno utenti, sed pluribus eodem tempore Præceptoribus. Nam illud quoque demonstrabimus, non confundi animum, ac fatigari quibusque in diversum tendentibus disciplinis, sed sicut in cibis, horum apta diversitate reficimur, unius assiduitatem fastidimus, ita in uno eodemque studio ingenium languescere, plurium certa mutatione recreari.

9. Quæ cum ita esse, ostenderimus, nihil, opinor, erit causæ cur non id quoque Medico futuro præcipiamus; ut inter hæc ipsa diversa studia, jam nunc ea omnia ex ipsa Medicina prædiscat quæcunque poterunt illis cum studiis non difficile copulari. Nam cum illis quos ante diximus, Philologis, Mathematicis, Grammaticis operam dabit, quid prohibet, aut ab his libros utriusque linguæ explicari qui sint de re medica præclare, & eleganter conscripti,

Digitized by Google

ſcripti, aut ab illis alteris in Opticis, atque Dioptricis quæ ad oculorum pertinent morbos, paulo uberius exponi, aut denique ab illis prioribus Antiquorum pondera, atque menſuras, balnea, artemque gymnaſticam potiſſimum indagari? Hæc ergo, & hujuſmodi alia quæ noſtro liceat quaſi aliud agenti de rebus Medicis prænoviſſe, a me diligenter indicabuntur.

10. Poſt quæ velut novum erit ſumendum exordium, & (quæ altera hujus orationis pars eſt) ad Medici officia tranſeundum, ac primum quando tradendus Medico Præceptori ſit adoleſcens, dicendum. Secundum hoc, breviter diſquiretur, an ſummo protinus optimoque ſit tradendus. Monebimus, ne quis ſe allici patiatur magnificis eorum Magiſtrorum pollicitationibus, qui intra ſex menſes, (quod olim Theſſalum illum Medicum, & huic propiorem memoriæ Paracelſum feciſſe, accepimus) medendi rationem ſe tradituros univerſam, promittant. Porro qui empiricam Artem, non rationalem, profiteantur, hos quoque minime tironibus eſſe audiendos. Quinam deinde Scriptores, & qua ſinguli ſint ratione prælegendi. Quis in unaquaque Artis dictanda regula, præceptiſque ſit modus; neque enim quaſi quasdam leges immutabili neceſſitate conſtrictas medendi ſtudioſis eſſe ferendas, ſed ex quibus pro variis cauſis, temporibus, ætatibus, & cæteris quæ ſunt hujuſmodi, conditionibus aliqua mutare uſus, ſtudium, conſilium, &, quod eſt caput, prudentia poſſit. Illud vero etiam atque etiam monebimus, ut diligentiſſime Præceptor videat quo ſua quemque natura maxime impellere videatur; operæ namque pretium faciet, ſi ad cujuſque ingenium ita ſuam inſtitutionem accomodet, ut de præfidenti audacique animo tantum detrahat, quantum diffidenti, & nimis timidio adjiciat.

11. Hic tandem ad Inſtitutiones iſtas communes & pervagatas aggrediemur. Quæ quidem perquam breviter a me perſtringentur, non quo illa non probem quæ tot, tantique medendi Artifices, & Doctores reliquerunt; ſed cum illa pateant, in promptuque ſint omnibus (extant enim innumerabiles de iisdem libri neque abditi, neque obſcuri) neque ea tractatione mea aut copioſius explicari, aut planius exprimi poſſint, nemo a me expectabit, ut opinor, ut in re nota & pervulgata multus velim & ineptus audire. Siqua igitur in illis Inſtitutionibus aut addenda, aut mutanda, aut vero omittenda, præſertim de expertorum Magiſtrorum conſilio, videbuntur, hæc paulo uberius memorabimus, reliqua perbreviter attingemus. In quibus profecto erit Medicinæ etymon, & quid illa ſit, aut quis ejus finis, atque utilitas, ſitne ars, & ex quo genere, & quæ ſit ei ſubjecta materies. Sed plura aliquando verba faciemus de illius origine, factiſque progreſſibus, deque ſpe futurorum, de primis Auctoribus, & de Sectis, & qui in unaquaque familiam ducant.

12. Poſtea vero quam res illas, deque theoreticis methodis nonnulla tradiderimus, Artemque omnem Medicam in quinque diviſam eſſe partes, cum ex his primam percurremus, tum quædam ad Anatomen, utilitatemque ipſius ſpectantia non reticebimus. Hinc alteram, quæ de Morbis eſt, partem dialectice tradendam eſſe, negabimus; medice vero, & firme, & perſpicue ſic ut melius tertiæ, quæ eſt de Signis, inſervire poſſit, docebimus. Quartæ autem, quæ Servatrix eſt, parti cum hiſtoriam medicam ventorum accurate ſcriptam, tum de vita producenda libellum commode adjungenda commemorabimus. Sed in nulla tandiu quam in ea quæ Curatrix eſt, quinta parte immorabimur. In qua primum de medendi methodo verba faciemus, iis nempe capitibus unde omnia ad omnem curationem præſidia ducuntur. Tum de re herbaria, de pharmaceutica, de chymica: quo in loco non pauca hortabimur, & aliqua ex parte ſuſcipiemus: Ut tironibus præcepta, cautioneſque tradantur, quæ in quibus dandis medicamentis ſint attendenda, quæ proſpicienda, quæ vitanda; tum vero quæ quibus mixtis novæ, & inexpectatæ vires oriantur. Ut genere indicationum univerſo nova quadam methodo in ſpecies certas partito, ut nulla, quantum fieri licebit, aut omittatur, aut redundet, ſua ſingulis ſpeciebus remedia aſſignentur & ſimplicia, & permixta, & prompta, & conquiſita, quanquam ſimplicia, & prompta magis, ſed tamen permixta

Digitized by Google

mixta etiam, & conquisita, omnia autem usu probata, sic ut simul ac posita sit indicatio, habeant tirones quo se referant unde statim possint medicamenta depromere. Ut neque de specificis, quæ vocant, remediis, quæ utinam tot haberemus quot haberi dicuntur, neque de novis, & incognitis sileatur, sed viæ rationesque tradantur quibus utrorumque natura & vires investigentur. Postremo ut de medicamentorum numero, deque ponderum ratione finienda, hoc est, de formulis remediorum scribendis fideliter, ac dilucide præcipiatur.

13. Hæc in tradendis Institutionibus proponemus. Erunt & quæ in tradendis cujusque Morbi Curationibus proponamus. Et primum quem ordinem præstet servare, & quam viam tenere. An longiorem hanc, sed celebratam magis & tritam. An breviorem illam, & compendiariam, in qua plerisque morbis in certa genera contractis, ut puta Doloris, Inflammationis, Defluxionis, & hujusmodi aliorum, tum communia in genus unumquodque, non vero in morbos singulos singula medendi genera præcipiuntur. Deinde negabimus, ullius morbi naturam, & causas sine respondentibus cadaverum dissectionibus, curationem vero sine cautionibus, præceptisque peculiaribus esse proponendam. Præterea dispiciemus, facturi ne operæ pretium sint qui separatim tradere instituant de morbis, qui fluidas tantum afficiunt partes, quique tantum solidas, & qui utrasque; tum de acutis, & longis; tum de penitus alicui parti insidentibus, & distantia ac diversa membra in consensum trahentibus; tum de ingenitis, & in his hereditariis; de implicitis, & in his inter se pugnantibus; de se se in morbos alios vertentibus, de redeuntibus; de vernis, æstivis, autumnalibus, hibernis; de senilibus tandem, virilibus, juvenilibus; nam pueriles quidem, itemque muliebres jamdiu separatim tractari video; artificum autem morbos, & cuique vitæ generi peculiares ab reliquis neque ita pridem, & magna cum laude sejunctos esse, cum uspiam, tum vero hic potissimum non ignoratur. Nec dubium est, eos quoque morbos qui ab animi affectibus oriuntur, seorsum esse proponendos, omnes vero qui ad Chirurgiam pertinent, longe est evidentissimum. Sed ut de his morbis omnibus tradendum erit, sic de rebus etiam duabus, quarum altera illos præcedere, altera subsequi non raro solet, minime erit reticendum, de parvis morborum initiis, horumque remediis, & de illis qui tarde ex morbis convalescunt, quam mature confirmandis.

14. Quoniam vero cuncta hæc medicinæ præcepta sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad vim medendi valent, nisi illis firma quædam facilitas, seu medicus habitus accesserit; hunc autem consequimur legendo, audiendo, observando, colloquendo, cogitando, scribendo, imitando, &, quod unum tandem plurimum potest, medendo; idcirco de his omnibus ex ordine præcipiemus. Et primum qua in parte medicinæ quis præter cæteros seu vetustus, seu novus Auctor excellat: quid in hisce ipsis cavendum; ut æquus animus, ut liber non minus ad lectionem, quam ad reliqua quæ percurremus, sit afferendus. Hinc quos audire, quos sectari conducat. Quid, & qua ratione, & quo etiam in loco observandum. Urbes namque celeberrimas malim pharmaceutis, chymicisque tabernis instructissimas, & in quibus publice a medicis, non tantum pluribus, sed alia aliis in facienda medicina sequentibus, alia vitantibus, ægrotantium corpora manu, pharmacis, victus ratione curentur, denatorum cadavera incidantur. Neque his modo, etsi magna, & permulta sunt, esse tamen contentus poterit summus ille quem formo, Medicus, nisi præterea longe lateque peregrinetur, in castris versetur, & cum hæc omnia legerit, audiverit, observarit, doctis cum amicis, & æqualibus conferat, atque ita se exerceat, ut quæ sibi mox agenda sint ad ægrorum lectulos, jam nunc exercitatione quasi ludicra prædiscat, & meditetur. Cujus ita exercitationis præcepta dabo, ut eam maxime comprobem in qua ex Hippocraticis morborum popularium, aliisque hujusmodi accuratis historiis cujusque ægrotantis casum uno sociorum articulatim proponente, medicam cæteri, ut mos est, consultationem instituant, tum quæ ipsi præceperint, atque prædixerint, cum Auctoris.

Digitized by Google

ſtoris tandem curatione, & ægrotationis illius exitu ſtudioſe contendant: quod cum in morbis pleriſque omnibus, tum in his præcipue quorum vi ſubita ante æger confici, quam imparatus Medicus meditari ſat poſſit, etiam atque etiam commendabo. Dies præterea nullus ſit cujus certa pars in acerrima atque attentiſſima cogitatione non ponatur. Ea cogitatione pridie lecta, audita, obſervata, diſputata verſare atque agitare, ex verſatis autem atque agitatis dubia excipere, & memoranda oportebit, illa ulterius excutienda, hæc penitus memoriæ tradenda, utraque continuo in adverſaria conjicienda.

Poſt hæc de optimo medendi genere tantum dicere conabimur, quantum noſtro adoleſcenti ſatis ſit ad unum aliquem tum ex iis qui fuerunt, tum ex his qui ſunt adhuc, Medicis quem imitetur, eligendum. Quem tamen quoniam ita ſibi proponere ad imitandum debet, ut longe illum multumque ſuperare nitatur, idcirco protinus de cauta imitatione verba faciemus.

15. Quibus abſolutis, ac nonnullis hoc loco interjectis de Aſſiſtentis Medici officiis, de medendi Poteſtate, ac ejus Inſignibus promerendis, & de prudentia, cæteriſque virtutibus ad artis uſum neceſſariis, aliquando ad curandos ægros (quæ poſtrema hujus orationis pars erat) mittemus illum quem inſtituimus, Medicum ſic tamen, ut certas quasdam admonitiones, quaſi comites, adjungamus. Et illud primum videndum erit: quod ſit incipiendi medicinam facere tempus, ad medicum quidem quod attinet, num illud quod ætas denique affert, an illud potius quod ob ſtudium, & diligentiam interdum quoque præcurrit ætatem; quod autem ad morbos pertinet, illud certe quo morbi faciles, & tutiſſimi dominantur. Hinc quæ in ſuſcipiendis curationibus ſint obſervanda, quæ in excogitandis, quæ in adhibendis. Non ea mihi convellere adorietur quæ non poſſint removeri; levamen tantummodo hic promittet, & interitus prolationem. Non plures mihi ægrotantes ſuſcipiet, quam quibus ſingulis ſumma cura poſſit conſulere. Nihil in his paulo notabilius dimittet quod non ſuæ meditationi ſubjiciat, nihil quod in ephemeridem ſuam non referat. Nunquam ægrotantes, atque domeſticos aptis, cautiſve prædictionibus, Chirurgorum autem famulos, obſtetrices, pharmacopolas, cæteroſque miniſtros, artis, & muneris quemque ſui eminenti præſtantique peritia in officio non retinebit. Hæc præterea admonebitur. Ne quid nocęat. Ut ab levioribus, quandocumque liceat, auxiliis ordiatur. Ut perraro ad remedia vehementia decurrat, annis præſertim primis; ſed quam poterit mitioribus, atque paucioribus ſit contentus. Ne ſtatim plerumque mutet, ſi quæ non ſtatim profuere; contra aliquando aliud continuo, atque aliud experiatur. Quonam quieſcere præſtet tempore; quonam movere. Quonam imitari, aut ſequi naturam; quonam morari, vel anteire. Quonam ſit, aut non ſit tritis Artis præceptionibus utendum. Quid agendum in novis morbis, quid in latentibus, & ad tempus incognitis. Quando denique, & qui ſint in conſilium adhibendi, & quemadmodum Conſultationes & coram, & per litteras inſtituendæ.

16. Hæc cum fuero exſecutus, non hic Medicum quem fingo, deſeram, ſed per omnia quæ quidem cadere in ipſum poſſunt, munera atque officia deducam. Non de Medici Conducti, non de Archiatri, non de Collegiis adſcripti, non de Profeſſoris publici officio ac partibus reticebo. Quanquam ita hoc loco interpellari me poſſe intelligo, quaſi hæc omnia ut complexurum me verbis ſpero, ſic facultate eſſe jam complexum exiſtimarem. Ego vero, cujus tantum ab omni arrogantia ingenium, voluntaſque abhorrent, quantum debent; debent autem maxime; etſi ab nemine æquo, & intelligente homine ita interpellari me poſſe, ſcio propterea quod & quo, & quibus fretus adjumentis intendam, ſatis eſt ante declaratum; tamen ſi quis forte ſic interpellet, is ſibi hoc perſuadeat, velim, me non multo ſecus facturum, cum de Medico abſolutiſſimo, cunctiſque ejus partibus diſputabo, ac facerem, ſi eſſet mihi de Pictore dicendum: negarem enim, poſſe eum ſatisfacere in tabulis, niſi recte lineamenta deſcribere, niſi cui pigmento quod pigmentum deceat apponere, didiciſſet; neque ea cum dicerem,

Digitized by Google

rem, me esse pictorem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. Similiter ea cum attigero, non quid ego, sed quid ille possit eximius, quem cupio, Medicus, si modo quis esset, aut si etiam unquam fuisset, aut vero si esse posset, haud scio an feliciter, certe diligenter adumbrabo.

17. Nunc ad vos, Auditores æquissimi, doctissimique, & ad institutum revertens meum; quoniam usu Medicis non raro venit, ut non modo a privato quoque homine, sed a Magistratibus utriusque Fori consulantur partim de superstitione, de miraculis, de fabricatione, de mutilatis, de monstris, de notis virginitatis, de jejunii, & sacrarum precum ex formula recitandarum, vel audiendarum, & conjugalium tandem legum observandarum potestate; alias de aere, aquis, rebusque cibariis, de peste, & contagione, de legitimo partus tempore, de amentia, de ictibus, & vulneribus, de veneficiis, de morbis denique vel simulatis, vel redhibitioni locum facientibus, vel tormenta quæstionesque prohibentibus; quoniam, inquam, de his omnibus sæpe Medici responsum quæritur, Nostrum ego, ut scite illud dare, & prudenter possit, certis quibusdam præceptionibus informabo: quas si ignoret, alterutrum, quandocumque consultus fuerit, necesse erit, aut tempus habeat cognoscendis non solum rebus quæ in quæstione versentur, sed multis præterea, & variis, & ab nostra penitus Facultate sejunctis, aut videatur sibi in novum terrarum orbem esse delatus.

18. Sed hæc omnia quæ nostro hactenus laudavimus Medico, ut multa sint, ut præclara, ut reipublicæ conducibilia, finibus tamen angustis sane & exiguis continentur, si cum ea laude utilitateque conferantur quam scientia affert, digna, & profutura tradendi litteris, ac memoriæ cunctorum hominum sempiternæ. Quamobrem non ante nostris Institutionibus finem faciemus, quam diligenter videamus, quæ sint Medico potissimum, & quemadmodum scribenda. Illud autem primum ponemus: cum minime possit is quem sæpe diximus, Medicus perfectus & absolutus existere, nisi Medicina, quantum valent hominum vires, ipsa perficiatur, illius maxime interesse, quæcumque egerit, nedum scripserit, huc tendere & spectare universa, ut ea quæ Arti desunt, cumulatissime adjiciantur. Namque, ut propositum non assequatur, falsa tamen deprehendendo, & vera detegendo, multa Arti, multa sibi & subsidia addet, & ornamenta comparabit. Sed cum illi primum removenda sint omnia quæcumque obstant, & impediunt, hæc a me diligenter indicabuntur, & in his universalium, abstractarumque ab rebus meditationum velut præcox, & multo major quam utile sit rebus publicis, consectatio, propter quam laudabilis ille mos & aphorismos, & historias, & observationes simplices, ac nudas scribendi longo est intervallo prætermissus, tum imprudens illa ratio res longe abstrusiores, aut etiam majores investigandi, quam ut hominum possint sensu, aut cogitatione comprehendi, quarum utinam notitiam aliquam habere possemus; sed domina Natura est. Porro cum ex hisce rebus quarum tractationes desideramus, non paucas ante indicaverimus, ubi de vulgatis Institutionibus, deque Morborum Curationibus locuti sumus; nonnullas hic addere satis erit, & primum rectam causarum quibus morbi continentur, inquisitionem. Quæ quoniam nulla aptius via, quam morbosorum & cadaverum sectionibus, & fluidorum observationibus indagantur, de his recte instituendis, seligendis, dirigendis verba faciemus: quas cum ad cæteras, tum vero inprimis ad dignoscendas infantium ægrotationes commendabimus, ut quibus natura suos posse indicare morbos negavit, illos ars, quasi opportuna, & amica interpres, ne deficiat. Hæc præterea desiderabimus. Ut Medicus quisque det operam, ne in civium suorum morbis, patriæque idoneo medendi genere hospes sit, & si qua valetudinum, si qua præsidiorum genera cum rara sint, aut pene ignota cæteris gentibus, suæ tamen regioni sint frequentissima, ea litteris prodat, & memoriæ posteritatis propaget. Ut in ea quam instituisse posse diximus, de longis morbis tractatione, in quibus quidem curandis multo plus sane quid Medicus, quam quid

Digitized by Google

valeat fortuna, perſpicitur, quo in morbo quæ ſit aptior ægrotantibus regio, diligenter commemoretur. Ut non minus de novis remediis, quam de novis morbis, deque his inclinatis, utque ſic dicam, ſeneſcentibus, de non ita bene tractatis, de neglectis, atque omiſſis, de abditis, & cognitu difficilibus non difficulter cognoſcendis, de illis demum qui vulgo inſanabiles exiſtimantur, & eorum tamen, quandocumque ſucceſſerint, curationibus tradatur. Quibus, atque aliis præterea hujuſmodi quæ, in Inſtitutionibus enumerabimus, ſi diverſarum, & pugnantium, in Artis præſertim activa parte, ſententiarum conciliatio accedat, interea poſſit ferri tolerabilius cumulatæ Artis perfectionis deſiderium.

19. Sed quidquid Medicus ſcribere inſtituet, mihi quidem & latina, & eleganti, & preſſa moderate, non redundante ac ſuperfluente, oratione conſcribet; latina, ut pluribus longe lateque intelligatur; eleganti, ut vel faſtidii, vel melioris alieno ſub nomine paraphraſis; non ſuperfluente, ut vel tædii, vel epitomes metuenda Auctoribus pericula effugiat. Et hæc quidem generatim. Sigillatim vero trademus de ſcribendis Medico Præceptionibus, Meditationibus, Hiſtoriis, deque his ſæpe utili, aptaque delineatione Figurarum, de Criticis, & Apologeticis Scripturis, de bonis libris ex peregrina, aut barbara in linguam latinam convertendis, de antiquis denique tum incertis dignoſcendis, tum mendoſis reſtituendis.

20. Poſtremo quod ceſſandi tempus capere, & quæ, hoc capto, præſtanti ſummoque Medico noviſſima ſtudia conveniant, in extrema Inſtitutionum noſtrarum parte diſputabitur. Sed, ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me benigne, attenteque audiendi, quid in tota hac parte ſim habiturus, malo in veſtris cogitationibus relinquere, quam in oratione mea ponere.

21. Atque de eximio Medico inſtituendo edidi quæ potui, non ut volui, ſed ut me temporis anguſtiæ coegerunt. Quæ tametſi ſtrictim quaſi per tranſennam prætereuntes aſpexiſtis, primum nihilominus vos hortabor, diligentiſſimi Adoleſcentes, ut ſi illam præclaram, & eximiam ſpeciem Perfecti Medici adamaſtis, tantum illi conſequendæ, operæ ſtudiique navetis, quantum me ſedulitatis, & officiorum omni tempore in vos conferre, ſentietis. A vobis autem, quos & ſingulos, & univerſos præcipuo ſemper honore proſequar, Collegæ Sapientiſſimi, illud majorem in modum peto, ut, ſi arduum quod inſtitui, & perdifficile Opus non improbatis, mecum ſuſcipere ne graveminî. Sin vos alios longa vita, & in ſtudiis conſumpta, partim uſus rerum maximarum docet, me ab impari onere abſterrere, veſtris monitis, conſiliiſque parebo, contentus, ideam Operis primis tantum lineis deſcriptam exhibuiſſe, quam alii olim me longe meliores, non (quod ego pollicere poſſem) paulo diſtinctius adumbrare, ſed implere, informare, & numeris omnibus abſolvere fortaſſe conentur. Quod ſupereſt, a TE etiam atque etiam quæſo, JOANNES CORRARI, Generis Splendore, & Virtutum omnium quæ in Virum Principem cadunt, Præſtantia Ornatiſſime, hujuſque Præclariſſimæ Urbis Præfecte, ac Proprætor Meritiſſime, ut pro Tua iſta patria, & domeſtica Humanitate orationi des veniam meæ, quod cum Tua tempora, tum publica, quibus ea tribuis, commoda paulo diutius ſit morata. DEUM vero Optimum Maximum precor, ut ſi Auguſtiſſimo VENETORUM SENATUI, Ampliſſimiſque Rei Litterariæ TRIUMVIRIS, a quibus hoc mihi eſt Munus honeſtiſſimum, graviſſimumque concreditum, ſi iis, inquam, me videt gratias quidem agere tantas non poſſe, quantas debeo, ſed tamen quantas maximas poſſum capere, & nunc habere, & eſſe habiturum, dum vivam; tum faxit, ut mihi dignæ Munere, dignæ TRIUMVIRIS, dignæ SENATU hæ, quas hodie cœpi, Perfecti Medici Inſtitutiones proveniant.

JO.

Digitized by Google

JO. BAPT. MORGAGNI DE VIA ATQUE ORDINE AB SE IN TRADENDA PUBLICE MEDICINA ET ANATOME SERVATO EPISTOLA.

Joannes Baptista Morgagnus Antonio Larber, nuperrime ad dignitatem Archiatri Bassanensis evecto, S. P. D.

QUando non satis tibi est, carissime Antoni, quæ sive in Nosocomio, sive in Theatro doceo, assidue annis superioribus, cum hic degeres, audivisse, sed & ea cognoscere cupis quæ, antequam nascereris, de Re Medica primum, tum de Anatomica hic publice tradere consuessem; utinam satis facere possem voluntati tuæ. Verum quî possim? cum ex tempore, ut probe, nosti, dicere solitus, vix summa quædam Exercitationum capita scriptis commiserim. Dices, at viam saltem, atque ordinem quem tenebas, fac sciam. Si hoc es contentus; paucis accipe.

Qui libri hic essent more Majorum a Theoricæ Medicinæ Doctoribus interpretandi, non ignoras. Prima Fen Primi Canonis Avicennæ, Galeni Ars Medica, Hippocratis Aphorismi. Duos ego primos non tam mihi esse traditos ad interpretandum, censebam, quam ad argumenta capienda eorum quæ ab homine veri, & auditorum utilitatis studioso tractanda essent, & expendenda. Itaque ubi illius, & hujus Auctoris sententiam breviter, & quantum fieri per me posset, perspicue exposueram; continuo illuc transibam, ut fusius inquirerem, de iisdem quas olim Avicennas, aut Galenus scripserat, rebus quid ille, aut hic alter esset post nova tot inventa, & experimenta sensurus,

si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum.

Sic mihi occasio dabatur quæ posteri secus, & cur docuissent, proponendi, & ex pluribus, variisque inter se collatis sententiis quæ veri similior videretur, ingenue, modesteque indicandi. Ex Avicennæ igitur libro argumenta hauriebam, ut singula Physiologiæ capita, ex Galeni autem libello, ut reliquas exponerem Institutionum Medicarum Partes. In quibus memini, cum de Signis agerem, & de Urinis præsertim, ac Pulsibus, sic me instruxisse discipulos, ut quæ sunt ante illarum inspectionem, aut horum explorationem scienda, & quæ dum inspiciuntur, aut explorantur, animadvertenda, & quæ demum post inspectionem, aut explorationem deducenda, partite, accurateque docerem. Sed neque in cæteris Institutionum Partibus quod in ipsa potissimum Physiologia feceram, alios quosdam, non longos quidem, sed dilucidos, utilesque tractatus interserere non omittebam. Itaque efficiebam, ut cum denique ad eum annum veniissem, quo erant Aphorismi Hippocratis interpretandi, brevis esse possem in theoricis explicationibus, quippe ab iis quæ super Galeno, & Avicenna jam tradideram, pendentibus, ut paucis indicare verbis, atque applicare ad Hippocratis doctrinam liceret: unde, cohærente docendi ordine, simul per illa hæc illustraretur, simulque per hanc illa confirmarentur.

Sed cum secuti in duos illos Auctores, ita in Hippocratem jam præfatus, de singulis tria ostendissem, quis fuisset Scriptor, qualis esset liber, & qua ratione interpretandus; de hac præsertim, quod ad Hippocratem attineret, sic statueram, primum omnium videndum esse, quod ad ejus fieri posset, ut quæ revera ejus essent, aut non essent verba, variantibus interdum lectionibus, dignoscceremus. Qua in re non parum quidem, post Galenum, doctissimis illis Interpretibus tribuebam, qui avorum nostrorum tempore floruere, sed multo plus Cornelio Celso, ut cui in Romanis Bibliothecis vetustiorum codicum

fuis-

Digitized by Google

fuisset copia, nec diligentia in latine reddendis aphorismis quam plurimis defuisset, nemini tamen plus, quam ipsi Hippocrati, quotiescumque aliis in libris (id quod sæpe accidit) eadem quæ in hoc, & fusius aliquando, clariusque, proposuisset. Quin etiam in hoc ipso libro, nec raro, accidere censebam, ut Auctoris sententia, alios cum aliis aphorismis conferendo, eluceret. Quam non modo ob causam, verum insuper ut interpretatio brevior fieret, instituveram uno proposito aphorismo, cæteros qui ad genus idem rerum spectarent, quasi corollaria, subjicere. Quod faciendi ut Sectio ipsa Prima commode mihi occasionem præbebat; sic ex ejus aphorismis continuo tibi exempla dabo.

Cum enim secundus de alvi fluxibus sit, & vomitibus; illo explicato, quicunque toto libro de illa, aut de hac evacuatione sunt, primum spontanea, tum a Medico instituta, quo meliori poterant ordine a me dispositi, proferebantur. Sic & tertius aphorismus, ut est ad missionem sanguinis referendus, ita alios de effusione sanguinis non a Medicis solum, sed etiam ab natura ipsa facta, ut porro proponerem, suadebat. Cum vero ad quartum perveneram, qui de tertio quasi fonte remediorum, victus ratione, scriptus est; reliquos producebam ad eandem pertinentes. Nec deerant in secundo, & decimo tertio quæ de ætatibus, & quæ de anni temporibus mentionem injiciendo, ad Sectionis tertiæ aphorismos explicandos viam aperirent, ut neque in duodecimo quæ urinas, & sudores memorandos, alios atque alios exponendi ansam præberent, & cum his jungendi qui ad crises æstimandas attinent, & qui ad prædicendas. Jam vero intelligis, cum in aphorismum inciderem, qui ad bona, aut mala in morbis indicia, aut ad morborum durationem, recidivam, successiones, curationem, aut ad certum quoddam morborum genus spectaret, quid mihi de cæteris ejusdemmodi aphorismis faciendum censerem. Reliqua addere omitto, quippe ad eandem normam.

Interea autem dum hæc in Gymnasio, & domi auditores docerem meos, si quid forte daretur otii, aut illas, quas necdum vulgaveram, anatomicas observationes cum Veterum, & Recentiorum Scriptis conferre pergebam, aut Novæ (quod pariter promiseram) Institutionum Medicarum Ideæ non oblitus, quæ me ad earum libros perscribendos juvare possent, colligebam, donec quarto anno in tradenda Medicina insumpto, docere Anatomen jussus sum, vix mensium trium spatio dato, non tam ad me, quam ad alia, in primisque ad Prosectorem assidua exercitatione, meoque exemplo, ut plura quæ hic ostendi, aut sic ostendi non consueverant, administrare posset, diligenter parandum. Itaque procemium illud, a te aliquando apud me lectum, quo sum prima die in Theatro usus, non magis procemium fuit, quam veracissima excusatio. Eamque continuo, & postridie demonstrationes sunt consecutæ Elementorum Anatomes illas ob causas quas in Alteris Adversariis (1) indicatas vides. Id institutum semper deinceps retinui, ut quotannis, si non in Theatro, at domi, aut in Nosocomio antea ostenderem, explicaremque Elementa illa, quam totius humani corporis anatomen docerem. Illis præterea post demonstrata cursim ossa, doctrinam de articulis addebam, & vasorum, nervorumque, ut per collum, thoracem, ventrem feruntur, suis in sedibus ostensionem, haud ignorans, quantum præstet simul universa demonstrare priusquam aut truncata, & divisa in partes, suis cum visceribus proponantur, aut, si non divisa, tabulæ, uti solebant, agglutinata, & sicca, ut neque singulorum sedes, neque situs, neque habitus inspicientibus appareat. Sed hæc omnia, quippe a me ad hoc usque tempus nunquam omissa, vidisti ipse, atque alia insuper, nempe cum veritus, ne quædam satis possim in Theatro ostendere, in Nosocomio præmonstro.

Ordinem quoque in Anatome tradenda animadvertere potuisti a me ferme conservari Veslingianum. Accidit tamen prioribus illis annis aliquando, ut propter idonearum cadaverum inopiam coactus sim, ne tempus lege præfinitum elaberetur, longe

1) Animadv. 2.

Digitized by Google

ge alium ordinem ſequi, ſic tamen, ut omnia connexa atque apta inter ſe viderentur. Itaque ab Oſſibus nonnunquam, interdum a Fœtu, non ſemel a Capite initium duxi. Quin ſecundo anno cum proſpicerem, tempus mihi ad docendum datum tot non ſuffecturum Exercitationibus, quot habere conſuevi; experiri volui, an breviori ordine poſſem omnia comprehendere. Igitur a Cerebro, & Spinali Medulla incipiens, per nervos ad ſingula tum organa ſenſuum, tum motus inſtrumenta ducebar, hæcque non externa ſolum, verum etiam interna, ut quæ edendæ voci, quæ ſanguini in gyrum agendo, quæ conficiendis, diducendiſque alimentis, quæ recrementis eliminandis, quæ hominum generi propagando inſerviunt; quid multis opus eſt? ad ſingulas partes, atque adeo particulas totius corporis novo hoc neque ineleganti, neque ita prolixo, ſed laborem non mediocrem, nimiamque animi attentionem requirente, hoc, inquam, ordine perveniebam. Quamobrem eo ſemel uſus, alterius illius qui a corde per arterias ad partes ſingulas ferret, periculum facere nunquam volui. Sed cum denique nec anguſtiæ temporis, nec cadaverum inopia me amplius prohibuerunt quem tum auditoribus faciliorem, tum mihi etiam commodiorem eſſe ordinem, cenſerem, eum ſequi; ab illo quem dixi, hic poſt Veslingium uſitatiore, non diſceſſi.

Neque eandem tamen in ejuſdem argumenti Exercitationibus rerum diſtributionem quotannis placuit inſtituere, neque eaſdem ex earundem Partium hiſtoria animadverſiones, eademque monita ſeu theorica, ſeu practica deducere; ſed quantum quidem potui, ſemper nova quaſi veſte hiſtoriam indui: hiſtoriamque ipſam auxi ſubinde, aut illuſtravi. Quæ ut præſtarem, magno mihi adjumento fuerunt non meæ dumtaxat obſervationes, verum etiam alienæ. Has enim, ex recens editis libris depromptas meis auditoribus proponere conſuevi, Auctoribus diſerte indicatis, atque laudatis, quamvis non omnes ſemper probare, aut accipere poſſem obſervationes, vel quod repetitæ non reſpondiſſent, vel quod necdum ſatis ſpatii ad repetendum habuiſſem. Aſſenſum autem cohibuiſſe, me nunquam pœnituit, cum annis inſequentibus tutius aut confirmare liceret, aut non meis tantum, ſed & aliorum iteratis fruſtra experimentis, deſerere.

Ex his omnibus intelligis, quî factum ſit, ut cum de eodem quotannis humano corpore idem ego, eodemque in Theatro ſepties jam, & quadrageſies ſermonem habuerim; frequens ſemper Theatrum fuerit, iis quoque, ut noſti, ad audiendum redeuntibus, quorum non pauci annis jam multis continenter interfuiſſent. Intelligis pariter, cur nunquam mihi grave, imo potius gratum fuerit, quod illorum plures, alii aliis annis, ſingula conati ſint verba ſcribere docentis; non, ut prudentiores, ſibi res tantummodo, ſententiamque adnotare. Nam etſi illorum ſedulitas hunc habuit exitum, ut cum perſæpe non a verbis modo, ſed ab ſententia quoque aberraſſent, eorum ſcripta, quæcunque mihi oblata ſunt, pro approbatione quam ſperaverant, ingenuum a me judicium illud retulerint, quod mea manu eorum chartis Virgilii verbis uſus, alli, nendum eſſe, cenſui,

Non ſum adeo informis; nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare;

etſi, inquam, res ipſis ex voluntate non ſucceſſit; omnibus tamen quæ alio anno ſcripta fuerant, cum ſcriptis cæterorum annorum conferentibus manifeſtum eſſe potuit, quanto aliter ſingulis annis meas habuerim Exercitationes.

Quod ut fieret, haud raro inſuper cauſæ accedebant quæ ex parte id poſcerent, ut puta, alia ac plerumque ſolet, viſcerum, muſculorum, vaſorum ſedes, aut alia forma, aliuſve numerus: in quæ nunquam incidebam, quin mihi, aut aliis an idem videre, an ſæpe, & quibus in corporibus acciſſet, continuo referrem, & ſiquid forte deeſſet, unde id ſuppleri potuiſſet in viventibus. Neque aliter me gerebam, ſi non ab ortu, ſed a morbo aliquo, rariore præſertim, mutatæ Partes occurrebant. Verum hæc partim, cum adeſſes, audiviſti, partim in libris invenies meis. Alia autem fortaſſe in ſchedis

extant

Digitized by Google

extant, ut quæ præfanda, aut attexenda iis exercitationibus fuerunt quibus interesse placuit Amplissimis Viris qui pro Augusta Venetorum Republica huic præerant Civitati. Ea vero, quantum memini, cum vix aliud sint, quam meritæ aut laudationes, aut gratiarum actiones; minime ad id pertinent quod ex me quæris curiosene magis dicam, an amanter? quam nimirum viam in docendo tenuerim. Utcunque autem illæ scriptiunculæ se habent meæ; veniens huc aliquando poteris, si forte volueris, in magno, quem apud me sæpe vidisti, acervo chartarum quærere, in quibus videlicet quidquid pro re nata properanter scriptitavi, nec relegi unquam, nec amplius relegam. *Annus enim octogesimus*, ut olim M. Varronem (1), ita nunc *admonet me, ut* longe alias *sarcinas colligam ante quam proficiscar e vita*. Quam dum tibi hac mea longiorem precor, simul precor & feliciorem. Vale.

Dabam Patavii Kal. Martiis CIↃ IↃCC LXI.

JO. BAPT. MORGAGNI QUÆDAM PRÆLECTIONUM ANATOMICARUM PROŒMIA.

Cum primum ad Anatomen tradendam in Theatrum venisset XII. Kal. Februarii CIↃ IↃCC XVI.

ANtequam de Re Anatomica ostendam ea, quæ ante omnia ostendenda arbitror, satisfaciam iis, qui forte ex voce, vultu, gestu, toto habitu corporis nunc mirantur, quid causæ sit, quamobrem initio dicendi commovear etiam vehementius, quam mea ferre consuetudo videatur.

Primum hæc novi loci nova species terret oculos; tum vero magis terret animum illa cogitatio, in eo me Gymnasio ad Anatomen tradendam aggredi, quo in Gymnasio Andreas Vesalius, Realdus Columbus, Gabriel Falloppius pene intermortuam apud omnes multis ante sæculis Doctrinam Anatomicam non modo in pristinam dignitatem restituerunt; sed ad multo etiam ampliorem provexerunt: Ex ea ipsa sede ingredi me dicere de Anatome, ex qua sede Hieronymus Fabricius, Julius Casserius, Adrianus Spigelius Anatomici Nobilissimi non minus hoc Theatrum laudatissimis Dissertationibus, quam universum terrarum orbem gloria magni nominis impleverunt; Ex ea, inquam, sede, ex qua, forte adsunt aliquot grandes natu, qui Joannem Veslingium audiverint, at quem Virum! Ex qua denique; ut de intermediis Professoribus Clarissimis sileam; audiverunt omnes eum qui me proxime antecessit, Michaelem Angelum Molinettum eruditissimum, ac disertissimum Virum, & ad hunc locum apprime factum; ut plus voluptatis ex sola ejus orationis ornatissimæ recordatione, quam ex omni meo sermone, capi queat.

Porro me illud etiam perturbat, quod cum his tot, tantisque, quibus succedo, Anatomicis non modo ætate, ingenio, auctoritate, gratia, sed ne ipsa quidem exercitatione sim comparandus. In hac enim Re primum mediocriter sum versatus: deinde siquem usum habui, dum intermissis dissectionibus, medicinam aut apud Cives meos facio, aut hic doceo, tot me anni non minus quam scalpellorum meorum acièm, retusum atque habetem reddiderunt.

Accedit id quo gravius afficior, atque adeo vehementius angor, quæ res mihi, & ceteris ab omni alio adjumento destitutis, incredibili subsidio una solet esse, diligentia, nec ea quidem me juvari in præsentia posse. Nam cum diligentia, nisi tempus, & spatium datum sit, nihil valeat; tum ego neque satis habui temporis, &

(1) Rer. Rustic. l. 2. c. 1.

Digitized by Google

& quantulumcunque habui, id prope omne coactus sum aliis atque aliis, & necessariis quidem, rebus tribuere.

Quibus ut omnibus valde solicitor, sic illo demum conturbor maxime, Anatomen, non ut olim, esse adhuc paucarum scientiam Partium, atque magnarum, ut vel sine assidua exercitatione, sine justa diligentia tradi possit; sed ex illis certis, & pervulgatis finibus nostra potissimum, & patrum memoria, tenuissimis, sed iisdem utilissimis, incrementis quotidie adauctam, prope in immensum excreviſſe; ut si Vesalius iterum, & Falloppius existant, si Fabricius, si Casserius huc redeant, non possint tamen, nisi usu quotidiano freti, datoque longo ad comparandum se tempore, tantam vim novarum & particularum, & utilitatum pro dignitate hujus loci, & recentioris Anatomes edocere.

Hæ omnes causæ si, ut notissimæ sunt, ita mihi uni cognitæ, ceteris autem essent ignotæ; non modo pertúrbarer magis; sed oratio me ipsa deficeret. Nunc illud me recreat, atque confirmat, quod & in hunc locum adduxit, hæc quæ exposui, omnia omnibus nota, testata, manifesta & esse, & fuisse. Itaque siqui nihilominus me hortati sunt (hortati sunt autem plures & Proceres Summi, & Professores Gravissimi) ut vel in his tantis angustiis temporis huc venire ne dubitarem; si nihilominus de hac re Amplissimi Litterarii Triumviri ad Senatum referre voluerunt; si nihilominus Augustus Senatus ita censuit; perspicuum, opinor, est, non ea demum in præsentia a me expectari quæ deberem; sed ea tantum quæ possim.

Quo magis æquum verumque est Benignitati erga me Publicæ, tribus intra quatuor hosce annos honestissimis Senatus Consultis, hoc autem præsertim novissimo testatæ, non modo immortales gratias & agendo, & habendo, sed prompte, ut jubeor, alacriterque parendo, respondere.

Siquid tamen perturbationis reliquum est, id omne paulatim eximit præsentia eorum a quibus tam benigne, attenteque audior. Agnosco enim (quod a principio haud satis poteram) agnosco, inquam, magis magisque ora, oculosque singulorum. Intueor Viros, intueor Adolescentes & Cives, & Exteros qua sanguine, qua dignitate, qua litteris, qua virtutibus ornatissimus. Hi quod in Gymnasio hoc florentissimo assidue versantur, homini favent, cujus, si minus reliquas facultates, at sedulitatem certe, & officia in se perspexere. Ceteros autem qui in hac Nobilissima, & Præstantissima Urbe orti, educatique sunt, & Viros, & Juvenes honestissimos eadem, ut accipio, esse voluntate & benevolentia in exterum, & prope adhuc ignotum hominem, nihil certe aliud cogit, nisi vis quædam, & consensus incredibilis insitæ, vel potius innatæ benignitatis: quam ut sponte sua Patavini Cives erga me susceperunt, si ut semper retineant, cunctis grati, & obsequentis animi significationibus operam dabo.

Quod superest, Sapientissimum humani corporis Conditorem veneror Deum, ut si me non Novitatem, non Vetustatem, sed unam, ubi ubi invenero, Veritatem secuturum; si rejectis inanibus, & historica divini ejus Operis enarratione indignis, verborum calamistris, perspicua, & omnium, horumque in primis Juvenum captui accommodata oratione, & methodo usurum; si neque in longis, & hic supervacuis controversiis tempus contriturum, neque ulla alia in re quidquam ostentationi, sed omnia publicæ utilitati, quæ ex una fideli, & plana subtilissimi ejus Operis demonstratione existit, daturum; si ita, inquam, animatum me videt; tum faxit, ut quod nunc incipio, bene, fauste, fortunate, feliciter absolvam.

Digitized by Google

Proœmium ad Prælectionem de Oculo

eodem anno habitum postridie Idus Februarii coram Viris Amplissimis JOANNE A LEGE Prætore & JOANNE PISAURO Equite Præfecto Patav.

QUando ita erga me benefici estis, Moderatores Amplissimi, ut quod pro officio, cujus omnes partes in hac Nobilissima Civitate gubernanda sancte, & diligenter expletis, præstare aliis mei Ordinis hominibus consueviſtis, id pro vestra summa benignitate largiri mihi volueritis; oro, atque obsecro, ut quantum interſit inter me, atque eos ad quos audiendos alias in hoc Gymnasium veniſtis, vobiscum ipsi reputetis. Primum enim cum eorum nonnulli ætate, omnes ingenio, & eloquentia longe superiores sint; tum ego in eas anguſtias temporis compulsus sum, tot simul, tantisque aliis rebus, & iis quidem necessariis, distentus, noviſſime hoc tot dierum continenti labore defessus, ut si vel par illis essem, inferior tamen viderer, necesse foret. Accedit, quæ in eorum orationibus summopere placuerunt, ea mihi ne imitari quidem licere. Aliud enim est in Scientiam aliquam, Facultatemve præfari; aliud est eandem tradere. Illic decet genus orationis ornatum illud, & compsum, ad laudandum, ad hortandum, ad delectandum accommodatum. Illic sive novum mavis, sive elegans, sive grave, sive contractum, sive amplum, id licet argumentum seligere. Hic vero si quis eadem consectaretur; ineptis gratum fortasse faceret: sani quidem homines longe alia requirerent, primum ne ab demandato officio discederet, tum ut lucido ordine, perspicuis verbis, minus quoque interdum latinis, modo traditæ Scientiæ propriis, commendatis sibi Adolescentibus inserviret, postremo ut suam potius Facultatem novis observationibus, quam placendi artem novis rationibus augeret. Quæ quoniam vobis, Graviſſimi Senatores, quantum pro vestro ingenti utilitatis publicæ studio grata atque accepta, tantum pro vestra eximia Sapientia cognita & perspecta esse, scio; idcirco non confirmare verbis, sed reipsa, quoad mediocritas quidem hæc mea potesit, præstare conabor.

Igitur de Organo Visus dicturus, ejus omnes partes in exteriores divido, & interiores, utque ordo, quem sequor, dissectionis postulat, incipio primum a primis.

Proœmium ad Prælectionem de Corde

habitum anno CIↃ IↃCC XVIII. *coram Viro Amplissimo FRANCISCO GARZONIO Præfecto, & Proprætore Patav.*

QUod Theatrum hoc Anatomicum præsentia tua, atque adeo illius, cujus geris personam, Principis majestate non indignum censueris, id Summo Viro Parenti tuo, Moderator Amplissime, acceptum refero. Ab illo enim, ut non modo Graviſſimus Senator est, verum etiam Hiſtoricus, si quis alius, hac nostra ætate eruditiſſimus, haud semel acceperis; Pompejum quoque, & Tiberium, in sua Republica principes, audire Athenienses, & Rhodios Professores, tum etiam Romanos Consules Severum, atque Boethium adesse iis quæ a Galeno in Urbe habebantur,

Digitized by Google

tur, dissectionibus consueviſse. Quod autem eo potissimum die huc venire volueris, quo de Corde dicendum esset; hoc vero a tui animi magnitudine esse, video, qua domi forisque, ut Veneti, ac Bergomenses præclare norunt, ut hæc modo Nobilissima Civitas experitur, nihil unquam, nisi optimum, nisi eximium, nisi præstantissimum, es consectatus. Et tanta quidem inter ceteras Partes Corporis præstantia, atque utilitas cordis est, ut si illæ servari, si nutriri, si vivere, si denique suis quæque fungi muneribus debent; corde procul dubio carere non possint, a quo videlicet sanguinem, jugiter compulsum, & in gyrum actum per vias ab ipso corde *in omnes*, ut inquit Tullius, *partes corporis pertinentes* jugiter accipiant. Quem admirabilem circuitum, eximiamque adeo cordis utilitatem ut clarius breviusque cognoscas, illis de viis, hoc est de arteriis, & venis primum, tum de ipso corde verba faciam.

Proœmium ad Prælectionem de Conformatione Fœtus

habitum anno CIↃ IↃCC XIX. *coram Viris Amplissimis* DANIELE DELPHINO *Equ. Prætore, &* FRANCISCO MAUROCENO *Equ. Præfecto Patav.*

QUod multum, ac sæpe optaveram, ut quando Augusto Venetorum Senatui pro ejus summis in me beneficiis coram, publiceque gratias agere non possem, at iis saltem quibus plurimum deberem, Senatoribus aliquando possem; id mihi cum Præstantissimæ hujus Urbis felicitate, tum ipsorum benignitate incredibili contigisse, maxime lætor. Nam tuo primum, Daniel Delphine, Eques, Senator, ac Prætor Amplissime, consilio, gratiæ, auctoritati non ea modo omnia debeo quæ Munificentissima vestra Respublica in me contulit ex quo in Florentissimum hoc Gymnasium vocavit; sed hoc ipsum quoque debeo quod vocavit. Tibi vero, Franciſce Maurocene, Eques, Senator, ac Præfecte Amplissime, quantum debeam, hinc facile intelligitur, quod ex quatuor intra hos paucos annos Senatus Consultis perhonorifice de me factis, cum postremum propter singularem, atque adeo inusitatam munificantiam longe sit omnium honorificentissimum; de eo faciendo ad Senatum retulit, quod per se est magnum, & antequam de re alia referret, quod est majus, & sua ipse sponte, quod est maximum, Michael Maurocenus Frater tuus, Vir Gravissimus, Triumvir Litterarius. Gratias igitur ago, quæ agi unæ possunt pro tantis in me beneficiis, publice, & quanta maxima possum voce prædicando, per quos acceperim: Quanquam id dum facio, non tam vobis gratias agere, quam gratificari mihi videor. Neque enim magna accepisse magnum est; sed per Magnos, & magni judicii Viros accepisse, id vero magnum est. Quod quidem judicium, omnibus maxime verendum, ego præ ceteris, ut par est, in præsentia formidarem, si in me ornando augendoque ingenium, aut doctrinam, aut eloquentiam forte spectassent. Sed cum omnibus, mihique in primis manifestum sit, nihil in me aliud, nisi id quod est, laborem, diligentiam, studium, & promptam semper, ac supra vires paratissimam hisce optimis Adolescentibus inserviendi voluntatem Summos hujusmodi Viros, Publici Commodi, siqui alii, studiosissimos permovere potuisse; non est mihi dubitandum, quin satis ipsis facturus sim hodierna, cui perbenigne interesse voluerunt de conformatione Fœtus Dissertatione. In hoc enim longe omnium abditissimo, ac difficillimo argumento id unum a me spectari, & cunctis viribus quæri, perspicient, ut quæ certa, quæ probabilia, quæ incerta, quæ falsa sint, ea & scire, & distinguere in posterum Adolescentes nostros, tum perspicua oratione, tum fi-

Digitized by Google

deli demonſtratione doceam.

Principio Diſſertationem hanc divido in partes tres. In quarum prima de initio, in altera de progreſſu, in tertia de complemento conformationis Fœtus loquar.

Proœmium ad Prælectionem de Aure

habitum anno CIↃ IↃCC XXVI. *coram Viro Ampliſſimo* DOMINICO RUZZINO *Prætore, & Propræfecto Patav.*

PRæſentia quidem tua, Moderator Ampliſſime, mihi ſemper jucundiſſima, atque honorificentiſſima, tantam lætitiæ voluptatem affert, quantam hæc tam benigna erga me voluntatis ſignificatio debet afferre. Sed hoc mecum doleo, quod inopinatus adventus tuus nullam mihi facultatem relinquat ea pro dignitate præſtandi quæ omnino debere me, ſentio. Primum ut tibi immortales gratias agam, quod adventu hoc tuo me, & Anatomicum Theatrum mirifice honeſtaveris. Deinde ut tuam iſtam eximiam adverſus omnes, & hoc præſertim Gymnaſium, clementiam, beneficentiamque maximopere dilaudem, qua nimirum proxime ad illum accedis Deum, quem non religione modo, verum etiam vitæ integritate, juſtitia in omnes, providentia, iſtiſque cæteris virtutibus colis, quæ cum antea in longe graviſſimis, ampliſſimiſque Reipublicæ adminiſtrationibus ſpectatæ, probatæque ſunt, tum modo in hac Præſtantiſſima Civitate gubernanda mirum quendam, &, niſi experiremur, incredibilem in modum elucent. Noviſſime, ut de Summo Viro, cujus ipſe imago es, Carolo Ruzzino Equite, atque Ædis D. Marci Procuratore, Patruo tuo illa non omittam vel quæ tot, ac tam variæ Nationes, apud quas in maxime illuſtribus legationibus fuit, unanimes fatentur, vel quæ Gymnaſium hoc noſtrum & ſæpe alias, & nunc feliciter ejus Prudentiæ, Sapientiæque commiſſum, una omnium voce deprædicat, vel quæ ipſe præ cæteris debeo, qui; ut alia, neque ea mediocria, fileam; graviſſimo in primis ejus judicio in hac ſum nobiliſſima ſede collocatus. Cui ſi unquam judicio aliqua ex parte reſpondere me poſſe cupii, ſe audiente potiſſimum cupio, ſi non ingenio, eloquentia, doctrina, quæ omnia in me ſentio quam ſint exigua, at induſtria, ſtudio, diligentia huic mihi commendatæ ſtudioſiſſimæ Juventuti inſerviendo: cui quam heri pollicitus eram, elegantiſſimi, ejuſdemque utiliſſimi Organi Auditus anatomicam hiſtoriam, te annuente, ac auſpicia tua ſemper fauſta, & felicia præbente, protinus exponam.

Proœmium ad Prælectionem de Oculo

habitum anno CIↃ IↃCC XXVIII. *coram Viro Ampliſſimo* ANTONIO LAURETANO *Patav. Prætore & Propræfecto.*

MOrientibus oculos operire, rurſuſque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu ſacrum fuiſſe, litteris a C. Plinio mandatum eſt: ejuſque ritus cauſas cum ipſe quaſdam indicavit, tum alias alii homines eruditiſſimi quæſiverunt, in primis autem Vir Nobiliſſimus, & domi foriſque maximis in magiſtratibus ſpectatiſſimus, idem-

Digitized by Google

demque Patriciorum nemini ſua tempeſtate doctrina, aut ingenio inferior, Avus tuus, Moderator Ampliſſime, Joannes Franciſcus Lauretanus, qui eas eſt cauſas juſta Academica Diſputatione perſecutus. Immortalis vero Reſpublica veſtra, quæ Romanæ quantum diuturnitate imperii, tantum ſapientia, & inſtitutorum gravitate antecellit, multo potioribus cauſis permota, ritum illum veterem ad communem, quam ipſa unice ſpectat, utilitatem traduxit, cum Rei Anatomicæ Profeſſoribus imperavit, ut quotannis publice in hoc ſuo celeberrimo Gymnaſio cum cæteris corporis partibus mortuorum oculos aperirent. Nulla in noſtro hoc ritu ſuperſtitio; imo vero omnia ejuſmodi, ut illius, quem ipſa unum ſui dominum agnoſcit, Dei religio ſanctiſſima confirmetur, cum tam exiguas in particulas tanta ſolertia, ac providentia tot, tamque admiranda concludere nemo, niſi Deus ipſe, potuerit. Summa autem in his cognoſcendis jucunditas, & par denique jucunditati conjunctum eſt emolumentum. Nam ſi cuique nihil eſt oculis carius, nihil utilius; certe ea perſpicere, quibus incognitis, neque a morbo defendi, neque curari oculi queant; id vero longe utiliſſimum cenſeatur, neceſſe eſt. Quæ omnia ita, an ſecus ſe habeant, facile erit ex noſtra hac Exercitatione dijudicare, ſive eæ ſpectentur exteriores partes, quas, referando oculos, primo; ſive interiores, quas, diſſecando, ſecundo loco demonſtrabimus.

Proœmium ad Prælectionem de Corde

habitum anno CIↃIↃCCXXIX. *coram Viris Ampliſſimis* PAULO DONATO *Prætore, & FRANCISCO CORRARIO Præfecto Patav.*

DEcimus ſeptimus eſt annus ex quo aggredienti mihi tum primum ad docendum in hoc Gymnaſio, benigne affuit, & Publica, ac ſua feliciſſima Auſpicia præbuit is qui Inclytæ huic Urbi Præfectus, Proprætorque tunc præerat, Senator Graviſſimus, atque omnibus, quæcunque in Virum principem cadunt, virtutibus ornatiſſimus, Socer idem, ac Frater veſter, Moderatores Ampliſſimi, Joannes Corrarius. Cujus ego ut eximiam atque incredibilem erga me benignitatem memori animo ſemper recolam, ſic acerbam omnino jacturam ut moderatius jam ferrem, hujus fecit fortuna Civitatis, vos Rectores nactæ, Summo illi Viro non tantum affinitate, & cognatione quam proximos, ſed Prudentia quoque, Juſtitia, Conſtantia, Religione, Magnanimitate quam ſimillimos, in hoc autem Gymnaſium, in ſtudioſam hanc Juventutem, in me ipſum, quod res oſtendit, ſic animatos, ut pro uno mihi duo revixiſſe Patroni, atque adeo Patres benigniſſimi videantur. Quo fidentius, atque alacrius exponam ea quæ de Corde audire voluiſtis, argumento vobis illo quidem auditoribus digniſſimo, ſi modo ipſe ejus gravitatem doctrina, utilitatem ingenio, pulchritudinem eloquentia adæquarem. De quo tamen ut ſaltem dilucide ſermonem habeam; principio hanc Exercitationem tres in partes diſtribuo. In quarum prima de natura cordis, in altera de ſtructura cordis, in tertia de effectu cordis verba faciam.

De natura cordis tres vetuſtiſſimas, eaſdemque maxime inter ſe diſcrepantes doctiſſimorum hominum ſententias invenio, Stoicorum, Medicorum, Anatomicorum. Stoici enim fere omnes, in primiſque Chryſippus, naturam cordis in eo poſitam eſſe, cenſebant, ut ipſum animus eſſet, aut certe animo ſedem præberet. Hos; ut de Græcis aliis ſileam; ſecuti Latini, ſapientes homines cordatos appellitabant, ut Ennius qui *Egregie* inquit, *cordatus homo catus Ælius Sextus*, inſipientes autem contra excordes, & vecordes, ut Tullius docuit Tuſculanarum Quæſtionum libro primo. *Aliis*, inquit, *cor ipſum animus videtur*:

Digitized by Google

detur : ex quo excordes , vecordes , concordesque dicuntur . Hinc illud Juvenalis Satyra ſeptima - - - - *læva in parte mamillæ Nil ſalit*. Hinc Cæſar acute, haruſpice triſtia, & ſine corde exta nunciante, negavit , ut apud Suetonium eſt, *pro oſtento habendum , ſi pecudi cor defuiſſet*. Verum adverſus hoſce , atque alios, quos ſciens prætereo , & res ipſa pugnat ; neque in corde, ſed in cerebro ea Medici , atque Anatomici animadvertimus, quæ ſedi conveniant mentis animi , & diu eſt, cum Hippocrates id a vero alienum eſſe, præmonuit in extremo libro qui inſcribitur de Morbo Sacro. *Dicunt quidam , quod corde ſapimus . ---- Verum hoc non ita ſe habet . ---- Cor quidem , & præcordia* angorem , & gaudium *maxime ſentiunt ; ſapientiæ tamen non participant ; ſed omnium horum cerebrum cauſa eſt* . Hæc Hippocrates, aut certe priſcus , ac gravis Auctor, & dignus qui pro Hippocrate habitus ſit.

Medici autem plerique omnes fere ad patrum noſtrorum memoriam, non animi, ſed vitalis caloris ſedem , & fontem cor eſſe , docuerunt, vere illi quidem in parte , ſi cordis effectum ſpectemus. Sed fateri cogimur, quamvis propemodum inviti , Galeno , incomparabili alioquin Magiſtro rerum complurium optimarum, plus æquo tribuiſſe ſcribenti, ſi in cor viventis beſtiæ digitus inſeratur , eximium quendam , atque adeo urentem calorem percipi, nec veteres Doctores modo, ſed etiam ex novis haud ita paucos, qui cætera ejus, confidentius perſæpe, dogmata contemnentes, flammulam tamen neſcio quam , aut fermentum quoddam , ſanguinis concitans ebullitionem, in cordis penetralibus commenti ſunt . Nam hæc de cordis natura inculcantes manifeſtiſſimo in errore deprehendit Joannes Alphonſus Borellus, non Galenum ingenio vincens, ſed certioribus, quibus Galenus uti non potuit, ad dimetiendum calorem inſtrumentis, thermometris. Hiſce enim in viventium animalium corda immiſſis, nihilo majorem ibi ,quam in cæteris viſceribus , calorem invenit, quod teſtatur præclari Operis de Motu Animalium Parte altera Propoſitione 96. & 221.

Denique tertia eſt de natura cordis ſententia , ea quoque multo vetuſtiſſima , ut quæ primum fuit aut ab Hippocrate ipſo, aut a perantiquo illo ac diligenti Anatomico propoſita , cujus inter Hippocratis Scripta liber extat de Corde. *Cor*, inquit, *muſculus eſt valde fortis*, confirmata autem eſt ab Latinorum Hippocrate , Cornelio Celſo in contracta illa anatome, quam libro quarto de Medicina capite primo nobis reliquit . *Cor* , inquit , *eſt natura muſculoſum* . Ab hac diſcedere ſententia mea me Facultas non ſinit, Anatome.

Nam &c.

Proœmium ad Prælectionem de Aure

habitum anno CIↃIↃCCXXXII. *coram Viro Ampliſſimo* ANDREA DELPHINO *Prætore Patav. & Propræfecto.*

DIonyſium illum majorem , Syracuſanorum tyrannum , ferunt , latomiis, quas ad incluſorum civium cuſtodiam , & pœnam habebat maximas , ita ſuas ædes inædificandas curaſſe , ut cuniculus, auris inſtar ſingulari opere , artificioque perfectus , ex eo carcere in ſuum uſque cubiculum pertineret , ne qua vox , ne quis gemitus adeo ſubmiſſus edi a miſeris poſſet, quin continuo ipſe præclareque inaudiret, eodem ad hominum calamitates augendas elaboratiſſimo opificio abuſus, quod natura invenerat ad allevandas . Quanto aliter in dominatu utuntur qui ſe non tam dominos eſſe , quam patres , atque, ut Homerus loquitur , paſtores populorum , meminerunt ! Hi quando aure illa carent Syracuſana, per quam omnes miſerorum ærumnas audiant; at aures ſuas perbenignæ cunctorum inopum querelis præbent;

Digitized by Google

bent; sic tamen præbent, ut adjuvare velint omnes, neminem lædere. Itaque, ut verius dicam, ita alteram aurem querenti præbent, ut alteram ei vicissim de quo quis queritur, servent integram. Quem quoniam sapientissimum aurium usum si usquam alibi, certe in hac tanta clementia, & mansuetudine Veneti Imperii, eximia semper cum justitia conjuncta, admiramur; lætor plurimum, Prætor, & Propræfecte Amplissime, Andrea Delphine, sic accidisse, ut ejus potissimum præstantissimi humani corporis organi, quo tu in primis in hujus Nobilissimæ Civitatis gubernatione; si quis unquam alius, egregie uteris, admirabilem pulcherrimamque structuram, te pro tua summa erga me, & hoc Gymnasium benignitate audiente, & spectante, demonstrarem, & cæt.

HÆc de Organo in postrema quidem hujus mei curriculi Exercitatione propositio, inter pulcherrima tamen, atque utilissima non postremo, habui quæ dicerem. Cum autem multis jam annis humani corporis anatomen in hoc Theatro docuerim; jure videor posse contendere, nunquam felicius incepisse, quam anno quarto, nunquam felicius, quam hoc decimo septimo, absolvisse. Nunc absolventi ipse pro tua eximia benignitate adesse voluisti, Moderator Amplissime. Tunc incipienti, pro sua erga me nihilo minori beneficentia adesse voluit Vir Summus, Parens tuus Daniel Delphinus: quem si sapientissimum Senatorem, Equitem Splendidissimum, Legatum, & Oratorem eloquentissimum, Prætorem æquissimum, eundemque vigilantissimum fuisse, dixero; me multa tamen, & magna omisisse, non modo nihil audienti tibi gratificatum esse, fateantur omnes qui aut ipsum viderunt, aut qualem in te imaginem sui reliquerit, vident. Et quanquam ad hanc tu imaginem tam pulchram, tamque præstantem, jam tum ornamenta maxima addideras, eaque tua, scientiæ illius ac *virtutis*, quæ, Tullio auctore, *præstat cæteris omnibus*, ---- *Rei militaris*, cum bellator fortissimus, cum Præfectus navium constantissimus toties inclytam Patriam, atque adeo Italiam omnem, non consilio tantum, sed dextra quoque, & strenuis factis juvisses; tamen non tuam magis, quam Patris gloriam tuis ipse laudibus, atque honoribus amplificaveras; ut dubium sit, plus splendoris ex eo Parente in te Filium, an ex te Filio in eum Parentem redundaverit. Tanto igitur Viro, & de me, si quis alius, omni tempore præclare merito, dolebam tum pro ejus tot, tamque illustribus in me beneficiis pares agere gratias non posse. At quanto magis doluissem, si animo prospexissem, quam nova, quam multa vel mortuo essem in dies magis, magisque debiturus. Ut enim quæ ab illo accepi, ipso terris erepto, debeo tibi, sic quæ a te, illi.

Proœmium ad Prælectionem de Fœtu

habitum anno CIↃIↃCCXXXIV. *coram Viro Amplissimo* NICOLAO VENERIO *Præfecto Patav. & Proprætore.*

CUM multa, & magna sunt quæ Anatomicæ Facultati debet genus humanum; tum illud fortasse est maximum, quod sæpe fœtum, jam jam in mortua parente immoriturum, hujus ventre, uteroque, illa præmonstrante, aperto, sibi præter spem conservatum, in communem vitæ societatem acceperit. Vetustissimum, ut ego opinor, hoc Anatomes donum est, atque heroicis notum temporibus, quibus Æsculapium filium ex interemptæ Coronidis utero Apollo extraxisse ferebatur. Neque enim Medicum qui id primus præstitisset, alium esse potuisse, quam Deum, in animum inducebant: quin etiam omnes sic in lucem deinceps eductos eidem Numini confeerabant, quod & erudite, ut solebat, Virgilius his versibus significavit,

Inde Lycum ferit, exectum jam matre perempta,

Et

Digitized by Google

Et tibi, Phœbe, ſacrum, caſus evadere ferri
Quod licuit parvo,

& diſerte in eum locum confirmavit Servius: qui & illud addidit, *Cæſarum etiam familiam ideo ſacra retinuiſſe Apollinis, quia qui primus de eorum familia fuit, execto matris ventre procreatus eſt; unde etiam Cæſar dictus eſt:* quanquam, quod Servius minime ignorabat, placuit aliis, & in his Sexto Pompejo Feſto, non inde *Cæſares* dictos eſſe, ſed *Cæſones*, utrolibet autem modo C. Plinio, qui duos ſummos Viros ea ratione ſervatos Romanæ Reipublicæ ſcripſit, *Scipionem Africanum priorem*, & *Manlium* qui Carthaginem cum exercitu *intravit*. Quod ſi priſci illi homines pro Deo habuerunt qui princeps viventem fœtum ex ſecto mortuæ parentis utero in lucem protraxit; quo tandem honore afficiendos cenſuiſſent qui extrahere vivum ex viva, & poſt cæſum uterum nihilominus victura, inſtituerunt! Factum id primum ſub initium ſæculi XVI. & deinceps, ut Franciſci Roſſeti, & Caſpari Bauhini conjuncta Scripta commonſtrant: & cum matri pariter, ac filio moriendum aliter fuſſet; utriuſque interdum, aut certe, idque ſæpius, alterius vitæ ea ratione conſultum eſt. Sic legi, Eduardum VI. Anglorum Regem ex viva parente fuiſſe exſectum, quem tamen non huic modo, quæ poſt duodecim interiit dies, ſed & patri Henrico fuiſſe ſuperſtitem, conſtat. Mirum! Sed id mirum magis, tam ſero humanitatis cauſa fuiſſe tentatum, quod immanitas tot ante ſæculis auſa fuerat. Namque ut mittam, monſtrum illud fœminæ quam Ariſtoteles in Ethicis memorat mulierum *gravidarum ventres reſcindere*, atque inde fœtus comedere *conſuevisſe*; certe non incognitum Lucano fuit, Veneficas id in Theſſalia factitaſſe quod his verſibus deſcripſit,

Vulnere ſic ventris, non qua natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.

Quid? quod, ſicuti legiſſe memini, ejuſdem ſceleris apud Euſebium accuſatur Maxentius, nec minus impius Cæſar, Julianus apud Caſſiodorum, & Tribunus ille Pollentianus apud Marcellinum, qui omnes ſcilicet, diſſecto vivæ mulieris ventre, fœtuque extracto aut manes excire, aut in jecore infantis (horrendum hoſtiæ genus!) futura quærere, malis inſtigantibus geniis, conati ſunt. Sed nos quantum teterrimas artes deteſtari, atque execrari, tantum ſalutares commendare, atque excolere debemus: & ea fœtuum cadavera, quæ ab his ipſis, dum prodeſſe hominibus niterentur, accepimus, ita rimari, & ſcrutari ſingula, ut viciſſim optimas artes aut promovendo, aut certe illuſtrando, quantum in nobis eſt, adjuvemus. Quod cum ſæpe alias, tum in hac præſertim de Fœtu Diſſertatione dabo operam ut faciam, cui tu, Moderator Ampliſſime, pro tua ſingulari erga me, & hoc Gymnaſium benignitate intereſſe voluiſti.

HÆc habui quæ de Fœtus conformationis initio, progreſſu, & complemento proponerem. Quod argumentum etſi ob maximam difficultatem, & laborem, perraro in Theatris Anatomicis tractari ſoleat; ego tamen tuis fretus, Moderator Ampliſſime, auſpiciis ſemper fauſtis ac felicibus, non formidavi. Pro quibus, cæteriſque Benefactis in me tuis quantum debeam, non eſt, ut verbis explicare me poſſe, ſperem. Hoc tamen dicam. Ego Hieronymi Venerii, Equitis, ac Templi Marci Procuratoris, Summi domi, foriſque Viri, Patrui tui eximiæ erga me cum ſemper, tum præſertim cum Litterarius Triumvir fuit, Benignitati, ac Munificentiæ tantum deberi a me, ſentiebam, ut nemini unquam me plus eſſe debiturum, putarem. Attamen ex quo tu ad hanc Præfecturam integerrime, magnificeque gerendam, ex quo ad hoc Gymnaſium fovendum, ornandumque, ex quo denique ad Theatrum hoc præſentia ipſa tua illuſtrandum veniſti; utri plus debeam, non video: hoc video, utrique me quoad vivam, tantum eſſe debiturum, quantum alii, prope dixerim, præterea nemini.

Proœ-

Digitized by Google

Proœmium ad Prælectionem de Anatomes Elementis.

CUm duæ ſint Methodi quibus Doctrinarum Magiſtri utuntur, Analytica, & Synthetica; illud inter omnes conſtat, in Doctrinis quidem inveniendis Analyticam, in tradendis Syntheticam eſſe adhibendam. Hoc uſque adeo verum eſt, ut vel hæc Facultas noſtra, quæ, ut nomen ipſum oſtendit, in reſolvendo verſatur; recte tamen, ut ego animadverti, atque ordine tradi nequeat, niſi a Compoſitûm Methodo initium ducamus. Nam ſi Partes humani corporis, ut ex fibrillis omnes conſtant, ita ex fibrillis ad unum eundemque modum diſpoſitis omnes conſtarent; non tamen antea quid Partes quæque eſſent, intelligi poſſet, quam quid ipſæ fibrillæ ſint, expoſitum eſſet. Quanto ergo minus quid ſint Partes intelligetur, cum fibrillæ haud una, ſed multiplici ratione diſponantur! Itaque ſive hanc ob cauſam, ſive ob eam quam anno illo propoſui quo primum ad Anatomen tradendam aggreſſus ſum, non prius de ulla humani corporis Parte, quam de Anatomicis Elementis, ideſt de Simplicioribus Particulis, dicendum eſt, quæ videlicet nihil aliud ſunt, niſi fibrillæ alio, atque alio modo diſpoſitæ.

Proœmium ad Prælectionem I. de Fœtu.

ETſi mos, atque adeo inſtitutum meum poſtularet, ut ab Anatomes Elementis initium ducerem; ne tamen humani Fœtus cadaver, fruſtra annis ſuperioribus perquiſitum, heſterna autem die ne opinanti quidem oblatum, interjecto aliquot dierum ſpatio forte putreſcat, ab ejusdem Fœtus anatome invitus propemodum incipio: Quanquam hoc initium ejuſmodi eſt, ut non modo non eſſe omnino præter rationem; ſed quodammodo etiam optandum fuiſſe videatur. Nam ſive Naturæ veſtigia ſectamur; inde laudabile eſt incipere, unde & ipſa incipit: ſive aliarum Doctrinarum reſpicimus methodum; nonnullæ, in primiſque Geographia, tunc recte atque ordine traduntur, cum quæ ſingula mox diligentius oſtendenda ſunt, ea principio in exiguam tabellam contracta ante oculos ſtatuuntur.

Sed cum Partium quæ ad Fœtum pertinent, aliæ ſint extra Fœtum, aliæ intra Fœtum; nos qui diſſectionis ordinem ſequimur, dicemus primum de primis. Atque utinam prægnantis mulieris uterum, & cum hoc integra humani Fœtus involucra diſſecare liceret; ſic enim longe facilius & mihi eſſet dicere, & vobis intelligere. Sed quando eo ſubſidio deſtituimur; juvabit ſaltem Veteres illos Facultatis noſtræ Parentes imitari, quos ex ipſis nominibus quæ Partibus, ad Fœtum extrinſecus attinentibus, impoſuere, ſatis conſtat, prægnantes animantium brutarum ureros, & nominatim ovillos, diſſecare conſueviſſe. Quod ita quidem faciemus, ut ſubinde tamen moneamus, quid inter hunc ovillum, & humanum conceptum interſit. Sic neque omnino ea deſiderabitis ad quorum normam cogitationes veſtras conformetis, nec tamen propterea cum iis errabitis qui multa in hac præſertim Anatomes parte temere a brutis ad homines tranſtulere.

Digitized by Google

Proœmium ad Prælectionem I. de Ossibus.

SI qui sunt qui forte mirentur, me ne hoc quidem anno a communibus corporis integumentis, ipsoque abdomine, unde cæteri Dissectionum Magistri solent, tradendæ Anatomes initium ducere; ii, quæso, tandem aliquando suam istam admirationem auferant, & idoneum, si possunt, cadaver præbeant. At si illud forte mirantur, me donec ejusmodi cadaveris copia fiat, non potius domi sedere, quam huc ad ea quæ possim, de Re Anatomica ostendenda venire; sane aut incredibilem eorum quæ demonstranda sunt, numerum, aut angustias temporis mihi ad docendum publice dati animadvertere non videntur. Ego vero hæc mecum assidue reputans, non modo plura, quæ in hoc quidem loco quotannis omnia demonstrare perdifficile est, & in his Anatomica Elementa Tironibus quibus necessaria omnino sunt, superiori mense in meis ædibus præmonstravi; verum insuper quo primum die huc prodire mihi more institutoque Majorum concessum est, hunc ipsum diem amittendum esse, non censui, ut si minus vobis, Auditores humanissimi, meam, quam vix mediocrem esse sentio, facultatem probare possem, at promptissima ad inserviendum voluntate satisfacerem. Igitur quæ Partes deesse Anatomico nunquam possunt, ab iis Partibus Ossibus videlicet, initium capio, idque eo minus illibenter, quod hanc quoque viam tradendæ Anatomes neque utilitate, neque ratione, neque magnis potissimum exemplis carere, video. Siquidem nonnullis inter Recentiores, plerisque autem inter Veteres Summis Anatomicis, & in his Decessoribus etiam meis Præstantissimis, Andræ Vesalio, Realdo Columbo, &, si intime rem spectes, Adriano Spigelio eadem methodus, incipiendi nimirum ab his fulcris, & fundamentis reliquarum Partium usque adeo placuit, ut ab ipsis suos quisque libros anatomicos sint exorsi.

Proœmium ad Prælectionem I.

LOnge aliud Anatomicis, atque Pictoribus, describendi humani corporis initium est. Hi enim a capite; nos autem a corporis centro incipimus, a Ventre nimirum, in quo centrum corporis est statuendum. Et Galenus quidem libro secundo de Hippocratis, & Platonis Decretis centrum corporis in umbilico agnoscendum esse, censebat: quod & Latinorum Doctissimis videtur placuisse; nam Tullius Ennam urbem, quæ in centro Siciliæ est, Siciliæ umbilicum, & Plinius lacum Reatinum, qui in centro Italiæ est, Italiæ umbilicum nominarunt. Marcus tamen Varro libro sexto de Lingua Latina centrum corporis ad pubem constituere malebat: recte, ut puto, omnes, si illos figuræ, Varronis autem assectas gravitatis centrum spectasse, ponamus. Gravitatis centrum, in humano corpore experimento habito, pubem inter, & clunes ab Joanne Alphonso Borello inventum est, ut tradit Parte prima egregii Operis de Motu Animalium. Figuræ autem centrum in homine, manibus pedibusque expansis, resupino ab Joanne Riolano, ope magni circini in ipso umbilico deprehensum est. Utcunque id est; semper humani corporis centrum in ipsius Ventrem cadit, ut ex hujus finibus, & partitionibus quas a priore facie, & ab oppositâ exponam protinus, omnes planissime cognoscetis.

Proœ-

Digitized by Google

Proœmium ad Prælectionem III.

QUibus verbis Lactantius undecimum ſuum de Opificio Dei caput, iisdem ego hodiernam Diſſertationem exordior. „ Sequitur neceſſario, ut de internis „ quoque viſceribus dicere incipiam: qui„ bus non pulchritudo, quia ſunt abdita; „ ſed utilitas incredibilis attributa eſt. „ Hoc ideo exordio utor, ut ſi quis forte ex Tironibus novum hunc viſcerum aſpectum horreret; proponendæ utilitatis expectatione retineatur. Nam cibus, potuſque quo primum deſcendant, quo in loco ex iis chylus conficiatur, qua via demum, atque ratione aut hic confectus, aut quod ſupereſt, disjungantur, & ſeorſum meent; nimirum hæc omnia ex ventriculi, inteſtinorum, & meſenterii anatome perſpicue cognoſcentur.

Proœmium ad Prælectionem I. A. CIↃIↃCCXLIV.

DIogenem ferunt, cum inhumatum ſe projici, juberet, Amici autem id eo ſe facturos negarent, ne ab avibus, feriſve laceraretur; at vos hunc baculum propter me ponite, dixiſſe, quo illas abigam, & cum illi at quî poteris? neque enim ſenties, tum ipſum, quid igitur mihi earum laniatus oberit, nihil ſentienti? Mihi vero etſi Diogenis propoſitum non durius modo, ut M. Tullio hæc referenti viſum eſt, ſed etiam inhumanum; jure tamen deriſus Amicorum timor videtur. Atque utinam metus ejuſcemodi e vulgi animis evelli poſſet, ne inepte adeo vel nobis obſtaret divinam humani corporis fabricationem oſtenſuris, nec cogeret in his tantis anguſtiis temporis ob idonei cadaveris defectum, illius Partem initio proponere præcipuam quidem ex octo illis, in quas cum de Oſſibus univerſis in Noſocomio ageremus, non ita pridem diviſimus; ſed unam dumtaxat Partem, eamque, ſi daretur optio, in alium locum rejiciendam: Quanquam dabo operam, quantum potero, ne ordinis hæc neceſſaria mutatio Doctrinæ officiat, atque ideo hodierno die eadem unde, cum licet, incipere ſolitus ſum, vel in capite demonſtrabo communia totius corporis integumenta. Quæ meo quidem judicio omnino ſunt duo, Cutis, & Membrana Adipoſa. Nam quod Celeberrimus objecit Amicus, ne Cuticulam rejiciamus, id qua ratione diſſolvatur, alias a me vobis oſtenſum eſt.

Proœmium ad Prælectionem de Cerebro A. eodem.

DIu multumque olim inter Philoſophos eſt diſputatum, quamnam potiſſimum corporis partem mens incoleret. Nam Xenocrates, Platonis diſcipulus, per totum corpus ſparſam diſcurrere, contendebat. Chryſippus autem in Corde habitare, cenſebat. Alii vero malebant in Cerebro, Platonem ſequentes. Hæc tamen diſputatio non ita demum abſtruſa, ac difficilis erat, ut ſi non verum, at veri certe ſimilitudinem, ſiquis paulo acrius attenderet, huic attingere non liceret. Itaque Lactantius Firmianus cum eorum qui pro Cerebro ſtabant, rationes expendiſſet, eamque potiſſimum „ quod ſenſus omnis, ideſt, „ audiendi, & videndi, & odorandi mi-

Digitized by Google

„ nima membra in capite ſint locata, eo-
„ rumque omnium viæ non ad pectus, ſed
„ ad cerebrum ferant; hi, inquit, aut non
„ multum, aut fortaſſe non errant. „ At longe difficilior eſt his temporibus inter Anatomicos alia hac de re diſputatio. Cum enim Cerebrum potiſſimum eſſe animæ locum, non negent; in quanam præſertim Cerebri particula is videatur ſtatuendus, diſquirunt. Et mihi quidem, non uni tamen, nec primo, in ea præ cæteris parte videtur poſſe ſtatui quam appellant Corpus Calloſum. Huic conjecturæ (neque enim, ut Lactantii ejusdem verbis utar; rem ſic „ eſſe affirmo, quod eſt inſipientis in re „ dubia facere „) huic, inquam, conjecturæ quantum tribuendum ſit exiſtimare omnes poteritis, ſi quæ de Cerebro, de Medulla, de Nervis continuo oſtendam, diligenter, ut veſtræ eſt conſuetudinis, attendatis.

Proœmium ad Prælectionem de Lingua &c. A. eodem.

GUſtandi facultatem multi, inprimiſque ex Veteribus, aliis ac Linguæ, Partibus, & nominatim Palato tribuerunt. Hinc illud Horatii,

Fervida quod ſubtile exſurdant vina palatum.

Hinc illud Ovidii,

Sic nova Dulichio lotos guſtata palato.

Hinc alia & Tullii, & aliorum, quæ non vacat referre. Sed contra is, cujus ſæpe verbis hoc anno utor, Lactantius. „ „ Quod attinet, inquit, ad ſaporem ca- „ piendum, fallitur quiſquis hunc ſenſum „ palato ineſſe, arbitratur. Lingua eſt enim „ qua ſapores ſentiuntur, nec tamen tota. „ Haud ſane potuit melius. Nam facili, at certo conſtat experimento, fruſtra ſal ipſum non modo palato, verum etiam inferiori linguæ faciei affricari; quod hujus ſuperiori faciei impoſitum, dummodo non ſicca ſit, continuo ſentitur. Erit igitur nobis in hac tantum linguæ facie guſtus organum inquirendum; ſi prius tamen, ut ſoliti ſumus, & par eſt, docuerimus &c.

Proœmium ad Prælectionem I.

CUm multæ, & magnæ hominibus ex Re Anatomica utilitates exiſtunt; tum nulla præſtantior, quam quod eſſe Deum, ejuſque providentiam, confirmat. Senſit id olim ille in primis qui ſæpius locos graves ex Philoſophia egregie tractavit M. Tullius. Itaque in altero eorum voluminum quæ inſcripta ſunt de Natura Deorum, Quinctum Lucilium induxit ſatis multa verba facientem de ea quæ tum nota erat, humani corporis fabricatione, quo ſic *facilius*, ut ait, *intelligeretur*, *a Diis immortalibus hominibus eſſe proviſum.* Idemque ſenſerunt alii alia ætate, ſed hac noſtra præſertim Eruditiſſimi Viri, qui ut longius provectam Anatomen invenerunt, ſic multo & plura, & mirabiliora indidem ſumpſerunt, per quæ apud ſuos quiſque cives male natas in quorundam intimis mentibus de Deo immortali, deque ejus providentia dubitationes evellerent. Cujuſmodi medicinæ etſi nulla, ut opinor, apud noſtram, pluresque Nationes alias neceſſitas eſt; vos tamen juvabit, optimi Juvenes, Anatomes cognitionem quaſi antidotum præcepiſſe, quo mature veſtros iſtos religioſos animos adverſus externa infandarum opinionum venena magis magiſque firmetis.

Principio, eximium opus humani corporis quibuſdam quaſi velis obtectum eſt. Quæ continuo ſic detrahentur, ut ſingulorum natura, atque utilitas oſtendatur, &c.

Proœ-

Digitized by Google

Proœmium ad Prælectionem I.

SIqui forte adſunt qui ignorent, quot ab Summo Opifice Deo intra humanum corpus abdita ſint, aut quam mirifica ſtructura, & quam multiplici uſu præſtantia; ii nunc iſta ipſa quæ extrinſecus circumpoſuit, integumenta, eorumque fabricationem, & cauſas attendant: facile conjicient, quot, & quanta expectare in interioribus illis debeant, cum horum quæ extima ſunt, admirabilem conſtructionem, & prope innumeras utilitates cognoverint. Hæc autem ſunt &c.

Proœmium ad Prælectionem I.

SI quam frequenter Hippocratis doctrinam, & facta laudamus; tam diligenter utraque ſcrutari, imitarique vellemus; profecto in Re Medica ut nihil Studiis Anatomicis antehabendum agnoſceremus, ſic nullam horum partem eſſe negligendam, confiteremur. Nunc etſi Hippocrates in eo libro qui inſcribitur de locis in homine, diſerte docuit, *naturam corporis* eſſe *principium ſermonis in arte Medica*; fuerunt tamen qui ſcriberent, non ad ſtructuram, ſed ad temperaturam corporis id attinere; non mehercule ſcripturi, ſi vel ea ſolum attendiſſent quæ continuo ſubjecit Hippocrates. *Natura corporis*, inquit, *principium ſermonis in arte Medica, primum perforata eſt qua parte audimus. — Quidquid autem per membranam in cerebrum pervenerit, id liquido & clare auditur. — In naribus mollis laxitas, velut ſpongia. — In oculos venulæ tenues — ex cerebro per ambientem membranam feruntur. — Membranæ autem tres ſunt quæ oculos cuſtodiunt. Superna quidem craſſior, media tenuior, tertia tenuis.* Nolite expectare ut referam cætera quæ de cerebri meningibus, quæ de venis in omne corpus pertinentibus, quæ de tendinibus, quæ de oſſibus, quæ de articulis perpetua oratione perſequitur. Satis ea ſunt quæ retuli, ut intelligatis, ſtructuram corporis, Hippocrate auctore, eſſe principium ſermonis in arte Medica.

Verum, credo, in eo uno loco, & ea dumtaxat quæ indicavi, ex univerſa Re Anatomica nobis commendavit Hippocrates! Ipſe vero in libris de genitura, de natura pueri, de carnibus, de octimeſtri partu, de natura oſſium vel multo plura de Anatome tradidit, quam eæ inſcriptiones polliceantur. Atque ut libros alios ſciens præteream; quid egit in libro de corde, quid in libello de corporum reſectione, niſi ut Anatomen ſæpe etiam diligentius, quam iis temporibus ſperandum videbatur, doceret? Quin etiam ſcripſit librum de glandulis, ut mirari non oporteat, cur duo ſummi noſtra memoria Medici, verique ejus imitatores Malpighius, & Boerhaavius *ſpongioſam*, quam ipſe tradiderat, glandularum *naturam* ſuis illuſtrare opuſculis, & confirmare perrexerint. Quod ſi Bellinus, vel potius Falloppius noſter, & Euſtachius, magni & ipſi Medici, glandiformes in renibus papillas propoſuerunt, nempe ſunt Hippocratem ſecuti, qui *habere etiam renes glandulas*, ſcripſerat. Nec vero is qui iterum, ac ſæpius mihi merito eſt laudandus, Malpighius, cum aut glanduloſam cerebri, aut veſiculoſam pulmonis, aut denique fibroſam lienis & celluloſam ſtructuram oſtendit, ſua potius, quam Hippocratis, inventa vulgavit. Hic enim cerebrum inter *alias glandulas* retulerat, pulmonem *antroſum*, & *veluti ſpumam* eſſe, dixerat, lienem vero eſſe *fibroſum*, & *ſpongiformem*, affirmaverat: & niſi in ſubtiliſſimis diſſectionibus

fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſet verſatus ; nunquam certe tanta aſſeveratione id quod verum eſſe in Elementorum Anatomes explicatione oſtendimus, docere potuiſſet , *minimam corporis partem omnia habere quæcunque & maxima*. Quid? ſi nunc de ovo incubato , ſi de comparata reliqua avium, atque etiam quadrupedum conſectione, ſi de ipſa plantarum anatome eadem olim inchoaſſe Hippocratem demonſtrem quæ denique abſolvit Malpighius. Sed nimirum temperabo orationi meæ, quippe cui nihil aliud in præſentia propoſitum eſt, niſi ut appareat , nullam iis qui Hippocratis exemplum ſequuntur, Anatomes humani corporis partem eſſe prætermittendam , totque illos , tantoſque Medicos, qui nihil in ea ſibi negligendum putarunt , aut cum Hippocrate inſimulandos , aut cum Hippocrate eſſe laudandos.

In quorum ego, ut ſoleo, veſtigiis inſiſtens, Anatomicam Doctrinam, quod Superi bene vertant, tradere aggredior. Principio humanum corpus divido in partes octo, caput, collum, thoracem, ventrem, artuſque ſuperiores , & inferiores . Nec me moratur plerorumque conſuetudo, collum in diviſione corporis non ponentium, ſed capiti , aut thoraci tribuentium. Satis enim mihi eſt vetuſtiſſimos ſequi Anatomicos , & in his Hippocratem , & hunc imitatum Ariſtotelem, qui collum , ut ego, a capite, & thorace diviſerunt . Enumeratæ autem Partes cum alia ſingulæ peculiaria habeant, alia univerſæ communia; ego peculiaria in hac quidem prima ſchola non attingam; communia expediam . Communia ſunt præter ea quæ paulo ante commemorabam , Anatomes Elementa, vobis in Noſocomio præmonſtrata, iſta corporis totius involucra, Cutis, & Membrana Adipoſa. Cutis ipſa quoque *membrana* eſt, auctore Hippocrate libro de Carnibus. Facta autem eſt ad hunc modum &c.

Proœmium ad Prælectionem I.

PArtes ex quibus conſtructa ſunt animantium corpora, aut vivas, aut mortuas Anatomici diſſecamus; mortuas autem vel morbo vitiatas , vel ſecundum naturam ſe habentes . Vivas incidimus , cum in canibus lymphæ, & chyli vias oſtendimus, aut cum , ſecto nervo , illico perire in membris quæ adibat , movendi, ac ſentiendi facultatem, demonſtramus , aut alia agimus ejuſcemodi : Mortuas autem, & morbis vitiatas, ut cum in Noſocomio hoc ipſo menſe viri , fortiſſima apoplexia confecti, cerebrum vi effuſi, ut conjeceramus, ſanguinis dilaceratum patefecimus : Denique & ſecundum naturam ſe habentes : quod cum ibi in partibus quibuſdam fecimus corporis humani, tum hic faciemus in omnibus. Primi illius Anatomes generis utilitas eſt uſus, actioneſque Partium, & quod conſequitur, ſymptomatum in ægrotantibus ſignificationes deprehendere. Alterius morborum loca, cauſaſque ipſos continentes. Tertii hujus non ſolum vitæ, & ſanitatis ſedes ex mirifico Sapientiſſimi Conditoris opificio cognoſcere; verum inſuper doctrinam haurire , ſine qua duo illa ſuperiora Anatomes genera non poſſunt inſtitui: quis enim uſum, & actionem quærat earum quas ignoret , Partium? aut quis vitiatas eſſe, intelligat, qui ut ſecundum naturam ſint, non didicerit? Quamobrem ſi utilia ſunt duo illa priora genera , quæ certe ſunt perutilia ; utiliſſimum hoc tertium erit, quo non prævio, nulla eorum eſſe poſſit utilitas. Quo magis omnes decet, eos autem qui Medicis ſtudiis ſe addixerunt , oportet attente ac diligenter quæ ad hoc attinent genus , accipere. Id quo facilius fieri a vobis poſſit, optimi , mihique cariſſimi Adoleſcentes; polliceor, me ordine omnia traditurum, & ex nimio, ut ſunt apud quoſdam, numero ad quam pauciora potero, contracturum. Itaque communia ipſa, a quibus continuo incipiendum eſt, univerſi corporis Integumenta cum haud pauci diſſectionum

Digitized by Google

num Magiſtri quatuor eſſe, docuerint, nonnulli etiam quinque; ipſe primo loco duo, haud amplius, eſſe oſtendam: tum de Cute dicam: poſtremo de Membrana Adipoſa.

Proœmium ad Prælectionem I.

ETſi ea quam tradere aggredior, Doctrina Partium humani corporis nullam afferret utilitatem, niſi ut morborum ſedes peculiares cognoſceremus; eſſet tamen a vobis in primis, optimi Juvenes, qui Chirurgicis, Medicis, Phyſicis ſtudiis operam datis maximopere expetenda. Nec vero abſterrere vos debet ingens noſcendarum Partium numerus. Namque ut hæ quamplurimæ ſint; non plures denique, imo pauciores ſunt, quam ipſi morbi; neque enim ulla unius, ſed unaquæque complurium morborum eſt ſedes. Quod ſi res etiam contra ſe haberet, Partiumque numerus vel ſtellarum quæ diſtincte hactenus cognitæ ſunt, numerum adæquaret; num propterea minus alacri animo vos eſſe deceret in iis addiſcendis quæ intra vos ſunt, quam Aſtronomiæ ſtudioſi in iis quæ longe adeo ſunt disjuncta? Illi vero comprehenſas animo ac memoria habent ſtellas; ut alias quæ poſt Flamſteedii Catalogum ſunt animadverſæ, omittamus; minimum ter mille, nullo alio ſubſidio adjuti, quam ordinis. Eorum enim Magiſtri omnem illum qui initio abſterrere poterat, ſtellarum numerum in errantes, & cælo infixas diviſerunt, tum has in quinquaginta quas vocant, conſtellationes tribuerunt, denique conſtellationes ipſas diſtinxerunt in partes, quarum ſingulis plures ſive primæ, ſive alterius magnitudinis ſtellas certa lege ac diſtributione aſſignarunt, tantum difficultatis detrahentes, quantum ordinis addiderunt. Quos ſi ego partiendo, ordinandoque imitabor; non dubito, quin vos quoque pari in multo minori rerum copia adjumento inſtructi, illorum auditores facile percipiendo, & fideliter retinendo æmulemini. Igitur, quod bene vertat, primum omnium humanum corpus divido in partes octo; &c.

Proœmium ad I. Prælectionem.

FAcultatem tradere aggredior, evidentia, utilitate, dignitate ipſa præſtantem. Nihil enim docet quod non oculis ſubjiciatur, quod non plurimum juvet ſive ad philoſophandum, ſive ad medendum, quod denique non Divini operis pars ſit longe elegantiſſimi, atque abſolutiſſimi, humani corporis. Hoc Sapientiſſimus ille Fabricator, vel in ipſa extima ſuperficie continuo agnoſcendus, involucris omne circumtexit iis, unde mihi protinus incipiendum eſt. Quæ vos ſingulari attentione, atque adeo ſumma admiratione eſſe digna, ob hanc etiam cauſam cenſebitis, quod cum homini non tegumentum modo præbeant, ſed commoda afferant inſuper re magna, genere varia, numero multiplicia; duo tamen, ut oſtendam, haud amplius, ſunt, Cutis, & Membrana Adipoſa.

Præc-

Digitized by Google

Proœmium ad I. Prælectionem.

ETsi vulgo ab indoctis, utinam ne ab nonnullis quoque Doctis, nihil requiri aliud video ad Anatomen perficiendam, nisi ut quæcunque in humano corpore adhuc latent, ea tandem omnia retegantur, in lucemque proferantur; tamen longe alia mihi sententia est cogitanti, haud melius de hac Facultate esse meritos qui vera, & necessaria addiderunt, quam qui falsa, & supervacanea detraxerunt. Namque ut ad eam accedat quam optamus omnes, & quærimus absolutionem perfectionemque; scilicet ad verum accedat oportet; ad verum autem perinde accedit, sive aliquis adjiciat vera, seu demat falsa: quorum ut alterum sæpenumero felicitatis est, alterum sagacitatis, sic utrumque singularis etiam industriæ est, ac diligentiæ. Sed nos rerum Inventores suis quemque laudibus postea ornabimus. Nunc utrosque, sed eos primum qui a vero aliena, aut certe supervacua rejecerunt, in istis ipsis, unde initium nobis tradendæ Anatomes ducendum est, communibus revera totius corporis integumentis sequamur. Hæc &c.

DE ANATOMICIS EUSTACHII TABULIS

AD ILLUSTRISSIMUM, ET CELEBERRIMUM VIRUM

D. JO. MARIAM LANCISIUM

Intimum Cubicularium, & Archiatrum Pontificium

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI EPISTOLA.

VEL triginta octo Tabularum conspectu, quas ab Eustachio olim promissas, nunc vero post multorum irritas perquisitiones, CLEMENTIS XI. Pontif Max. Beneficio a tua solertia demum repertas, ad me (quæ tua est humanitas) mittis, vel quod eas tuis auctas, ornataque Adnotationibus exituras esse, scribis in Bibliothecæ, quam selectissimorum voluminum copia in publicum commodum instruxisti, imminente sub proximas Kalendas dedicatione, magno me, Doctissime Lancisi, gaudio, & incredibili quadam voluptate perfundis. Quod autem addis, cupere Te vehementer ut quæ in his Tabulis propria Eustachii, & peculiaria (sint licet ab aliis post ipsum prodita) extare cognovero, de his omnibus Te diligenter, nullaque interposita mora certiorem faciam, utrum difficilius sit negare, an efficere, multum dubito. Nam & negare ei, quem plurimum colam, cuique me obstrictissimum esse, confitear, ea præsertim cupienti, quæ, sicuti ad Historiæ Anatomes ex hisce Tabulis illustrationem, ita ad beneficii celebrationem pertineant, per se collati in publicum ab eo Principe, cujus non modo geminæ, amplissimæque potestati, sed

Digitized by Google

ſed & ſummæ erga me, meoſque omnes beneficentiæ longe plus debeam, quam hominem homini debere fas ſit, durum id mihi, & quod nequaquam poſſim, videtur: & id ſuſcipere in his temporis angustiis, atque in his tot, & domi urgentibus, & in publico impendentibus occupationibus, quod intra juſtum tempus, & otio affluens pro dignitate præſtare non poſſem, & præterea quæ hujus, aut illius Anatomici inventa creduntur, ea ad Euſtachium referre aggredi, hoc vero perdifficile eſſe ſentio, eique maxime, qui, cum non poſſit prodeſſe omnibus, neminem ſaltem velit offendere, & qui, ut jamdiu noſti, haud mediocriter vereatur

Laudes Egregii Principis, & tuas
Culpa deterere ingenii.

Quoniam tamen ſapienti cuique homini pulchrum potius, atque optandum videri debet, eadem quæ Euſtachius, ſublata omni plagii ſuſpicione, obſervaſſe, ac cum tanto Anatomico diviſam inventionis gloriam habere; & quoniam veſtrum, Lanciſi Ornatiſſime, beneficium, ſi, qui digne poſſunt, his ſolis celebrare liceat, timendum eſt, ne, quod ab omnibus laudandum eſſet, id nullum habeat laudatorem; idcirco ſtatim, ut jubes, morem gero, non omnia, quæ alias poſſem, ſed præcipua eorum, quæ haſce Tabulas inſpicienti in mentem nunc veniunt, ad Te ſcribens, nullam aliam habitura gratiam, niſi celeritatis.

Sed antequam incipio, quo tempore, & in quem potiſſimum finem hæ fuerint Tabulæ æri inciſæ, conſtituere neceſſe eſt. Hæc enim duo non modo ad eas intelligendas, verum etiam ad ea, quæ in ipſis peculiaria Euſtachii ſunt (ſicut Tu cupis) dignoſcenda plurimum adjuvant. Igitur quicumque ſunt in ejus Opuſculorum lectione verſati, ii certe non ignorant, id ſibi Euſtachium in omni ſive hominum, ſive brutorum diſſectione præ cæteris propoſuiſſe, ut oſtenderet, magis in Galeni Accuſatores, quam in Galenum ipſum reprehenſionem cadere, eo maxime tempore pervulgatam, quod non hominis, ſed brutorum anatomicam deſcriptionem tradidiſſet. Nimirum tunc omnium manibus terebantur Andreæ Veſalii de humani Corporis fabrica libri, accuſationem illam tertio quoque verbo non ſine acrimonia ingeminantes; & in iis propoſitæ & deſcriptiones, & Tabulæ, ut eleganter traditæ, & affabre delineatæ, ſic paſſim diligenter quoque, & fideliter ad humani corporis normam exactæ judicabantur. Etſi vero poſt annos circiter viginti, ex quo Veſalii Tabulæ prodire cœperunt, extitit Romæ Realdus Columbus, qui nonnullos in eo ipſo, quod memoravimus, genere Veſalii errores in ſuis libris de Re Anatomica reprehendit, & paulo poſt Gabriel Falloppius, Gymnaſii hujus noſtri decus, & lumen, edito aureolo Obſervationum Anatomicarum libello multo plura Veſalii errata deprehendit; ab neutro tamen eorum ullæ Tabulæ editæ ſunt, quæ pro fallacibus illius Tabulis ſufficerentur. Quæ cum ita ſint, quæcunque in Veſalii Tabulis, aut deſiderata, aut perperam efficta, in his Euſtachii Tabulis addita, & emendata inveniemus, primæ horum omnium delineationis honorem eſſe ad Euſtachium referendum, neminem puto negaturum, ut qui duobus poſt editas Falloppii Obſervationes annis, atque adeo ante novas cujuſque Tabulas teſtatus eſt in Opuſculorum Anatomicorum Præfatione, has ſuas editioni paratas habere.

An vero, ut delineationis, ſic quoque inventionis eorum omnium primam liceat Euſtachio gloriam adjudicare, diligentius eſt inquirendum. Non enim propterea quia duobus, ut dictum eſt, annis poſt vulgatum egregium illum a Falloppio libellum teſtatus ſit, ſe ſuas Tabulas abſolviſſe, continuo credendum eſt, non abſolviſſe multo antea & illas, & Anatomica Scripta, ſive edita, ſive adhuc deſiderata. Nam quo anno Falloppius Obſervationes edidit, eodem Pinus ad librum de Renibus Adnotationes colligebat, & ſcripſiſſe Euſtachium *non modo de Renibus, verum etiam de cæteris aliis humani Corporis partibus* aſſerebat, ut in ejus ad lectorem Epiſtola, & initio ſtatim Adnotationum habemus. Præterea examen Oſſium, eique adnexum de motu Capitis Opuſculum, eo tempore fuiſſe perſcripta, quo necdum Falloppii Obſervationes videre Euſtachius potuiſſet, ex adſcripto die facile colligitur.

Digitized by Google

Sed quoniam Epistolam de Auditus Organis post Falloppii Observationes scriptam esse, non modo ex adscripto item die, verum quoque ex non uno ejus loco, de Stapede videlicet, ac de Cochlea, satis constat; in libello autem de Dentibus (ut modo cap. 32. de Renibus prætermittam) testante etiam Pino in Adnotationibus, Falloppii sententiæ nec semel, nec obscure impugnantur, & præterea Falloppius in Præfatione ad Observationes, has ante annos quatuor a se scriptas ad Petrum Mannam, testatur; his de causis unice ad annum, quo Tabulæ sunt æri incisæ, inquirendum veniamus; nam & de his potissimum quærimus, & si constabit, has ante scriptas a Falloppio Observationes fuisse paratas, plerorumque etiam, quæ & Scriptis, & Tabulis communia sunt, inventorum gloria Eustachio asseretur.

Itaque mitto quod in Præfatione ad Opuscula hic affirmat, *sex, & quadraginta Tabulas æreas multo prius* se editurum fuisse, nisi ab ætate, valetudine, & fortunarum imbecillitate fuisset prohibitus. Mitto etiam, quod in Præfatione ad suas in Erotianum Adnotationes, & ad Libellum de Multitudine scribit, se suas *Observationes, & inventiones Anatomicas jam pridem ære incidendas mandavisse*; edere autem supersedere, quia nonnullos (ideſt Vesalium, ut liquet ex iis, quæ sequuntur) Opusculis *a se anno proximo superiore publicatis* vehementer audiverit commotos fuisse, ideoque se aliquandiu expectare, donec ipsi, si quid velint, referibant, ne novas subinde appendices suis scriptis adjungat. Neque locum afferam ex Epistola de Auditus Organis, ubi de Stapedis inventore differens, se inquit, neque edoctum, neque monitum ab aliquo, *multo antequam ipsi scribant*, id osticulum noviſſe, Romæque non paucis ostendisse, *atque in ea incidendum curasse*. Qui autem id scripserat, ex collatis utriusque locis apparet, Falloppium fuisse in Observationibus, ubi negat, anno 1548. fuisse Romæ quemquam, qui Stapedis notitiam haberet. Igitur *multo ante* hunc annum altera saltem Tabularum, in quibus hoc Osticulum ostenditur, fuisse videtur incisa. Locum potius afferam, in quo & de Tabulis nuper inventis, & de his quidem universe Eustachius ita loquatur, ut annum simul, quem quærimus, diserte prodat. Is, quantum modo memini, unicus extat in libro de Renibus cap. 16. *Hujusmodi*, inquit, *dispensatio, unioque venarum* (nempe venæ sine pari cum emulgente altera, aut cum proxima aliqua vena) *qua ratione, quotve modis a me sit observata, Tabulæ huic tractationi annexæ* (ideſt octo, quas tunc edidit) *apertissime ostendent; & nisi fallor, non secus eas inspicienti ante oculos ponent, ac si dissectioni nostræ interesset: in qua harum venarum consensum ita consuevi ostendere: quippe qui multis ante annis perspectus mihi sit, & cognitus, quemadmodum nostræ Anatomicæ Tabulæ* (ideſt hæ, quæ sunt nunc inventæ, & in his XXVI., & XXVII., nam si easdem illas, de quibus modo dixerat, innuisset, non nostræ Anatomicæ, sed eædem Tabulæ dixisset; hæ igitur) *anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo ære incisæ patefaciunt: ut dicere audeam, non minus memet mihi in ea, quam præsentibus, spectantibusque omnibus satisfacere*. Esse autem has nuper inventas Tabulas multo ante illas octo æri incisas, petito ex XIII. Tabula argumento infra confirmabo. Si ergo anno 1552. hæ Tabulæ fuerunt incisæ, prima laus Eustachio deferri potest non tantum delineationis, sed & inventionis eorum omnium, quæ in Vesalii supplementum, vel emendationem, ut in his Tabulis, ita in Falloppii Observationibus, immo & in Columbi libris, ad eundem modum occurrunt; ut quæ Opera aliquot annis post illas Tabulas perfecta sunt, illæ quidem annis post quinque, hi vero ut minimum tribus, ut ex Columbi ad Paulum IV. Pont. Max. Epistola colligo.

Quod si aliquis ex Falloppi Præfatione argumentum capiat, nonnulla ejusdem inventa, ut ad quamplurimos, sic & ad Eustachium potuisse multo ante illius Observationum editionem permanare; ego quoque ex Eustachii Opusculo de vena sine pari Antigram. XI. argumentum vicissim capiam, nonnulla hujus inventa perferri ad Falloppium potuisse, per eorum videlicet sermones, aut scripta, quibus, ut Eustachius inquit, *studium erat aliorum inventa*

Digitized by Google

venta pro ſuis edere .... exploratoribus (apud hunc) etiam ſtipendio conductis: ad quem locum recte intelligendum, haud ſcio, an juvet illud Antigramma conferre cum his, quæ in Falloppii Obſervationibus, & in harum Examine a Veſalio edito, occaſione Venæ ſine pari narrantur; illud quidem ſcio, hunc Veſalii locum Fabricio ab Aquapendente e memoria excidiſſe, cum in Opuſculo de Venarum Oſtiolis *mirari ſe*, ſcripſit, *quomodo hæc ad ſuam uſque ætatem tam priſcos, quam recentiores Anatomicos adeò latuiſſent, ut non ſolum nulla prorſus mentio de ipſis facta eſſet, ſed neque aliquis prius hæc vidiſſet, quam* A. D. 1574. Sed hæc obiter. Ad Euſtachium noſtrum redeamus: cujus, ut vides, Lanciſi Ornatiſſime, ego gloriæ plurimum faveo; ſic tamen faveo, ut multa pro Falloppio noſtro reponi poſſe, non diffitear; primum quod, cum nemo negare poſſit, ejus obſervationes anno 1561. prodiiſſe, num Euſtachii Tabulis ante hoc tempus ſumma impoſita fuerit manus, illi ipſi poſſunt in dubitationem vocare, quibus mecum illi credere placeat, A. 1552. eaſdem inciſas fuiſſe; deinde quod ex Epiſtola Euſtachii de Auditus Organis proclive ſit conjicere, quod ab eo de Cochlea, & de Canalibus ſemicircularibus in II. Figura XLV. Tabulæ pictum eſt, id poſt lectas Falloppii Obſervationes eidem Tabulæ, qua locus vacabat, adjectum eſſe. Verum cætera mittamus, & tandem aliquando ad has Tabulas inſpiciendas veniamus.

Quarum tres priores quoniam ſi quid habent, in quo morentur, id infra opportunius commemorabimus, idcirco has interim ſeponentes, ad XII. ſtatim pergamus. In qua cæteris Figuris prætermiſſis, iiſque præſertim (ut ſemper) quæ in octo Tabulis vulgatis occurrunt, III. potiſſimum, atque VII. contemplemur. Igitur in III. & veſiculas ſeminales, & deferentium vaſorum cum iiſdem conjunctionem, & duos ſeminis in capite, ut vocant, gallinaceo meatus, omnia perſpicue quidem, atque eleganter picta conſpicimus, quæ ſane fruſtra in Veſalii Tabulis perquiruntur, ut qui has veſiculas primum vidit in Falloppii Obſervationibus deſcriptas. Cæterum ad veſicularum ſedem oſtendendam ab anteriore quidem parte undecimam XI. Tabulæ Figuram, a poſtica autem VII. hujus Tabulæ Euſtachius inſtituit. In qua præterea Figura eas veſicæ fibras moſtrare voluit, quas cap. 19. de Renibus *conſpicuas, craſſas, ac fere carneas*, dixit, *quæque adeo variæ quoquoverſum diſtribuantur, ut intervallis multarum tunicarum ſpeciem habere videantur.* Sed & in Tabulæ X. Figura I. exteriore pariter ſublata ventriculi tunica, ita ejus circulares fibras oſtenderat, ut Williſii induſtriam in Tabula III. ventriculi concinnanda præverterit.

In Tabula vero proxima XIII. illud primum diſſimulare non poſſum, vaſis urinarii intra renem dexterum ramificationem tum dimenſionibus, tum figura non ita ad verum accedere, ut quæ in pervulgata Tab. V. delineatur: ex quo nimirum in ea opinione confirmor, longe prius has Tabulas eſſe inciſas, quam octo vulgatas: quarum ſi ejuſdem V. Tabulæ Figura I. idem oſtendi credis, quod XI. Tabulæ Figura X., hanc quoque multo rudiorem, atque ideo priorem eſſe confiteberis. Cæterum & his ramificationibus, ſive, ut alii vocant, pelvis tubulis, & renum canaliculis, & horum in papillas iis tubulis exceptas unione fuiſſe ab Euſtachio & Bellinum, & Malpighium occupatos, non eſt opus hic memorare. Illud potius addam: hæc eadem, quæ Euſtachius, Falloppium quoque in Obſervationibus attigiſſe. Clitoridem vero, & ejus crura, atque muſculos, quæ ſimiliter Falloppius in eodem libro deſcripſit, primum certe delineata, & in hac XIII. Tabula, & in ſequenti conſpicimus. Sed quod ad ligamenta uteri rotunda attinet, quæ Veſalius muſculos, Falloppius autem proceſſus nerveos eſſe docuerunt; Noſter in hac Tabula non modo ab utroque diſſidet, ſed Swammerdamii nihil fere aliud, niſi minutiſſimas arteriolas, & venulas illa eſſe tradentis, & Figuram, & explicationem prævenit, addens præterea ex cruralibus nonnullos ramuſculos, ut & in ſequentis Tabulæ Figura I. ad quam priuſquam tranſeo, in hac XIII. illud denique obſervandum judico: vel ſpermaticorum, & hypogaſtricorum vaſorum ad latera cervicis uteri unionem minime Noſtrum latuiſſe.

Digitized by Google

In Tabulæ XIV. Figura I. nequaquam partium exiguitas Euſtachium prohibuit, quin ſe illud quoque ſcire ſatis oſtenderet, ab ani ſphincțere fibras per cunni latera deduci verſus hujus ſummam partem, atque clitoridem. In Figuris autem III., & IV. cum ipſius caveæ uteri longe accuratior figura obſervanda eſt, quam ea, immo & conſequentia tempora propemodum ferrent; tum vero in primis manifeſtum Tubæ Falloppianæ in uterum tranſitum ſpectare oportet. Figuræ autem ad fœtum, & ejus involucra pertinentes, collatis homine, & brutis, Veſalii in his rebus lapſum evidenter coarguunt.

Verum his, aliiſque prætermiſſis, recta ad Tabulas XVII., & XVIII, veniamus. Et primum in illius Figura II. præter medullaris ſubſtantiæ per cerebellum in arboris, & ramorum modum diſpoſitionem, juvat obſervare duo ſaltem genera proceſſuum cum cerebello commiſſorum, nempe & eos inferiores, ex quibus Varolius poſtea a ſe primum, ut credebat, animadverſis, ſpinalem medullam ex parte componi, monſtravit, quod ex hac Tabula non latuiſſe Euſtachium, conſtat; & eos ſuperiores, qui a Teſtibus in cerebellum, ut Williſio videtur, protenduntur. Ad horum initium origo Patheticorum nervorum, de qua a Veſalio ignorata Falloppius quoque in Obſervationibus locutus eſt, hic evidenter conſpicitur. Eam noſter in examine oſſium, antequam Falloppium legere potuiſſet, jam ſcripto, Fabio Amico indicare voluerat, dum inter eorum commemorationem, quæ ut admirabilia ipſi oſtenderat, *excitare*, inquit, *te nervi etiam debebant, nam ut mittam nunc illos, qui prope cerebri nates oriuntur* (nempe hos, quos hic delineat, Patheticos) *& alios, qui juxta ſpinam procedunt, ac tres quoque propagines ſexti jugi nervorum cerebri a medulla ſpinali principium ſumentes* (quos porro eſſe in ſequenti Tabula delineatos, mox oſtendam) *nonne ſoluto, &c.* Denique in hac eadem II. Figura operæ pretium eſt obſervare, medullam ſpinalem non ut a Veſalio, ſemper magis, atque magis quo magis a calvaria recedit, attenuatam proponi, ſed ibi craſſiorem, atque pleniorem, unde magni artuum oriuntur nervi: quod item a Falloppio animadverſum, & ante hunc in Caroli Stephani libris pictum, nunc paſſim in accuratiorum Recentiorum figuris ſpectatur. Figuram vero IV. dum inſpicimus, proderit ante oculos habere Anatomiæ Cerebri Clar. Ridley cap. 7., in quo plexum choroidem tradit *ab utroque latere eſſe duplicem, quod hactenus a nemine fuerat obſervatum;* ponit ſcilicet (ut hic Euſtachius, qui hæc ad poſteriora reflexa pingit) alteram plexus partem a latere; alteram autem in medio inſtar latæ expanſionis nates, & teſtes, & glandulam pinealem obvolventem. Quod autem Ridleyus in eodem cap. præter venas a Williſio deſcriptas, duas ſemper ſe dicit reperiſſe *anterioribus* ejuſdem plexus extremitatibus occurrentes, fortaſſe id eſt, quod in III. hujus Tabulæ Figura monſtratur. Figuram vero VI. Tabulæ XVII. ſi videre homines potuiſſent, cum Varolius ſuum de circumductione, ſeu reflexione Opticorum nervorum, & vera eorundem origine inventum propoſuit, non id ad Fabricium ab Aquapendente pertinere, odioſe contendiſſent, ſed Euſtachio deberi evidenter oſtendiſſent.

Quid porro, Lanciſi Doctiſſime, de Tabulæ XVIII. Figuris omnibus dicemus, in quibus nihil fere eſt, quod non noſtra hæc potius, quam Euſtachii deceat tempora? Diligentiam ſane, qua ſunt paratæ, accuratiſſimam vel minimæ res teſtantur, & in his duæ illæ, ut Williſius appellat, candicantes glandulæ pone infundibulum conſtitutæ, quæ in nulla harum quinque Figurarum deſiderantur. In I. autem, & III. Figura (ut ſingulas conſideremus) occurrunt illæ, quas ſupra Euſtachium vocaſſe diximus *tres propagines ſexti jugi nervorum cerebri a medulla ſpinali principium ſumentes*, nos vero juxta communes his temporibus appellationes, quas in hac Epiſtola retinemus, radices vocamus nervi Spinalis ad par vagum acceſſorii: quem ante Williſium *jampridem* (inquit Ridleyus cap. 16.) obſervaverat, imo delineaverat, atque deſcripſerat Vidus Vidius. Cæterum ex his Euſtachii Figuris & cui debeatur, & Vieuſſenium in prima ejus origine deſcribenda magis, quam Williſium,

Digitized by Google

sium, aut Ridleyum, ad Eustachii observationes accedere, facile colligitur: quis autem ad verum magis accedat, hic quidem non judico. Ut vero mittam de nervorum, & in primis quinti paris ramificationibus, quæ in hac Tabula proponuntur, dicere; facere tamen non possum, ut in I. Figura præteream non modo portionem duram paris Auditorii a Vesalio ignoratam, sed & hujus primum post inflexionem, quam in Aquæ ductu subit, cum chorda tympani a pari quinto proveniente unionem, & demum cum hoc eodem pari conjunctionem (de qua alii aliter) delineari, de quibus plerisque rebus ut noster in Epistola de Auditus Organis verba fecerat, sic quod speciatim ad memoratæ chordæ originem, & finem attinet, multo quam Falloppius, diligentius proposuerat. Nunc missis cæteris, in Figuræ II. consideratione moremur, & in ea nervos vulgo intercostales dictos inspiciamus, qui nescio an sint illi, qui, ut supra dictum est, *juxta Spinam procedere ab* Eustachio admirabiliores suas observationes Amicio commemorante dicebantur. Nam etsi iidem nervi superioribus, & æqualibus Anatomicis non erant ignoti ad vertebrarum thoracis, & lumborum latera; ad latera tamen vertebrarum cervicis eosdem Vesalius videre non potuerat; itaque ceu ab octavo pari infra cervicem enatos proposuerat. Ipse autem Falloppius etsi videtur ubi olivare suum corpus, sive plexum describit, aliquam majorem gemini prædicti nervi habuisse notitiam; non tamen ejus veram cognovit originem. Imo Willisius in Nervorum descriptione cap. 5. *Origo*, inquit, *ejus nondum satis detecta fuit; nam a plerisque Anatomicis pro ramo paris vagi perperam sumitur*. Hæc autem origo ex ea saltem parte, quæ ad nervum sexti paris attinet, manifestissime in hac Figura II. demonstrata est. In qua præterea & plexus plures, & origines, ac distributiones nervorum observantur, quas sane res non dico ex Vesalii solum Tabulis, sed & aliorum, qui sunt illum ad recentiorum usque tempora consecuti, partim nullo modo, partim non satis licebat addiscere. Quæ sigillatim recensere nunc mitto, quoniam sentio, in his duabus Tabulis considerandis (quæ alioquin omnium videntur consideratione dignissimæ) aliquanto, quam vellem, me prolixiorem fuisse.

Sed vicissim breviorem multa esse me cogunt in sequentibus usque ad XXXVIII. Tabulis considerandis; primum quod in earum aliis nulla quidem nunc occurrunt ita digna consideratione; deinde quod de aliis, & nominatim de illis duodecim, quæ musculos exhibent, Te minus sollititum esse, scribis: denique quod earum aliqua haud pauca habet, quæ in octo jamdiu editis Tabulis etiam sunt. Attamen ut intelligas, has quoque, de quibus nunc loquor, Tabulas me inspexisse, pauca in paucis considerabo. Igitur in Tabulæ XXVII. Figuris II., & IV. exe mutuæ vasorum mesaraicorum ad modum arcuum communicationes ita perspicue, & eleganter expressæ, ut nunquam meminerim melius, satis testantur Eustachii in his quoque vasis exercitationem, quam in Antigram. 8. de Vena sine pari subindicaverat. Ad ea autem, quæ in pluribus suorum Opusculorum locis de nonnullarum venarum, & in primis venæ sine pari distributione, variisque communicationibus tradidit, facilius intelligenda, & nonnullæ hujus Tabulæ Figuræ, quæ in octo prioribus Tabulis aut nullo modo, aut ob loci angustias decurtatæ proponuntur, & ipsa quoque superior Tabula XXVI. vehementer utiles sunt.

In Tabula autem XXIX. primus omnium Eustachius Occipitales musculos pinxit, ut quos Falloppius a reliquis omnibus Anatomicis scribit esse prætermissos. Eosdem quoque pingit in XXXI. XXXII. & XXXIV., in quibus ut & in XXX. musculos præterea exhibet, qui supra, & qui pone auriculam sunt constituti, de quibus Falloppius idem pariter animadvertit.

Tabula XXXV. Mastoidæos musculos & duplicem singulos habere originem, & sic in duos utrinque dividi posse, ut Eustachius adversus Vesalium in Opusculo de Motu Capitis scripserat, dilucide ostendit; quemadmodum ea, quæ adversus eundem de duobus Capitis musculis, quos Complexos vocant, in proximis superioribus periodis attulerat, a Tabula XXXVII.

con-

Digitized by Google

confirmantur. In qua Tabula exiguus ille, qui ex anteriore ani ora dependet, musculus num is sit, qui musculus urethræ sine pari a nonnullis Recentioribus appellatur, alii viderint.

Porro Tabula XXXVIII. præterquam quod de musculis intercostalibus interioribus illud ostendit, quod Eustachius Antigrammate ultimo de vena sine pari indicavit, quod scilicet, *ad radices costarum non pertingant*; si cum Tabulæ XLI. Figuris VIII. & XIII., ut par est, conjungatur, ea præsertim demonstrat, quæ de duplici utrinque musculo, quem Longum colli vocitant, hujusque in caput implantatione, & de duobus præterea, vel tribus prætermissis a Vesalio musculorum paribus, quæ caput movent, post nuper indicatum Opusculi de Motu Capitis locum ab Eustachio tradita fuerunt. Quæ quidem omnia una cum his Tabulis, unaque cum illis, quæ paulo supra de capitis, & primarum vertebrarum ligamentis docuerat, conferri diligenter velim cum iis, quæ de duobus earundem partium ligamentis, & de quinque paribus musculorum diversis capitis motibus inservientibus a Dupræo Chirurgo Gallo proposita sunt, quorum summa una cum Epicrisi, & quasi Vindiciis Cl. Cowperi, & Figuris utriusque in Actis Eruditorum Lipsiensibus A. 1699. exhibetur. Sic enim scio fore, ut nonnulla ex iis, quæ ibi, ut ignota omnibus sunt proposita, Eustachium non latuisse intelligatur.

Tabulæ XXXIX. inferiores Figuræ primum omnium Eustachium emendavisse testantur id, quod a Vesalio in oculorum musculis ostendendis peccatum fuerat,

In XL. autem Tabula ea inprimis exhibentur, quæ Eustachius in Examine Ossium a se præstita commemorabat. *Nonne*, inquit, *soluto prius oculo in singulas sui membranas, quod vix animus capere potest, foramen nervi visorii Tibi, & aliis, vel multis reclamantibus, ante oculos sexcenties expossui?* Ostenditur quoque id, quod in libris de Multitudine cap. 32. affirmaverat, nempe venas, & arterias *a cerebro per intimiorem nervi visorii substantiam trajici, ac inde in retinam oculi tunicam dispensari, tum accuratam sectionem, tum firmam rationem ostendere*. Illud præterea in Figuris II. III. VI. XI. observandum est, vasa per choroidem, non ut in retina anteriora versus, sed posteriora versus prorepentia, & fibrosam ipsius choroidis structuram monstrari.

Sed ad Tabulas XLI. & XLII. transeamus, in quarum plerisque Figuris inspiciendis dicere non possum, Lancisi Ornatissime, quantam ceperim voluptatem, tum & eorum, quæ in pristinam in Anatomica historia sedem restituere, & eorum, quæ inter diversas Anatomicorum descriptiones seligere ante hos septem annos in meis primis Adversariis Anatomicis conatus sum; in quæcunque, inquam, eorum in duabus hisce Tabulis Eustachius incidit, idem mecum vel de rerum dignitate, vel de historiæ selectu censuisse evidenter intelligo. Atque utinam per magnarum rerum tunc adhuc inveniendarum copiam, & quarum magnam ipse partem detexit, ad ea descendere tam accurato Anatomico licuisset, quæ nobis quasi ex magna messe perpaucæ spicæ, non neglectæ quidem, sed elapsæ, improboque adeo labore raris, & plerumque abstrusis in locis legendæ, relictæ sunt: profecto non dubito, quin ex iis quoque, quæ a me non tanquam restituta, aut relecta; sed ut primum inventa proposita sunt, plura essent, quorum inventionis divisam cum tanto Anatomico gloriam haberem. Nunc ex his, quæ deprehendisse visus sum, unum ex omnibus, & levius quidem, est illud, quod de veris hyothyroidum, & sternothyroidum musculorum terminis monui; quos passim fere ut in Vesalii Figura, in Tabula XLII. num. 3. ab Eustachio, ut cum suis conferri posset, allata, pictos, descriptosque animadverteram. Itaque meam & descriptionem, & Figuram cum Eustachii V. & XII. in Tabula XLI. satis convenire, vehementer gaudeo. Cum autem mihi & cricoidis cartilaginis capitula, & medium epiglottidis ligamentum, & præsertim laryngis ventriculos, de quibus passim Recentiores silebant, & observare contigisset, & restituere placuisset; mirum nunc in modum gaudeo, a gravissimo hoc Anatomico nihil horum esse prætermissum, ut qui prima in VII. XLII. Tabulæ, alterum

Digitized by Google

alterum in V. facile adumbrat: ventriculi autem dexteri orificium certe in XI. Figura demonstrat. Cumque pariter inter diversas Anatomicorum sententias, & circa epiglottidis musculos depressores, & circa cricoarytænoidæorum posticorum ortum, atque tendentiam, & circa arytænoidæorum structuram, & in primis circa Thyroidææ glandulæ duplicitatem id mihi seligendum visum esset, quod dissectiones propriæ docuissent; admodum lætor, Eustachium mecum facere, qui in XLII. Tabulæ Figura I. nullos epiglottidis depressores agnoscat, qui in eadem, & in II. cricoarytænoidæos, & arytænoidæos juxta meam descriptionem delineet, & qui demum in V. & VIII. Figura XLI. Tabulæ, non modo unam mecum thyroidæam proponat, sed in cunctis ejus conditionibus ita conveniat, ut ne illam quidem appendicem omittat, quam ab ea sursum per thyroidis faciem persæpe protendi adnotaveram. Ad quas Eustachii figuras, suas, si adhuc viverent, emendare illi demum possent, qui ad meas emendare neglexerunt: quanquam plura, etiam ubi maxime dissimulant, a me sumpserint, & plura ad mea Adversaria emendaverint; ut eorum Anatomiæ utramque editionem conferentibus planum erit; quæ utinam semper bene intellexissent. Sed nolo cum umbris hominum, præsertim & laude alioquin dignorum, & mihi non omnino ingratorum luctari. Itaque præstat in his ipsis V., & VIII. Eustachii Figuris, quemadmodum & in XI. illud præterea observare, ut Vesalii in linguæ musculis defectus egregie emendetur; utque præterea in sequentis Tabulæ Figura V. linguæ glandulæ, sicut in hujus VIII. nonnullæ tracheæ glandulæ non omittantur. Porro si Cl. Amicissimoque Valsalvæ & XI., & XIV. hujus Tabulæ Figuras, & præterea IV. & VI. sequentis Tabulæ cum laudatissimis suis V. & VI. Tabulis comparare placuerit, non dubito, quin sicut intelligat, præcipuum in his suum Uvulæ, & Pharyngis continuitatis inventum Eustachio ipsi ignotum fuisse, ita agnoscat lubens, nonnulla tamen ex reliquis eundem quoque non omnino latuisse; illam vero, quæ a me in Epistola ad ipsum data restituta ex Falloppio est, Stylopharyngæi musculi in cornua ossis hyoidis, & in supernam oram cartilaginis scutiformis implantationem in XLI. Tabulæ Figura XI. subindicari.

Porro quæ in proximis Tabulis ad sceletorum pedes ex organo auditus ostenduntur, eorum ab Eustachio nonnulla inventa, fere omnia primum fuerunt delineata. Cæterum in sceleto Tabulæ XLIII. *contextus ille elegantissimus, quem spuriarum costarum cartilagines invicem efficiunt, & quem* a Vesalio *oscitanter prætermitti*, Eustachius dixerat in Ossium Examine, conspici potest. Hic ipse est, quem, quamvis passim ab aliis omissum, Verheyenius in altera Anatomiæ suæ editione diligenter memoravit, atque depinxit. Illud quoque in sceleto hujus, & proximarum Tabularum observatione dignum est, quod os sacrum, non ut a Vesalio, sex partibus constans, & quinque ante, & retro foraminibus utrinque pertusum pingitur; sed quinque constans partibus, & quatuor utrinque foraminibus pervium, quale scilicet *magna ex parte in hominibus esse solet*, ut in eodem Opusculo animadvertit Eustachius. Hæc tamen, & ille, quem modo diximus, cartilaginum contextus in Tabulis etiam Caroli Stephani utcunque rudibus, & antiquis occurrunt.

De his tandem, quæ sunt postremæ, duabus Tabulis, illud primum in universum censemus, pleraſque earum Figuras, ut & XIII. Tabulæ XLI. iis potissimum illustrandis inservire, quæ in memorato nuper Opusculo pro Galeno contra Vesalium ab Nostro afferuntur: quod (ut cætera prætermittam) primo statim aspectu in ultima quidem Tabula Figura XVIII., tresque illi proximæ satis monstrant; in quibus illæ, quæ in eodem Libello traduntur, ossium sterni, ejusque cartilaginis varietates accurate exhibentur: in Tabula autem XLVI. idem plures illæ, dissimilesque calvariæ attestantur. In quarum porro plerisque observo peculiare illud Foraminulum pro vena a Falloppio cum duræ matris finibus egregie descripta, quam nunc Occipitalem recte appellant, non desiderari.

Hæc habebam, de quibus Te, Vir Doctissime, statim ut jussisti, certiorem fa-

Digitized by Google

faecerem, Sus, ut ajunt, Minervam. Erant præterea in his Tabulis dubia quædam, & subobscura, de quibus aliquid scribere fortasse poteram; sed nolui divinare. De his vero, atque aliis, quæ aut scientes prætermisimus, aut forte etiam in his tantis angustiis temporis haud satis vidimus, fortasse olim, si quid otii dabitur, in ea, quam concepimus, Anatomicorum Inventorum Historia scribemus. Quam quoniam ea scripta Eustachii adjuvare plurimum possent, quæ adhuc latent, oro Te, obtestorque, ut sicuti has Tabulas, ita & ea scripta e latebris eruere, atque producere aggrediaris. Ea namque Eustachius cum in Opusculorum Præfatione *propediem se esse editurum* promisisset, anno proximo in Præfatione ad suas in Erotianum Adnotationes, & in Libellum de Multitudine, *parata esse*, & in ejusdem Libelli cap. 15. *jam absoluta esse*, indicavit. Quæ vero de ipsis, deque sua in illis diligentia speranda essent, cum iisdem in locis, tum in Præfatione ad opuscula docuit, his *multo* illa *utiliora* pronunciare non dubitans. Magnitudinem quoque Operis eodem in loco satis ostendit, dum *ne tantum Opus multo prius aggrederetur ad imprimendum, a fortunarum suarum imbecillitate se deterritum* scribit: quod sane de Tabulis potissimum non esse accipiendum, illud probat, quod ostendimus, jam ante annos decem illas æri incisas fuisse. Quanquam & ejus Operis magnitudinem, & servatam in eo scribendi rationem ex eo quoque æstimare licet, quod ea Syngrammata, & Antigrammata, quæ de duabus tantum venis, sine pari, & profunda brachii, edidit, non pauca quidem, sed parvam tamen, si reliquis omnibus respondere debent corporis partibus, totius Anatomes particulam, ea, inquam, *ex eo libro, quem de Dissensionibus Anatomicis scripserat, accepisse se*, dicit in ea, quam illis præfixit, Epistola. Eum autem Librum illa ipsa scripta esse, quæ nunc quærimus, memorati superius loci aperte significant. Neque aliquis credat, nihil in iis scriptis contineri, quod ab his Tabulis, quæ una videlicet prodire debebant, non ostendatur. Non enim his Tabulis omnia Eustachium complexum esse, quæ *ex infinitorum pene hominum, atque animantium* sectione didicerat, multa indicio esse possunt. In quanam earum, quæso, extat *mirum* illud *naturæ artificium, ab aliis Anatomicis* (quod sciret) *minime animadversum, in plerisque duræ cerebri membranæ finibus* ipsi notum, ut innuit cap. 14. lib. de Multitudine? In quanam satis extant *quædam corpora permixta, in multis animalis partibus, præsertim vero in cruribus occurrentia, quæ in aliquot nervorum, venarum, atque arteriarum furculos, detracta membrana eos succingente, facile solvuntur*, quæ a se *in gratiam Galeni publice ostensa* ibidem scribit cap. 32.? In quanam *innumerabiles pene nervorum propagines: quæ quidem* ut *visum sibi esse*, ibidem dicit cap. 33. *in corporibus secandis observasse, in cutem non ita frequenter inseruntur, ut quispiam fortasse arbitratur; sed ut plurimum in tenuissimas fibras dissectæ, adipis substantia terminantur*? Quænam porro Tabula satis monstrat quæ *de duplici peritonæo, & de vasorum seminalium in scrotum ingressu* (longe aliter profecto atque Vesalius) *docuisse se*, dicit in Ossium Examine? Quænam denique, ut alia nunc omittam, aut *nervum visorium in eo animali* (quod Malpighius postea manifestavit) *in innumeras rugas complicatum, & incisa tunicula ambiente in amplam membranam totum explicatum*, aut thoracicum ductum luculenter in equo descriptum Antigram. 13. de vena sine pari; quænam, inquam, Tabula (nam quædam earum etiam ex brutis nonnulla exhibent) hæc ostendit? Est ergo sperandum, si ea scripta tandem aliquando proferantur in lucem, multa alia in iis inveniri posse, quæ hæ Tabulæ non complectantur. Quæ cum ita sint, Optime Lancisi, perge porro, & quod præclare cœpisti, feliciter perfice. Apud eosdem Pini hæredes quemadmodum Tabulæ delitescebant, ita quoque hæc Scripta latere posse conjicio. Fuit enim ab Eustachio Pinus ita *in societatem laborum* vocatus, ut aliqua ex parte, quæ in iis etiam Scriptis consignatæ erant, Observationes ad ipsum pertinerent. Itaque Pinus ut in Epistola suo in Hippocratem præmissa Indici eas Tabulas (quemadmodum solertissime observasti) promittere potuit, quasi ut suas; sic in Adnotationibus ad

cap.

Digitized by Google

cap. 1. Libri de Renibus, vivente, & vidente Euſtachio, *nonnulla de renum ſinibus a nobis animadverſa*; aperte ſcribere non dubitavit. Sed ſive hæc, ſive alia placeat inquirendi via, quæ Tibi & ſpectatæ ſolertiæ, & non vulgaris eruditionis Viro vel multiplex deeſſe non poteſt, noli, quæſo, in aliud tempus differre; ſed quo die tuo, atque adeo meo CLEMENTISSIMO DOMINO tuam iſtam novam Bibliothecam ingredienti Euſtachii Tabulas offeres tuis Adnotationibus exornatas, ne dubita commune hoc alterum litteratorum hominum votum pro ea, qua eoſdem, & litteras, litteratiſſimus ipſe reſpicit, dignatione, & pro ea, qua Tu polles & gratia, & eloquentia, aperire. Ego, ſi Noſtrum novi DOMINUM, ſpe bona, certaque ſum plenus, ultro ipſum ſua auſpicia, & auctoritatem eſſe iterum promiſſurum. Quibus, ſi, ut nuper in Tabulis, ita nunc in Euſtachii Scriptis inveniendis feliciter, ſicut voveo, uteris, non plus ille, dum viveret, aut Divo Cardinali Borromæo, qui *ſuo favore non indignum putabat*, aut Ampliſſimo Urbini Cardinali, *cui inſerviebat, & cujus domi alebatur*, non plus, inquam, vivens illis debuit, quam SANCTISSIMO PONTIFICI, & ejuſdem Præſtantiſſimæ Urbis decori maximo, atque immortali, nunc mortuus erit debiturus. Vale.

Dabam Patavii XIII. Kal. Novembris M DCC XIII.

DE GLANDULIS EPISTOLA.

CLARISSIMO, ATQUE ERUDITISSIMO VIRO

PETRO ANTONIO MICHELOTTO

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

QUod ſcribis, celebrem illam Experientiſſimi Littrii de Renum fabrica Obſervationem explicari ita poſſe, ut iis qui cum Malpighio *veſicularem* ſtructuram in Glandulis non agnoſcunt, minime adverſetur, ſi videlicet ovales illos membraneos ſaſculos a quibus prima ſecretoria vaſcula exoriebantur, quippe quos ſanguine turgentes ipſe Littrius deſcribit, pro arteriarum extremis accipiamus; ea de re quid ego viciſſim ſentiam, vel potius alios ſentire putem, ſic habeto. Primum minima diverſi generis vaſcula, quod Littrius idem adnotavit, ad eos ſaſculos perveniebant; igitur ipſæ quoque arteriolæ. Num igitur veri eſſe ſimilius, exiſtimabimus, minimarum arteriarum extrema multo ſuis ſurculis majora, hoc eſt ſaſculos ipſos fuiſſe; an vero hoſce nihil fuiſſe aliud niſi ovales membraneas veſiculas, hoc eſt Glandulas, in quarum cavum in eo rerum ſtatu facile demum ſibi viam vi cruor feciſſet? Ponamus tamen, eos ſaſculos reapſe extrema arteriolarum fuiſſe, incredibilem in modum dilatata. Nempe prima illa ſecretoria vaſcula ex arteriis, nulla interjecta veſicula, exoriebantur. Attamen cum illa in majores veſiculas confluerent, ex his autem alia vaſcula ad papillas pertinentia, atque ideo vere excretoria prodirent; illud ſemper relinquitur, inter excretoria Glandularum vaſa, atque arterias, veſiculas interponi. Hic fortaſſe inquies, Vir Clariſſime, id alii viderint qui negarunt; nos autem, hoc ſepoſito, illud unum attendamus: ſi vaſcula illa prima ſecretoria ex arteriarum extremis in iſtas veſiculas humorem conve-

Digitized by Google

hunt ; igitur ſine veſicularum ope ſecretionem haberi. Ego vero ut iſtud concederem ; non illud tamen continuo darem , ad Glandularum ſtructuram veſiculas non requiri. Movent enim me , ut par eſt , graviſſimi Anatomici Malpighii innumeræ , eædemque ſemper ſibi conſtantes obſervationes ; movet iſta luculenta Cl. Littrii confirmatio , qui Glandulas ſine veſiculis non invenere. Hæ igitur in Glandulis requirantur , neceſſe eſt . Sive enim alios humores decuit non continenter , ſed per vices ex Glandulis excerni , quemadmodum lotium videmus haud jugiter e corpore expelli , ejuſque rei cauſa urinariam veſicam eſſe conſtructam ; ſive alios oportuit intra Glandulas mora perfici , quamobrem videlicet multi cenſent , veſiculam fellem creatam eſſe ; nimirum interjectis , intra ipſas Glandulas , vaſa inter ſecretoria , atque excretoria veſiculis obtineri id facile potuit. At enim hæc ſtructuræ pars in glandulis eſt , inquies , ſecundaria , non potiſſima ; non enim humores ſecernit ; ſed ſecretorum aſſervationi , aut perfectioni ſubſervit. In hoc vero , ubi eos ſacculos reapſe id fuiſſe , crederemus , quod hujus diſputationis cauſa poſuimus , me , atque adeo etiam illos a quorum partibus hactenus locutus ſum , non difficile , ut opinor , aſtipulantes haberes. Hoc , inquis , mihi ſatis eſt . Ego autem gaudeo. Vale.

D. Patavii VIII. Kalendas Octobres CIↃ IↃCC XVIII.

DE LACRYMALIBUS DUCTIBUS ET EORUM OBSTRUCTIONE EPISTOLA.

J. B. Morgagnus S. D. Dominico Anelio Chirurgo Experientiſſimo.

QUod meam & amicitiam , & tuo ſuper libro ſententiam quæris ; primum ſic habeto , me natura , & inſtitutione ita eſſe factum , ut honeſtos , ſolerteſque homines , in quibus te eſſe video , ultro & mea ſponte , non modo provocatus , amare ſoleam. Tum libri tui cum duæ potiſſimum ſint partes , altera in tollendæ Lacrymalis Fiſtulæ ratione poſita , altera in Ductuum Lacrymalium deſcriptione ; ego vero ex iis ſum qui cum Hippocrate primam laudarent vel quando ſucceſſu caruiſſet ; ita enim illa excogitata , & propoſita eſt , ut dum conatum agnoſcis veterem curandi rationem cum cæteris rebus , tum in primis lenitate vincendi , & inſtitutum probes , & prudentiam non deſideres. Nam quis eum non probet qui inſtituit , non viam quidem Naturæ ignotam , ut ſolent , & novam parare ; ſed ab ipſa Natura apertam , a morbo autem obſtructam reſerare ? Quis item ejus prudentiam non commendet qui id ipſum ſuadeat ubi intelligatur , huic eſſe inſtituto locum ? Sunt enim præter eos quos excipis caſus , interdum eæ viæ ita occluſæ , ut ego in muliere olim viderim alterum de duobus meatibus in quos puncta lacrymalia producuntur , & eum quoque in quem ambo illi meatus deſinunt , majorem tubum conglutinatis a ſummo ad imum parietibus penitus clauſos , ut non jam ductus , ſed ſolida ligamenta eſſe viderentur.

Igitur tuam curandæ lacrymalis fiſtulæ rationem laudo. Deſcriptionem etiam lacrymalium ductuum laudarem tuam , niſi eum te laudarem , me ipſum laudare credi poſſem , qui ante hos ſeptem annos in Adverſariis Anatomicis , eandem , aut certe (quando omnia rurſus perquirere , & conferre non vacat) fere eandem propoſui. Imo quæ in datis ad te litteris non nemo ſcripſit , *Ductus lacrymales in homine , eorumque uſus , & operandi modum vel ipſi pridem Galeno perſpectos , & a priſcis pridem Italiæ Anatomicis deſcriptos , & a Recentioribus elucidatos fuiſſe : ... Galenum hujuſmodi vanales , & puncta minime latuiſſe : ...*

Fuiſ-

Digitized by Google

Fuisse qui post Galenum longo tempore puncta illa, & canales lacrymales non observarint, ut crediderint a Stenonio primum inventa: — In hisce canalibus nullam esse valvulam, nullum impedimentum; esse ita liberos in toto decursu suo, ut collyria ab oculis in nares, imo & in oris cavitatem percolasse; Galenus observaverit (licet exiguo, vel nullo id foret ad lacrymalium ulcera interna emolumento) fumumque ab oris cavitate, compressis naribus, ad canales lacrymales compelli, indeque per puncta lacrymalia emitti, præsertim a tabacci sugis, observent nonnulli: — Ductum ad nares patentiorem, esse angustiorem dumtaxat in ipso suo extremo fine, & orificio; hæc nimirum pleraque omnia ex meis sunt Adversariis desumpta.

In quibus postquam adscriptis Galeni, & Falloppii verbis ostenderam, neque illum puncta lacrymalia, & horum usum, eumque aditum qui ab illis est ad nares usque perpetuus, latuisse; & Falloppium præterea meatus ab illis punctis in communem sinum convenientes, aperte, & nominatim proposuisse, atque ideo non oportuisse, Stenonem vix plura tradentem, & eos qui illum sequuntur, hæc inter noviter inventa connumerare; tum, quoniam neque hæc plerisque Anatomicis satis visa, & ab iis omnibus quos memoravimus, potius indicata, quam diligenter descripta esse, animadverteram; his de causis non verbis tantum, sed & iconismo (quod ante me, quod sciam, fecerat nemo) ita eorum descriptionem institui, ut singillatim quæ de lacrymalibus punctis, quæ de duobus meatibus in quos ea producuntur (quos tu videlicet limacis cornua appellas) quæ de ampliore tubo in quem ambo desinunt, & quæ demum de tubi ejusdem contracto fine, atque orificio (quod tu ductus lacrymalis punctum excretorium vocas) in pluribus cadaveribus observaveram, ea qua summa potui, brevitate, perspicuitate, & fide exhibuerim. Præterea cum non modo errorem coarguissem eorum qui puncta lacrymalia omnino in cadaveribus sensum fugere, docuerunt; verum etiam tradidissem, præter extremorum angustias nullam valvulam esse quæ per hanc omnem quæ a punctis lacrymalibus ad nasum est, viam sursum, deorsumve permeantia impediantur, quamobrem videlicet observationem Galeni de collyriis emunctis, aut exscreatis, aliamque de tabacci sugis explicavi; hoc statim adjeci monitum, *quarum rerum meminisse haud omnino inutile fortasse erit his, qui earum viarum affectionibus medicinam facere studuerint*. Igitur vides, me tuam laudare non posse descriptionem, quin laudem meam.

Tollendæ vero fistulæ rationem laudo, ut quam tuam vere totam agnosco. Illud ego quidem ex eadem anatome erueram monitum ex qua tu rationem tuam eruisti. Sed præterquam quod libens fateor, me de specillis, deque siphunculis curationis gratia immittendis nihil unquam cogitasse; neminis admonitione egeo, ut intelligam, nisi tu solertia, & dexteritate singulari, exemplo primus præivisses, moniti illius mei exiguum, vel nullum hactenus futurum usum fuisse. Itaque tibi gratias ago tum meo nomine, cujus tu monitum non omnino fuisse inutile, ostendisti, tum eorum quoque omnium qui tenuissimarum particularum anatomen, etsi nonnulli recentioribus Medicis (quasi vero a celeberrimis inter veteres Medicis, & nominatim, ut supra indicatum est, a Galeno, & a Falloppio exculta illa non fuisset) ceu inutilem objiciunt, &, si Superis placet, exprobrant, mecum tamen censent, vel ad opem ægris præstandam non modicam utilitatem afferre. Quod reliquum est, velim tibi persuadeas, significationem benevolentiæ, & opinionis de me tuæ mihi fuisse jucundissimam, idque ut intelligas, me operam omni tempore daturum. Vale.

D. Patavii XIII. Kal. Februar. CIↃIↃCC XIV.

Digitized by Google

DE LUMBRICIS EPISTOLA.

Clarissimo Doctissimoque Viro

ANTONIO VALLISNERIO

P. P. P.

Joannes Baptista Morgagnus S. P. D.

QUod serius ad Te mittam alteram Lancisii Illustrissimi Viri de Lumbrico Lato Dissertationem, duabus de causis factum est. Nam qui libenter apud te legerim illam ejus primam in rem eandem Dissertationem, quæ cura est tui, imo nostri Antonii Pacchioni Clarissimi Hominis ad te allata, multo libentius hanc legi alteram, & relegi, quam mecum ipse Auctor voluit, ut est erga me summe humanus, & perbenignus. Qua in Dissertatione cum illa me tenuerunt, quæ in Scriptis cæteris Viri Celeberrimi tenere solent, quod in tantis ejus occupationibus sic præclare tamen, sic copiose, & docte conscripta sit, tum illud mirifice me illexit, quod in ea super Lati Vermis natura, non quod Medicorum prope omnium consensus docet, sed quod anatome, quod ratio, & major veri similitudo, confirmetur. Eo si more, institutoque Majores uti voluissent in tot aliis, quæ de reliquis etiam Vermibus mirifica, & singularia tradidere; num putas, Ornatissime Antoni, Scriptorem ex illis gravem, & diligentem (ut modo cæteros prætermittam) serio fuisse testaturum (1), se quatuor lumbricos teretes spithamæ unius longitudine in ipso trunco venæ Portæ comperisse, quo scilicet per angusta venarum mesaraicarum orificia ex intestinis usque olim, ut ipse arbitrabatur, prorepserant, eosque se Clarissimo Viro Præceptori suo monstrasse, hunc autem *postero die in publico Theatro anatomico omnibus Medicinæ Doctoribus, & Studiosis pro miraculo aspiciendos proposuisse*? Tales ego vermes (si vermes forent) in nulla non vena, arteriave reperissem; quin & in præcordiis quorundam equorum multiplices lacertas vidissem; nam & videbantur, neque deerant qui de abdito equorum morbo, & subito interitu earum morsus causarentur. Quantum igitur Malpighio debemus, aliisque solertibus, qui de Cordis polypo scripserunt, Viris, vel quantum tibi, qui sicuti es Naturalis Historiæ consultissimus, quæ in quibus locis vivere animantia nequeant, docere soles, quod a falsis vasorum sanguinis vermibus non fallamur, tantum posthac Lancisio debebimus, quod a vermiformibus intestinorum polypis non amplius decipiemur.

2. Neque vero nos solum Medici, qui rerum nempe naturam ex hac parte melius scrutati, possumus idcirco majores Medici, ut Celsus (2) quidem arbitratur, existere; sed ægri quoque Lancisio debent, quibus videlicet ob eam rem medicinam fieri multo aptius posse, scio, te, & Medicos pleroscque certis de causis non dubitare. Quibus animadverti causis hanc etiam addi rationem posse, quod siquis modo aliquam dejiciat ejusmodi Fasciam, & nihil in ea

sit

(1) Spigel. de Lubr. Lato c. 5. (2) De Medic. in Præfat.

Digitized by Google

fit quod vermis caudam, vel caput, vel extremam certe utramque partem repræsentet; nunc quidem non est profecto necessarium, ægrum propterea terreri, aut valentiore medicina vexari, qua scilicet relictæ intus lumbrici partes ejiciantur: quod utrumque fieri necesse erat, cum Fascia certi generis animal, certæque formæ, non concrescens fortuito corpus, esse credebatur. Quo etiam tempore Medici (1) non deerant nobilissimi, qui Fasciarum aliquot latitudine cum longitudine earum collata, ex ea quam invenerant, proportione, hujus postea exortæ Fasciæ, vel illius latitudine inspecta, quanta pars intus restitisset, colligere docerent, ex hoc vero quanta pharmacorum vi eas oporteret reliquias ex intestinis deturbare, scite illi quidem, & ingeniose, sed non sine ægrotantium periculo, certe non sine molestia, quæ ut esse supervacanea, ut non habere usum possit, nunc arguere ex tuis, & Lancisii Dissertationibus licebit.

3. Hic inquies, tu ergo præter polyposa ejusmodi corpora alios Latos Vermes agnoscis nullos? vel nihil ea te movent, quæ passim apud Medicos Auctores super Latis Vermibus scripta inveniuntur, quare non quidem inanimi, sed motu, vitaque præditi credendi sint? Ego vero, Antoni Doctissime, primum illud scire me, fateor, super natura Lati Lumbrici sententias circumferri potissimum duas, vel quod is vermis unus sit, vel quod series sit vermiculorum, catenatim inter se cohærentium: quarum sententiarum sicuti primam longe aliam esse, atque alteram, agnosco; ita longe aliud de hac quam de illa, & ipse sentio, & te arbitror sentire. De Lato igitur uno Verme plures quidem extant observationes; sed quæ partim ab ejusmodi Auctoribus habitæ sunt, quorum imperiti oculi superiorem uteri cervicem a vagina, & quæ sunt similia, discernere, nedum vermis unus sit, an plurimorum series, internoscere non valent; partim vero ita proponuntur, quantum ego quidem legi, & in præsentia memoria teneo, ut ex earum lectione id colligere necesse non sit quod ab earum Scriptoribus intenditur, eos & vermes, & vermes simplices, non vero pluribus coagmentatos, extitisse. Multa enim eorum quæ afferri solent, quamobrem & vermes, & vermes simplices fuisse videantur, cum per Lancisium ostenduntur vel polypo, vel intermistis etiam polypo vermiculis convenire, tum vero idem proclive est & de illis confirmare, & de aliis insuper ostendere quæ in rem eandem proferri possent: quo in numero præsertim sunt (2) sonitus natantis quasi piscis, & cauda aquam diverberantis, eminus quoque de ventre ægrorum exauditus, manu autem ventri imposita perceptus motus sicuti fœtus in utero concluſi, exeuntis denique Fasciæ, jamque adeo dimidii cubiti longitudine extra intestina propendentis, facta eodem unde prodierat, reversio, quod tamen factum quamvis Hippocrates indicaverit, vel potius quicunque ille fuit qui librum de Morbis quartum (3) conscripsit, Spigelius (4) quidem tradidisset constanter, vellem, non vero alibi ab se visum, alibi a quadam muliercula narratum. Earum itaque rerum causæ afferri tot possunt, & tam diversæ, sive intus concluſorum flatuum motui, sive motui inverso convulsorum intestinorum, sive demum cohærentium vermiculorum seriei id omne placeat assignari, nihil ut cogat vel vivum propterea, vel unum certe lumbricum agnoscere. Quod porro addit Spigelius (5) ejus Fasciæ partem acetario sumpto dejectam esse, itemque ab esu acetarii Fasciæ ejusdem frustra depelli annis insequentibus consueviſſe; id vero necesse non est factum dicere propterea quod acetum lumbricis, ut indicatum est a Majoribus, adversetur, cum acidi liquoris spicula, calore præsertim acta, & concitata, polyposa queant corpora perrumpere, atque dissolvere, quod commodum ab Lancisio in hac quam mitto, Dissertatione positum est.

4. Etsi vero ita ego sentio, Latos plerosque Lumbricos aut non veros, aut non simplices vermes existere; cave tamen credas, Vir Clarissime, fieri meo judicio non posse, ut Latus aliquis Lumbricus qui verus,

(1) Spigel. l. cit. (2) Idem ibid. c. 7. & 15. (3) n. 27.
(4) libro cit. Confert diligenter cum c. 17. caput 15. & 7. in primis. (5) Ibid. c. 15. & 14.

Digitized by Google

rus, idemque unus sit, inveniatur. Nam neque est quidquam quod me ita cogat existimare, & certos quosdam planos ac oblongos vermes aliquando in canibus adnotavi: quorum vermium quoniam te scio descriptionem expetere; hanc verbis quam potero pauciſſimis adscribam. Itaque intra canum intestina corpora observavi quædam, ex substantia flexili quidem, sed densa, & compacta, lævia, albida, exanguia, palmum circiter longa, digiti auricularis dimidium lata, crassa autem perparum, sed qua etiam parte latiora sunt, tenuia, plana, depressa. Sunt enim in medio latiora, utrinque autem magis magisque quo propiora extremis fiunt, extenuantur sic, ut in acumen quasi desinant. Lateris utriusque ora crebris est, ac paribus utrinque incisuris sulcata, relictis intervallis majoribus qua corpora latiora sunt, minoribus qua extenuantur, idque tam certa lege atque ordine, ut cum quodvis corpus plurimorum quasi triangulorum series esse videatur, quorum sit vertex singulorum proximæ singulorum basi commissus, quodvis certissime triangulum quanto majus est, tanto latiori corporum parti, quanto minus, tanto extremis sit propius. Quamobrem si per notam aliquam & vulgatam lumbricorum imaginem hæc velim corpora qualia sint, monstrare, & ob oculos ponere; non per aliam facere id aptius possim, ac per eam parvulam quam ex Cornelio Gemma Spigelius (1), ex Spigelio autem cum alia insuper imagine, rebusque perpluribus Sennertus (2) descripsit. Cum qua tamen imaguncula nolim putes ea corpora ex omni parte convenire, multo minus hæc seriem esse vermiculorum inter se cohærentium, aut esse denique non lumbricos, sed polypos. Nam neque uspiam mihi corpus quodquam tam esse unum visum est, quam hæc corpora visa sunt: & quamvis viva, & se moventia invenire adhuc non potuerim; plures tamen, æque graves, sunt causæ, quamobrem esse polypos, non existimem. Primum quod catellus in quo illa primo observavi, cum incredibili quadam siti, & fame correptus, iteratis demum subitis quibusdam paroxysmis, & veluti deliquiis (quæ sunt sane omnia inter vermium notas) peremptus esset; mihi illius viscera, & omne corpus quam potui diligenter scrutanti, præter ingentem eorum corporum in Tenuibus intestinis congeriem, aliud mali exhibuit nihil. Præterea constans ille ordo, atque certissimus, quo & incisuræ, & intervalla disponuntur, & in singulis corporibus peculiaris eadem conformatio non motui quidem intestinorum peristaltico, non interioribus eorum anfractibus, quemadmodum incerta, rudis, & pene informis Fasciarum plurium adumbratio, satis recte, si quid ego hic judico, assignari possent. Quæ enim certa, & constantia sunt, ea certam quoque, & constantem habeant causam, necesse est; causæ autem prolatæ duæ vel recrementis, præsertim durioribus, interlabentibus, vel polyposis aliis corporibus interjectis, dici non potest, quam crebro queant frustrari, & quam facile prohiberi, quo minus eadem lege, atque ordine describant & incisuras, & intervalla, & definitum versus corporum utrumque caput latitudinis decrementum, eaque non modo ab uno corporum latere, sed pariter, & convenienter ab utroque, non modo aliquot in corporibus, sed in universis, non modo uno in cane, sed in cunctis; nam certe in cunctis, quotquot scilicet ea corpora inesse vidi, consimillima observavi. Quibus omnibus de causis, aut ego quidem plurimum fallor, aut nihil vero propius est, quam quod ea corpora certa eadem, & præfinita ratione, qua lumbrici quoque cæteri, pronascantur.

5. Hæc ut rudia sint, & imperfecta, tamen quoniam tibi placuit ut haberes, morem gessi, & scriptitavi, eo quidem segnius, quo minus digna videbantur quæ in tuas manus pervenirent. Hæc enim (ut ad initium revertar) altera mihi causa extitit serius mittendi egregiam Lancisii Dissertationem, quacum scripseras scilicet, te super his rebus quas tecum Patavii locutus eram, longas a me litteras expectare. Tu primum da operam, ut valeas, deinde, ne Dissertationes laudatissimi Viri, ne tuas Vermium expectatissimas Observationes diutius publicæ invidere utilitati videaris.

D. Ven. Postrid. Kal. Sept. CIↃIↃCC VIII.

DE

(1) libro cit. (2) Pract. l. 3. P. 2. S. 1. c. 5.

Digitized by Google

DE ACU INTRA VESICAM INTRUSA, ET DE EXCRESCENTIA MEMBRANÆ ADIPOSÆ EPISTOLA.

Illuſtriſſimo atque Ampliſſimo Viro

D. D. LUCÆ SCHRÖCKIO

CESAREÆ NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIÆ PRÆSIDI MERITISSIMO

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

IMpoſitum nobis graviſſimum ex hac Prima Sede Anatomes tradendæ munus, non modo Novas Inſtitutiones Medicas, ſed ipſa quoque Adverſaria Anatomica altera, & quidquid ſcriptitare cœperamus, de manibus excuſſit. Hinc factum eſt, ut quamvis nuperrime per Melchiorem Otthum Scaphuſianum, & nunc item per Caſparem Mullerum Hamburgenſem, egregios Viros, meique amantiſſimos Auditores, quoſque adeo ambos, cum ille pro Syndico, hic autem pro Rectore, noſtro Gymnaſio præfuiſſent, manu mea Philoſophicis, & Medicis Inſignibus ornavi; ut quamvis, inquam, occaſio mihi oblata ſit aliquot ad te noſtras Obſervationes mittendi; ſeligendi tamen, ſcribendique tempus non habuerim. Attamen cum Mullerus, a quo tibi hæ reddentur Litteræ, aliique ex Inclyta hac mea Natione Germanica mihi in memoriam reduxerint Obſervationes duas, non ita pridem, nonnullis eorum inſpectantibus, a me habitas, atque ut has ſaltem ſcribam, hortati ſint; eas ex tempore huc adſcriptas habebis. Quas ſi æqui bonique facies, complures alias, cum plus otii dabitur, mittemus. Vale.

D. Patavii XVII. Kal. Aug. MDCCXVI.

OBSERVATIO

Acus intra veſicam intruſæ.

ANte hos duos annos Puella, tum primum pubeſcens, crinalem acum ex orichalco intra veſicam intruſerat. Hæc non, ut pleræque ſolent, commenta eſt, devoratam imprudenter acum eo deſcendiſſe, ſed quod erat, ſimpliciter faſſa eſt, incaſſum tamen, quia ſerius. Poſtea enim quam incredibili, præſertim in reddenda urina, dolore, & difficultate cruciata fuerat, tumor in altero Ilium acceſſerat, maturuerat, ruptus erat, jamque ſatis patentem fiſtulam reliquerat, per quam purulenta urina ita magis magiſque in dies ferebatur, ut demum fere nihil lotii de meatu urinario egrederetur. Itaque Puella extrema tabe conſumpta eſt.

Hæc

Digitized by Google

Hæc cum mihi, & Antonio Valliſnerio, Viro Clariſſimo, meique amiciſſimo, Puellæ Chrirurgus narraſſet, facile impetravit, ut ſibi Cadaver diſſecturo adeſſe vellemus. Diſciſſo abdomine cum nihil effuſi humoris in ventre appareret, ut veſica penitus in conſpectum daretur, juſſi, commiſſuram oſſium pubis diduci, & alterum ſpecillum per fiſtulam demitti, alterum per urethram ſubdi: utrique, & præſertim inferiori, quo minus veſicam ſubirent, prædurum corpus obſtabat. Quod, diſſecta veſica, grandem, & oblongum Calculum eſſe vidimus, hinc urethræ inhærentem eamque obſtruentem, inde veſicam, ut erat contracta, & ut videbatur, craſſefacta, propemodum opplentem. Nec tamen Calculo acus, ut ſolet, ſecundum longitudinem inerat; ſed eidem acumine, & tertia quaſi parte e tranſverſo infigebatur; reliquæ partes duæ cum præfixo capitulo intra fiſtulam, de qua ſupra dictum eſt, hiantem in latere veſicæ, deliteſcebant. Calculo exempto, animadverſum eſt, purulentam ſubeſſe materiam, hujuſque partem compreſſis viſceribus ſuperioribus in veſicam ex ureteribus defluere, ita dilatatis, ut Aortæ truncum facile æquarent. Eadem materia ureteres, eadem renes quoque redundantes diſſecando invenimus, & ſubnigro colore infectos, quo colore tum veſica, tum fiſtula intrinſecus fœdabantur.

Illud hic potiſſimum admirationem habere poteſt, quî factum ſit, ut cum altero acus extremo veſica pertundenda fuerit, non tenuiore, & acuminato, ſed craſſiore, atque adeo capitato pertuſa ſit. Crediderim, acum ad eumdem modum in hac Puella ſitam fuiſſe, ad quem in Dublinienſi illa, a Probyo curata (*), nimirum ut acumen ad os iſchium ſpectaret, quo oſſe obſtante, & renitente, capitulum per veſicæ ſe contrahentis latus, & proximi abdominis imam partem ſibi viam vi fecerit, eodem ferme loco, quo Probyus ad extrahendam acum ſectionem inſtituit. Quod ſi quis idem hic facere priuſquam accreviſſet calculus, aggreſſus eſſet, nullo is quidem negotio per ipſam fiſtulam acum educere potuiſſet; non facile tamen, ut opinor, Puellam ſervaſſet, cujus veſicam, ureteres, & Renes diutius, & ſæpius inter initia cohibitæ Urinæ copiam ea vi dilatando, diſtrahendoque laceraſſe, exiſtimo, ut ex illo tempore ſemper tabo, ac pure manaverint.

OBSERVATIO

Excreſcentiæ Membranæ Adipoſæ.

MUlieri quinquaginta, opinor, annos natæ, prægrandis tumor omoplatam dexteram occupabat. Is ante annos quatuordecim in ipſis communibus corporis integumentis ſine ulla manifeſta cauſa ex parvulo inceperat, & diu paulatimque ſic increverat, ut poſt abſciſſionem pondo librarum quaſi novem inventus ſit. Nec durus quidem erat, nec alio colore, ac reliquæ partes forent, niſi qua Venæ vehementer tumidæ ſub ipſa cute diſcurrebant. Quarum una cum noctu dirupta forte eſſet, magnam vim ſanguinis, dormiente Muliere profudit. Eo autem facilius dirupta eſt, quod proxima deorſum pendentis tumoris pars ima jam exulcerari ſponte cœperat. Cum igitur dolori, quo ad mediam tantum claviculam, tumore cutem deorſum trahente, fatigabatur, ulceris moleſtiæ, & puris, cujus defluxu minime tumor decreſcebat, graveolentia acceſſiſſent, Mulier Chirurgum, ut ſibi adjutrices manus præberet, exoravit. Hic vero cum non ignoraret fruſtra a quodam

ante

(*) Vide Tranſact. Angl. Menſ. Januar. 1700. pag. 455. vel Acta Erudit. Lipſ. A. 1701 Menſ. Maj. pag. 230.

Digitized by Google

ante aliquot annos eundem tumorem alte apertum fuiſſe, ne gutta quidem humoris effluente, totum ſibi tumorem ad ipſam baſim excidendum eſſe, facile intellexit. Qua re non minus caute, quam feliciter perfecta, non ita longo pro pro ſectionis amplitudine interjecto tempore, cicatricem induxit.

Cum ad me, qui abſciſſionis auctor fueram, tumorem detuliſſet, vix baſi inſpecta, quod ante conjectura præſagiveram, oculis ipſis uſurpavi: nihil tumore, niſi adipoſos ſacculos, comprehendi. Cute craſſefacta, cum ſubnexis Vaſis ſanguiferis, detracta, undique in conſpectum venere membranei ſacculi, digiti pollicis craſſitudine nonnihil inflexi, ſed tamen ſecundum tumoris longitudinem poſiti, cylindri figuram, magnam partem referentes, & ab incluſa pinguedine ex albo flaventes, quorum parietes vaſcula ſanguifera perreptabant. Eos Sacculos proclive erat reſolutis digito membraneis vinculis ſejungere, itemque ſingulos in plures alios minores diducere, hos autem denique in minimos, intra quos exiguæ, & innumeræ veſiculæ adipe diſtentæ, adhibito præſertim microſcopio, facile apparebant. Hæc erat omnis tumoris ſtructura. Cujus cum partem ſuppoſito igne liquari juſſiſſem, perpaucis membranis colando abjectis, ejusdem rationis adipem habuimus, cujus ex ſaniſſimi cujuſque hominis Adipoſa membrana habere ſolemus.

Hæc cum ita ſint; haud difficile eſt intelligere, hunc tumorem ab Adipoſæ membranæ Sacculis excitatum eſſe, primum cedente (quæcunque ea cauſa fuerit) cute; laxatis, deinde juvante ipſo, quo diſtrahebantur pondere, mirum in modum diſtentis. Neque huic *Excreſcentiæ Adipoſæ Membranæ* admodum diſſimilem (ſi duritiem excipias) tumorem illum fuiſſe, crediderim, quem Scapulæ alterius Mulieris innatum Blaſius deſcribit in Obſervationum Medicarum Rariorum Parte I. Obſerv. III. vel quem Jo: Philippus Ingraſſias in calce libri ſui de Tumoribus ſe, inquit, *in Scapulis dumtaxat ortum vidiſſe, nec vere carnem, ſed adipem in eo contentam inſpexiſſe*. Ego tamen memoria teneo, A. 1704. cum Bononiæ eſſem, ejuſdem generis, ac ſtructuræ tumorem vidiſſe, de nate Viri cujusdam a Cl. Valſalva exciſum. Figura is, & magnitudine pueri caput æquabat, nec lata quidem baſi, ſed arcto, ejusdemque tamen ſtructuræ petiolo cum Adipoſa membrana cohærebat.

DE CALCULIS FELLEIS EPISTOLA.

AD EUNDEM.

QUod munuſculum iſtud meum Tibi gratiſſimum fuiſſe, ſcribis, agnoſco tuam, Vir Ampliſſime, humanitatem, cum illa etiam ex meis Scriptis, quæ non a me quidem, ſed ab Amicis publica luce non indigna credita ſunt, minime contemnis, ſed qua ſoles benignitate excipis, eoque mihi animos addis ad nonnulla augenda, atque illuſtranda, quæ in duabus illis *Epiſtolis Anatomicis* edita fuerunt, ad Rem noſtram potiſſimum Naturalem, ac Medicam pertinentia; velut ea quæ in I. Epiſtola de calculis ſcripſi veſiculæ felleæ. Igitur ut præclarius intelligas, quanti referat id, quod monui, in experimentis circa ipſos capiundis non eſſe omittendum animadvertere, veteres ſint, an recentes; accipe quid ſemel, iterum, tertio acciderit mihi: inde enim patebit, non modo inter veteres, & recentes, ſed vel inter recentes, ac recentiſſimos magnum intercedere diſcrimen poſſe.

Ante hos duos annos III. Kal. Decembres in hujus Urbis Noſocomio Cadaver

Digitized by Google

Mulieris incidebamus egregii coloris, atque habitus quam ſexageſimum ferme annum agentem thoracis inflammatio ſuſtulerat. In fellea cyſti multo quam ſoleat, breviore, intra paucam, flavamque bilem lapilli inerant, minimum, triginta ſupra trecentos: ex quibus ſeptem & viginti majuſculi, ſic tamen ut maximus ſit infra Ciceris magnitudinem, reliqui minores, atque adeo plerique minimi. Majorum color is eſt qui ſaponis vilioris, cæterorum qui minus vilis, ut cum omnes ad ſubviridem inclinent colorem, eo magis ad atrum vergant, quo majores; eo magis ad pallidum, quo minores. Sed & quaſi unguinoſum quendam ceu confricati ſaponis lævorem, quantum in nullis aliis vidiſſe memini, ad hunc uſque diem retinent: ac bini, terni, quaterni, plures adhuc inter ſe leviter cohærentes ſpectantur. Quas ob res, aliaſque, ipſorum peculiares, non ita miratus ſum, quod vel tunc, bile adhuc madentes, vel paucis poſt diebus, vel tribus jam interpoſitis menſibus in aquam dejecti, continuo ad imum laberentur, neque inde ſe ſe attollerent. Menſe tamen fere jam quarto animadverti, ex majuſculis duos neque ſtatim, & multo tardiore motu a ſumma ad infimam aquæ partem delapſos. Anno exinde interjecto, placuit quinque ſeligere alios alia magnitudine, quos in aquam projicerem. Hi ſtatim ad fundum univerſi corruerunt. Inde protracti, cum poſt horas admodum duodeviginti idem tentarem, tres quidem, duo videlicet majores, & minimus confeſtim ſubſedere; ſed ex reliquis duobus, qui mediocri erant magnitudine, alter in ſummo pauliſper ſubſtitit, alter etiam paulo diutius, donec aqua digito commota protinus ad imum deſcendit, hos poſtremos ſingulos ſingulæ deorſum comitatæ ſunt bullulæ, quas eorum lateri adhærentes, vidi ex quo primum aquam tum attigerunt. Denique his ipſis diebus viſum eſt ex qualibet magnitudine alios in aquam projicere, alios nulla addita vi projectionis, leniter in ſumma aqua collocare. Ex his ne unus quidem inventus eſt qui deſcenderet; ſed omnes tandiu in eodem loco perſtiterunt, quamdiu ſicca fuit eorum ſuprema facies. Ubi vero digito depreſſos aqua ſemel operuerat, vel aquæ gutta, aut deſuper projecta, aut etiam ſine projectione admota ſupremam faciem attigerat, extemplo ad imum decidebant. Ex illis autem, quos in aquam dejeci, minimi omnes illico fundum petierunt, ſed majorum quidam poſteaquam aliquanto ſpatio deſcenderant, inde emiſſa bulla, cum hac ad ſummum recurrebant, mox vel ipſa evaneſcente, vel arcte ſemper cohærente ad fundum ruebant. Tunc etiam, ſi aquam manu in gyrum agerem, ita ut omnes dimoverentur, ex majoribus unus potiſſimum, cui paulo grandior bulla adhærebat, præ cæteris aſcendere nitebatur, & tardiſſime omnium ſubſidebat. Quæ ſi non cuncta, certe aliqua oſtendunt, eſſe inter veteres, ac recentes Calculos non leve diſcrimen poſſe.

Id vero manifeſtius cognoſces ex his, quæ protinus ſubjiciam. Nonnulli enim ex meis Diſcipulis ſuperiore anno XII. Kal. Januarii Virum diſſecantes nequaquam ictericum, ſed ob fractam cervicem femoris ante duos menſes in idem Noſocomium delatum, ibique ex ſuperveniente catarrho mortuum, cum in veſicula ipſius fellea, craſſioribus tunicis compacta, calculos quatuor deprehendiſſent, non ita parvos, eoſque prorſus nigricantes, niſi quod aliquot in locis, unde extima abſceſſiſſe quam tenuiſſima lamella videbatur, medius inter viridem & cæruleum, quem in aliis calculis vidiſſe non memini, apparebat color, cumque ad me domum poſtridie attuliſſent, integros duos, jam ruptos reliquos, ego vero illico in plenam aquæ pelvim jeciſſem; tunc quidem ſine mora ad fundum omnes collapſi ſunt. Verum menſibus inde vix tribus, cum integri illi duo forte ſub manum rediiſſent, eoſque in aquam conjeciſſem; eodem illo veſtigio temporis ſe in ſummum ambo reſtituerunt, ibidemque ad duodecimam horæ partem conſtiterunt: quo ſpatio bullulis emiſſis pluribus, tandem in imo ſubſederunt. Non eſt meæ fidei diſſimulare, inde tum extractos, horiſque interjectis fere viginti in aquam iterum projectos, quamvis nihilo tardius ſe in ſupremum locum retulerint, in hoc tamen longe brevio-

Digitized by Google

viore, immo quam breviſſimo tempore ſubſtitiſſe. Verum illud eſt attendendum, cum in hoc quoque experimento & priuſquam fundum peterent, & dum peterent, bullas edidiſſent, mox de aqua protractos altas utrumque fiſſuras oſtendiſſe, ab altero etiam fragmentum abſceſſiſſe; at quantumvis ſine ullo efferveſcentiæ ſonitu, idem utrique accidiſſe videretur, quod lapidibus in calcem excoctis, cum in aquam dejiciuntur. Quod multo evidentius nuper fuit, cum eum videlicet qui unus reſtabat utcunque integer, ad alia, atque alia experimenta adhiberem. Nam cum ſummæ aquæ ita impoſuiſſem, ut facie qua fiſſus erat, aquam non attingeret, cumque ibi tandiu perſtitiſſet, donec re ſatis ſpectata, totum ipſe digito mergerem, ac tum demum ſubſediſſet, mox autem extractus, & vel aquæ ad eumdem modum impoſitus, vel poſtquam extrinſecus madorem abſterſeram, in illam projectus, ſemper ſine mora deſcendiſſet, bullaſque ex ima ad ſummam aquam emergentes dediſſet; animadverti in omnibus jam faciebus fiſſuras tot novas, ut qui antea paulo etiam rudiorem attrectationem ferebat, jam jamque ad levem attactum in fragmenta abiturus, ut reapſe mox abiit, videretur.

Sed poſtremo loco eam, Vir Clariſſime, obſervationem adſcribam, ex qua conſtet, quantum vel recentes calculi poſſint ab recentiſſimis differre. Anno eodem XVI. Kal. Aprilis in ſæpe memorato Noſocomio fœminam ſecabamus annos aliquot natam ſupra ſexageſimum. Ne hæc quidem, regio erat infecta morbo, neque undecim totos quos ibi egerat, dies ulla alia fuerat de re conqueſta, niſi de gravi capitis ictu, ob quem ipſum ex hac vita migravit. Cum ea quæ in *I. Epiſtola Anatomica*, cum aliis de rebus, tum præſertim de jecinore, ejuſque veſicula tradita erant, nova (id quod ſæpe fecimus) demonſtratione confirmaremus; in eadem veſicula, bile ſemiplena, quæ vivida quaſi auri pigmenti flavedine quæcunque attingeret inficiebat, lapillos invenimus decem alios aliis minores, ſed omnes ſic ſatis magnos: qui ibi continuo in aquam projecti, extemplo ad fundum univerſi deciderunt, in eoque permanſerunt. Neque id nobis permirum accidit, quippe qui ſingularem quendam in ipſis colorem ſpectabamus (qualem etiamnum oſtendunt, ubi quis eorum ſuperficiem madefaciat) ſubnigrum videlicet, aureis hic illic maculis, lineiſque diſtinctum, atque ita eleganter ſplendidum, ut nihil magis, quam res peculiari artificio pictas, & vernice, ut vocant, Sinarum perlitas repræſentarent. Illud potius mirum fuit, quod poſtridie ejus diei cum amplius non maderent variumque illum (niſi quod minime ſplendent) referrent colorem, quem in tegumentis videmus librorum, quos ita uti apud Gallos ſolent, compingunt, in aquam conjecti, nonnulli quidem non ſecus ac pridie, in imo manſerunt, plerique autem e veſtigio ad ſummum redierunt: neque tantum ibi conſiſtebant, verum etiam quantumvis manu ad imum compellerem, ſtatim atque amovebam manum, ſupremum locum repetebant: eoque id magis mirum erat, quod inter eos, qui innatabant, & qui ſubſidebant, nullum ſeu coloris, ſeu figuræ animadverti diſcrimen poterat, ſed ne magnitudinis quidem, cum in utriſque majores, minoreſque promiſcue conſpicerentur. Proximis diebus idem experiri non vacavit, donec poſt ſeptimum jam diem cum forte periculum facerem, ne unum quidem inveni calculum qui ad fundum uſque deſcenderet, ſed univerſi e medio ipſo deſcenſu victa projectionis vi, ſeſe in ſummum referebant: neque manu cogi poterant ut ſub aqua diutius eſſent, quam manus ipſa, qua ſublata, illico in priſtinum locum ſe agebant. Eadem anno poſt toto, eadem his ipſis diebus quotieſcunque experiri placuit, ſpectavi. Ex his calculis egredi bullas nunquam videram, cum diligentius, ac propius attendens in iis quæ anno exacto, & quæ noviſſime cepi, experimentis, longe plurimas, ſed viſum ob parvitatem ferme effugientes bullulas animadverti, calculorum ſuperficiei quæ ſub aqua natabat, adhærentes, interque has, nonnullas aliquanto majores. Quas tamen cum omnes abſterſiſſem, ſic ut nulla amplius bullula iterum mergendo conſpiceretur; non minus quam antea, in ſumma aqua perſtabant calculi, neque minus prompte,

Digitized by Google

cum manu deprimerentur, eodem redibant. Visum tunc est eos omnes seu flavescentes, seu plumbeos, seu fuscos, seu demum nigros, quos in *I. Epistola* commemoravimus, in aquam projicere. Et omnes quidem in summum ut semper alias, se se illico restituerunt, ibidemque permanserunt; bullas tamen non omnes, sed aliqui dumtaxat, easque longe pauciſſimas sibi adhærentes ostenderunt. Quæ etsi leviora videri possunt, tamen nolui prætermittere, si cuipiam forte pertinere existimarentur, vel ad causas cur alii aliis calculis facilius, aut difficilius innatent, vel ad singulorum structuras, & augescendi rationes penitus indagandas.

Has vero ipsas ob causas quidquid in propositis generibus tribus sive extrinsecus, sive intrinsecus spectando, sive ad flammam admovendo observavi, reticendum esse, non puto, præsertim cum in hoc quoque experimento nonnulla aliter in recentibus, aliter in antiquis observaverim. Igitur de tot Calculis ne unus quidem formam habuit regularem, neque ad ovalem, aut ad sphæricam accessit, sed magna pars ad eam potius, quam in *Epistola* indicavi; immo ex minimis illis primi generis, quos fuisse plurimos, scripsi, plerique nil magis referunt, quam communis salis particulas, sic, ut non longe abesse a cubi, nedum a cuboidis figura videantur. Ex iisdem minimis, ut plures inter se leviter, cohærentes vidi, ita quærere placuit nuper, an forte arctius conjuncti majusculos illos, quos una reperi, composuissent: quæ res ad calculorum generationem, aut certe incrementum intelligendum prodesset. Verum majusculis dissectis, nulla ejusmodi compositionis vestigia deprehendi; quin immo hunc certum vidi structuræ modum, ut sub perpetuo, firmoque cortice obscurioris coloris, stratum succederet flavum, ipsum quoque perpetuum, nisi quod ex innumeris constabat, ac confertissimis lineolis, centrum versus contendentibus, quod denique non durius aliquod corpusculum, sed nucleus non ita parvus occupabat ex concreta bile, quæ flavo quidem illo strato obscurior, non cortice erat, cortice autem mollior. Quod si lapilli majusculi nihil nisi minimi fuissent inter se nexi; eam certe quam descripsi structuram, hic illic interruptam vidissem faciebus, ac duro cortice minimorum: quem videlicet cum secarem, satis crassum pro mole inveni, & facile; ut siccatus humor oculi crystallinus solet; in lamellas circumjectas nucleo dissilientem; nucleum autem ipsum propter parvitatem non licuit, nisi subobscure conspicere, neque flavum illud ex lineolis stratum agnoscere. Quæ tamen cum in aliis pluribus præclare viderim, ut in III. etiam *Adversariis* (1) indicatum est, immo in iis quoque calculis quam luculentissime pateant quos supra tertio loco proposui; illis enim amplissimum id stratum est, oblongisque lineolis ab alba corticis lamina quæ extimæ subest ad nucleum usque biliosum pertinet, qualem in iis *Adversariis* descripsi; profecto ob hanc, aliasque præterea causas haud alienum est a veri similitudine, easdem fortasse ne in minimis quidem calculis omnino deesse, præsertim cum in iis, quos inter majusculos, & minimos media magnitudine inveni, calculis biliosus jam sese nucleus satis ostendat, nonnullis hic illic quasi punctis distinctus splendentibus, quibus ut majusculi, & tertii generis calculi secus atque illi quos in *Adversariis* commemoravi, suos quisque nucleos habent distinctos. Huc illud addendum est, me in aliis omnibus, si nigros excipias, quos ad hanc diem secui, cystis felleæ calculis, biliosum nucleum, singulorum moli respondentem, invenisse minorem in parvis, in grandioribus magnum, in mediis inter utrosque mediocrem, eumque (id quod magnopere est attendendum) molliorem, dum recentior esset, ac plane humidum.

Quæ omnia vereor, ne quem forte illuc impellant, ut cogitet, per cortices, quantumvis impervii videantur, bilis fortasse particulis satis patentes, atque adeo per eadem, illa aut alia eorum non absimilia, unde aer in bullas prodit, foramina novam usque, & usque bilem grandescente calculo, sese immittere, ac corticem

(1) Animadverſ. 28.

Digitized by Google

cem primum, deinde inter lineolas illas trajectam, has quoque deinceps, noviſſime in centrum corrivatam, nucleum etiam ipſum, eodem univerſa tempore, in dies augere: neque enim fortaſſe corticis firmitatem, ac duritiem vel minimis in calculis deprehenſam, vetare, quominus hic novis ſe ſe inſinuantibus, ipſumque augentibus bilis particulis dilatetur, nucleoque magis, magiſque augeſcenti locum det, quando puerorum quoque, & adoleſcentum oſſa non teneriora illo ſunt, & novis tamen intruſis offeis additamentis ita laminas diſtendunt ſuas, ut creſcenti in dies medullæ ampliorem intra ſe cavеam parent. Hæc etſi mihi, nihil hic, niſi quæ vidi, affirmanti, neque refutare, neque probare neceſſe eſt; hoc tamen dicam, mea quidem ſcripta ipſa per ſe ſatis indicio eſſe, me ex quo primum in felleis calculis laminas laminis circumjectas adnotavi, in eam opinionem veniſſe, has extrinſecus aliam poſt aliam ſuperinduci ab adhærentibus in dies novis ex bile particulis nucleo videlicet primum, laminis deinceps ſingulis, ut quælibet a nucleo ad ſuperficiem ex ordine conſequuntur: quam augeſcendi rationem ea nimirum indicabat, quæ, ut tute ſcis, Vir Doctiſſime, non abſimilis iis in calculis apparet, qui in aliis animantium cavis, ac nominatim ventriculo, veſicaque urinaria, circum vel herbæ cauliculum, vel intruſam, relictamque acum, aut turundam, aut aliud ejuſmodi lamellatim concrevere. Ab hac opinione etſi non ſum temere diſceſſurus; non tamen facile adduci poſſum, ut credam, cum intra hos ferme triginta annos tot calculos viderim e tot veſiculis felleis, ſive meis, ſive Amicorum manibus exemptos; fuiſſe omnes recens genitos, antiquum nullum: vel ſi alii antiqui fuerint, alii novi, neque ſint perviæ humori lamellæ ſingulæ, nec recentibus incrementis dilatabiles; non quærendum eſſe, quæ cauſa igitur alia ſit, qua nucleus in novis pariter, & antiquis calculis, mollis, atque adeo humidus conſervetur, & quare iis nucleis, qui magni ſint, plures pro rata portione, craſſioreſve laminæ accreſcant, iis vero pauciores, tenujoreſve qui parvi. Quod quidem an repetendum ex eo ſit, quod grandeſcentibus fortaſſe calculis lamellæ hic illic diffringantur (ut certe in majoribus non paucis, fere ad extimum uſque corticem diffractas vidi, concreta bile, qualis in nucleo eſt interſtitia fracturarum opplente) lamellæ autem diffractæ & bili vias ad augendum nucleum, & huic locum ad creſcendum amplificent, atque ea lamellarum infractio an bilis ipſius effectus ſit ſe ſe prius per lamellarum foraminula inſinuantis, & augere nucleum nitentis; non ante auſim conſtituere, quam occaſionem nactus ſim, ſæpius, ut ſoleo, in multis aliis præterea calculis, & grandioribus præſertim, quam quos ad hoc tempus inciderim, has omnes, aliaſque inſuper obſervationes iterandi, & quid conſtans, quid frequentius, quid rarius ſit, animadvertendi.

Nunc vero; ut illuc jam redeam unde videor divertiſſe, etſi paulo ante nigros calculos excepi, non ideo feci, quod non iiſdem ferme rationibus hos creſcere exiſtimem, ſed quod nucleum contineant, qui habitu, & colore minus evidenter bilioſus eſſe videatur: Nam ut alios olim, ita hos etiam quatuor, de quibus ſupra dictum eſt, ſub nigro cortice nihil niſi materiam complecti video raram, ac friabilem, ipſoque cortice in his ſaltem quatuor nigriorem, nonnulliſque hic illic punctis ſplendentibus diſtinctam. Quam una cum cortice recentem adhuc cum ad flammam appoſuiſſem, ardere quidem, & levius crepitare, ſed neque ſcintillare, neque in guttas liquari, neque flammam ſervare, & quod pennæ combuſtæ olent, redolere, animadverti: quæ ad eundem modum omnia his quoque diebus comperi, niſi quod concepta flamma, quam breviſſimum tamen ad tempus, ſervabatur. Ex iis autem calculis, quos primo loco deſcripſi, eadem hodieque & majores, & mediocres, & minimi obſervanda præbent, quæ unus ex majoribus olim præbuit, cum vix e veſicula extractus, a me flammæ eſſet admotus. Scilicet crebro cum crepitu ſcintillas edunt, reſinoſum haud ingratum odorem effundunt, toti in guttas colliqueſcunt; flammam tamen non concipiunt, neque in flamma ipſa ardent; quod in nullis aliis cyſtis felleæ calculis, non re-

Digitized by Google

recentibus præsertim, ad hoc tempus observavi. Nam eorum quos tertio loco proposui, fragmentum memini postridie quam de vesicula educti fuerant, quamvis ad flammam crepitando scintillaret, in guttasque, ingrato cum odore, liquefieret, flammam tamen eo quidem tempore non concepisse. Verum cum hæc scriberem, quælibet illius ejusdem calculi fragmenta alia, cum reliqua omnia, de quibus modo dixi, ad eundem adhuc modum præstarent, non tantum flammam concepere-runt, sed præclarissimam, si quod aliud unquam, & ad finem usque constantissimam aluerunt.

Quæ si omnia perpendere, & conferre inter se voluerimus; nimirum magis, magisque apparebit, usque adeo verum esse quod in *I. Epistola* (1) scripsimus, sub consimili calculorum facie, & colore dissimilem posse compositionem latere, ut hanc uni iidemque calculi spatio temporis interdum mutent. Sive enim aqueis particulis magna ex parte evanescentibus, sive alia id nova internaque causa ferente, nigri illi certe aliquanto, hi autem postremi longe magis idonei facti sunt tempore ad alendam flammam, eademque ratione minus etiam facti sunt graves, ut nigri sic satis diu, hi postremi semper in ejus aquæ summo innataverint, cujus olim continuo ad fundum ruebant. Hoc autem posito, minus mirum est, illos contra, quos primo loco descripsimus, vel longiore interjecto spatio in aquam projectos, non æque innatare potuisse, cum flammam alere nunquam potuerint: quam certe nondum vidimus ab ullo calculo non servari, quem constanter in aqua natare videremus.

At cum sint tamen innumeræ compositiones ut morbosæ bilis, sic calculorum, qui ex ea gignuntur; nihil facile de hisce in universum pronunciabimus: sed quod ad hanc diem fecimus, id porro facere pergemus, ut quidquid in singulis observaverimus, hoc satis sit nobis cum aliis communicare, sperantes, fore ut sic ipsi, eorumque natura magis, magisque dignoscantur, neque Medicis, qui hæc norint, accidat, ut ob unum, aut alterum, quod nonnunquam forte desit, nec diu fortasse defuturum, indicium, quantumvis maxime celebratum, bilioſos aliquos, dejectos ex alvo calculos, temere negent esse bilioſos; sed cæteras, idcirco a nobis semper adjectas, attendant notas, & nimis præceps judicium cohibeant. Hanc si spem nostram haud prorsus inanem Tu, Vir Sapientissime, esse censueris; tum hæc in medium proferre poteris: sin autem; apud Te premes, neque minus me tamen amabis, & valebis.

D. Patavii Idibus Decembris CIↃ IↃCC XXVIII.

(1) n. 43.

DE

DE VENÆ CAVÆ VARICIBUS EPISTOLA.

ERUDITISSIMO VIRO

ANTONIO COCCHIO

MEDICO EXPERIENTISSIMO

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

UTinam is eſſem, Vir Doctiſſime, quem Tu pro ſingulari Tua humanitate facile putas, ut triſte Tibi, ac bonis omnibus Conſultiſſimi Lanciſii deſiderium meis poſſem reſponſis lenire. Haud equidem inficias iverim, me in quærendis per Anatomen ut bonæ, ita etiam adverſæ valetudinis cauſis non levem ab ineuntem ætate operam poſuiſſe. Veruntamen hic noſter mediocris uſus neque eſt cum longa Experientiſſimi Viri exercitatione comparandus, & ſi vel maxime eſſet, non ea tamen nobis incredibilis vis ingenii, non ea ſumma eruditio, non denique tot alia ſuppetunt quæ ille ad habitas ab ſe obſervationes in abditis retruſiſque rebus veſtigandis adjungebat. Quæ ſane omnia, ſi qua alia, certe a te propoſita diſquiſitio poſtulat, atque adeo flagitat. Cavæ namque venæ penitiſſime latent, & cum dilatantur, eæ facile affectiones vel anteceſſere, vel (quod tu egregie obſervaſti) ſubſequuntur, ut minime omnibus proclive judicem ipſam illarum dilatationem aut in ægrotantibus per propria ac peculiaria ſigna ab reliquis internoſcere, aut in denatis inter tot alia, quæ Anatomici oculos, manuſque morantur, vitia animadvertere.

Quamobrem factum eſſe, exiſtimo, ut quamvis morbus iſte fortaſſe rarus adeo non ſit; perraræ tamen ejuſdem Obſervationes legantur: quæ cum præterea non ea diligentia qua opus eſſet, conſcriptæ ſint; vix nobis uſui eſſe poſſunt. Quo magis in tantis tenebris tuos, Vir Eruditiſſime, præclaros conatus admiror, atque commendo, auctorque ſum, ut obſervando, meditandoque rem tandiu obſcuram magis magiſque illuſtrare pergas. Fructum ſane capies iſtius operæ non contemnendum. Cum enim homines plerique in gulam, cæteraſque voluptates multo ſint brutis animantibus propenſiores, magniſque præterea curis, animique affectibus obnoxii; quas videlicet ob cauſas ſanguifera vaſa tum multo, & erodente ſanguine opplent, tum eodem ſæpius remorante diſtendunt; neque tamen circum extremos venarum Cavarum truncos tam validum circumvolutum habeant muſculum, quam bruta nonnulla, in quibus rubicundi inſigniſque ſphincteris inſtar eſſe, obſervavi; nihil hercules facilius fieri videtur poſſe, quam ut trunci illi, ad quos quidem (ut recte animadverſum abs te eſt) effœtus, crudiſque adhuc, & craſſioribus ſuccis onuſtus ſanguis appellit, in magnos interdum varices dilatentur. Quos ſi Medici perſanare nequeant; at eos ut dignoſcere ſaltem, & diutius a ruptione per inſtitutam, quoad licet, phlebotomiam, per blanda, & in his vulneraria, medicamenta, per aptamque in primis victus rationem tueri poſſint, maximopere optandum eſt.

Vides igitur, Experientiſſime Cocchi, quantæ ſuſceptum a te laborem utilitati fore, cenſeam, quantoque propterea opere

Digitized by Google

re a te petam, ut quod egregie incepisti, præclare absolvas. Mihi sane, quod me potissimum selegeris quicum tua ista optima studia communicares, gratissimum fuit: idque ut intelligas, omni erga te officio omni tempore curabo. Vale, & me, quod facis, ama.

D. Patavii Postridie Kal. Julias CIↃ IↃCC XX.

DE VESICÆ CALCULIS A FR. JACOBO BEAULIEU PATAVII EXSECTIS, ET DE CASU CORNELIÆ BANDIÆ EPISTOLA.

Clarissimo Regiæ Parisiensis Academiæ Scientiarum Sodali

SALVATORI MORANDO

Joannes Baptista Morgagnus S. P. D.

CUpienti mihi quacunque in re possim, præstare me gratum non modo universis, sed etiam singulis Regiæ istius Academiæ Sodalibus, nihil facere jucundius potuit Petrus Antonius Michelottus Medicus Doctissimus, meique amantissimus, quam mihi per litteras significare quæ Tu, Vir Clarissime, scire averes de vesicæ calculis, Patavii exsectis a Jacobo Beaulieu, quotnam videlicet, ac quo exitu, atque id genus alia. Proclive est mihi ex parte aliqua in re hac, utinam æque in cæteris, satisfacere. Memoria enim teneo, cum Venetiis essem anno 1708. venisse illuc Patavio Dominicum Gulielminum, quocum Præstantissimo Viro magna mihi erat amicitia, eumque in sermonibus, ut fit, narrasse, reliquisse se graviter ex vesicæ calculo ægrotantem Variscum Zambellium Patricium Venetum, affecta ætate hominem, febricitantem, attritis viribus, eoque corporis habitu, ut Thomas Alghisius, nobilis ea tempestate apud Florentinos Lithotomus, curari posse, desperasset. Alghisio autem domum reverso, advenisse nuper ex Insubria Eremitam quendam Gallum, qui desperatam ab Alghisio curationem se suscepturum promitteret. Num, inquam, ille est Eremita de quo Doctos Homines alios aliter scribentes legimus, nimirum hinc Joannem Meryum in peculiaribus Observationibus, inde vero Mauritium Reverhorstium in Epistola quæ apud Ruyschium inter Problematicas est XIV.? Qui hæc non secus atque ego, perlegisset, facile rediit in memoriam Gulielminus, pollicitusque est, si is esset quem suspicarer, ubi Patavium rediisset (raditurus autem erat postridie) me continuo certiorem facturum. Quid quæris? Is ipse erat. Quo diligentius quid ageret, & quo exitu ageret, inquirendum existimavimus. Nam etsi Zambellii Consanguinei, Amicique quis esset edocti, multoque etiam magis Medici vehementer timebant; contra Æger, dolorum, & vigiliarum pertæsus, animum obfirmaverat, ut Eremitæ manibus se se committeret. Curationis exitum, qui longe felicissimus fuit, probe memini. Cætera quæ tunc Gulielminus ad me scripsit, & coram postea confirmavit, longa dies facit, ne pariter queam singillatim meminisse.

Aloysius tamen Martinius, quo Zambellius Pharmacopola utebatur, cum sectioni interfuerit, & quæ Eremitæ medicamenta suppeditaverit, adscripto quibusque die, ex officinæ suæ libris præclare sciat, priusquam hæc ad te scriberem, a me diligenter interrogatus, pro certo affirmavit, Eremitam neque Ægrum vinxisse, neque dolore ullo, qui animadversione dignus esset,

Digitized by Google

esset, crucialse, nisi cum antequam secaret, catheterem in vesicam demisit. Sulcatus hic esset, an non, haud potest meminisse. Sed horum meminisse se, dicit, ad medium potius, & recta, quam ab latere, & oblique sectionem factam majori scalpello ancipiti, & magna ex parte fasciola obducto, secundum catheteris ductum adhibito: ex eaque sectione vix aliquid sanguinis effluxisse: tum forcipe immissa, arreptum lapidem cito, nec sine vi quadam, fuisse extractum, magnum, & cui firmiter caruncula quædam adhærebat: tamen intra quindecim circiter a sectione dies vulnus ad cicatricem fuisse perductum, neque Ægrum amplius, quo ad vixit (vixit autem ad quinquennium) molestiæ, aut incommodi quidquam ad vesicam esse passum; sed longe alio morbi genere decessisse. Quæ ut magis mireris; scias, supra sexagesimum annum fuisse natum cum ei calculus exsectus est, colorem autem vulneris (id quod ad me Gulielminum scripsisse, memini) primis diebus ad lividum inclinasse, magno cum omnium metu.

Si forte quæ remedia adhibita sint, quæris; accipe fideliter descripta ab die quo sectio instituta est, qui dies fuit X. Kal. Junias ad diem usque earundem Kalendarum; neque enim postea quidquam a Pharmacopola petitum est: quæ res ipsa curationis celeritatem confirmat. Sic igitur ejus libri habent.

Die 23. *Maji An.* 1708. *Ungu. rosat. Mesues* ℔j. *Terebinthinæ Ven.* ℔j. *Boli Armen. Orient. p. p.* ℥j. 5. *Spir. vin. rectif.* ʒx.

Die 24. *Ol. hyperic.* ʒij.

Die 25. *Cerati Diachyl.* ʒjjj. *Aloes, & Myrrhæ pulveris.* ʒiv. *Spir. vin. rectif.* ʒx.

Die 27. *Cerati Gratiæ Dei* ʒvj. *Ol. hyper.* ʒviij. *Terebinth. Ven.* ʒviij. *Aloes, & Myrrhæ pulveris.* ʒvj. *Ungu. ros. Mes.* ℔j.

Die 30. *Myrrhæ pulveris.* ʒj. 5. *Aloes pulveris.* ʒj.

Die 31. *Cerati Diachyl.* ʒiv.

Die 1. *Jun. Cerati Diachyl.* ʒiij.

Quibus remediis Eremitam ad vulnus quoque usum credo pauperis pueri circiter septennis, quem biduo post Zambellium in hujus ædibus eadem omnino ratione secuisse, & mediocri educto calculo, pari felicitate persanasse, & tunc audivi, & idem qui huic quoque alteri sectioni interfuit, Pharmacopola confirmavit.

Præter has duas, aliam nullam, quod sciam, in hac, aliisve proximis habuit Urbibus, ut in quibus credo ob certam vinorum, & aquarum naturam rarius calculo homines laborant: quæ etiam causa fortasse fuit, cur cito hinc Eremita discesserit. Habes de ipso quæcunque scio.

Est vicissim quod scire, ipse ex te velim. Thomas Bartholinus in primum Actorum Hafnienſium Volumen quandam conjecit Observationem sub num. CXVIII. de fœmina Parisiensi, quæ ex spiritus vini abusu *flammam* ipsa per se *conceperit*, ex qua *tota in fumum, & cineres abierit, excepto cranio, & digitorum extremis*. Quod ego quidem eo difficilius credebam, quod is cujus verbis illud Bartholinus retulit, Matthæus Jacobæus proniór ad credulitatem videbatur, cum vel eas legebam quæ sub ipsius nomine proximæ præcedunt, Observationes. Sed quoniam Eruditi ex nostratibus Viri, qui Corneliæ Bandiæ, Cæsenatis Matronæ, nuperum casum a primo incredibilem, re autem vera justius, ut videtur, non ita dissimilem, vulgatis Opusculis explicare sunt conati, ista Jacobæi Observatione, quasi certissimo exemplo altero nituntur; quam gratissimum mihi feceris, si forte istic aliqua vestrates casus memoria supereſt, quidquid veri de ipso inveneris (quod tuo commodo quærere poteris) rescribendo (*). Nam aut verus fuit, aut ab iis qui Jacobæo narrarunt, confictus. Conficti novum mihi argumentum erit, si Docti omnes apud Vos Homines ignoraverint; neque enim simile veri est, rarissimum, ne dicam incredibilem, ejusmodi casum in Litteratissima Civitate accidisse, & neminem animad-

(*) *Et mensibus aliquot interjectis, diserte rescripsit, ab se tum gallicos libros pervolutando, tum Eruditissimos Viros interrogando frustra esse quæsitum, & nihil prorsus quod Jacobæi astipularetur, invenire usquam potuisse.*

Digitized by Google

versione dignum, & quod consequitur, litterarum monumento aliquo censuisse. Si contra verus; minus hunc nostrum, quem ut verum fuisse, inter omnes constat, sic quæ causa effecerit, non constat; minus, inquam, hunc nostrum mirabor, quando absoletior factus fuero, jam pridem apud Vos quoque non multarum horarum spatio incogniti cujusdam ignis vi mulieris corpus ferme totum, atque adeo ipsa ossa in cinerem fuisse conversa. Vale, Vir Clarissime, & meis verbis Sodales omnes. Præstantissimos avere jube.

D. Patavii postridie Kalendas Januarias CIↃ IↃCC XXXII.

Cum hæc scripsissem; forte accepi, Eremitam in hoc Nosocomio Chirurgis junioribus exsecandi calculi rationem in cadavere virili ostendisse. Ex eorum qui interfuerunt, numero spectatus nunc Chirurgus Philotheus Thomasius, a me interrogatus, affirmat, sulcatum catheterem immisisse, & secundum hujus sulci ductum rectam, & valde oblongam sectionem cultello non ancipiti peregisse. Quam antequam inchoaret, cutem alterius lateris perinæi in medium vi protraxisse, & in sic protracta sectionem instituisse ita; ut postea remissa cute, & in suum locum redeunte, vulneris orificium fere sesquidigiti intervallo a medio perinæo distaret. Hoc quoque volui ne nescires. Iterum Vale.

IN LOCUM VITRUVII MEDICUM EPISTOLA.

JO. BAPTISTA MORGAGNUS

S. P. D.

ORNATISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO MARCHIONI

JOANNI POLENO

MATHESEOS PROFESSORI CELEBERRIMO.

Mittis ad me, Vir Clarissime, M. Vitruvii locum ex Libro I. *de Architectura* Cap. VI. in quo postquam plateas & angiportus improbavit ventorum flatibus ita patentes, ut apud multos, & Mitylenæos nominatim, animadvertendat, tum nonnullis interjectis, hæc subjicit, ut ab Iocundo quidem edita habemus: *Vitia autem sunt, quæ difficulter curantur, in regionibus quæ sunt supra scripta, hæc, gravitudo, arthretis, tussis, pleuritis, phthisis, sanguinis ejectio, & cætera, quæ non de tractionibus, sed adjectionibus curantur.* Qua de lectione quid mihi videatur, quæris eo diligentius, quod aliter scripta plerorumque istorum vitiorum nomina in principe editione, atque adeo in codicibus calamo exaratis legisti. Ego vero ut obsequar voluntati tuæ, quo nihil mihi esse potest jucundius, illud primum censeo, in quatuor postremis nominibus, unum modo, idque manifestum, typographi quidem esse erratum, quod *tuscis* pro *tussis* descripsit. Sic etiam quod editio princeps habet *pleuresis*, *thisis*, codices autem *tiphisis*; nimirum evidentius est, quam ut cuiquam, non modo tibi Viro Eruditissimo, ostendi debeat, hæc indoctis atque oscitantibus librariis accepta esse referenda, sive *phthisis* cum Iocundo, sive *ptysis*, de

quo

Digitized by Google

quo mox videbimus, ſcribendum credas.

II. Verum ut in poſtremis nominibus locundum probo, aut certe non improbo; ſic contra vereor, ne cum *arthretis* reſcripſit, quantum a veſtigiis codicum, primæque editionis, tantum a Vitruvii ſententia receſſerit. Quid enim *arthretis*, ſive, ut ſcribere voluit, *arthritis* loci habeat inter vitia iſta cætera, ad thoracem, pulmones, aſperam arteriam, & proximam, ad ſummum, pituitariam membranam attinentia, eademque ſæpe inter ſe adeo connexa, ut Cœlius Aurelianus libro *Morborum Chronicorum* II. (1) *influxioni* ex ordine ſubjiciat *Tuſſiculam*, *Sanguinis fluorem*, & *Phthiſicam Paſſionem*? Influxionis autem nomine & *coryzam*, & *branchon*, & πτύσιν complectitur, hoc eſt & gravedinem, & raucitatem, & ad pulmones factam defluxionem; cum Aretæus (2) quidem πτύσιος nomine *ſpuitionem* acceperit, ut ſanguinis, guttatim, aut non ex partibus ſaltem quæ infra os ſunt, erumpentis: nam ſi ex his erumperet; tum ἀναγωγὴ, id eſt *rejectio* vocabatur. Quam ſanguinis ejectionem cum Vitruvius diſerte memoret; a veriſimilitudine non abhorret, ptyſin quoque, hoc eſt ejus exſpuitionem memoraviſſe, aut; ſi hanc vocem, ut Aurelianus, intelligas; ad pulmones factam defluxionem. Utravis certe non modo ante ſanguinis ejectionem melius ponitur, quam phthiſis; ſed præterea ejuſmodi eſt, ut in certis quibuſdam *regionibus difficulter curetur*; nam phthiſis, vel inter initia, utique in omnibus difficulter curatur: quamquam in iis multo difficilius quas Vitruvius deſcribit. Cave autem credas, ſi phthiſin ſcripſit, inveteratam confirmatamque deſignaviſſe; quis enim, aut qua in regione curaret? Sed quamvis illis in civitatibus ea vitia *ideo difficulter medicari*, dixerit; *primum quod ex frigoribus concipiuntur: deinde quod defectis morbo viribus eorum, aer agitatus ex ventorum agitationibus extenuatur, unaque a vitioſis corporibus detrahit ſuccum, & efficit ea exiliora*; tamen defectas vires intellige non a phthiſi, ſed ab alio aliquo cæterorum morborum, qui, ut fit, & ſua ipſe enumeratione indicat, phthiſis initium anteverterit, diuque ægros maceraverit. Sane priores illos morbos quam non recentes intelligat, illud argumento eſt, quod eos, id eſt ipſam quoque pleuritidem, *non detractionibus* ait, *ſed adjectionibus curari*.

III. Cæterum ſive *ptyſis* reſcribas, ſive *phthiſis* cum Iocundo retineas; utralibet vox quam iſtum in locum conveniat, vides. Contra, articularis morbus, ſive ut Is edidit, *arthretis* neque ita convenit, & a vulgata ante ipſum ſcriptura diſcrepat. Nam princeps editio ſic habebat: *gravitudo arteriarum, ac tuſſis*; codices vero alii quidem: *gravitudo arteriace, taſſis*: alii *gravitudo arteriaca tuſſis*. Erat autem *arteriace*, ſic ſine alio quopiam nomine poſitum, recentioribus quidem Medicis, arteriæ medicamentum, ut Galenus docet initio libri VII. *de compoſitione medicamentorum localium*, quo in libro plurimas ejuſmodi *Arteriacas* deſcribit: eaque ſignificatione ab latinis quoque Rei Medicæ Scriptoribus *Arteriace* uſurpata eſt, ut apud Scribonium (3), Celſum (4), Plinium (5), Marcellum (6) videmus. Quo quidem modo cum in propoſito Vitruvii loco non poſſe accipi, conſtet; quærendum eſſet, an pro raucitate poſſet, quo intellectu mirifice conveniret, ſi modo exemplum aliquod idonei Auctoris haberemus qui ſic accepiſſet. Verum ne *Arteriacon* quidem ſic a Paulo abſolute, ut ajunt, poſitum credo; tametſi Proſper Alpinus (7) Vir cæteroquin doctiſſimus id videatur ſignificare. *Si humor diſtillans ex capite* (*Paulo auctore*) *in nares decumbat, aſſectum facit, qui Græcis κόρυζα, & Latinis gravedo dicitur: ſi in fauces & palatum, Græcis κατάρρον, & noſtris deſtillationem vocatam inducit: ſi guttur & aſperam arteriam, ut etiam membranam interiorem, quæ hanc integit, exaſperaverit, βράγχον*, inquit, *& ἀφωνίαν Græcis itidem vocatum, atque Latinis vocis raucitatem:*

(1) Cap. 7. (2) De Cauſ. & Sign. Acut. Morb. l. 2. c. 2. (3) Compoſit. Medic. 74. & 75. (4) De Medicina l. 5. c. 25. n. 17. (5) Natur. Hiſt. l. 20. c. 19. & l. 33. c. 7. (6) De Medicam. c. 14. (7) De Medicina Method. l. 10. c. 12.

Digitized by Google

tatem: *demum si in asperam arteriam, & in pulmones fluxio irruat, tussim excitat.* Favere utique Alpino videtur Andernacus, qui illa Pauli verba ex libro VII. *de Re Medica* cap. XXVIII. latine sic reddidit: *rauca vox efficitur, vocaturque malum Græce βράγχον, & ἀρτηριακὸν, Latinis raucitas.* Janus tamen Cornarius, qui suam Pauli interpretationem post Andernacum emisit, sic potius credidit interpretanda: *raucosa vox fit, & raucedo, & arteriaca affectio appellatur.* Ac certe Joannes Gorræus (1), & Joannes item Scapula (2), cum hunc eundem uterque locum ex Paulo indicent (hujus enim græco exemplari; cum hæc ad te continuo referiberem, carebam) neuter; sine adjuncto nomine appellativo; ἀρτηριακὸν, sed ambo pariter ad hunc modum scribunt ἀρτηριακὸν πάθος.

IV. Igitur si *arteriace*, aut *arteriaca* per se arteriæ asperæ affectionem non significat, sed aut medicinam, aut indefinite rem quampiam, ad arteriam hanc attinentem; illud sequitur ut videamus, an cum alterutra earum vocum conjuncta, quas inter in Vitruvii loco posita est, commodam possit significationem habere. Et primum, si legamus *arteriaca tussis*, aut *arteriacæ tusses*; erit sententia haud aliena ab iis quæ olim quoque de tussis discriminibus Medici non ignorabant. Nam & tussire quibus a jecore aqua inter cutem incepit, animadvertit Hippocrates (3). Galenus autem (4), id repetendum esse, duxit ab *jecoris mole incidente præcordiis*, ac *faciente angustiam in pulmone*, & nonnulli fuerunt, eodem testante Galeno (5), qui *lumbricos intestinorum, cum ad ostiolum ventriculi repentes, ipsum mordeant, aridas tusses excitare*, dicerent; ut vel hinc pateat, non omnino accipienda esse quæ ab Ettmüllero (6), multæ alioquin lectionis Viro, scripta sunt, negante, *de Tussi ex stomacho orta ullum Practicorum aliquid habere, præter Lindanum.* Sed hæc alias; nunc vero quod dicere institueram, cum veteres etiam Medicos, ex iis aliisque ejusmodi locis appareat, quasdam cognovisse tusses, quarum præcipua causa in arteria aspera non esset; apparet simul, quarum causam in illa arteria potissimum esse constaret, eas vero arteriacas tusses, ut ab hepaticis, stomachicisque, atque aliis ejuscemodi distinguerentur, vocari potuisse.

V. Quod si tibi hæc forte paulo subtiliora quam pro captu, non Medici, sed Architecti, esse videantur; age *gravitudo arteriaca* lege, aut potius quod ipsa habet princeps editio, *gravitudo arteriarum*, id est gravedo asperæ arteriæ. *Solent* enim, id quod Turnebus (7) admonuit, *& Latini quædam efferre interdum non insciti rusticoque sermone numero multitudinis, quæ frequentius singularia sunt, ut* arterias *pro* arteria aspera *dicunt*, non tam, ut aliquis videtur credere, quia reapse plures sunt, cum mox truncus dividatur in ramos, quam quia sic ipsi amant loqui, ut cum M. Cato (8), quem etiam Turnebus produxit, *si lienes*, inquit, *turgent, & si cor dolet, & si jecur.* Sed Latinos *arterias*, pro *arteria aspera* dixisse, prolatis Plinii locis ostenderem, ut puta cum scripsit (9): mentam *arterias humidas siccare, siccas astringere*, nisi idem Turnebus occupasset productis ex Tranquillo (10), & ex eo quem duodecim in versibus quater sic locutum animadverti, Auctore ad Herennium (11) hisce: *astante Phonasco, qui moneret, parceret arteriis*: & *ictus fit, & vulnerantur arteriæ acuta atque attenuata nimis acclamatione.* Gravitudo autem idem, opinor, Vitruvio fuit quod gravedo, qui pariter cum acredinem fortasse & salsedinem dicere potuisset, maluisse videtur dicere (12) *acritudinem*, & (13) *salsitudinem*, quorum hoc deinde Plinio in isto ipso capite quo de menta verba fecit, illud vero placuit A. Gellio eo in loco quem mox producemus. Porro gravedinem non modo absolute dictam invenio, ut apud Celsum (14), atque adeo apud optimos Scriptores latinos, verum etiam *gravedinem ca-*

(1) Defin. Med. ad Ἀρτηριακὸν. (2) Lexic. Græc. Lat. (3) Prognost. n. 8. (4) Comment. 2. in Progn. n. 3. (5) Comment. in l. 6. Epid. Sect. 2. n. 17. (6) Prax. l. 1. Sect. 14. c. 3. art. 3. (7) Adversar. l. 10. c. 19. (8) De Re Rust. c. 157. n. 7. (9) Nat. Hist. l. 20. c. 14. (10) In Neron. c. 25. (11) L. 3. (12) L. 8. c. 3. (13) L. 1. c. 5. (14) De Medicina l. 4. c. 2. n. 4. & alibi.

Digitized by Google

capitis, *gravedines oris*, *gravedinem ventris* apud Marcellum (1) quidem, & iis in locis ubi nonnunquam ſenſum potius, ut fere apud Aurelianum (2), ponderis cujuſdam ſignificare videatur, non tamen ſemper; ut mirum admodum non eſſet, ſi arteriarum quoque gravitudinem, id eſt aſperæ arteriæ gravedinem Vitruvius ſcripſiſſet.

VI. Quod ſi hac ſententia non ſcripſit; alterutrum relinquitur, ut aut alia ſcripſerit, aut aliam vocem. Quanam autem alia gravitudinem ſignificatione dixerit, quam gravitatis? Hoc enim licuiſſe indicat A. Gellius (3). *Sicut*, inquit, *nihil quicquam intereſt*, *ſuavitudo dicas*, *an ſuavitas*, *ſanctitudo*, *an ſanctitas*, *acerbitudo*, *an acerbitas*, *acritudo*, *an* (*quod Accius in Neoptolemo ſcripſit*) *acritas*: *ita nihil rationis dici poteſt*, *qui neceſſitudo & neceſſitas ſeparentur*. Et ſane Apicius (4) *gravitudinem* dixiſſe videtur pro *gravitate*, cum rationem docuit qua *ſine ructu*, *& gravitudine teneriores ſentiantur* cucumeres, qui aliter, ut Plinius (5) ait, *vivunt hauſti in ſtomacho in poſterum diem*, *nec perfici queunt*. Attamen ut perſæpe de ſtomachi, aut capitis, interdum vero & de pectoris, ſive pulmonum gravitate ægrotantes queri audias; ita aut perraro, aut nunquam audies, legeſve de ipſius arteriæ aſperæ gravitate querentes. Quid, inquiet aliquis, ſi totius corporis gravitatem intelligamus? Minime id vero. Hæc enim inter ſigna potius futuræ ægrotationis a Medicis, & nominatim a Galeno (6), quam inter ægrotationes ipſa numeratur: aut ſi ægrotatio eſt; non ita diuturna eſt, nec difficilis curatu: denique a Galeno eodem (7) inter eas corporis affectiones refertur quæ vacuatione indigent. Vitruvius autem, ut ſupra memoratum eſt, ſermonem iſtic habet de morbis qui & *difficulter*, nec *detractionibus*, *ſed adjectionibus curantur*. Huc illud accedit quod ſi *gravitudo* pro totius corporis gravitate accipiatur; non amplius apparet, quid voce illa proxima faciamus *arteriace*, aut *arteriarum*.

VII. Igitur ad illud alterum redeundum eſt, ut quæramus, num forte non *gravitudo*, ſed vox alia quæpiam a Vitruvio poſita ſit, quam librarii depravarint. Petrus Victorius (8) cum *gravidinoſos* pro *gravedinoſos* apud Nonium, ut etiam in ſcriptis libris melioribus M. Tullii, in Catulli autem, *gravido* pro *gravedo* animadvertiſſet; *videtur*, inquit, *gravido dicta eſſe*, *ut libido*, *formido*, *cupido*. Quod ſi ita eſt, ſique etiam Vitruvius non *gravedo*, ſcripſit, ſed *gravido*; intelligis, quam proclive librariis fuerit, quid *gravido* eſſet, non aſſequentibus, reponere *gravitudo*.

VIII. Aut ſi neque hoc, neque omnino id totum placet *gravedo arteriarum*; videamus tandem, an ex iſta codicum, primæque editionis ſcriptura; *hæc*: *gravitudo arteriacæ*, aut *arteriarum*, extundi aliquid poſſit quod minus diſpliceat. Quid igitur, ſi ita legamus: *hæc*: *raucitudo arteriæ*, aut *arteriarum*? Quid, ſi: *hæc*: *ravitudo*, nulla propemodum ſcripturæ mutatione, eademque tamen ſententia? *Ravim* enim, ut Feſtus (9) eſt auctor, *dicebant pro raucitate*, *unde & verbum ravio*: quo Plautus in *Pœnulo* (10) uſus eſt: & *ravus* etiam, ut Barthius (11) in Sidonio interpretatur *ravos cantus*. Idem Barthius in Eligii verbis: *linguam meam raviditatis ligatam nexibus abſolvet*, legendum conjiciebat *raviditatis*: quanquam verum fortaſſe fuit *tarditatis*, præſertim cum illa antecedant: *more infantium balbutientium quaſi imperfecta verba formare*. Itaque, ut ad propoſitum redeam, *ravitudo arteriæ* idem Vitruvio eſſet quod Scribonio (12) *raucitas arteriæ*; ſi modo illam vocem *ravitudo* probare auderes ſine idonei Scriptores auctoritate: quanquam ut *mollire* habemus, & *mollitudo*: *parire* (nam & ſic Veteres, atque in iis Ennius, declinabant (13) & *paritudo*, ſic non eſt adeo fortaſſe abſonum, ut cum Plautinum verbum extet *ravire*, *ravitudo* quoque dici potuiſſe videatur: aut ſiquis malit, derivari a *molli*

(1) De Medicam. c. 1. 14. & 16. (2) Acutor. Morb. l. 2. c. 24. l. 3. c. 20. & Chronicor. l. 2. c. 14. l. 5. c. 10. (3) Noct. Attic. l. 13. c. 3. (4) De Re Culin. l. 3. c. 4. (5) Nat. Hiſt. l. 19. c. 5. (6) Art. Medicin. c. 82. (7) De curandi rat. per ſangu. miſſ. c. 4. (8) Var. Lect. l. 4. c. 8. (9) De verbor. veter. ſignific. l. 16. (10) Act. 3. Sc. 5. (11) Adverſar. l. 29. c. 4. (12) Compoſ. Med. 74. (13) Apud Priſcian. de octo partib. orat. l. 108.

Digitized by Google

molli mollitudinem, non secus atque a *gravi gravitudinem*, vel certe ab *ampli amplitudinem*, a *magni magnitudinem*; idem pariter ab *ravi* poterit *ravitudinem* derivare.

VIIII. Sed dum tibi, Vir Doctissime, obsequi studeo, jam satis pro mediocritate hac mea in omnem partem videor propositum Vitruvii locum versasse. Tu singula acerrimo examinabis judicio tuo. Ego, siquid forte in his inveneris quod non omnino displiceat, gaudebo. Vale, & me, ut amas, ama.

D. Forolivii Kalendis Sextilibus CIↃ IↃCC XXXVII.

DE IIS QUÆ A VALSALVA IN BONONIENSI ACADEMIA INSTITUTI SCIENTIARUM RECITATA FUERANT AD CELEBERRIMUM AC PRÆSTANTISSIMUM VIRUM A SECRETIS ACADEMIÆ EJUSDEM EPISTOLA.

Joannes Baptista Morgagnus Francisco Mariæ Zanotto Suo S. P. D.

QUod & recens vestrum (nec sane id primum) perhonorificum de me judicium, & Valsalvam nostrum observantia, ac potius pietas flagitabant, diligenter feci, mi Zanotte, ut mihi a vobis commissa præclarissimi Viri Scripta perlegerem, & cum cæteris ejus schedis, cumque iis, quæ ipse in hominum, bestiarumque dissectionibus observata habeo, semel, atque iterum, ac sæpius conferrem. Id facienti haud una causa visa est, quamobrem ea scripta nec sine aliis ejusdem schedis, nec sine multis adnotationibus, nec sine expolitione aliqua divulganda esse, existimarem. Quæ quoniam res quantum temporis & singulæ, & universæ postulent, vides; intelligis nimirum id unum restare, ut illud alterum interea conficiam mandatum vestrum, ut quæ nunc perficere scripta non possum, eorum saltem brevem quamdam, & contractam epitomen ad vos mittam, quam in actis edatis.

Tres omnino sunt Dissertationes, quas apud vos habuit Valsalva. Prima in partes quatuor est distributa. Quarum cum prior ligamentorum coli intestini numerum, fines, naturam, usus persequatur; hæc autem aliorum etiam Anatomicorum, meaque præsertim opera satis hoc tempore vulgata sint; protinus ad alteram partem transeo, qua; ut in reliquis; minus adhuc nota describuntur, *sinus* videlicet, *arteriæ magnæ*.

Hoc nomine Valsalva appellat certas quasdam illius arteriæ partes, quibus in partibus extrorsum magis ejus parietes curvari animadvertit. Hæ quatuor sunt. Tres in ipso arteriæ initio, singulæ singulis semilunaribus valvulis, quibus fere oportæ sunt, respondentes. Quarta his major, in toto illo tractu est, qui inter supremos priorum fines, & commune initium dexterarum arteriarum subclaviæ ac carotidis intercedit.

Tertio loco ea proposuit, quibus trahebatur ad suspicandum, nervos, quos cæteri credunt, & vocant *a spinali medulla ad par vagum Accessorios*, esse, & vocari oportere, *a parvi vago ad medullam spinalem Recurrentes*. Illa autem sunt ab his petita, quæ ad eorum nervorum utrosque fines conspexit: hinc videlicet continuatos esse cum pari vago; illinc vero eos esse ultimarum eorum propaginum (si cum ortis ex medulla nervis conferantur) naturam, figuram, insertiones, ut hæ propagines rami potius, quam radices, esse videantur.

Novissime docet, eos, qui intra oculorum orbitam sunt musculos, omnes; si minorem obliquum demas; interiore extremo nervo optico sic affigi, ut non modo in ipsum inserantur, sed præterea suis inter se junctis, ac circumductis fibris anulum efforment, quo arcte eumdem nervum cir-

Digitized by Google

circumcirca complectantur. Eum *anulum* vocat, *nervi optici moderatorem*: ut alterum *nervi oculorum motorii anulum moderatorem* appellat; videlicet: qui ab nonnullis ex iis musculis factus huic alteri est nervo circumjectus; quamquam luculento structuræ modo non est cum priore anulo comparandus.

Alteram Dissertationem de quibusdam oculorum affectionibus scripsit & secundum, & præter naturam, sed potissimum præter naturam. Primum quidem expositi, quæ sibi viderentur causæ, cur ii de quibus modo dictum est, musculi sic nervo optico sint affixi. Cum enim exteriores fibras recta in ipsum inferant nervum, hujus, inquit, longitudinem contracti minuent, remissi augebunt, atque ita ipsum vel laxabunt, vel tendent, motumque spirituum vel languidiorem, segnioremque, vel contra vehementiorem efficient, & celeriorem. Cumque interioribus fibris, quasi anulo quodam non modo tendineo, sed etiam carneo eumdem nervum arcte comprehendant; ut anulo modo constricto, modo relaxato nervum magis, minusve compriment, sic minor, majorve Spirituum copia in nobilissimam irruet oculi tunicam. Quam etsi retinam appellant, fibris tamen non in retis modum implicitis, sed radiorum instar a centro ad ambitum discurrentibus docet esse compactam. Pro varia autem illa Spirituum affluentia variam quoque esse retinæ tensionem, & hanc variis conspiciendarum rerum conditionibus accommodari oportere existimat.

Quod si anulus nervi optici moderator communibus cæterorum musculorum morbis tenetur, ut puta resolutione, aut distentione; gravia inde in retinam vitia provenire, non dubitat, in his amaurosim, & rerum, quæ nusquam sunt, quasi ante oculos obversarentur, perceptionem. Utriusque exemplum, & a distentione quidem, haberi censet in duabus, quas producit, observationibus.

Hinc eo transit, ut judicium interponat suum in celebri controversia de natura, ac sede ejus suffusionis, quæ vulgo acu deprimi solet. Negat, se ullam unquam potuisse dissecando invenire membranam, quæ pupillæ opponeretur. Præterea, si ejusmodi membrana suffusio esset; neque ita facile, nec sine vehementi dolore, nec sine magna oculi ipsius læsione acu deprimi posse, contendit, propterea quia iridi, ac ciliaribus adhæret processibus: Sed & illud incommodi ut plurimum consequi oportere, ut brevi iterum renascereturn, ad eumdem videlicet modum, quo renasci membraneas cæteras *excrescentias* videmus, quarum omnes fibras proximis partibus adhærentes penitus exstirpare non liceat. Denique haud satis intelligi, cur suffusionis maturitas esset a Chirurgo expectanda, nam certe membrana quo plus temporis daretur, eo durior, atque compactior fieret, ac minus facile acui cederet.

Contra autem si humorem crystallinum morbosum factum suffusionem esse statuas; proclive esse intelligere, quanti referat maturitatem expectare. Nam ut alia morbosa facta atque inutilia ipsa denique natura a sano separat, sic illum humorem omnino inutilem redditum, suis tandem nexibus ita solvere, ut acu facillime, tutissimeque dejici queat. Nimirum sibi in ejusmodi oculorum dissectione aliquando accidisse, ut ad levem contrectationem crystallinus humor secederet. Minimo quoque negotio secessisse, cum oculum vel recte se habentem aliquot dies in aqua macerasset. Quæ cum ita sint; ipse quidem sicuti in curatione auctor est, non modo ut maturitas expectetur, sed ut pluribus ante depressionem diebus subinde oculos emolliente aliquo latice foveatur, sic in suffusionis sede constituenda cum iis facit, qui in crystallino humore omnino esse ponendam, censuerunt, præsertim cum suæ quoque observationes cum his, quæ illi deprehenderunt consentiant. Scilicet in viro, cui suffusio levissima adhuc erat, nihil aliud vitii comperit, nisi levissimam humoris utriusque crystallini cum flavo colore opacitatem conjunctam. In altero autem, cui dexteri oculi suffusio satis deprimi non potuerat, eumdem humorem invenit a superiore tantum parte solutum, opacum, & pallescentis margaritæ colore, nullum autem in oculo sinistro, in quo cum suffusio nullo pacto deprimi potuisset, acu fuerat dirupta, hoc quidem exitu, ut sinister oculus haud prorsus inutilis tandem

fieret

Digitized by Google

fieret, quippe dirupto, dimotoque, ut potuit, humore illo opaco; contra oculo dextero, in quo is dimotus non fuerat, omnino inutili. Quoniam autem in hujus viri oculo dextero, & in prioris utroque humorem cryſtallinum opacum quidem, & hoc vel illo colore infectum, duriorem tamen non invenit, propterea ut in ejus opacitate, alienoque colore *ſuffuſionem*, ſic in duritie cum colore glauco, & opacitate conjuncta *glaucoma* eſſe ponendum, exiſtimabat.

Denique in tertia Diſſertatione conatus eſt rem diu ab omnibus Anatomicis fruſtra optatam, perquiſitamque, videlicet *Renum ſuccenturiatorum excretorios ductus*, horum finem, & quod conſequitur, illorum *uſum* retegere. In multis igitur avium generibus, ſed luculentius in gallo tum gallinaceo, tum indico reperiſſe ſe, ait, ſingula, quæ ſemen deferunt vaſa ante e ſingulis renibus ſuccenturiatis, quam e ſingulis teſtibus enaſci. In vipera autem, & fluviali teſtudine eos eſſe inter eosdem renes, & teſtes nexus membraneos, ut veriſimile ſit, per hos ſimilia decurrere vaſcula ab illis renibus exorta. Sed & olim in virili quodam grandiore Cadavere, vidiſſe ſe; & præſtantiſſimum Medicum Hippolytum Franciſcum Albertinum propagines quasdam a ſæpius memoratis renibus ad teſtes demiſſas, quæ neque nerveæ, neque ſanguiferæ, neque lymphaticæ, ſed potius alius cujusdam naturæ eſſe canales videbantur. Et hæc quidem in Maribus.

In eorum vero, quæ ſupra commemoravi, animantium, & murium fœminis non modo connexa inter ſe ovaria, & renes ſuccenturiatos ſe comperiſſe, verum inſuper, nexus hoſce in gallinis quidem, fluvialibus teſtudinibus, ac muribus inſtar filamentorum, propaginum, vel corporum vaſiformium vidiſſe. Itaque cenſere ſe, renes ſuccenturiatos inter generationis organa eſſe referendos. Huc autem pertinere tum quæ de lumborum, & naturalium conſenſu a Medicis ſunt adnotata, tum habitum a ſe olim in Cane experimentum. Huic enim paucis ob ortu menſibus cum hinc teſtem dexterum, inde vero ſiniſtrum renem exſecuiſſet, aptamque vulnerum curationem adhibuiſſet; laxum ſemper corporis habitum fuiſſe; neque unquam catellas iniiſſe, ſed ne catullientibus quidem blanditum eſſe animadvertit. Nimirum ut a dextris evulſus teſtis, ſic a ſiniſtris ren ſuccenturiatus, aut cum rene exſectus, aut certe in nervis, vel ſanguiferis, aut excretoriis ductibus læſus, ut putabat, ſterilitatem attulerat.

Hactenus, mi Suaviſſime, ac Doctiſſime Zanotte, priori parti ſatisfeci epiſtolæ tuæ. Nunc illud reſtat ut porro alteri ſatisfaciam, in qua amantiſſimis, & honorificentiſſimis æque ac in priore, verbis oſtendis, quam gratum vobis futurum ſit, huic ſi epitomæ Diſſertationum Valſalvæ quidpiam addam de meo, quod pariter actorum veſtrorum libro inſeratis. Ego vero, niſi totus in eo eſſem, ut quidquid temporis a publicis, privatiſque occupationibus eripio, id omne in Valſalvæ noſtri pene innumeris, ut noſti, iisdemque cum inter ſe maxime disjunctis, tum ſæpe mancis, & perobſcuris ſchedis ſeligendis, digerendis, expoliendis, illuſtrandis collocarem; libentiſſime darem operam, ut tantæ iſti, ac tam benignæ voluntati veſtræ ſi minus doctrina, atque ingenio, at ſtudio certe, & diligentia, quibus quidquid poſſum, ſi quid tamen poſſum, me debere, fateor, reſponderem. Quod ſi hoc erga amicum mortuum ſupremum officium, aut minus eſſet per ſe honeſtum, aut non vobis quoque gratiſſimum, aut non plures, quantum animo proſpicio, annos me eſſet occupaturum; ſane vel ipſum intermittere, vel eo abſoluto, vobis ſatisfacere tamen poſſem. Verum cum hæc omnia contra ſe habeant, neque aliud aut nunc inchoare, aut brevi polliceri mihi liceat; neceſſe eſt, ut quam olim, atque adeo peradoleſcens de pluribus Uvulæ & pharyngis muſculis ad Valſalvam epiſtolam ſcripſi, hanc (neque enim aliud iſtiuſmodi in præſens habeo) ad vos mittam, vel potius remittam. Hæc enim illa ipſa epiſtola eſt, quam cum prima Adverſaria apud vos recitarem, quam cum altera, quam cum tertia ſcriberem, commemoravi, quam ſæpe a me haud pauci Anatomici cum Itali, tum externi requiſiverunt, quam Valſalva unus habebat, &, ſi ſua perficere potuiſſet, cum ipſis erat editurus, quam denique, eo vi-

ta

Digitized by Google

ta functo, mox inter ejus schedas diligenter quæsitam invenit vir egregius Faustus Stagnius J. C. Sororis ipsius filius, ac Joanni Antonio Stancario rei medicæ, atque anatomicæ professori consultissimo utriusque, ut ego petieram, subscripto nomine tradidit ad me mittendam. Eam ipsam igitur, qualiscumque est, ad vos remitto, quam cum vestris actis divulgetis; si tamen idem vobis de ea videbitur, ac Valsalvæ videbatur. Hoc unum te oro, ut omnes, quicumque eam epistolam, aut hanc epitomen lecturi sunt, etiam, atque etiam moneas, si qua in alterutra, aut in utraque forte videantur vel non satis perspicua, vel non satis absoluta, ne statim nos arguant, sed judicium in illud usque tempus sustineant, cum universa Valsalvæ Scripta, meis aucta neque paucis, neque brevibus adnotationibus, edentur. Sunt enim, & vero, ut probabimus, jam diu sunt, quæ ipsi per nos addamus, sunt quæ illustremus, sunt quæ in medio relinquamus, sunt etiam quæ revocemus. Quod reliquum est, abs te, mi Zanotte, majorem in modum peto, ut præclarissimis, doctissimisque Sodalibus, quantas maximas potes meo nomine gratias agas, & cum tibi persuadeas, me ipsis, tibique pro istis vestris erga me singularibus studiis obstrictissimum fore, dum vivam, tum omnibus confirmes, si meam observantiam, pietatemque constantissimam ad hunc diem perspectam habent, ut paria, aut eo ampliora in reliquum tempus officia expectent. Vale.

D. Patavii VIII. Kalendas Februar. M DCC XXIV.

MORGAGNI EXPERIMENTA CIRCA AQUAM CALCIS VIVÆ

ut Volumine I. Commentariorum de Bononiensi Scientiarum Academia referuntur a Cel. Viro Francisco Maria Zanotto.

LEgerat Morgagnus commentarium Burleti, qui extat in Parisiensis Academiæ actis anni millesimi septingentesimi, ubi Burletus tradit, aquam calcis vivæ lacti admixtam, impedire, ne lac coaguletur. Animadverterat pariter, Ettmüllerum editionis Venetæ novissimæ, ubi de lapide calcario agit, contra sic scribere: aquam calcis vivæ lacti infusam brevi post hoc ipsum coagulare, atque ad grumescentiam disponere. Placuit ergo ei in hac tanta ejusmodi hominum dissensione rem ad experimenta revocare; præsertim quia Burletus summopere ægris commendat aquæ calcis potionem, quæ cum lactis æquali pondere commixta sit. Immo in his ipsis, in quorum stomacho periculum est ne lac cogatur, caveri id docet, si lac eidem aquæ admixtum propinetur.

Itaque anno millesimo septingentisimo sexto mense Januario aquam calcis sibi diligenter parari jussit, voluitque ut calx in aqua communi horas ad viginti relinqueretur, eaque esset harum proportio, quam Burletus aliquando, Batavi fere semper sequuntur; ut quater aqua, aut quinquies calcem pondere superaret. Triginta post diebus cyathos tres sumpsit: in uno aquæ, quam dixi, pauxillum justæ vaccini lactis, ejusque recentis, portioni adjecit, in altero pares ex utroque partes commiscuit, in tertio denique lac merum conferendi postmodum gratia adservavit. Hos cyathos horas tres ipsas immotos, atque in temperato aere tenuit. Post singulos invertit leniter, si quid grumefactum haberent: immo vel nullum prorsus discrimen observatum est, vel si quod est observatum, id certe fuit, quod cum Burleto maxime faceret; quippe illud lac liquidius visum est, cui aqua calcis, & potissimum cui plus aquæ calcis admixtum fuerat. Cum id experimentum Morgagnus cepisset in ea, quam dixi, aquæ & calcis proportione,

Digitized by Google

ne, voluit idem rursus capere etiam in proportione alia. Pridie ejus diei, cum experimentum quod diximus, sumtum est, aquam calcis parari jusserat ea proportione, ut septies aquæ pondus calcem superaret, hanc namque proportionem ut plurimum Burletus tenet. Cum ergo hanc aquam haberet in manibus, protinus in uno cyatho æquas hujus lactis portiones commiscuit, in altero unam lactis, & binas aquæ. Cumque experimentum eodem modo, ut ante feciſſet; res pariter cessit eodem modo.

Non his contentus Morgagnus, quoniam experimenta hæc sumserat in liquoribus, ut erant, frigidis, constituit periculum facere etiam in tepidis. Aquam ergo calcis utrumque genus cum paribus lactis portionibus tepidam cum tepido admiscuit. Post unam & dimidiam horam cyathos invertens leviter, labentes inde liquores diligenter inspexit. Idem qui ante, exitus. Nec vero cum mixta hæc singula in suos quæque cyathos post rursum invertisset, discrimen in his ullum intra quatuor, immo neque intra duodeviginti horas animadvertere licuit Laurentio Bonazzolio præstanti Anatomico, & Physico diligentissimo, apud quem tum adolescentem, sibique amicissimum, experimenta hæc omnia Morgagnus ceperat.

Videbantur hæc vel diligenti cuivis Philosopho posse satisfacere. Sed ut morosi sunt docti homines, & ipsi sibi permolesti; Morgagno non satisfaciebant, nisi experimentum sumsisset etiam in aqua calcis eo modo parata, quem Ettmüllerus uno in loco proponit, ubi aquam calcis describens, fieri eam dicit per calcis decoctionem. Paucis ergo interpositis diebus, calce in communi aqua, eousque decocta, dum hæc, quæ septupla affusa erat, quintupla fere evasisset; post horas circiter vigintiquatuor recentis vaccini lactis, & aquæ hujus portiones æquas in una ampulla, in altera ejusdem aquæ unam, lactis quatuor partes commiscuit. Idem fuit qui ante exitus. Namque cum has ampullas in temperato aere collocasset, & horas fere quatuor immotas tenuisset; nullum coagulum observatum est, immo ne octo quidem ipsis post horis mutatio ulla facta, observantibus id præter Bonazzolium, duobus etiam Academicis aliis, qui pro singulari necessitudine assidue cum Morgagno erant, Heraclito Manfredio, & Beccario.

Morgagnum utique non fugit varium calcis, & aquæ, & lactis genus, & variam pariter miscendorum proportionem, nec non & ipsum diversum aerem in causa esse posse, ut alia aliis observentur; sed quis est tamen, qui in illorum, quæ diximus, experimentorum constantia tenere se possit, quin de Ettmülleri sententia nonnihil dubitans, ad Burletum potius inclinetur? Cui cum Morgagno, ut cæteris de rebus convenit, sic etiam de aquæ calcis sapore, quem, singulas, quas adhibuit, aquas Morgagnus gustans, primo acrem invenit, tum stypticum, postremo dulcem, quemadmodum Burletus ipse tradiderat.

Non hic illud prætermittam, quod gustanti Morgagno accidit, quodque ne ipse quidem in eo sermone quem super hac re in Academia habuit, censuit prætermittendum; nam quamvis primum nullius fere momenti videatur, si diligenter tamen consideretur, erit re ipsa non inutile. Cum primo digitum in aquam immersum, uti fit, ad eam gustandum ori admoviſſet, atque linxisset; nullum, aut ferme nullum saporem sensit, sic ut aquam dilutam nimis atque inertem paratam esse, judicaverit. Sed cum negarent qui præparaverant, in suspicionem verissimam adductus est, ideſt tantulam illam aquam, quæ extremo digito adhæresceret, saliva fortasse ita dilui potuisse, ut sapor ejus prorsus obtunderetur. Protinus ergo ex cochleari justam ejusdem aquæ gustavit portionem; continuo illi, quos dixi, sapores & manifesto, & valide se prodiderunt. Id Morgagnus illorum causa dictum voluit, qui in liquorum judicandis saporibus proclivi ista, & consueta in digito gustandi ratione utuntur; quæ ratio & illos facile in errorem inducere potest, qui liquores describunt, & illos, qui expositos ab aliis sapores negant, & illos demum, qui in praxi variam liquorum vim, & efficaciam gustu æstimant. Videant ergo hi omnes, ne quid temere interdum judicent.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI

ſuo, & Collegarum nomine ſcribentis

RESPONSUM MEDICO-LEGALE

circa Obſtetricum Judicium de Mulieris Virginitate.

QUæritur ex Nobis in univerſum, & pro veri dumtaxat ſtudio, ſit ne incertum admodum Obſtetricum judicium de Virginitate Fœminæ, cujus naturalia recognoverint vel poſt uſum Balnei aquæ calidæ.

Nos itaque, poſt maturam deliberationem, pro veritate reſpondentes, illud principio conſtituimus, ſecundum maxime communem a longo jam tempore inter Doctores noſtros Sententiam, nullum certum Virginitatis ſignum vel in ipſis Fœminarum locis inveniri. Nam *Paulus* quidem *Zacchias in Quæſtionibus Medico-Legalib.* ante hos centum annos editis cum *lib. 4. tit. 2. quæſt. prima, num. 14.* ſtatueret *Virginitatis nullas dari certas, & inſeparabiles notas*, jam tum affirmavit, *acceptiſſimam eſſe hanc concluſionem Recentioribus omnibus*; & cum plures nominatim, indicatis eorum locis, laudaſſet; *quamplurimos alios doctiſſimos Medicos data opera præterire* ſe, dixit. Eorum autem qui poſt Zacchiam floruerunt, quæ Sententia fuerit, ſatis oſtendit *Gaſpar a Rejes*, qui *in Elyſio Jucundarum Quæſtionum Campo quæſt. 39. num. 39.* eandem illam, quam & ipſe probavit, *Concluſionem omnium Medicorum Votis confirmatam* eſſe, ſcripſit. Denique ætate hac noſtra Jo: Bohnius, cujus verba profert *Martinus Schurigius in Congreſſus Muliebris Conſideratione Phyſico-Medico-Forenſi ſect. 2. cap. 1. n. 23.*, cum vel recentiſſimos, quibus idem placuit, addidiſſet, *alios infinitos* ſe omittere profeſſus eſt, qui cum his ſentiant.

Et nobis liceret plures addere: Sed duorum, qui ante Zacchiam ſcripſerant, in eademque Sententia fuerant, malumus quædam tantummodo verba producere, præſertim cum ambo in Gymnaſio hoc noſtro ſumma cum laude Medicinam docuerint, alter vero non ſuo tantum, ſed & univerſi *Collegii Medicorum Patavini nomine*, in hac ipſa controverſia reſponderit. Igitur *Hieronymus Capivaccius* breviſſimum Tractatum, quem *de ſignis Virginitatis* inſcripſit, ita concluſit: *Quamobrem defloratio, vel natura tegi, vel arte ita occultari poteſt, ut interdum etiam Periti Medici, & Obſtetrices fallantur. Hieronymus autem Mercurialis* ſuo illi, atque adeo Collegii reſponſo, quod *in Conſultationum Medicinalium tom. 2. conſult. 66.* finem in hunc modum fecit: *Quamobrem omnino putamus, nulla uſque adeo certa utriuſque ſexus Virginitatis haberi indicia, quin poſſint tam Vir, quam Fœmina vitiata Virgines apparere tum concubentibus, tum Medicis, atque Obſtetricibus*. Utriuſque Sententiam, & ex parte rationes majori emphaſi ſecutus eſt alter, qui & ante Zacchiam ſcripſerat, graviſſimus apud Bononienſes Rei Medicæ Profeſſor Julius Cæſar Claudinus. Hic enim *in Reſponſionibus Medicinal.* inter ea, quæ interjecit quadrageſimæ, & quadrageſimæ primæ, diſerte pronunciavit, *tutam Virginitatem aſtruere tum Medicis, tum Mulieribus Obſtetricibus, niſi Divino Spiritu ſuffultis, fuiſſe denegatum*: Adeo

Digitized by Google

perſpicue illud probaverat, quod oſtendendum ſuſceperat, nimirum iis Fœminas artificiis *circa Muliebres partes uti poſſe, quæ ſæpiſſime ſunt in cauſa, ut undequaque Periti Medici, ne dicerer imperitæ Obſtetrices, nullis, niſi nugis innixæ, ea ratione decipiantur, ut eas, quæ defloratione multis ab hinc menſibus (annis dici poterat) paſſæ fuerunt, hanc non ſubiiſſe deponant, atque hoc eo magis, quoniam malitioſis Mulierum artibus natura ipſa favere poteſt.*

Ex his, quæ hactenus prolata ſunt, illud evidentiſſime conficitur ſecundum auctoritatem quidem tot, tantorumque Doctorum, ſi certa Virginitatis ſigna nulla ſunt, neminem, & ne peritiſſimum quidem Medicum pro certo agnoſcere ipſam poſſe. Quanto ergo minus id poterunt Obſtetrices neque ſolertia, neque doctrina, neque anatomica exercitatione, neque uſu ipſo ullo pacto cum Medico iſtiuſmodi comparandæ? Nec enim idcirco uſu ſaltem præſtare credendæ ſunt, quod Fœminarum genitalia quotidie tractent. Tractant utique, ut laudatus Bohnius admonet (apud eumdem *Schurigium in Parthenologia ſect. 3. cap. 7. num. 3. ſed gravidarum, & parturientium tantum, & quidem negligenter ſatis*, non Virginum, ut Excellentes Medici, in Re Anatomica, & Chirurgica exercitati. Quod ſi ne uſu quidem ſunt cum his conferendæ, tanto minus ſolertia ſunt & doctrina, quæ aut nihil unquam de incertitudine ſignorum Virginitatis legerunt, aut ſi quæ forte aliquid legerunt, quot tamen, & quam varias ob cauſas incerta, & fallacia ſint, propter ſcientiarum ignorationem ſatis aſſequi non potuerunt: & ne ipſa quidem fortaſſe, quæ duo præ cæteris laudantur, & inculcantur, ſigna ambo intelligere valuerunt.

Sunt autem hæc, anguſtia ad orificium vaginæ, & membrana, quæ peculiariter Hymen appellatur. Cauſæ vero ob quas eſſe hæc ſigna fallacia poſſint, a Nobis quidem in tria genera dividuntur. Aliæ enim ſunt ab arte, aliæ a morbo, aliæ a natura. Quæ ſingula genera dum exemplis illuſtrabimus, ſimul id, quod auctoritate probatum eſt, ratione, & obſervationibus confirmabitur, non poſſe a Medicis Virginitatem, ne per hæc quidem, quæ præcipua ſunt, duo ſigna cognoſci, ſimul alterum elucebit, multo minus ab Obſtetricibus, vel poſt uſum balnei aquæ calidæ.

Anguſtia igitur ad orificium vaginæ; ut primum de primo ſigno dicamus; ſublata etiam ab aliis cauſis, ut a partu, non modo a Virili concubitu, reſtitui arte poteſt, iis videlicet adhibitis, quæ vim habent adſtringendi. Quæ propterea cum *Ludovicus Mercatus* proponit *de Mulierum affection. lib. 4. cap. 14.*, hoc caput ad hunc modum inſcribit: *De Virginali adſtrictione a partu comparanda. Avicenna* autem (nam & veteres, & recentiores puerperarum cauſa, multa ejuſcemodi oſtenderunt) inter alia, quæ proponit *lib. 3. Canonis ſen. 20. tract. 1. cap. 47.* unum habet, quod *facit*, inquit, *redire Virginitatem* conſtringendo. Nec vana eſſe pollicitos, obſervationes docent, *Philippi Hoechſtetteri* in primis, qui *Obſervationum Medicinalium Decade 3. in Scholio ad caſum 5.* teſtatur, cum Mulier inſcia, in aqua inſediſſet, in qua radix fuerat decocta ſymphyti majoris, ejus Maritum ipſam, *jam Matrem, ſubito Virginale Clauſtrum recepiſſe, miratum eſſe*. Quin *Zacchias Quæſt. citatar. lib. 3. tit. 2. quæſt. 7. num. 1.*, & alibi agnoſcit, ope ejuſmodi auxiliorum eam anguſtiam reſtitui, *quæ non modo naturalem cohærentiam ante violatam Virginitatem adæquet, ſed etiam longe exuperet*, cujus rei videmus apud *Rodericum a Caſtro de univerſa Muliebrium Morborum Medicina part. 1. lib. 1. cap. 3. Nicolum* eſſe auctorem, *viſas nimirum jam eſſe Mulieres, quæ poſt partum, iis adhibitis remediis, ita clauſæ redditæ ſint, ut non potuerint coitum exercere.* Sed præter adſtringentia medicamenta, a Medicis accepta, auſa eſt quarumdam Fœminarum malitia id, quod ob ea, quæ infra dicentur, hic prætermitti non poteſt, aliis etiam uti, quæ non adſtringendo, ſed tumefaciendo coarctent. *Aliquæ*, inquit, *Fortunatus Fidelis in Medico-legalibus* rebus Auctor gravis *de Relat. Medicor. lib. 3. cap. 1. Aliquæ etiam Tithymalli lacte, aut alterius non abſimilis plantæ, panno lineo excepto, atque in cervicis uteri collum impoſito internam illius ſuperficiem adeo in tumorem attollunt, ut non ſolum arctas Vene-*

Digitized by Google

neris viam amatoribus prabeant, sed sanguinem etiam educant.

Sed & morbus; quod erat alterum causarum genus; dilatatum vaginæ orificium, adeo contrahit, ut vix, ac ne vix quidem a Viro amplius pervadi queat. *Severinus Pinæus de Virginitatis notis lib.* 1. *cap.* 5. *in pluribus*, ait, id se *vidisse* Mulierculis, propterea quia *rhagades, dura, & magna cicatrix, aut scirrhus* in ambitu vaginæ *orificii supervenerant, a quibus quidem hoc angustius redditum fuerat*. Quod sane multo ante Pinæum, Medici viderant, & in his *Cornelius Celsus*, qui *lib.* 7. *de Medicina cap.* 28. Fœminarum *naturalia* nonnumquam, inquit, *inter se glutinatis oris concubitum* non admittunt. *Idque interdum evenit exulceratione in his partibus facta, & per malam curationem his oris sanescendo junctis*. Exulcerationem autem hanc sæpius his quidem sæculis, ex venerea lue, alias ex variolis, combustione, vulneribus, urinæ, *aut muliebris fluoris acrimonia*, aliisve ejusmodi causis originem ducere, etsi male curetur, angustiores locos relinquere, neminem latet, qui Medicorum, Chirurgorumque aut munus obierit, aut saltem observationes versaverit. Nihil autem prohibet, quominus angustia hæc ad ipsum vaginæ orificium contingat, & tanta dumtaxat relinquatur, quanta in virginibus solet, vixque, ac ne vix quidem ab ea, quæ naturalis est, internosci queat. Hæc quadantenus indicat Hippocratis locus *lib.* 1. *de Morbis Muliebribus*, qui locus etsi de exulceratione sit, quæ difficilem partum consequitur, tamen & ad alias exulcerationes transferri jure optimo potest: *Si vero*, inquit, *puerperæ aliqua pudendi pars obturata fuerit: Jam enim etiam hoc cognovi: si ulceratum fuerit os pudendi*, ubi sane ulceratum fuerit, in partu a pueri exitu violatum; & sic ad extremum concludit: *Ea ulcera sanare oportet veluti in reliquo corpore, & ad cicatrices perducere. Locus autem levis, & concolor reddatur.*

Denique si quid aliud, natura ipsa, quod tertio loco ostendendum est, multifariam sane efficit, ne in vitiata Muliere vaginæ orificium dilatatum unquam fuisse videatur. Et primum per constitutionem a primordiis, sive per ipsum quoque in hac controversia attente spectandum, totius Corporis, uterive temperamentum. Sic enim in *Antarctico solo fœminas etiam post plurimos partus*, non modo post plurimos concubitus, *integrum virginaleque Corpus præseferre, itaut puerperæ nulla re differant ab ipsis Virginibus*, ex *Americo Vesputio* refert *Riolanus Anthropographiæ lib.* 2. *cap.* 35., qui cum illud vix posset credere; *attamen*, inquit, *cum ex Toupinambutiorum regione* (ea quoque est in *Brasilia*, hoc est in eadem *America Meriodionali*, quæ omnis *a Petro Bertio* in *Breviario totius Orbis Terrarum* vocatur *Antarctica*) cum ex ea igitur regione *Fœmina annos* 25. *nata valde impudica, quæ viros ad coitum invitaret, in hanc Urbem Parisiorum adducta fuisset, post ejus obitum Pudendi orificium admodum angustum deprehendi*. Verum non de solis Americanis, sed de Mulieribus in universum loquebatur *Zacchias*, cum diserte affirmavit *consil.* 41. *numer.* 3., *nonnullas ex Fœminis utero tam angusto, & exucco dotari, ut etiamsi millies in die exagitentur, tamen ne vestigium quidem compressionis servare soleant*. *Marcus* autem *Antonius Ulmus* in Libro, qui inscribitur: *Uterus Muliebris, sect.* 1. *cap.* 11. generatim *inter notas Uteri calidi, & sicci* non minus posuit appetentiam Veneris, & quidem *acrem, & conceptionem non adeo facilem, & strigosa*, hoc est, *gracilia, Corpora*, & alia hujusmodi, quam *pudendum Calens, angustum, sed non multæ Carnis, Breve, neque Humectum. Quod si ignea, & sicco temperamento natura certam insuper addat ætatem, tanto aptiores Fœminas reddit, ut vel sæpius repetitæ Veneris vestigia ne servent*. Ætas enim, quod idem *Ulmus sect.* 2. *cap.* 5. *Guaincrii* auctoritate confirmat, quemadmodum facit, cæteris paribus, ut *Puellæ*, sive quæ sunt in *prima menstruationis ætate*, calidæ dicantur, & humidæ; esto magis humidæ; sic facit, ut *Adolescentiores, & Consistentes.*, sive, quæ sunt in secunda, & tertia menstruationis ætate, illæ quidem *calidæ, & siccæ; Calidæ tamen magis; hæ vero frigidæ, & siccæ; siccæ quamvis plus* habeantur; ut constet, temperamenti etiam uteri, siccitatem secundum dogmata in iis, quæ

quæ magis adoleverunt, intendi.

Hæc autem ſecundum recentiorum quoque Medicorum Doctrinam, fere omnia vera inveniuntur. Nam quo minus ſeri a primordiis in ſanguine redundat, eo minus deinceps illius reſtat, quo magis a plena adoleſcentia, & matura juventute particulæ explicantur activæ, & fervidæ, humidas aqueaſque diſſipantes. Quamobrem genitalia quoque non tenera, ſed firma, fibræque eorum non flaccidæ, aut laxæ, ſed robuſtæ magis, magiſque, & valentes, neque dilatationi facile cedunt, & ſi quando forte aliquantum ceſſerint, quiete poſtea interjecta, ad priſtinam redeunt contractionem. Conſtat autem ex Anatome, vaginæ orificium cingi fibris carneis illius muſculi, quem ab ejus conſtringendi officio ſphincterem vaginæ appellamus: qui quidem muſculus, etſi non in cunctis, adeo prævalidus ſit, ut quod Michael Alberti (apud *Schurigium Parthenolog. ſect. cit. cap.* 5. *num.* 8.) veraciter ſcripſit = *Fœminarum quædam illa facultate gaudeant, ut mediante muſculo ſphincktere vaginæ, ſub clitoride ſito, rigidius vaginam conſtringere poſſint; In adultis tamen, vividioribus præſertim atque ſiccioribus, ſatis utique, ut reliqui earum muſculi, validus eſt*: quin nulla fere mulier eſt, in qua niſi, aut plurimi, aut difficiles partus laxaverint, ita non vigeat, ut longi temporis quiete interpoſita, ſuas iterum in conſtringendo vaginæ orificio vires exerat. Poſt diuturnam enim a Venere abſtinentiam (id, quod in hac controverſia peculiari animadverſione dignum eſt) ita ſolet vaginam contrahere, ut propterea *Joannes Benedictus Sinibaldus Geneanthropeiæ lib.* 4. *Tract.* 1. *cap.* 14. diſerte hæc ſcribere potuerit = *Videre eſt Viduas, quæ fidem Viris poſt funera ſervant, adeo circa muliebria contracti, ut ſi alteri deinde ſocientur, vas præ angaſtia, & ſimphyſi fere virgineum præſtent*. Quin *Zacchias citato conſil.* 41. *num. eod.* 3., non idem modo jam docuerat, ſed & ejuſmodi Viduarum quaſdam *non ſecus ac ſi tum primum devirginarentur, ſanguinem in coitu effundere* = non obſtante etiam, quod plures filios fuerint enixæ, haud temere affirmaverat, quando apud laudatum *Gaſparem a Rejes quæſt.* 41. *num.* 9. habemus, vel = *Poſt partum aliquibus evenire, ut deſinentibus lochiis rurſus virginalem arctitudinem etiam naturaliter acquirant*. Quod ſi hæc in iis, quæ filios ediderant, quanto facilius, ut infra commemorabimus, in iis, quæ nunquam pepererunt? Et ſi deſinentibus lochiis, hoc eſt paucas poſt hebdomadas, virginalis arctitudo reſtituta eſt; quanto magis poterit, menſibus, & annis poſt venereos congreſſus interjectis reſtitui?

Hactenus, quæ cauſæ, ſive ab arte, ſive a morbo, ſive a natura profectæ, fallax reddere poſſint primum virginitatis ſignum, quod ab anguſtia orificii vaginæ repetitur, oſtenſum eſt. Nunc ſignum alterum, quod ab Hymene deſumitur, quæ cauſæ efficere incertum poſſint, eo brevius indicaremus, quod hæ fere omnes ad unum genus, hoc eſt ad naturam referuntur, niſi prius quid non ſit Hymen, & quid ſit, tum deinceps quot, qualeſque ſecundum naturam varietates patiatur, neceſſario eſſet demonſtrandum. Neque enim cum Obſtetricibus errandum eſt, quæ pro Hymene, ut adverſus illas *Parœus* animadvertit *Operum lib.* 23. *cap.* 42., membranam habent quamdam (id quod ipſæ ignorant) præter naturam, cui ſedem *nonnullæ affigunt primo in pudendi limine, aliæ in media cervicis uteri via, aliæ in extrema ad uteri interius orificium*. Qui hæc illas primum docuerunt, videntur utique *Pauli Æginetæ* loco perperam intellecto, ſe atque illas mirum in modum decepiſſe. Nam cum initium *capitis* 72. *lib.* 6. ſic vertendum non dubitarent, quemadmodum poſtea *Andernacus* convertit: *Genitales Mulierum partes claudantur interim ex natura, interim ex acceſſorio, morbo quodam præcedente, alias in ſummo ore, ſæpe etiam in medio ſpatio, idque aut ſecundum naturam, aut ex obſtructione. Quod autem foramen interſepit intercluditque, vel caro, vel membrana eſt*: Cum igitur ſic acciperent, neque de quibuſdam tantum Mulieribus, neque de morbo per chirurgiam curando Auctorem loqui, animadverterent; ex perpaucarum morbo ſtructuram omnium ſecundum naturam commenti ſunt, cum tamen *Paulus* non κατὰ φύσιν hoc eſt non ſecundum naturam, ſed κατὰ σύμ-

φυσιν

quis, hoc est ex *concretione*, scripsisse videatur, ut *Cornarius* monuit in *Dolabell.* in hunc locum; aut si scripsit secundum naturam, haud aliud, quam a *nativitate* significet, quemadmodum apud Aetium, ab eodem Cornario latine redditum, haec eadem, quae Paulus, docentem habemus *lib. 4. serm. 4. cap. 96.* Ea ut putamus, prima triplicis ejusmodi erroris, tamdiu, & tam pervagati causa fuit.

Quamvis autem *Realdus Columbus*, Prosector exercitatissimus *de re Anatom. lib. 11. cap. 15.* monuerit, istiusmodi membranam *raro adesse*, *& lib. 15.* inter ea, *quae raro in Anatome reperiuntur*, *post innumera Corpora* cum alibi, tum in hac, & Pisana, Romanaque Academia a se dissecta, *ter dumtaxat*, *illam inveniisse* se, scripserit. Quamvis Paraeus Chirurgus celeberrimus, citato capite testatus sit, ipsam semel tantum licuisse sibi observare, quam alioquin frustra *in plerisque virgunculis omnis fere aetatis a trimatu ad duodecimum usque annum*, *quarum sibi ex Nosocomio Parisiensi plena copia erat*, *studiose exquisiverat*: Quamvis *Andreas Laurentius Hist. Anatom. hum. Corporis lib. 7. cap. 12. & quaest. 13.* prodiderit, *puellas se*, *& abortivos foetus vidisse quamplurimos*, *in quibus membrana illa non aderat*, *quin etiam trimestres*, *& trium*, *quatuor*, *sex*, *septem annorum Virgines diligenter observasse*, *& specillo ad Uteri os internum usque immisso*, *nihil quod resisteret inveniisse*: quamvis M. *Antonius Ulmus libro*, *& sect. citatis cap. 7.* confirmaverit, cum in ejusmodi abortivis foeminis, & in natis a partu usque ad septennium diligentissime quaesiviisset, *se nullam unquam animadvertere potuisse. Membranam hujusmodi*, *Hymen vocatam*, *quin ejus neque vestigium*: *grandiores etiam dissecuisse Virgines*; *nihil promoviisse*: denique ut alios brevitatis causa omittamus; quamvis *Jo. Bapt. Silvaticus* in egregio libro, quem inscripsit *de iis*, *qui morbum simulant deprehendendis cap. 9.* memoriae litterarum mandaverit, cum ad quamdam ejusmodi gravissimam in Principe Foemina controversiam dirimendam *ex pluribus Italiae Urbibus plures accersiti Illustres Medici* eo deveniissent, *ut sensus tactus medio rem plane determinandam esse sancirent. Virginibus Xenodochio expositis diversae aetatis multis*, *propriis digitis exploratis*; *nequeunte in tanto Virginum numero rem plane non manifestari*, *absente praesertim omni fraudis*, *ac malitiei suspicione*, *& ex improviso facta exploratione*; *ex hac nihil quicquam in iis omnibus Virginibus*, *earumve aliqua adesse*, *innotuisse*, *quod talem membranam*, *vel etiam obscurius repraesentaret*: Quamvis igitur haec omnia ita se habeant, & meridiana luce clarius sit, ejusmodi membranam, & in quam pauciissimis inveniri, & cum invenitur, esse omnino praeter naturam, & quod consequitur, si Obstetrices, illa quam jactare solent peritia, atque experientia essent in Virginum, quas numquam fere, & in Mulierum, quas raro extra partum inspiciunt, naturalibus internoscendis, turpes illos errores, primas omnium abjicere debuisse; tamen & apud Paraeum *affirmabant*, *posse se certo Virginem a corrupta dignoscere*, *hujus membranulae integrae*, *vel ruptae*, *& violatae argumento*. Quamobrem citato ipse capite haec continuo subjecit: *harum obnunciationibus*, *dum nimium creduli Judices fidem adhibent*, *saepe in errorem impelluntur*: Et *Vincentius Alsarius Crucius de quaesitis per Epistolam in arte Medic. centur. 4.* cum post illos, quos modo laudavimus, scriberet, ne idem *Itulae Obstetrices* facere pergerent, verebatur. Si, inquit, *Obstetrices Mulieres ad hanc solam membranam vim proprii Judicii dirigunt*, *quam recte id faciant*, *& quanta ob id Judicibus sit illis adhibenda fides*, *ex huc usque discussis unicuique constat*.

Et sane si Parisienses illae, quae tamen in obstetricandi arte censentur doctiores, adeo in errore versabantur; quid de Nostratibus non erat timendum? Quarum de plerisque jure meritoque illa dici possent, quae leguntur apud *Schurigium* in laudatae *Parthenologiae sect. 3. cap. 7. num. 4. & 5.* = *Antiquiores quidem Obstetrices Medicae fuerunt*, *& scientificae*, *quae non solum insistebant in obstetricatu*, *sed omnes Mulierum curabant morbos*, *& Philosophiam*, *& medicinam discebant*, *& libros intelligendi*, *& componendi compotes evaserunt. Nunc autem solum sciunt foetum ab utero recipere*, *umbilicum abscindere*, *& fasciis puerum involvere*, *quia sic viderunt. Inquanunc*

Digitized by Google

nunc in Germania ob tantam Obſtetricum ignorantiam fidemque ideo ſuſpectam, ipſis ſolis numquam a Magiſtratu inſpectio Mulierum, atque relatio committitur, ſed tantummodo Medicis ideo aſſociantur, ut ipſorum juſſu partes pudendas dilatent, aliaque mandata faciant. Quod ſi pleraſque noſtratum Obſtetricum relationes legamus, aut potius, quoniam his ſæpe ab aliis aut correctis, aut dictatis utuntur, ſi cum pleriſque earum loquamur, & quid in ejuſmodi inſpectionibus obſervaverint, paulo attentius percuntemur; mirum quæ ſæpius monſtra, & portenta audiamus. Virginitatis quidem clauſtrum, parteſque ipſum conſtituentes integras, illibatas, intactas, cohærentes, connexas, unitas, clauſas inveniſſe ſe, dicunt. At ſi quid, aut ubi illud Clauſtrum, & quæ, qualeſque hæ partes ſint, roges; tunc enim vero aut nihil præterea reſpondent, aut ea reſpondent, unde aut veteres illos, aut alios, interdum etiam graviores, de natura, & ſede Hymenis, errores ipſarum facile intelligas. Nam quæ antiqua illa ſomnia de clauſis Virginum locis, aut altius, aut inferius per panniculum, ſive illiuſmodi membranam nonnunquam inaudiverunt, aliæ quidem ex vaginæ tubo ſuperius concluſo Virgineum Clauſtrum comminiſcentes, hoc quemdam, ſi ſuperis placet, tubum ſive canalem eſſe ajunt; aliæ autem ſecundum pervulgata olim verba, quæ *Ulmus* citato cap. 7. retulit, & confutavit, *Nicoli Florentini, ante defloracionem Os Matricis eſt velatum Panniculo*, pannum, aut centonem, aut etiam velum quoddam eſſe, dictitant: quod velum aliquæ, ſive ut ſagaciores appareant, ſive ut aliquid Anatomicæ doctrinæ, (ſed commentitiæ, atque obſoletæ) audiviſſe videantur, *rarum eſſe inſtar retis* confirmant; neque enim aliter in hac tanta Anatomes luce adhuc intelligunt, *qui per illud Virginibus menſtrua penetrent.*

Quæ vero non ex auditu, ſed ex lectione ſibi magis ſapere videntur, quid Hymenis nomine, & quanto cum errore intelligant, ex *Zacch. colligere eſt lib. cit. 4. tit. 2. q. 2. n. 3. Hymenem*, inquit, *etiam ſe obſervaſſe aliquando teſtatur Mercurius in libro della Commare 1. cap. 2., qui tamen valde errat in ejus Membranæ deſcriptione; tuli enim per illam Nymphas ſimul conjungi, quod adeo abſurdum eſt, ut nihil ſupra, quemadmodum ex Doctorum Anatomicorum ſcriptis facile legenti patere poteſt.* Et certe ſi hoc aliquando eſt; præter naturam omnino eſt. Huc tamen potius referenda crediderimus, quæ de annexis alligatiſque Clauſtro Virginali Membranis, ſive pelliculis, & de earum integritate, & unione ſæpe ſolent Obſtetrices dictitare, quam ad Membranulas, *Severini Pinæi Caruncalas* conjungentes. Mercurium enim ſuum interdum legunt, italico ſermone hæc de *Nymphis*, aut *Hymeneo* capite indicato affirmantem: *mentre ſtanno congiunte inſieme, ſono ſegno della Virginità, e quando nella congiunzione con l'homo ſi rompono, o ſeparano, ſpeſſe volte con molto ſangue, danno ſegno della Virginità perduta. Pinæi* autem librum *de Virginitatis Notis* nec viderunt, nec, ſi vidiſſent, intelligere potuiſſent: quamquam ne ipſius quidem de Hymene Sententia accuratiori reſpondet Anatomiæ; nam, ut noſtrum aliquis dilucide alias oſtendit, Caruncularum ad vaginæ orificium aliæ nullæ ſunt, antequam Hymen diſrumpatur, ut quæ ejus fortuitæ reliquiæ ſunt; aliæ vero ſunt quidem, ſed ultra Hymenem locatæ, ut ab hoc differant, ipſoque præſente ab extrinſecus inſpicientibus videri non poſſint. Verum; ut ad Obſtetrices redeamus; mirandum non eſt, ſi quæ non eſſe probavimus, ea pleræque videre ſe, ajant; nam & Zacchias *laudato conſilio 41. num. 1.* ſua etiam tempeſtate id conſueviſſe animadvertit. *Quo ad diſgregationem*, inquit, *pellicularum Uteri, ut illæ ajebant, certum eſt illa potius, ut ſecundum communem muliercularum modum quid dicerent, quam ut quicquam in Virginia in rei veritate circa eas agnoſcerent, ſic fuiſſe loquutas; cum pateat, pelliculam illam Hymenem dictam, de qua multa Obſtetriculæ deblaterant, in Virginibus naturaliter conſtitutis nullo modo reperiri.*

At ſi illa, ut oſtenſum eſt, nullo modo ſecundum naturam reperitur, num forte nulla præterea alia reperitur? Reperitur vero; niſi quid vitiaverit; ſecundum ordinariam naturalis ſtructuræ normam in

eo-

Digitized by Google

eodem semper loco, hoc est in ipso vaginæ orificio, ex eademque interna duplicata ejusdem Vaginæ tunica fere circumcirca ita se attollente, ut foramen, per quod sanguis menstruus, atque adeo crassiora, prodeant, relinquatur, nec obducti panni, aut veli, sed annuli fere, aut semilunulæ similitudo repræsentetur. Ejusmodi autem figura diserte descripta, aut luculenter delineata est magno consensu a Summis Anatomicis, ab aliisque, qui iisdem lectis, aut inspectis, accuratius quæsiverunt, primum videlicet a celeberrimis Scriptoribus, qui in hac nostra Academia diligentissimi fuerunt dissectionum Magistri *Gabriele Falloppio* in *Observationibus Anatomicis*, *Julio Casserio* in Tabul. Anatomic., quæ ad uterum gravidum, & Fœtum spectant VIII. ad Litt. Q. *Adriano Spigelio de hum. Corpor. Fabrica libr.* 8. *cap.* 19., *Francisco Plazzono de Partibus generationi inservientib. lib.* 2. *cap.* 5. *Joanne Veslingio Syntagm. Anatom. cap.* 7.; aliisque, deinde ab iis, qui horum observationes propriis confirmarunt, *Joanne Riolano Anthropograph. cap. tit. Dominico Panarolo Jatrologismor. Pentr.* 5. *Obs.* 50. & in adjectis figuris ad litt. I. Q. & T. *Joanne Swammerdamio* in *Uteri Muliebr. Fabrica* adjectisque Iconibus Diemerbroeckio Anatomiæ *lib.* 1. *cap.*26., atque aliis pluribus: noviſſime ab omnibus, quicumque, & hoc tempore, & paulo ante apud quaslibet eruditiores Nationes in re Anatomica magis claruerunt, ut apud Batavos a *Friderico Ruyschio in Observat. Anat. Chir. Obs.* 22, & 23., respondentibus Figuris ad litt. D. apud Anglos a *Guilelmo Cheseldeno Anat. Of. the hum. body lib.* 4. *cap.* 2; apud Gallos ab *Jacobo Benigno Winslowio Exposit. Anatom. traité du bas Ventre num.* 653., apud Germanos a *Laurentio Heistero Compend. Anatom. num.* 234. & *Not.* 30., & denique apud Nostrates; ut alios in præsentia sileamus; ab Joanne Dominico Santorino *Observat. Anatom. Tab.* 2. *Fig.* 1. *ad litt. E.* Cum his nostræ omnes, longo annorum cursu persæpe, & diligenter habitæ, observationes consentiunt.

Quæ igitur causa fuit, cur ab illis, quos antea memoraveramus, Doctissimis Viris non fuerit hic verus Hymen animadversus? Non una videlicet causa, sed plures, duæ autem præcipuæ, altera, quod non omnibus Virginibus, neque omni ætate, ut postea dicemus, æque aut magnitudine, aut firmitudine conspicuus est; altera, quod pannum illi, & occludens velum quærebant; non annulum: cujusmodi animi dispositiones quanto impedimento sint verum inquirentibus, nihil ostendere magis potest, quam quod propterea accidit *Regnero Graafio Anatomico* aliequin solertissimo, structuræque Muliebrium genitalium Scriptori celeberrimo. Cum enim animo imbibisset eorum Sententiam, qui Hymenem docuerant in sola Orificii Vaginæ coarctatione consistere, tametsi membraneus annulus, aut Semilunula in Virginibus, quas dissecuit, non desiderabatur; quandoquidem id satis ambæ ejus Tabulæ, huic rei dicatæ, commonstrant II. quidem *ad litt. E. E. E. & IV. ad* b. b. b., & ipsi in Virgine secundum naturam se habente *membranosus quidam circulus tantum*, videndum se præbuit, tamen in eodem, in quo hoc scripserat *cap.* 5. *Tractatus de Mulier. Organis generationi inservientibus*, quod caput est de *Hymene*, ex suis ipse Observationibus, & Tabulis concluſit, *præter Vaginæ Orificii coarctationem naturaliter nullum reperiri Virginitatis munimentum*: usque adeo in observando inter se differunt videre, & agnoscere! Quod si aliqui igitur Anatomici exercitatissimi verum Hymenem, ab aliis antea descriptum, ipsi vident, nec tamen præ opinione præjudicata eumdem agnoscunt; num forte Obstetrices, quæ nec describentes legerunt, nec ostendentes viderunt, verum ipsas Hymenem sine ulla dubitatione agnituras censebimus? Quid si huc ea aliquando accedant, quæ etiam veri Hymenis præsentiam fallax reddere Virginitatis signum possint? Nonne laudati Crucii verba æquum erit nostra facere: *Nostra igitur Sententia est in casu proposito, nullam prorsus adhibendam esse fidem Mulierculis illis, quando licet Medici doctissimi idem sentirent, lente nihilominus, & nisi magna cum præmeditatione eorum opinio amplectenda esset. Signa etenim, quæ ab arte eliciuntur, & per quæ aliquis Virginitatem seu præsentem, seu jam ablatam dignoscere posset, adeo incerta*

Digitized by Google

sunt, atque fallacia, ut qui ex illis solis quicquam certi asserere contendat, crassæ ignorantiæ, ac temeritatis notam subiturus omnino sit.

Causæ autem cur vel Hymen ipse fallere aliquando inspicientes possit, &, quamvis Peritos in errorem inducere, ab alia ejus, quam paulo ante indicabamus, in aliis Fœminis secundum naturam magnitudine, aut firmitudine sunt repetendæ. Namque ut primum de magnitudine dicamus; manifestum est, ut cæteræ partes corporis, partiumque foramina, nasi exempli causa, aut oris, non omnibus ad eumdem modum, sed aliis angustiora, aliis latiora contigerunt, sic & Hymenis foramen pluribus a natura amplius obtigisse. Illud quoque non minus evidens est, ut foramina cætera proportione, dum augetur corpus, & ipsa augeri, ita hoc etiam, de quo loquimur, ætate crescente amplifiri: quæ res tum communi inspectione anatomica, tum etiam Hymenis Iconibus ex Puellis, & maturis Virginibus accurate descriptis confirmatur. Sic in *laudatis Graafii Tabulis* videre est, quanto id foramen jam majus sit in Puella sexenni, quam in recens nata, & quanta postea amplitudine pateat in Virgine 24. annorum. Si igitur hæc utraque in quibusdam Fœminis causa conveniat; fieri utique poterit, ut sine Hymenis, aut ulla, aut notabili laceratione ineantur, præsertim si Viri penis non sit ex crassioribus, nec Vir ipse in congressu ex violentioribus: qualia de hac ipsa re idem sentientes, attenderunt *Claudinus*, *& Spigelius Respons. & cap. citatis*, atque ante ipsos *Capivacius Tractatu memorato*, ubi ait, *maxime si virile pudendum non admodum vastum, muliebre autem peramplum sit*, & hunc sequutus *Zacchias lib. & tit. citatis quæst.* 1. *num.* 31. Accedere præterea potest alia amplitudinis causa, certum ab ortu, aut ab ætate temperamentum, quo Virgo acrius in Venerem feratur. Quam causam *capite citato* Graafius subindicat. Ostensurus enim, cur non *omnes Virgines primo coitu sanguinem emittant*, hinc incipit, quod Vaginæ osculum, hoc est, ut vidimus, non agniti ab ipso, Hymenis foramen *præ avido coeundi, concipiendique desiderio in grandioribus successu temporis debiscat*. Amplitudo igitur faciet, ne lacereturque, & quod consequitur, ne sanguinem, laserationis signum, effundat. Sed & Riolanus *capite indicato*, ætate præsertim, atque aliis quæ paulo ante innuimus, spectatis, effusuram sanguinem tunc negavit, si *Virgo sit paulo annosior, utpote annum* 20. supergressa: quod ipsum ante docuerat Zacchias *sæpius citato quæst.* 1. *num.* 20. quæstione autem proxima 3. *n.* 9, & 10., minus conspicua esse in Virginibus concubitus signa post eum annum, asseveraverat.

Itaque etiam Gaspar a Rejes *laudata quæst.* 39. *num.* 22. *inter præcipuas* causas, cur sanguis haud raro tunc a Virginibus non emittatur, primo loco *ætatem* posuit, rationemque insuper addidit, utpote *quæ* (ætas) *& partes illas laxiores reddit, & duriores*. Sed quando de laxitate, hoc est de foraminis amplitudine jam vidimus, de annuli ipsius, in quo foramen est, duritie, sive firmitudine videamus. Quamquam eum supra ostenderimus, quid naturalis constitutio, atque ætas valeant in circumjectis Orificio Vaginæ fibris, siccioribus, eoque firmioribus, & robustioribus reddendis, ea protulimus, unde intelligi ultro liceat, quantum eædem causæ facere ad majorem quoque annuli duritiem, & firmitudinem possint; separatim tamen de causis istis singulis quædam adjiciamus. Et primum minime dubitandum est, quin ab naturali constitutione aliis firmior, aliis mollior, aliis crassior, aliis tenuior, ut cæteræ quoque partes, obtigerit. Quare non difficile est conciliare Falloppii, & aliorum dissensum. Ille enim membranam hanc *nerveam, non autem carneam esse in citat. observ.* docuit; Vesalius autem *de hum. corporis Fabrica lib.* 5. *cap.* 15., quem in primis sequitur Riolanus *capite citato*, carneam esse, affirmaverat. Nimirum, & nos in aliis annulum ad nerveæ magis, quam ad carneæ Membranæ naturam accedentem, in aliis contra; itemque in aliis magis, in aliis minus compactum, crassumque deprehendimus: in nonnullis etiam est adeo crassus, atque compactus, ut vel Chirurgica sectione, quemadmodum

apud

Digitized by Google

apud *Zacutum Lusitanum lib.* 2. *de Praxi Med. Admir. observ.* 143., *& Ruyschium laudata Observ.* 22., atque alios, instante partu, sit aperiendus, vel certe viris crassiore præsertim pene instructis, non leve, antequam subeatur, negotium facessat. Igitur si quando & foramen amplum mediocre Viri genitale non difficile admittat, & annulus insuper ex crassiore, & compactiore substantia sit, & quæ ad nerveam accedat; non facillime utique lacerationem patietur. Quorum utrumque, atque alia præterea complexus est *Mercurialis*, cujus verba ex *cit. Consultatione*, hic juvat producere. *Contingere potest*, inquit, *ut foramen illius membranæ natura, sive arte amplum effectum, penem saltem sine ruptura, & sanguinis profusione admittat: quod Virgo similiter facere potest adstrictioribus medicamentis, quippe quæ membranam illam condensantia, duram, & fractu difficilem præstant. Quinimo haud inconvenit, ut ab ortu naturæ ejusmodi velamen sit densum, atque contumax effectum.*

De ætate autem (quæ si quid aliud in tota hac quæstione semper maximopere attendenda est) quod Hymenem crassiorem faciat, & magis renitentem, cum ratione intelligitur, tum observatione ostenditur, *Spigelii* in primis, qui *cit. cap. Hymenem se in maturis Virginibus crassiorem reperiisse: in junioribus debiliorem, mollioremque*, testatur. Ejusmodi, credimus, certissimæ observationes, & quod ex ipsis ultro consequitur, jure meritoque fecerunt, ut quemadmodum Michael Bernardus Valentinus *in Novellis Medico-Legalib. casu* 8. refert apud Schurigium *sect.* 3. *Parthenologiæ cap.* 6. *in quodam casu responderit Facultas Medica Lipsiensis, quod nonnulla quidem aut læsa, aut integræ Virginitatis signa a Medicis allegentur; attamen cum eadem in Adultis valde dubia, & incerta sint, hinc ad quæstionem, an per inspectionem infallibilia, vel ad minimum valde probabilia indicia inveniri possint? Nil certi determinari, & decidi possit.*

Quod si repetitis sæpius congressibus tandem aliquando Hymen ex parte aliqua rumpatur; num forte ita ab ullo demonstratum est, *numquam amplius resarciendi spem remanere*, ut, velimus, nolimus, *Sinibaldo* hoc contendenti *cit. lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 2. manus dare necesse sit? Certe id ipse non probavit auctoritate sive Hippocratis, discissum nervum consolidari; sive Galeni, foramen membranæ coalescere, negantis. Nam neque hujus locus *lib.* 1. *de Semine cap.* 6. inspiciendus, de membranis est disruptis, sed de naturaliter perforatis. Neque Hymen proprie nervus est: imo, ut supra indicavimus, membrana est ad carneam haud raro accedens naturam. Membranam autem, si qua alia, proprie dictam, quæ Tympani Auris nuncupatur, vel ipsam *Valsalvæ* experimentis constat *Tract. de Aure Hum. cap.* 5. *num.* 5., si perrumpatur, nullo adhibito medicamento, in *pristinam integritatem restitui, & quidem sine levissimo ductæ cicatricis signo*. Quanto ergo hanc magis, quæ Hymenis annulum efficit, coalescere posse, quis credat, cum videlicet, *Diemerbroeckio cap. citato* id docente, *fibris carnosis* sit *intertexta*, additis præsertim remediis, quibus *Silvaticus cap.* supra indicato *facillimam* existimabat *partium illarum symphysim, sive coalescentiam recuperare*, sive quibus *Agrippa*; ut in sæpius memorato Capite Riolani legimus; scribit *cap.* 6. *Libri de Vanitate Scientiarum, Virginitatem reparari posse resarcinato Hymenæo*, aut remedio adhibito omnium præstantissimo, longa a venere abstinentia; *Natura enim* (verba sunt ipsius Sinibald. *tract.* 1. *cap.* 14.) *dum quiescit, partium unitatem restituit*. Huic eidem remedio tantum tribuebat *Severinus Pinæus* præcitati Opusculi *lib.* 1. *cap.* 6., ut hæc scriberet: *quia sic accedit quies Partium, si earum quædam ab invicem recenter solutæ parum dissideant, eadem procul dubio reuniuntur, & integritati pristinæ restituuntur, itaut gravida esse possit, cui etiam virginitatis notæ iterum appareant.* Pinæo autem non modo astipulatur Zacchias *tit. cit. quæst.* 3. *num.* 5., verum etiam *sanguine*, qui ex laceratis partibus effluit, *mediante adeo invicem temporis spatio denuo cohærescere, affirmavit, ut majorem interdum angustiam præ se ferant, quam ante amissam virginitatem facerent*. Et sane qui *in Viduis, quæ longo post tempore ad secundas Nuptias accedunt*, si non majorem, at eandem saltem cum *Gaspare a*

Digitized by Google

Rejes cit. quæſt. 41. *pudendarum partium clauſuram aliquando inveniri ponat;* multo is facilius, quam in illis, quæ etiam peperiſſe ſupra dicebantur, viduis tum credet, tum intelliget, qui fieri potuerit, ut in duabus aliis Mulieribus, quæ peperiſſe non dicuntur, & in quibus *dolus nullus ſubeſſe poterat*, hæc adnotaverit idem Zacchias ſuperiore *quæſt.* 1. *num.* 26. *Vidi ego*, inquit, *quæ a coitu diu ob Mariti abſentiam, vel infirmitatem abſtinens, cum de novo concumberet, ſanguinem effunderet; & pudiciſſimam Viduam novi, ſecundo nubentem, ſanguinem effudiſſe; cum primum ſecundo Viro conjungeretur: biennio autem viduitatem, & cœlibem vitam ſervaverat:* ut veriſimile aliquibus videri poſſit, in his laceratum antea Hymenem firmiſſime tam longo intervallo, biennii præſertim, coaluiſſe. Verum hæc dicta volumus, ne Sinibaldi Sententiam quiſpiam, niſi antea diligenter examinaverit, temere, & pecudum more ſequatur.

Nam alioquin, ſatis nos ſupra oſtendiſſe, credimus, poſſe hymenem, aliquando veneris uſu non rumpi propterea quia a Natura amplius foramen annuli ſubſtantia renitens, & durior comprehendat. Quid vero, ſi cedens, & mollior? Ne ſic quidem ſemper neceſſe eſt, ut rumpatur. De quinque enim caſibus, in quibus ſine Hymenis diſruptione poſſe Virgines notitiam Virorum habere, *Plazzonus* noſter citato capite ſtatuebat, primum eo referri poſſe, cenſemus, ut annulus cedat. *Si Virgo membranam obtineat tranſverſe inciſam, non foramine rotundo præditam; tunc, inquit, non fit ruptio, ſed tantum dilatatio.* Nimirum, quia ſic Membranæ (tunc minus quam ſolet, annuli ſimilis) partes ambæ, per rimam, dummodo hæc ſit longior, diviſæ, facilius peni permittunt tranſitum. Quod ſi etiam rima non in tranſverſum, ſed in longum ducta ſit; non minus idem accidere videtur poſſe: quin res inſuper confirmari *Obſervatis Anatomico Practicis Gerardi Blaſii*, qui cum Hymenem *qualem in defloratis non una obſervavit fig. IX. Tab. II.* exhibeat; in ea Membrana, non foramen rotundum, ſed oblongam rimam, repræſentat.

Sed quæcumque obſervationum *Blaſii* cauſa fuerit, illud certum eſt, quod maxime attendi volumus, in *defloratis non una* Hymenem ab ipſo inventum eſſe. Quod ſi Hymen, qualis ab eo delineatur ex hujuſmodi Mulieribus, comparetur cum Hymene, qualem *ex Nubili Virgine*, & *Infantibus Veslingius V.*, & *VII.* figura indicati *cap.* propoſuerat; continuo apparebit, ne Peritum quidem Anatomicum, nedum rudem Obſtetricem, vitiatæ Mulieris Hymenem ab Hymene Virginis in ejuſmodi caſibus poſſe internoſcere. At enim *Blaſius* rem ſatis ſua illa figura non expreſſit: certe enim monuit, in defloratis *inæqualem admodum eſſe circulum Hymenis*, & *quaſi ſerratum;* quod ea figura non oſtendit. Vero. At ſi vel maxime inæqualem, ſerratumque delineaſſet; num forte magis inæqualem, magiſque ſerratum potuiſſet, quam in memoratis Graafii Tabulis delineatum videmus? Harum tamen Icones, ex Virgine, itemque ex Puellulis ſunt omnes, ut diximus, deſcriptæ. Manifeſtum eſt igitur, in defloratis quibuſdam Hymenem ſic remanere, ut poſſit, tum Medicos, tum Chirurgos, tum Obſtetrices decipere; niſi quis forte illis credat has Mulierculas anteferendas ob exercitationem, quam ſæpe jactare non dubitant ſuam in Virginum quoque ipſarum Naturalibus inſpiciendis; quaſi vero Medici, & Chirurgi non multo ſæpius, atque accuratius, & in viventibus ad curationem, & in mortuis præſertim ad anatomen illa inſpicerent. Sed quanta in Obſtetricibus hujuſmodi exercitatio, & peritia ſit, cum multa alia, tum illud in primis commonſtrat, quod Fœminei Sexus Fœtus pro maribus quotidie habent clitoridem pro pene, turpiſſimo errore, accipientes, quandocumque illi aut antea per abortum ejiciuntur, quam ex naturæ inſtituto prominere clitoris deſinat, aut quamvis maturi, hanc eamdem tamen etiam tum habent extantem, quos ipſos non dubitant (id, quod ob conſequentia gravius eſt, & ſæpius accidiſſe omnes ſciunt) in Sacro Baptiſmo Maſculorum nominibus appellandos, cum Fœminæ ſint, Eccleſiæ exhibere. Quod utique non contingeret, ſi vel levem particularum, ex quibus loci Fœminei conſtant, notitiam haberent.

Ve-

Digitized by Google

Verum, ut ad cæteros *Plazzoni* casus redeamus, quos supra fere omnes attigimus; ultimus restat, qui ad mollitudinem attinet, lubricitatem, & laxitatem, qua ipsa Hymen in concubitu integer, illæsusque servari potest, *tempore* videlicet *Menstruorum, aut non longe post; tunc enim partes illæ relaxantur, & penis facile intromittitur*. Hunc autem modum a Pinæo olim, citato *cap. 6.* animadversum, & duabus observationibus comprobatum, eorum videlicet, qui Virgines Uxores eo tempore ineuntes facillime, easdem, resiccatis partibus, vix tandem post magnos, repetitosque conatus inire potuerunt; hunc igitur modum, etsi facile esset aliis confirmare observationibus, *Zacuti* in primis memorata *observ.* 143. nec difficile rationibus illustrare; Nobis tamen hic satis fuerit indicavisse, cum quia notior est, *ut qui eventu frequentior esse soleat*, quemadmodum vere Zacchias loquitur *lib. & tit. sæpius cit. quæst. 3. num. 5.* tum præsertim quia æquo longiores esse nolumus, quando & plura hactenus scripsimus, & quædam alia necessario addere jam debemus.

Cum enim, vel hac dumtaxat indicata, aliisque prætermissis, satis multas produxerimus causas, quibus duo præcipua Virginitatis signa, nimirum angustia ad orificium Vaginæ, & membrana Hymen, apud peritissimos etiam Medicos dubia, apud obstetrices autem, quæ pleraque illarum, ne audiverunt quidem unquam, fallacissima reddantur; ostendendum adhuc supereſt, vel post usum Balnei aquæ calidæ; de quo cum quod satis sit in hanc Sententiam subjecerimus, scribendi finem faciemus. Nos quidem non præterit, quam antiquus sit ejus balnei usus ante muliebrium Genitalium inspectionem, & quem in finem institutus. Neque id ignorari a quoquam potest, qui vel sextam dumtaxat *Sac. Rotæ Romanæ Decisionem* legerit in illa earum *Decisionum Centuria*, quæ ob materiæ affinitatem in calce *Operum* Zacchiæ *Medico-legalium* addita est. Sub illius enim *Decisionis num. 9.*, commemoratur, *Hostiensem voluisse, quod* mulier debeat *prius lavari cum aqua calida, & ibi diu retineri ad dissolvendum medicamenta, quæ essent apposita, ut ibi dicit Abbas*. In ea autem aqua, quid prætetea sit incoquendum ad locorum angustiam arte factam, vel facilius retegendam, alii postea docuerunt, & in his *Codronchius* in extremo *cap. 11. Methodi testificandi*, hisce verbis: *Conniventia vero, & adstrictio medicamentis facta, poterit deprehendi, si cum quibusdam laxantibus, & calefacientibus muliebria loca foveantur*. Quibus in verbis Zacchias, qui Codronchium sequitur, pro *calefacientibus* legisse videtur, nec ab re quidem, *emollientibus*, qualia etiam enumerat *lib. 3. tit. 2. quæst. 7. num. 5. ut Malvam, Bismalvam, Violas, Branchan Ursinam, Betam, Fœnugræcum, Semen Lini, Melilotum, & hujusmodi*: recte quoque admonet, *animadvertendum esse, quod non illico a lotione, veritatis experimentum sumendum est, sed post convenientem locorum exsiccationem, quoniam immediate post fomenti adhibitionem, absque dubio loca relaxata, & patentia comperientur: Sed si exsiccari permittantur, si Virgo Fœmina sit, invicem cohærent, & naturalis constitutio evidenter apparet, sin simulata sit Virginitas, a collutione ariditas, contractio, & corrugatio locorum cessat, & ea patentia remanent manifeste corruptionem demonstrantia*. Illud tamen est de hoc *Zacchiæ* loco diligenter attendendum: quod ait, si Virgo Fœmina sit; id ita non accipiendum esse, quasi absolute diceretur: alioquin egregius auctor sibi non constaret, quippe qui postea *lib. 4. tit. 2. quæst. 1.* præter illam *Conclusionem* quam initio laudavimus, hanc etiam constituit *num. 24. Quibuscumque signis, quæ Virginitatem incorruptam attestari possunt, præsentibus, Virginem esse incorruptam, certo firmari non potest*. Illo igitur modo citata *quæst. 7.* loquutus est, cum ad illud dumtaxat respiceret, de quo Sermonem ibi instituerat, *medicamentis adstringentibus*, quantumvis *validis, ac potentibus* ad Virginalem angustiam ementiendam *non eam usam esse Mulierem*, in qua post illud experimentum *loca invicem cohærent, & naturalis constitutio evidenter apparet*.

Et sane nihil aliud ostendi eo experimento potest, dummodo tamen, ne aqua, & illuc, & tandiu pervenire Muliebri aliqua non difficili fraude prohibeatur, quo

qui-

Digitized by Google

quidem nisi perveniat, atque id tandiu donec alte impactas diuturno, sæpius iterato usu, validissimorum medicamentorum adstringentium particulas penitus solverit, atque eluerit, frustra id tentamen susceptum sit. Quid vero si paulo ante balneum usa esset Mulier adstrictoriis medicamentis, aut oleosis, aut oleis quibusdam exceptis? Videmus enim *Sinibaldum* eodem, quod antea laudaveramus, *cap.*14.*tract.*1.*lib.*4. inter cætera, quæ ad Mulierum naturalia adstringenda commendavit, *optima insuper fore* dixisse *linimenta ex oleo mastichis, cotoneorum, & myrtillorum*. Neque ignoramus, qua ratione certa quædam unguenta, sive ut vulgo appellantur *Manteche* apparari possint, quæ loca, quibus adhibentur, restringant. Num forte adstringentes particulas aqua, aut incocta aquæ emollientia auferre tunc poterunt, quas oleum protegat, & pinguedo? Sed, & Symphyti majoris eximias in coarctando vires, quas ex producta Hoechstetteri observatione supra confirmavimus, ex eadem novimus, non aqua, sed aceto fuisse victas. Quid? Quod non omnes adstringentibus, sed quædam etiam, ut ex *Fortunato Fideli* ostendimus, tumefacientibus se coarctant, quorum vis non superficie tenus se continet, ut prompte aqua possit elui. Verum faciamus causas omnes per quas ars constringit, tolli aqua posse; at certe illas per quas morbus constringit, ut scirrhum, aut duram, magnamque cicatricem, aqua non tollet. Nec vero eas angustias tollet, quas natura ipsa, vel tutata est, vel mox, aut longo saltem post intervallo restituit per siccius a primordiis, itemque ab ætate temperamentum, adjectasve Sphincteris vires sive per se majores, sive, quod frequentius, diuturna a veneris usu abstinentia corroboratas, nullo autem unquam partu laxatas. Denique nec Hymenis tollet integritatem, quam nec certum est longissima quiete non posse a natura, vel sine ullo cicatricis vestigio reparari; certum est autem, posse a natura in concubitu ipso servari, propterea quod Hymen, sive a peculiari Corporis constitutione, sive ab ætate, sive a temperamento, foramine sit ampliori, atque etiam ex substantia sit ob duritiem, densitatem, crassitiem magis resistente, vel foramine sit insculpto ad modum oblongæ rimæ, ut propterea, aut etiam ob adjectam interdum lubricitatem cedendo, facilius sine ruptura potuerit mediocrem penem transmittere. Quales enim in Virgine incorrupta, post ejusmodi balneum, convenientemque exsiccationem, & Hymen, & angustia apparent, tales quoque in ea, quæ sic quidem, ut diximus, corrupta sit, eædem appareant, necesse est. Neutra enim eas habet ab adstrictoriis medicamentis, sed utraque ab ipsa natura.

Quæ omnia, cum ita sint: primum illud plane intelligitur, qui factum sit, ut obstetrices, quippe horum pleraque, non modo non attendentes, sed prorsus ignorantes, persæpe in Virginitate dignoscenda & olim deceptæ sint, & adhuc decipiantur. Quapropter in Juris Pontificii libris *a Gaspare a Rejes* laudata *quæst.* 39. *num.*31. productis, illud diserte scriptum est: *Sæpe fallitur oculus, & manus obstetricum*. Sacra autem *Romana Rota* apud Zacchiam quæstione illa sæpius a Nobis citata 1. *ante num.*1. *obstetricum judicium esse fallax*, testatur: atque; ut omittamus, quæ *de incertis fallaciisque* ipsarum relationibus admonuerunt *Fidelis*, *& Pareus* locis cit., & hic insuper in *Tractata de renunciationibus*; Schurigius certe in sæpius memoratæ *Parthenologiæ sect.*3. *cap.*7. *num.*5. ex *Teichmeyero*, *& Augenio* certissima exempla profert tum *peritæ olim creditæ* obstetricis, quæ Magistratui testata est *illibatam* illam *atque integram* esse Virginem, quæ post aliquot hebdomadas peperit, tum sex *probatæ famæ* seu peritiæ obstetricum, quæ *juvenculam quamdam, quæ septem antea mensibus puerum pepererat, Virginem intactam judicarunt*.

Deinde ex illis omnibus, quæ supra a nobis producta sunt, hoc *evidentissime* consequitur, ut sine ulla prorsus dubitatione, *unanimes censeamus, obstetricum judicium de Virginitate Fœminæ, cujus naturalia, vel post usum Balnei aquæ calidæ recognoverint, admodum incertum esse*.

JO.

Digitized by Google

JO. BAPT. MORGAGNI

Super seminis emittendi impotentia

RESPONSUM

MEDICO-LEGALE ALTERUM.

MAndatis obsequens Reverendissimi Prosulis attente perlegi primum quidem *Positiones* Dom. Mariæ . . . . . , & *Responsiones* Dom. Hieronymi . . . ; deinde *Relationem* Præstantium quatuor Medicorum, eamque accurate perpendi. Nunc restat, ut juratus sententiam, qualis ea cunque sit, aperiam meam *de impotentia Viri*, I. *an ipsa existat*. II. *an perpetua, vel medicabilis*. Quod sicuti faciam eo veri studio, quo natura, & institutione solitus sum, & quod Deo, & Ecclesiæ semper, ac præsertim in gravissima Causa, debeo; ita eo brevius rem expediam, quo copiosius Docti isti Medici, omnia diligenter persequentes, exposuerunt.

Et sane quod ad I. attinet, ex ipsis Viri quo de loquimur, *Responsionibus* adeo perspicue ostenderunt, nescire ipsum, quid viris accidat cum semen emittunt, &, quod consequitur, nunquam emisisse, ut jure hinc conficere potuerint, absolutam seminis emittendi *impotentiam* in ipso *existere*, eamque a natura. Quid enim responderi adhæc possit? Num ideo nescire, quid cæteris accidat, quia ex illis sit quibus semen *effluit cum nulla*, ut Zacchias loquitur, *voluptate?* At ex illis non esse, demonstrat eorum descriptio apud eundem Auctorem Quæst. Med. Leg. l.9. t.3. q.2. n.10. (negantem præterea, eum affectum *remediabilem ullo modo esse, si a natura sit*). In illis enim *nulla erectio fit, aut modica, & quæ ad opus non sufficiat, & cum qua semen, & quidem ex se effluit*; in nostro autem illa non deficit; sed nihil effluit, ne tot quidem, ut ipse fatetur, *extra vas* adhibitis incitamentis. At enim de eo ambigit, an saltem effluxerit *intra vas*. Verum hoc minus facile fuisse, ostendunt laudati Medici: quibuscum facit Romanus Archiater, Sinibaldus Geneanthropiæ l.3. tr.3. cap.7. ego autem addo, me quidem legisse, esse aliquos, ut citata quæst. n. 20. ipse quoque refert Zacchias, *qui in venere exercenda semen emittere non possunt, quod tamen vel in somnis, vel in manstupratione emittunt*; sed contra de iis qui cum in prima possent, in secunda non possent, a me quidquam esse lectum, non meminisse.

Multo autem minus responderi potest, esse nostrum ejus viri similem, qui etsi nihil quod sub sensus caderet, emittebat, seminis tamen partem maxime necessariam qua virginem gravidam fecisse, opinabantur, hoc est spirituum ingentem vim copiamque emittebat. Namque, ut omittam, hanc opinationem, quam ingenii, credo, ostentandi causa quidam postea aliqua defensione non indignam putarunt, fuisse a Romano, Bononiensi, & Mediolanensi Medicorum Collegiis reprobatam; dicebatur vir ille post tantam spirituum emissionem *sensibus fere omnibus destitutus, humi concidere*, & *post unam venerem, per mensem libidinis incitamentis & carnis igniculis vacare consuevisse*, ut in memorato Sinibaldi Opere legitur l. 1. tr. 3 cap. 6.: quarum rerum nullam in nostro casu esse video.

Atque hæc non aliam ob causam attigi, nisi ut appareret, nihil solidi adversus illa posse regeri, quæ ab laudatis quatuor Me-

Digitized by Google

Medicis assumpta sunt, ut inde, & recte quidem, concluderent, absolutam seminis emittendi impotentiam esse in isto Viro, eamque a natura. Recte, inquam: neque enim si ea impotentia absoluta, & a primordiis non esset, sed *respectiva*, ut appellant, adventitia, & ex accidenti, fieri potuisset, nullo prævio ante pubertatem accidentis ejus indicio, ut ad annum usque circiter trigesimum nunquam semen vel post tot, ac tam, ac tam diuturna, incitamenta emisisset.

Ex hac ipsa impotentiæ ejusmodi confirmatione, de cujus *impotentiæ existentia* I. loco videndum fuerat, illud quoque elucescit quod II. loco sequitur examinandum, sitne ea futura *perpetua*, an *medicabilis*. Nam quæ spes nobis esse possit illam tollendi, quam tot anni, & variæ, ac meliores ætates, ac talia denique incitamenta, non dico tollere, sed ne imminuere quidem ex parte aliqua potuerunt? Humores certe, & partium quoque ipsarum nonnulla debilitas temporis longitudine, ætatumque varietate, ac partium exercitatione mutantur. Non igitur in humoribus, aut in levi partium debilitate pervicax ista, & constantissima impotentia consistit. Reliquum est igitur, ut in partium aliquarum, aut saltem particularum, ipsis necessario inservientium, defectu, aut prava figura, situ, occlusione, aut aliis ejusmodi vitiis consistat. Quæ si vitia sub sensus caderent; alicujus, & occlusionis præsertim tollendæ spes esse posset. Sic qui ob pupillam imperviam, aut ob suffusionem cæci nascuntur, aut surdi ob auditorium meatum ea quæ demi possit, materia obsessum; hac solertis, & Rei Anatomicæ non ignari Chirurgi auxilio detracta, suffusione autem deturbata, pupilla denique, id quod in Anglia perfectum est, idoneo intra oculum immisso instrumento adaperta, audiendi, videndique ingenita impotentia solvuntur. Neque aliter qui podice, aut urethræ orificio occluso in lucem eduntur, apta incisione eam qua carebant, obtinent recrementa egerendi potestatem. In isto autem Viro cum vitium nullum exterioribus in partibus occurrat; necesse est, interiores teneat, aut si exteriores, ad harum particulas spectet intimas illas, minimasque, sed eo magis officientes, quo minores sunt; minimis enim, & sensum fugientibus structuris maxima pleraque opera nostris in corporibus perficiuntur. Eas autem structuras mutare, aut partes quæ desint, supplere unus est qui possit Præpotens nostri Conditor Deus: Ars certe ulla non potest.

Et vero qui possit quæ ne structuras quidem illas ultimas cognitas habeat, imo quæ nesciat, in qua potissimum de tot partibus, & quod vitium sit unde ista existat impotentia? *Cujus autem rei non est certa notitia*, ut in Præfatione ad libros Medicinæ suos ajebat Cornelius Celsus, *ejus opinio certum reperire remedium non potest*: in isto autem usu ne probabile quidem, cum partes in quibus procul dubio res ea est, neque paucæ sint, & pateant simul plures, pancioresve tot vitiis, eamque inter se discrepantibus, in eoque tamen convenientibus, ut istam efferre impotentiam valeant, ideoque faciant, ut quæcunque conjectura veniat in mentem, continuo alia, atque alia se offerant, quarum cui plus tribuas, minime videas; illud videas, prudentis esse hominis, id quod Docti isti Medici fecerunt, sequi, ut assensum omnem cohibeas.

Nec vero sola ratio indicat, impotentiam istam esse insanabilem, sed & auctoritas idem confirmat Medicorum, passim, ut notissimum est, fatentium, *Organicos* morbos vel adventitios, nedum congenitos, vinci non posse. Quin imo gravissimus in his rebus Auctor Paulus Zacchias in eadem quam semel atque iterum supra laudavimus, Quæstione n. 13. de ipso hoc morbo, de quo scribimus, verba faciens, diserte docet, tunc etiam quando non ab organorum structura, sed a frigiditate pendet, *si* quidem *a natura sit, in prima juventute, calore in vigorem properante, fortasse aliquod remedium, licet non sine difficultate, esse admissurum; sed post corporis totale augmentum si perseveret, extra omnem spem sanationis fore.*

Præterea ipsa quoque experientia, quantum ego novi, necdum ostendit, hunc quo de agimus, morbum posse humana Arte superari. Non pauca vidi, multa audivi, plurima legi: nec unquam tamen ac-

Digitized by Google

accidit, ut quæ a natura esset, emittendi semen impotentiam fuisse victam, cognoscerem. Plura quidem scripta sunt a Medicis exempla eorum qui emittere semen non poterant. Sed alii, ut supra quoque indicatum est, extra concubitum emittebant, quales a vetustioribus Medicis Aetio, Rhasi, atque Avicenna, & ab eo insuper qui hos citat, Marcello Donato de Medica Historia Mirab. l. 4. cap. 18. proponuntur. Alii in concubitu, si non semen, at flatus sive per urethram, sive per anum extrudebant, quorum hos Aetius, & Amatus Lusitanus describunt, ab Donato ibidem laudati, illorum autem unum Zacutus de Praxi Medica Admirab. l. 2. Obs. 121. Alii, quos memorat Petrus Forestus Observationum Medicinal. l. 26. Obs. 18. in Schol. cum *nuper* a nuptiis *utrum nimis concalfacti, vel nimio amore incitati, semen minus ejaculari possent, postea animo sedatiores, id optime fecerunt:* præterea autem neque hi, neque illi de quibus proxime dictum est, id impedimenti a natura habuisse scribuntur, &, si vera fateri volumus, non videntur.

Nec certe habuerunt alii, quos recensent Paulus Ammannus Miscellan. Nat. Cur. Dec. 1. An. 2. Obs. 185.; Frider. Christianus Cregutus eorund. Miscellan. Dec. 3. An. 5. & 6. Obs. 287.; & Nicolaus de Blegny Zodiac. Medic. Gallic. An. 2. M. Mart. Obs. 4. Nam Scriba de quo hic loquitur, *plurimos antea susceperat liberos*, cum denique propter carunculam seminalem tumefactam, & induratam, semini, quod ipsum quoque postea induruit, omnino exitus præclusus est. Scriba autem alter, de quo Ammannus, hanc impotentiam *per integrum annum* dumtaxat pertulerat, cum semen suis in vasis cohibitum, sibi per tria foraminula exitum aperuit in ima dextera ventris parte, credo ex vase quod illac transit, semen ipsum a teste ad Vesiculam defferente. Vir denique a Creguto propositus, cum in adolescentia semen emittere potuisset, id posse desierat post immanem, quam sæpissime perferre coactus fuerat, frigoris vehementiam. Nec tamen ab impotentia hac, quantumvis adventitia, eorum quisquam potuit liberari; quanquam omnes per venereum palæstram in qua erant assidui, aliquis etiam ultra annos undecim id conarentur, & ultimus, in prima adhuc virilitate, remediis insuper; nam de causa externa constabat; uteretur. Sed minime hoc loco omittendum est sapientis Medici Creguti judicium, qui *affectum* esse *incurabilem*, *quia per longas nimis moras invaluerat*, *statim* pronunciaverat. Quod si hoc in adventitio; quanto in eo magis qui sit a natura?

Adventitium pariter fuisse, existimo in utroque illorum, qui a Casparo Wolphio memorantur apud Schenckium Observation. Medic. l. 4. ubi de Coitu Obs. 6. si *testium durities*, propter quam primus *semen nunquam exereverat*, post ortum; sic enim fere solet; advenerat, sique alterius *simili* in ea quoque duritie *casus* fuit: quemad modum & in eo de quo legisse olim videor in Disquisit. Corp. Hum. Jo. Maur. Hoffmanni, ob scirrhum testium confirmatum ne tantillum quidem seminis ejaculante. Verum sive in aliquo horum durities testium a primordiis fuit, sive non fuit; neminem ipsorum ab sua ista impotentia solutum legimus.

Una ex omnibus, quas vidisse meminerim, istius generis historia restat; nam altera quæ ex Felice Platero profertur Observation. l. 1. ubi de Actus Venerei Defectu, ne id quidem certum proponit, an verax esset querela uxoris de marito se *citra spermatis effusionem* exercente. Una igitur illa est Georgii Wolffgangii Wedelii apud Thomam Bartholinum in Act. Medic. Hafn. Vol. 2. Obs. 44. Textor erat in venereo congressu validus vel præter modum, *nulla* tamen, *licet maxime urgeret*, *subsequa ejaculatione*. Huic tandem *post* quendam *morbum interjecto quodam tempore*, & *post ingentem conatum* ea impotentia sublata est. Igitur nisi ille morbus fortuito intervenisset; ne hic quidem sanatus esset. Nec tamen constat, impotensne esset a natura, cum illud tantum constet, *per quinque annos sic fuisse*.

Quæ cum ita sint, exemplisque omnibus, quæcunque mihi ad hoc tempus cognita sunt, diligenter perpensis, nullum occurrat, quo absolutam, & quæ certe a natura esset, emittendi semen impotentiam, aut per se, aut Medicæ Artis ope vi-

victam fuisse, cognoscamus; imo sæpius etiam adventitiam, quæ ad longum durasset tempus, fuisse insanabilem, perspiciamus; profecto non video in casu proposito quæ spes esse possit sanationis.

Quapropter, ut eandem concludam; sicut ipsis Dom. Hieronymi *Responsionibus* innixus, semen emittendi *impotentiam*, eamque absolutam, & a natura, in eo *existere*, ita ratione, auctoritate, & experientia fretus, eandem *perpetuam* fore, *nec* humana Arte *medicabilem*, juratus respondeo, quatenus Medicæ Facultatis natura finit, & mea in hac Facultate mediocritas.

JO. BAPT. MORGAGNI

RESPONSUM

MEDICO-LEGALE TERTIUM

An post septem a conceptione menses infans nasci possit vitalis, & perfectus?

QUæritur ex me sic in universum, num fieri nullo modo possit, ut post septem a conceptione menses infans nascatur non vitalis modo, sed & numeris omnibus absolutus. Ego vero neque rationem, neque experientiam obstare, respondeo, quin posse, affirmemus.

Non rationem. Neque enim in tanta horum temporum luce anxie attendunt sapientissimi Medicorum aut numeros quosdam Pythagoricos, a quibus *Antiquos illos celebres nimis falsos fuisse*, jam tum diserte ajebat Fortunatus Fidelis, cum sub initium præteriti sæculi de septimestri, & octimestri partu scriberet libro 3. de Relationibus Medicorum; aut ægrotationes nescio quas certis gestationis temporibus matribus, & fœtibus communes; aut, ne longum faciam, alia ejuscemodi: quæ omnia cum alii antea, tum præsertim nostra memoria nervose confutavit Vir Cel. Heisterus in ampla Dissertatione Medico-Forensi, qua contra Zacchiam, & qui cum eo faciunt, ostendit, hominis *partui* nullum certum tempus in universum tribui posse: quod a Vetustissimis traditum, & ab Augenio duobus libris de eodem argumento editis comprobatum. Gaspar quoque a Rejes in Elysio Jucundar. Quæst. Campo quæst. 90. n. 9. & Diemerbroeckius Anatom. l. 1. cap. 25. Franciscus Verde in Observationib. Physicolegal. Obs. 4. aliique censuerant.

Pro causa autem, atque ratione celerioris, aut serioris secundum naturam partus cum spectandum potissimum sit celerius fœtus incrementum, & robur, & quod hujus varietatis causa præcipua est, parentum quoque, & matris inprimis vigor varius & constitutio; nihil prohibet, quin si parentes juventute, & viribus floreant, & multa vel extrinsecus faventia conveniant, ex tot fœtibus aliqui aliquando possint maturi jam esse partui post mensem septimum, vivaceque, & numeris omnibus absoluti prodire. Et sane Fidelis libro citato quid ipse *diligenter observasset*, in medium proferens, *qui septimo mense utcunque nati sunt, fere omnes*, inquit, *exiguo, & nisi bene valida formatrix facultas fuerit, quasi imperfecto corpore eduntur, quique nondum justum naturæ robur assecuti fuisse videri possent*. Si fere omnes; non omnes igitur, sed ii quibus non bene valida formatrix facultas fuit; non quibus fuit, hoc est, ut supra primus hic Medico-Legalis Doctrinæ Magister loquitur, non quibus *validum fuit parentum robur, certaque locorum fœcunditas*. Possim huc alios supra laudatos Auctores addere, iisque adjungere quæ Mauriceau in Tract. *delle ma-*

Digitized by Google

malattie delle donne gravide, ubi & præcocium pro ſolis, & ſoli varietate fructuum exemplo utitur, & quæ edidit in Pandectis Medico-Legalibus Parte 1. Sect. 1. Caſu 26. Mich. Bern. Valentinus ſub litt. D. Sed ſatis eſt Gaſparem a Rejes cit. quæſt. n. 10. indicare; qui inſuper ex analogis cauſis repetendum, egregie ſentit, nec magis eſſe admirandum, quod aliqui interdum pueri ante conſuetum tempus gignere, & puellæ aliquæ teneliæ adhuc concipere potuerint.

Nec vero nobis magis obſtat, imo vel magis favet ipſa Experientia. Non me quidem fugit, Ariſtotelem ſolitum eſſe objici, quaſi, ut quidam, & in iis Zacchias Quæſt. Medico-Legalium l. 1. tit. 2. quæſt. 3. n. 64. mancos omnes, mutilos, imbecillos, aut certe ſignum aliquod habentes imperfectionis ſeptimeſtres naſci, docuiſſet. Sed nec vacat hic quærere, num omnes omnino comprehenderit, neque illi graviorem hac in re, & contrariam Hippocratis auctoritatem opponere, qui ſub initium libri *de Septimeſtri Partu*, eorum quosdam *omnium participes eſſe*, ſcripſit, *quorum etiam perfectiſſimi participes exiſtunt*, ſive, ut fideliſſimus ejus Interpres loquitur Proſper Martianus in adnotatione ad eum locum, *omnium ſunt pleniſſimi, & robuſtiſſimi*, ſed *ejuſmodi perfectionem etiam hi participant magis, qui ſuperſtites manent, & educantur*. Ultro concedam cum Heiſtero Diſſert. cit. cap. 3. n. 1. & 4. ſeptimeſtres plures eſſe imbecillos, quippe a matribus morbo affectis, pluresque imperfectos, quippe non eodem & proprio, & parentis robore auctos quo ii de quibus nobis ſermo eſt, expreſſoſque, & ejectos potius, quam editos: nec mirum, cum etiam ex novimeſtribus minime deſint ob easdem cauſas aut imbecilli, aut minus perfecti. Verum cum hæc conceſſero; viciſſim negari mihi non patiar id quod in præſentia ſatis eſt, & experientia convincit, eſſe tamen aliquos contrariis de cauſis poſt ſeptimum menſem & robuſtos, & undique abſolutos. Valentinus Sect. cit. Caſum producit 31. infantis, quem juvenis virgo nupta die 4. Novembris pepererat die 17. Junii inſequentis *partibus, & numeris abſolutum omnibus*. Quem tamen conſulta Facultas Medica Lipſienſis pronunciavit, *omnino pro ſobole legitima mariti, & in ſpecie pro partu ſeptimeſtri habendum eſſe*. Præterea Martinus Schurigius in *Embryologia Hiſtorico-Medica* Sect. 4. cap. 1. §. 18. profert Cl. Viri Goelickii *Medic. Forenſ. Specim.* locum, in quo pro certiſſimo refertur, *matronas honeſtiſſimas, famæque integerrimæ tempore puerperii de novo impregnatas*, ut nullus ſubeſſe poſſit in menſium computatione error, *ſeptimo menſe partum omnibus numeris abſolutum, & ſucceſſive ad virilem conſiſtentiam evectum, in lucem edidiſſe*. Huc adde quæ idem Schurigius ibidem protulerat ex Sylvii, & Valentini obſervationibus, fuiſſe familias, ipſis probe notas, *in quibus omnes liberi erant ſeptimeſtres*, & præſertim unam in qua *hos in tertio gradu* Sylvius *obſervavit factum*. Quæ res in tertium gradum protrahi non videtur facile potuiſſe, niſi proles & robuſta, & perfecta edita eſſet. Sciens prætereo alia vel multo antiquiora exempla, apud eundem, alioſque legenda. Nam ſatis mihi eſt, id non ſemel factum fuiſſe, quod oſtendendum ſuſcepi fieri poſſe.

Facilius autem poſſe fieri, intelligetur, quo diutius fœtus in utero manſerit, velut ii de quibus quæritur, poſt ſeptem menſes in lucem editi. Sive enim ſic accipiamus uti hactenus accepimus, ut ad finem ſeptimi menſis ſint nati, ſive, idque multo magis, inchoato jam octavo; minor, atque minor difficultas ſe objiciet, quo plus temporis cauſis datum fuerit fœtum perficientibus. Et ſane in citata Valentini Sectione Caſu 32. Reſponſum producitur Facultatis Medicæ Lipſienſis, in quo hæc leguntur; *unanimiter Medici tradunt, quod quo magis infans circa finem ſeptimi naſcatur, eo quoque* ſit *perfectior*. Præter cæteros autem diſerte id tradiderat Sennertus *Inſtitution. Medicinæ* lib. 1. cap. 10. cujus verba ſi diligentius perpendantur; præclare intelligetur, cum quosdam ſeptimeſtres vitales agnoſcit, nec eos tamen ex ipſis qui *quocunque modo aliquid imperfectionis* adhuc *obtineant*; ſequi igitur neceſſario, ut ipſe quoque nonnullos ſeptimeſtres admittat, in quibus nulla omnino perfectio, atque abſolutio deſideretur. Idem vel illis temporibus quantum jam ac-

Digitized by Google

cederet ad intelligendum, inanes cauſas proferri, cur octavo menſe editus infans vitalis eſſe non poſſet, ex iis quæ deinceps ſubjicit, manifeſto apparet. Noſtra autem ætate quantum id, olim pervulgatum, dogma apud Doctiſſimum quemque abjectum jaceat, laudati ſupra Auctores oſtendunt Diemerbroeckius, Valentinus, Heiſterus, Schurigius; ut nihil attineat aut contra ea quæ initio indicavimus, infirma ejus quoque dogmatis fundamenta indicare, aut magnum veterum, & recentium exemplorum numerum, quæ contraria experientia pro nobis ſufficeret, apud Augenium *de hominis partu* lib. 1. cap. 16. aut apud Schenckium *Obſervation. Medicar.* lib. 4. ipſumque Diemerbroeckium, & Schurigium indicare, præſertim cum ſcribentibus nobis Tabellarii diſceſſus inſtet, nec plura liceat, in his tantis auguſtiis temporis hoc reſponſum a mediocritate noſtra Quærentibus adjicere.

Digitized by Google

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI

IN

A. CORN. CELSUM,

ET

Q. SER. SAMONICUM

EPISTOLÆ DECEM

AD JO. BAPTISTAM VULPIUM

PUBLICUM IN PATAVINO GYMNASIO PROSECTOREM, ET DEINDE ANATOMES PROFESSOREM EMERITUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Doctissimo, atque Ornatissimo Viro

D. LAURENTIO HEISTERO

ANATOMICO NOBILISSIMO,

Antea in Altorfina, nunc vero in Regia atque Ducali Julia Helmstadiensi Academia

PROFESSORI CELEBERRIMO

Joannes Baptista Morgagnus S. P. D.



IDE, *amor quid possit*, PRÆSTANTISSIME LAURENTI, *Cum Jo. Baptista Vulpius duos, inter Latinos, vetustissimos, atque eruditissimos Medicinæ Scriptores, A. Cornelium Celsum, & Q. Serenum Samonicum quam emendatissime, ornatissimeque edere statuisset; in animum induxit, ut in ea quoque re meis consiliis, & monitis uteretur; quasi vero quantum in Medicina, atque Anatome, in quibus fateor mediocriter me esse versatum, tantum pariter in Philologia, cujus excolendæ ne tempus quidem unquam habui, studii, atque operæ posuissem. Ego vero qui illum propter suavissimos mores, summam adversus me pietatem, & eximios quos in Re Anatomica, & quæ ab hac, magna ex parte, pendent, Chirurgica, ac Medica habet progressus, quantum ipse me amat, tantum redamo, ubi video, conceptam de me opinionem ex ejus animo evelli non posse, morem denique me gesturum, & quidquid per angustias temporis, cæteraque occupationes meas possim, in duas Epistolas, singulas in Auctores illos singulos scriptas, & ad ipsum datas, conjecturum esse, polliceor. Quas postquam ipse perlegit, ecce tibi altera amantissima illa quidem, sed gravis*

ta-

Digitized by Google

tamen, atque inexpectata, efflagitatio. Quæ enim ita ad illum ſcripſeram, ut ſiquid forte minus inutile judicaret, hoc uteretur, reliqua premeret; ille contra, omnia non dubitavit tanquam egregia (ſic enim pro ſuo in me ſtudio loqui ſolet) ac luce dignißima prædicare; edi ut permitterem, inſtare; ſimul Jo. Antonium Fratrem ſuum Virum Cl. & ejuſmodi quidem rerum æſtimatorem elegantißimum, ſed tamen eodem erga me amore tranſverſum actum, adhibere. Quid verbis opus eſt? in eum denique locum adductus ſum, ut vel utrumque minus amare, hunc etiam non tanti facere, quanti merito ejus magno facio, viderer, vel ut manus ipſis dare, & quod flagitabant, promittere cogerer. Vix id promiſeram, cum Tuorum erga me Meritorum, VIR CELEBERRIME, *venit in mentem, quæ tanta nimirum, atque ita omnibus nota ſunt, ut ſiquid hoc tempore in manus hominum emitterem, quod in Tuo Nomine non appareret, ingratißimus omnium non injuria exiſtimarer. Itaque conſtitui, ut quando a Vulpio meas edi Epiſtolas illis cum Scriptoribus neceſſe eſſet; de ante a me, ſeorſum ederentur, Tuoque Inclyto Nomini inſcriberentur. Equidem ſcio, quantum, & quid a Te acceperim; quantulum autem, & quid Tibi referam, video. Verum cum ſubit, Te in primis ex iis eſſe qui mihi tantum tribuerint, quantum ipſe nunquam agnoſcam; facile in eam ſpem venio, ut quoniam me; quæ Tua Humanitas eſt; non minore, quam Vulpii Fratres, amore proſequeris, non minus amanter de his Epiſtolis; quales eæ cunque ſunt; judices, quam ipſi judicaverint. Vale,* VIR DOCTISSIME, *& veteris illius quem ne nominare quidem volo, Obtrectatoris ſecurus, Nobiliſſimam iſtam Academiam, atque adeo omnes omnium Medicorum, Chirurgorum, Anatomicorum Scholas egregiis, quod facis, voluminibus ornare perge.*

D. Patavio X. Kal. Quinctiles. MDCCXXI.

SUM.

Digitized by Google

SUMMO EIDEM VIRO

D. L. HEISTERO

SERENISS. BRUNSVIC. ET LUNEBURG. DUCIS CONSILIARIO AUL. ATQUE ARCHIATRO, ET MEDICINÆ, CHIR. AC BOTAN. PROFESSORI EXIMIO

Joannes Baptista Morgagnus S. P. D.



Quæ me causæ ante hos undetriginta annos impulerunt, ut priores illas in A. Cornelium Celsum, & Q. Serenum Samonicum Epistolas scriberem, scriptasque edi tandem sinerem, antea vero quam cum iis Auctoribus prodirent, seorsum in Tuo Illustri Nomine apparere vellem; eædem causæ fecerunt nuper, ut Epistolas alias adderem, & quamvis non ut exirent; id quod ipsæ non uno loco ostendunt; conscriptas, vulgari tamen ad extremum vetare non possem: eædemque causæ nunc faciunt, ut quando in omnium manus hæ quoque Epistolæ venturæ sunt, in Tuas prius venire velim, VIR CELEBERRIME, *ne hoc alterum, quantumvis leve, publicum certe, & ingenuum desit meæ constantissimæ amicitiæ, & Tuorum tot erga me Meritorum non immemoris animi testimonium. Igitur quam libenter olim primas; quæ Tua fuit Humanitas; accepisti; nunc accipe universas. Hoc a Te: ab* DEO *autem Immortali illud peto, ut Te mihi Amicum Optimum, Cultoribus vero utilissimarum Facultatum, quas tantopere egregiis libris auxisti, & augere pergis, eximium Magistrum quam diutissime servet incolumem.*

D. Patavio Postrid. Non. Quinctil. MDCCL.

Digitized by Google

IN A. CORN. CELSUM

EPISTOLA PRIMA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

QUanquam te deficere nihil, puto ad A. Cornel. Celſum, & Q. Serenum Samonicum pari induſtriæ, & diligentiæ laude edendos atque a V. Cl. Fratre tuo Corn. Nepos, & C. Valerius Flaccus non ita pridem editi ſunt; tamen quando meam quoque ſententiam, & monita aſſidue poſtulas, atque adeo flagitas, non committam, mi Vulpi, ut tanto iſti deſiderio tuo ipſe videar defuiſſe. Et primum quod ad Celſum attinet (nam de Sereno alias ſcribam) illud recte ſtatuiſti, ut eam præ cæteris editionem ſequaris quam Vir, dum viveret, Eruditiſſimus procuravit Th. J. Almeloveenius. Cujus mei hac de re judicii rationem afferam, ſi prius de iis quæ in illa editione propoſita ſunt, tum Vita, tum Elogiis Celſi pauca admonuero. Cum Joannes Rhodius, a quo Vita illa ſcripta eſt, ignorare non deberet, Epiſtolas duas, alteram ad J. Calliſtum, alteram ad P. Natalem immerito in Marcelli volumine, Corn. Celſi præferre nomen propterea quia prior certe Scribonii eſt, quod luculenter ab eodem ipſo Rhodio in alio (1) eſt libro demonſtratum; utraque autem vel ipſo (ut nunc cætera omittamus) dictionis genere ita a ſcriptis Celſi diſcrepat, ut id qui non videat, nihil ille prorſus videat; cum hæc, inquam, ita eſſent; non intelligere me, fateor, qua tandem ratione ſibi licere crediderit Rhodius, Vir alioqui pereruditus, illarum Epiſtolarum, perinde ac ſi Celſi eſſent, teſtimonio paſſim uti ad ea quæ de hujus vita proponit, comprobanda. Qua de Rhodii inconſtantia, atque adeo prolapſione tantum abeſt ut Almeloveenius Lectores monuerit; ne Amanuenſium quidem Rhodii, aut Typographorum Hafnienſium in illo Opuſculo deſcribendo gravia quædam ac manifeſta correxit errata, ut ubi Largii Deſignatiani (ejus videlicet cujus Epiſtolam Marcellus exhibet) nomen in *Largii deſignationi* non ſine totius ſententiæ incredibili depravatione mutavere, vel ubi Celſum Roma oriundum aperte monſtrare, ſcribunt ipſius lib. 5. cap. 21; in lib. autem 7. cap. 26. ipſum prodere, pharmacorum (eorum, inquam, pharmacorum quæ *præbuiſſe* dicitur) artificioſam miſtionem ſe accurate intellexiſſe: quæ nempe capita licet ita diligenter perlegas, ut ne littera quidem una te fugiat; quod tamen ad propoſitum faciat; reperies nihil. Hos autem locos, & præſertim poſtremum eo magis emendare oportebat, quod nullum præterea aliud verum ac luculentum Celſi ipſius teſtimonium protulit Rhodius, quo illud ſaltem, ipſum non legendo tantum (quod plures putarunt) atque exſcribendo, ſed obſervando etiam, ſuumque judicium interponendo, in re medica verſatum eſſe, probaret: mirum ſane in eo qui tot annos in relegendo Celſo conſumpſerit, cum Iſ. Caſaubonus tres ejuſmodi locos in Scholiis annotaverit ſuis, quæ Scholia edidit (2) Almeloveenius, alioſque ipſe animadverterim, de quibus totidem, exempli cauſa proponere ſatis eſt:

(1) *Not. in Scribon. pag.* 11. (2) *ad pag.* 118. *lin.* 22.

Digitized by Google

est: (1) *Ego sic restitutum esse neminem memini*: & (2) *Neque audiendi sunt, qui osse mudato, dies tertium expectant, ut tunc excidant: ante inflammationem enim tutius omnia tractantur*: & (3) *In omni fisso fractove osse, protinus antiquiores medici ad ferramenta veniebant, quibus id exciderent. Sed multo melius est ante emplastra experiri.*

Elogia autem, & Testimonia de Celso nulla potius afferri oportuit, quam aut ita concepta, aut ita pauca, ut in ista editione allata sunt, tanquam illud quod Egnatio (4) excidit, certissimum esset: *Cornelii Celsi Fabius, quod sciam, ex veteribus tantum meminit*. Quid enim? An non Columellæ proferri plures poterant loci, unde intelligeretur, & quam late fusa rerum scientia, & qua elegantia, & qua auctoritate, & qua fama, & quibus temporibus, & quot etiam, ex parte, volumina Celsus scripsisset? velut ubi (5) *Cornelium Celsum* vocat *non solum agricolationis, sed universæ naturæ prudentem virum*, aut ubi (6) de Apibus negat *quicquam præcipi posse elegantius quam a Celso jam dictum sit*, aut ubi (7) his verbis utitur: *quamvis doctissimi Viri* (Celsi) *auctoritatem reverebar, tamen ambitione submota, quid ipse censerem, non omisi*: aut his (8): *Julius Atticus, & Cornelius Celsus ætatis nostræ celeberrimi auctores*: itemque (9); *Celsus, & Atticus, quos in re rustica maxime nostra ætas probavit*: denique (10): *ut Carthaginensem Magonem rusticationis parentem maxime veneremur; nam hujus octo & viginti memorabilia illa volumina ex senatusconsulto in latinum sermonem conversa sunt; non minorem tamen laudem meruerunt nostrorum temporum viri Cornelius Celsus, & Julius Atticus. Quippe Cornelius totum corpus disciplinæ quinque libris complexus est*.

Quos quidem libros quinque ad rei tantum rusticæ disciplinam pertinuisse, tum ea ostendunt quæ antecedunt, ac subsequuntur, tum id confirmat quod in Vita Celsi tradidit Rhodius, videlicet antiquorum quæ calamo scripta sunt, ejus de re medica exemplarium hanc communem esse inscriptionem: *A. Cornelii Celsi Artium Liber VI.* quam quidem & in Gudiano observavit Vir Cl. Jo. Alb. Fabricius (11), & Manutii suis in editionibus fideliter repræsentarunt, quos nimirum secutus est H. Stephanus, sed his verbis: *Operis ab eo scripti de artibus pars sexta*. Et quintam quidem fuisse eos libros de re rustica, ex primis ipsis sextæ versibus satis intelligi, recte ab eruditis hominibus est adnotatum. Quo autem ordine essent partes reliquæ locatæ, & quot in libros distributæ, & num sexta ultima esset, de his nihil videor legisse quod pro certo habere possimus. Conjectura enim esset, neque illa satis firma, si quis id jungens quod modo dictum est, cum ordine in pervulgato eo (12) Fabii loco observato: Corn. Celsus *rei militaris, & rusticæ etiam, & medicinæ præcepta reliquit*, colligeret, quartam Operis partem fuisse de re militari. Conjectura quoque est docta hæc quidem, & quam cum altero (13) Fabii loco, de iis quæ Celsus ad *Scepticorum* exemplum *non parum multa* scripsit de Philosophia, valde consentire, animadverto; sed tamen conjectura est, quam laudatus Fabricius proposuit, cum (14) *de hoc nostro* Celso *videtur*, inquit, *accipiendum quod S. Augustinus præf. libri de hæresibus ait, opiniones omnium Philosophorum qui varias sectas condiderunt usque ad tempora sua sex non parvis voluminibus Celsum quendam absolvisse*. Ad quatuor autem quas nominavimus, partes de re rustica, medica, militari, & philosophica, ut sine dubitatione aliæ duæ doctis ab hominibus addantur, de arte videlicet rhetorica, & de jure civili; ita suspicari aliquos posse, video, an non aliæ insuper adjici debeant. Neque hoc tamen dico ob librum de herbis jure ac merito longe alii Scriptori attributum, aut quod Celsum peculiares libros scripsisse censeam de arte veterinaria, quanquam Rhodius in ejus Vita postquam libros cæteros

(1) *lib. 7. cap. 7. p. 426. l. 16.* (2) *lib. 8. cap. 2. p. 509. l. 24.* (3) *lb. c. 4. p. 517. l. 6.* (4) *in Epist. Dedic. Celsi.* (5) *de Re Rust. lib. 2. c. 2.* (6) *l. 9. cap. 2.* (7) *lb. c. 6.* (8) *l. 3. c. 17.* (9) *l. 4. c. 8.* (10) *l. 1. c. 1.* (11) *Suppl. Biblioth. Lat. lib. 2. c. 4. & Bibl. Ibid.* (12) *Institut. Orat. l. 12. c. 11.* (13) *Ibid. l. 10. c. 1.* (14) *loc. cit.*

Digitized by Google

teros memoravit, hæc habeat: *Veterinariam quoque conscripsisse autor est Mercurialis lib. 4. cap. 2.* Moveret quidem me mei eruditissimi Civis auctoritas; si locum quem ad istum modum indicavit Rhodius, alium esse putarem ac illum qui in Prælectionibus Patavinis, lib. 4. cap. 2. sic legitur: *Scripserat enim Celsus de medicina brutorum*. Nam hoc negare potest nemo qui modo Celsi verba legerit (1): *amurcæ ad tertiam partem decocta, vel sulphur pici liquidæ mistum, sicut de pecoribus proposui, hominibus quoque scabie laborantibus opitulantur*. Quinetiam Columellam pluribus in locis (2) ad varios boum, oviumque morbos proposita a *Celso* remedia laudantem invenio. Veruntamen ut Robertus Constantinus (3), atque adeo noster Almeloveenius (4) eo Celsi loco nihil aliud significari, docuerunt, nisi quod tradiderat in libris de re rustica; ita ex his etiam Columellæ non video qui confici possit, peculiares alios de medicina veterinaria libros a Celso fuisse conscriptos, cum ea omnia inter rei rusticæ præcepta (quod & ipse Columella, & Cato fecerunt) opportune tradi potuerint, neque aliter accipere necesse sit verba Mercurialis. Non veterinariam igitur peculiaribus libris complexum esse Celsum, suspicor, sed alias ex iis artibus quas indicat Quintilianus (5). *Marcus*, inquit, *Censorius Cato idem orator, idem historiæ conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus. -- Quam multa, imo pene omnia tradidit Varro? Quod instrumentum dicendi M. Tullio defuit? Quid plura? cum etiam Cornelius Celsus mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris, & rusticæ etiam, & medicinæ precepta reliquerit.* Nosti quot, & quam varia argumenta tractata sint a Varrone; nam etsi libri ejus plerique perierunt, inscriptiones tamen sunt nobis ab antiquis Scriptoribus conservatæ, quas tanquam in tabella Cl. Fabricius (6) exhibuit: in primis, ut totius erat antiquitatis peritissimus, rem historicam esse Varronem persecutum, nemo ignorat: quod Catonem quoque illum Censorium fecisse, constat, & Quintilianus isto in loco diserte confirmat. Num ergo Celsum, etsi nihil præterea aliud scripsisset, Historiam saltem attigisse, non suspicabimur? Sed ne diutius in his quæ minus sunt certa, hæreamus; ad ea quæ certissima sunt, reliqua de Celso Columellæ Testimonia, atque Elogia redeo: quæ inter, eo magis quæ protinus afferam, omissa adhuc (quod sciam) fuisse miror, quod deperditorum ejus de re rustica librorum Fragmenta quædam in nonnullis præsertim eorum videntur esse servata. Nam lib. 1. cap. 8. *Ejusmodi*, inquit, *villicum* (illiteratum, sed tenacissimæ memoriæ) *Cornelius Celsus ait, sæpius numos domino, quam librum afferre, quia nescius literarum vel ipse minus possit rationes confingere, vel per alium propter conscientiam fraudis timere.* Lib. 2. cap. 9. *Nam, quod ait Celsus, ubi mediocris est fructus, optimam quanque spicam legere oportet, separatimque ex ea semen reponere.* Lib. 3. cap. 2. *Albuelis* (vitis) *utilior, ut ait Celsus, in colle, quam in campo: in arbore, quam in jugo: in summa arbore, quam in ima, ferax & materiæ frequentis, & uvæ:* atque iterum: *Prudentis magistri est -- illud in totum præcipere, quod & Celsus ait--: Nullum genus vitium conserendum esse, nisi fama; nullum diutius conservandum, nisi experimento probatum.* Lib. 7. cap. 2. *Igitur id pecus* (ovillum) *quamvis mollissimum sit, ut ait prudentissime Celsus, valetudinis tutissimæ est, minimeque pestilentia laborat.* Capite autem 3. ejusdem libri: *Nam melior est* (agnus) *autumnalis verno, sicut ait verissime Celsus.* Lib. 8. cap. 13. Anser *autem non ubique haberi potest, ut existimat verissime Celsus, qui sic ait: Anser neque sine aqua, nec sine multa herba facile sustinetur, neque utilis est locis consitis, quia quicquid tenerum contingere potest, carpit. Sicubi vero flumen, aut lacus est, herbæque copia, nec minus juxta satæ fruges, id quoque genus nutriendum est: quod etiam nos facere censemus, non quia magni sit fructus, sed quia minimi oneris.* Lib. 9. cap. 1. *Quam rationem* (reparandi apes

(1) *l. 5. c. 28. p. 338. l. 31.* (2) *l. 6. c. 5. 12. 14. & l. 7. c. 5.* (3) *in Adnotat. ad Celsi.*
(4) *in Scholiis in Celsi.* (5) *Instit. Orat. lib. 12. c. 11.* (6) *Biblioth. Lat. l. 1. cap. 7.*

Digitized by Google

ipes ex juvenco perempto) *diligentius persequi supervacuum pudo, consentiens Celso, qui prudentissime ait, non tanto intentu pectus istud admisiti* (an *amisiti?*) *ut sic requirendum sit*. Sed cum ex aliis præterea Columellæ locis, ac præsertim ex fine memorati novissime capitis & sententias Celsi, & quid de his Columella censuerit, cognoscere possimus; tamen eos quos protuli, dignos præter cæteros judicavi qui minime in Almeloveenii editione omitterentur.

Porro neque Plinius silentio erat præterundus, qui toties Celsum inter Auctores (& quidem non Externos) quos secutus est, retulit in primo Naturalis Historiæ libro, atque alibi etiam, ut libro 10. cap. 53. & (quod Almeloveenius non ignoraverit) in calce capitis quarti, libri 20. ubi ex Celso diserte nominato remedium adversus podagram attulit, quod in libro hujus habemus quarto, cap. 24. Nam alium quendam Plinii locum ex lib. 14. c. 2. *Græcinus, qui alioqui Cornelium Celsum transcripsit*, non contemno quidem; sed tamen non tanti, quanti facere Eruditi nonnulli Homines videntur, facio. Etsi enim Julium hunc Græcinum (hunc, inquam, ipsum Justi etiam Lipsii (1), atque Henrici Savillii (2) judicio) & ab Seneca (3) haud semel laudatum, & a Corn. Tacito (4) insigni illo elogio ornatum invenio: *pater Julii* (Agricolæ) *Julius Græcinus senatorii ordinis, studio eloquentiæ, sapientiæque notus, iisque virtutibus iram Caji Cæsaris meritus; namque Marcum Sillanum accusare jussus, & quia abnuerat, interfectus est*; ut ad Celsi laudem non mediocriter pertineat quod ab ejusmodi Viro credatur esse transcriptus; haud facile tamen censuerim, aliud voluisse Plinium significare, nisi quod super helvenaca, de qua ibi loquitur, vite Celsi illè judicium descripserit. Neque enim, aliter si esset, aut Plinius ipse (5) inter eos Scriptores quorum auctoritatem in libris 14. 15. 17. 18. secutus est, præter Celsum, Græcinum quoque nominasset, atque adeo in libri 16. Indice hunc, Celso omisso, memorasset, aut Columella (6) sæpe adeo sententiam Julii Græcini nominatim laudasset, atque ipsa, ut videtur, verba, quæ pro Græcini Fragmentis habere fortasse possunt, plerunque retulisset; imo ipsum, non Julii Attici, quod facit, (7) sed Cornelii Celsi *velut discipulum*, scripsisset, *duo volumina similium præceptorum de vineis* edidisse. Utcunque id est; hæc veterum Auctorum testimonia antiquam Celsi famam, atque etiam (quod vel ex iis intelligi potest quæ de Græcino modo attigimus) ætatem ipsam indicantia, istic omnia prætermittuntur.

Unus Quintiliani locus, cum proponi plures possent, & in his aut ubi (8) Celsum de eloquentiæ præceptis *accurate* scripsisse, judicat; aut ubi (9) eundem *eruditum* appellat *virum*; aut ubi (10) inter *pauciss imos eloquentes*, quos in philosophia *literæ Romanæ tulerunt*, ipsum dilaudans, *scripsisse*, ait, *non parum multa, scepticos secutum, non sine cultu, & nitore*; unus, inquam, profertur Quintiliani locus, isque Celso cum haud multum æquus, tum qui etiam quam revera sit, multo passim iniquior videatur non attendentibus videlicet, *mediocri virum ingenio* ibi (11) Celsum dici, ubi contentione quasi quadam facta, Scriptores omnium longe ingeniosissimi, & in his Homerus, Plato, Aristoteles, M. Tullius, collaudantur.

Quid vero de iis dicemus quæ multa ex Verderio sine ulla animadversione proponuntur? In aliquo Celsus Hippocratis verbo latine reddendo aliquid interdum humani passus sit; num propterea continuo pronunciandum erat, *Hippocratem, & Græca pene omnia parum feliciter vertisse?* An non erat potius animadvertendum, quanto ille, quam nos, Hippocratis ætati propior fuit, tanto fidelioribus atque integrioribus Hippocratis exemplaribus usum esse? ut nisi

[*] *Hi numeri, & qui pariter in margine deinceps apponentur paginas, & lineas designant in Celsi editione Patavina, & cæteris quæ ex Almeloveeniana descriptæ sunt.*

[1] & [2] *in Agricol. Taciti.* [3] *De Benef. l. 2. 21. & Epist. 29.* [4] *In Iul. Agricolæ Vita.* [5] *Nat. Hist. l. 1.* [6] *de Re Rust. Vid. l. 3. c. 2. 3. 12. & l. 4. c. 3. 28.* [7] *Ib. l. 1. c. 1.* [8] *Institut. Orat. l. 3. c. 1.* [9] *l. 9. c. 1.* [10] *l. 10. c. 1.* [11] *l. 12. c. 11.*

Digitized by Google

nisi quid aliud omnino obstet, non ex nostris exemplaribus Celsi versionem reprehendere; sed ex Celsi versione nostra emendare exemplaria iis præsertim in locis deceat qui aliter in aliis antiquis codicibus scripti sunt: quod me quidem, cum Hippocratem publice interpretarer, aliquando, & fortasse haud incommode, facientem annis superioribus audivisti. Sed *denique apud Celsum*, inquit, *observationes quædam sunt ludicræ*. Quæ tandem? *Si minimum ægrotus summis digitis extrema parietum evellat, hoc est lapillos ex muro exradicet* (Celsus (1) ita habet: *si qua minuta eminent, carpat*) *signum mortis esse*; quasi vero istiusmodi observationem aut Celsus de Hippocrate (*), de illo, inquam, Hippocrate, quem felicius (si Diis placet) vertisse oportebat, non accepisset; aut qua ratione, causaque vera esse possit, explicare Medici prorsus nescirent. Sed jam ad ipsos Celsi libros veniamus.

Hos cum ego libros ante multos annos juri diligenter perlegerem, exemplari usus parvulo ex iis Lugdunensibus quorum uno ipsum quoque Josephum Scaligerum usum esse, ex Lindenio cognosces; memini me ducentos minimum locos ex iis quos corruptos esse, intelligebam, conjectura (neque enim aut ulli, calamo, aut alii, formis descripti, quos conferrem, ibi erant libri) conjectura, inquam, ductum emendare, vel ut verius dicam, quo emendari modo possent, inter legendum divinare voluisse. Quas divinationes cum postea aliquando cum excusis libris conferrem, non ante sensi, me actum egisse, quam libellum a Lindenio procuratum in manus sumerem. Hic enim Vir diligentissimus, & magnis ad Celsum restituendum subsidiis instructissimus quæ ego suspicione attigeram, ea prope omnia ex veterum librorum auctoritate, & Virorum Summorum conjecturis selectissimis reposuerat. Quorsum hæc? inquies. Nempe ut intelligas, me Almeloveenii, qui Lindenium fere secutus est, editionem probantem, non temere, sed facto periculo, atque instituta cum aliorum libris comparatione judicare. Et vero ut certis in locis, quorum aliquot in hac Epistola indicabo, minime de ea Lindenii editione Thomæ Bartholini (2) judicium improbem; in plerisque tamen eorum qui a me sunt diligenter perpensi, non video esse cur verear ne non sit cæteris anteferenda. Huc adde quæ Almeloveenii sedulitas, ac solertia adjunxit, & in his quæ ad locos vel incertæ scripturæ commonstrandos, vel obscuros illustrandos, vel memorabiles indicandos, comprobandosve in calce tum singularum pagellarum, tum libri universi adscripsit. Quibus omnibus in rebus etsi hominis exercitatissimi eruditionem, diligentiam, egregiamque de studiosis lectoribus bene merendi voluntatem jure laudo, atque commendo; noli tamen credere, sic illum, meo quidem judicio, peregisse omnia, nihil ut reliquerit industriæ tuæ. Imo sic habeas, velim: prope innumera adhuc supereſse quæ adjici possint, hujusque rei conjecturam facias ex iis quæ has mihi litteras alia inter studia, atque occupationes scribenti in memoriam videris esse redacta.

Nam ut a postremis incipientes, ad priora demum revertamur; hæc memorabilia, ac digna sunt certe quæ extenso quasi digito Lectoribus ostendantur: jam tum Celsum lib. 3. cap. 19. primum fortasse ex omnibus quos nunc de re medica habemus, Scriptoribus (quæ enim huc Rubeus (3) profert ex Hippocrate, ne aliter accipienda sint, vereor) primum, inquam, nutrientium, ut vocant, Clysterum usum, & opportunitatem litteris mandavisse; *Ultimum*, inquit, *auxilium est, in alvum ptisanæ vel alicæ cremorem ex inferioribus partibus indere, siquidem id quoque vires tuetur*: Jam tum lib. 6. cap. 7. in *gravis auditus* curatione monuisse, *aurem ipsam considerare oportere*, si forte appareat *sordium coitus*: hasque, ante, ubi opus sit, emollitas, auriculari *specillo eximendas esse*: Jam tum; idque paulo infra; scripsisse: *purgare aurem oportere, & spiritum continere, donec inde humore aliquis exspumet*: Jam tum lib. 7. cap. 26. id in urethræ incisione præcipisse, quod

158, 1. 376, 2. 377, 7.

[1] *l. 2. c. 6. p. 55. 9.* [*] *Præf. n. 4.* [2] *Dissert. IV. de libris legend.* [3] *Annot. in Cels.*

Digitized by Google

quod & alibi, velut in jugularium venarum ſectione, aliquando haud inutile eſſe poſſe, animadverto: ſcilicet primum cutem *quamplurimum attrahendam*, deinde urethra inciſa, & hærente in ea calculo exempto, *tum cutem remittendam; ſic enim fieri, ut inciſum colem integra pars cutis contegat, & urina naturaliter profluat:* Jam tum eodem in libro, capite autem 16. docuiſſe, tum craſſius inteſtinum perforatum *interdum glutinari*, tum *ſi anguſtius vulnus* abdominis *eſt, quam ut* prolapſa *inteſtina commode reſundantur, incidendum eſſe, donec ſatis pateat:* quod quidem monitum meminiſti ut præ cæteris inculcaverit hac ætate nimium lentis, ac meticuloſis Chirurgis Experientiſſimus Vir Abr. Cyprianus (1). His locos adde quos Redius (2) confirmavit, atque illuſtravit ſive de Serpentum veneno, ſive de Hirundinibus, & chelidonia. Celſus namque in extremo ſexto capite libri ſexti earum quas ibi memorat, Avium *acies*, inquit, *extrinſecus læſa, interpoſito tempore in antiquum ſtatum redit, celerrimeque hirundinis. Unde etiam locus fabulæ factus eſt, per parentes id herba reſtitui, quod per ſe ſaneſcit.* Idemque lib. 5. cap. 27. *Venenum*, inquit, *ſerpentis -- non guſtu, ſed in vulnere nocet. -- Ergo quiſquis exemplum Pſylli ſecutus, id vulnus exuxerit, & ipſe tutus erit, & tutum hominem præſtabit. Illud interea ante debebit attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris ulcus habeat.* Neque tandem is prætermittendus eſt locus, quo nos uti conſuevimus, ut quid priſci Anatomici inteſtini cæci appellatione ſignificarint, Celſi etiam auctoritate oſtendamus. Nimirum lib. 4. cap. 1. craſſius, inquit, inteſtinum *a dextera parte incipiens, in ſiniſteriorem pervium & longum eſt, in dexteriorem non eſt; ideoque cæcum nominatur.*

Atque hi quidam ſunt ex multis locis quos ut memorabiles indicare poterat Almeloveenius; nunc duos (haud amplius) ex non paucioribus adſcribam, quos quidem poterat declarare. Nam quod lib. 3. cap. 18. ſcriptum eſt: *Confert etiam aliquid ad ſomnum ſilanus juxta cadens*, quot tandem ex ſtudioſis Adoleſcentibus putas intellecturos quid ſit iſte *ſilanus*, cum eruditus Vir Jo. Cæſarius (3) vocis inſolentia permotus, ſe pro ipſa *ſaliens rivus* repoſiturum fuiſſe, fateatur, niſi in ea verba forte incidiſſet unde incipit Sex. Pomp. Feſti (4) liber ſecundum Aldi partitionem duodeviceſimus: *Tullios alii dixere eſſe ſilanos, alii rivos:* quæ & G. Valla viderat, ac Silanum pro rivo expoſuerat. Et Ronſſeus (5) quidem eadem quæ Cæſarius, habet: idemque ſenſerat, ac tradiderat Pantinus (6). Ego vero cum Feſti verba relego: *Tullios alii dixere eſſe ſilanos, alii rivos, alii vehementes projectiones ſanguinis artuatim* (Joſ. Scaliger, aliique legunt *arcuatim*) *fluentis, quales ſunt Tiburi in Aniene. Ennius in Ajace. Ajax miſſo ſanguine tepido Tullii efflantes volant*; ut ſuſpicor, quædam librariorum incuria eſſe omiſſa, aut ſaltem vel depravata, vel in non ſuum locum tranſpoſita; quid enim illa: *quales ſunt Tiburi in Aniene*, ad ſanguinem? ita minus miror, R. Conſtantinum (7) legere, non *Tullios alii dixere eſſe ſilanos*, ſed *Tubulos alii dixerunt eſſe ſalientes*, & *ſaliens* in Celſo ſcribendum credere pro *ſilanus*. Porro Joſephus Scaliger in ſuis in Feſtum Caſtigationibus hæc notat: *Silani*; *Gloſſario ſilvani. Silvanus*, Κρουνός, hoc eſt fons aquæ ſaliens: ac pariter in iis Notis quæ ex editione Feſti Romana, Caſtigationes Scaligeri conſequuntur, hæc habentur: *In antiquo Lexico Latino Græco*, Silvanus *exponitur* Κρουνός, *& ita fortaſſe legendum tum hic, tum apud Cornelium Celſum:* qua in opinione Jacobum quoque Cujacium (8), & Hieronymum Columnam (9) fuiſſe, non ignoro: & certe in Philoxeni Gloſſis: *Silvanus*, vel *Silbanus*, Κρουνός ſe etiam legiſſe, oſtendunt Gerardus Joannes Voſſius (10), & Robertus Keuchenius (11). Hæc etſi ita ſunt; tamen illa viciſſim haud ſunt igno-

184, 31. 153, 6.

(1) *Epiſt. ad Millington.* (2) Oſserv. int. alle Vipere, & Eſper. int. a coſe natur. (3) *Comment. in Celſ.* (4) *de Verb. Signific.* (5) *Enarration. Celſi.* (6) *Annotation. in Celſ.* (7) *Adnot. in Celſ.* (8) *Obſervation. l. 11. c. 2.* (9) *in Ennii Frag. ex Ajace.* (10) *loco infra cit.* (11) *In Frontinum de Aquad. ad illa verba:* compluribus ſalientibus aquis inſtruxit urbem.

Digitized by Google

ignoranda, non modo hos duos quos novissime laudavimus, Viros, & præterea Jo. Jacobum Hofmannum (1) pariter censere, in Glossis, atque adeo in Festo legendum esse *Silanus*, & *Silanos*; sed & reapse Turnebum. (2) in Petri Danielis Aurelianì latino Onomastico perantiquo, in membranis scripto, sic inveniſſe: *Silanus tubus*; ac Lambinum (3) in Vocabulario Latino-græco cujus ipsi Puteanus copiam fecerat; *Silanus*, Κρουνός. Neque Constantinus (4) ipse negat, *Tullios* etiam, & *silanos* in Festo legi; imo hæc scriptura in omnibus quæ adhuc viderim, excusis Festi exemplaribus habetur. Huc adde ex iis Fabulis (5) quæ sub C. Julii Hygini nomine circumferuntur: *cum* (fuscinam) *eduxisset, tres Silani sequuti sunt, qui ex Amymones nomine Amymonius fons appellatus est*; quinetiam ex divina illa Athenienſis Pestilentiæ descriptione Lucretiana (6).

Multa siti prostrata viam per, proque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata jacebant
Intercluſa animæ nimia ab dulcedine aquaï;

sic enim post Aldum, ut probe nosti, rejecta Marulli emendatione, & Pii scriptura, qui *sic amnis*, & *sola amneis* pro *silanòs* posuerant; vetustis, emendatisque libris auctoribus, Viri Doctissimi edidere, ex quibus Lambinus (7), Gifanius (8), Creechius (9) hunc etiam ipsum de quo agimus, Celsi locum in eandem sententiam produxerunt, nec Munckerus (10) in allatis Hygini verbis exponendis, aut Vossius in Etymologico Linguæ Latinæ (11) (ubi, ut opere in longo, haud miror quod pro Mythologico Hygini citet P. *Astronomicon*.) prætermisit. Neque vero omissus est ab iis quos supra nominavi, Hofmanno (12), & Keuchenio (13), aut denique a Samuele Pitisco (14): quinimo ab his duobus diserte adscriptum est; *silanum* esse hic a Celso positum pro *rivulo susurrante decidentium lenitèr aquarum*; ut mihi illud Virgilianum (15) in memoriam reduxerint:

— levi somnum suadebit inire susurro,

multoque etiam magis illos Poëtarum aliorum locos ad quos Celsus potuit respexisse, ut hunc Horatii (16):

Fonteſque lymphis obstrepunt manantibus
Somnos quod invitet leves,

illumque inprimis Ovidii (17), qui in Somni ipsius domo, ac penetralibus describendis, nullo modo sibi esse *rivum* prætermittendum existimavit,

— per quem cum murmure labens
Invitet somnos crepitantibus unda lapillis.

Verum ante eos omnes a quibus ut nonnulla alia quæ supra indicavi, ita hunc Celsi locum in istiusmodi sententiam productum esse, comperi, produxisse invenio L. Gr. Gyraldum in eo *Dialogismo* (18), in quo a barbulejo suo ex se quæsitum esse, proposuit, *quid sibi vellet hæc inaudita vox Silanos*; ipse vero *antiquam vocem esse Latinam, & tubos aquarum significare, & fistulas*, ostendit. Cæterum ad hujus vocis antiquitatem comprobandam fuit aliquando cum pertinere fortasse, crederem, *Silanorum* cognomen, Romæ in Junia Gente celeberrimum; sed postea vidi, tum Antonium Augustinum (19) id ipsum deducere a *Silo*, Sergiorum, & Liciniorum cognomine, significante, ut Festus (20) est auctor, nasum sursum versus repandum, tum nostræ hujus vocis originem ex arabica *Silan*, quod est *fluxus aquæ*, a Thoma Erpenio (21), quocum faciunt Hofmannus (22), & Vossius (23), derivari. Quæ omnia cum ita sint, neque aliquis; quod sciam; in antiquis Celsi codicibus aliud quam *silanus*, legisse se, scripserit, quam quidem vocem in primis, ac præterea

(1) *Lexic. Universal. ad vocem* Silani. (2) *Adverſ. l. 28. c. 6.* (3) *Comment. ad Luc. lib. 6.* (4) *loc. cit.* (5) *Fab. 169.* (6) *De Rer. Nat. l. 6.* (7) *loc. cit.* (8) *Conjectan. Lucret.* (9) *Not. ad Lucr. l. 6.* (10) *Not. ad Hygini Fab. 169.* (11) *ad vocem* Silanorum. (12) (13) *loc. cit.* (14) *Lexic. Antiquit. Roman. ad vocem* Silanus. (15) *Bucolic. Eclog. 1.* (16) *Epod. 2.* (17) *Metamorph. l. 11.* (18) *Dialogiſm. 18.* (19) *De Familiis Roman., in Junia.* (20) *De Verbor. Signif. l. 17.* (21) *Annot. in lexic. Arabic. Raphelenq.* (22) (23) *locis cit.*

Digitized by Google

terea in optimis quibusque editionibus constanter video esse servatam; ut nihil in Celso mutandum, ita Lectores monendos censeo quid eruditissimi Homines de hoc vocabulo, ejusque significatione tradiderint.

Non ita difficile, nec tamen æque omnibus facile erit conjicere quid sibi Celsus voluerit libro 5. in fine capitis 271, 21. quod est de Pessis. *Si concidere*, 15. inquit, *vitio locorum mulier solet, cochleæ cum testis suis comburendæ, conterendæque, deinde his mel adjiciendum est. Si non comprehendit, adeps leonina ex rosa mollienda est.* Si enim hæc ita juncta; ut in plerisque editionibus; legantur, tanquam aut unum ad morbum, aut unum ad pessum spectarent; cogitare potest quispiam num forte ea verba *si non comprehendit* hoc significent: si mulier quæ vitio locorum concidit, nihil percipit; vel an sic etiam sint accipienda: si mel contusis cochleis adjectum eas non satis, ut alibi Celsus loquitur, cogit; quo videlicet modo tum Scribonius (1), *hæc omnia*, inquit, *sive contusa, sive creta diligenter, melle Attico despumato comprehendantur*; & alio in loco (2), *deinde cæteris miscentur, quæ & ipsa recipere debent tantum mellis, quantum satis erit ad comprehendenda & continenda ea*; tum Vegetius (3) *quæ diutissime trita, melle optimo adjecto comprehendantur*: vel denique erit fortasse qui sic opinetur: fecisse hic Celsum quod ubi (4) præcepit de extrahendis calculis fœminarum, aperte fecit, ut ad Virgines etiam respiceret; his igitur non eos pessos, quos nimirum *non comprehenderent*, sed tantummodo e leonina adipe, rosa mollita, inunctiones, vel si mavis, quæ nunc vocitant *nascalia* imperavisse. Ego vero ut duas illas priores explicationes multis de causis quas enumerare necesse non est, minime probare me posse, fateor; sic ne hanc quidem tertiam tueri velim, propterea quod si id Auctor spectasset; certe (ut alia sileam) in superioribus quoque pessis nonnullis adversus morbos cunctis fœminis pariter communes proponendis, Virginum rationem habuisset: neque vero habendam ipsi fuisse in toto hoc capite, is intelligat qui pessorum nomine nihil hic nisi *nascalia* præcipi, animadvertet. *Eorum*, inquit, *hæc proprietas est: medicamenta composita molli lana excipiuntur, eaque lana naturalibus conditur.* Quoniam igitur sic connexorum ut proposuimus, Celsi verborum nulla satis placet sententia; an melior possit existere videndum est ex iisdem in duas, ut ab Lindenio, & Almeloveenio factum est, particulas ita sejunctis, ut singulæ ad singulos tum morbos, tum pessos indicandos pertineant. Cumque omnis vel in sic disjunctis obscuritas oriatur ex illo verbo *comprehendit*; etsi hoc non satis illustratur synonymo quod in ora libri sui adscripsit R. Constantinus, συλλαμβάνεται, propterea quia non pauciora ferme significat hoc apud Græcos, quam *comprehendit* apud Latinos; mihi tamen causam præbuit suspicandi, an ut apud illos non tantum significat *complectitur*, *capit*, *percipit*, &c. verum etiam interdum *concipit*, qua videlicet ratione ab Aristotele positum invenitur lib. 2. de Generat. Animalium; sic Celsus, Græcos hic imitatus, eadem scribat significatione, *comprehendit*; ut hæc ejus sententia sit: Si mulier non concipit; adeps leonina, oleo rosaceo emollita, ac lana molli excepta, subjicienda est: quæ sane explicatio magis probabitur ab iis qui cum meminerint, non modo apud recentiores aliquos Auctores, pinguedinem leonis ad juvandam venerem commendari; verum ipsum quoque Aetium (5) ex eodem oleo in fellis vesicula leonina servato pessum, seu potius *nascale* ad conceptionem adjuvandam proposuisse: tum minime ignoraverint, æqualem ferme Celso Scriptorem Columellam (6) in re quidem 170, 15.

(1) *Compos. Med. Comp.* 70. (2) *Comp.* 106. *Sic & 88. & 227.* (3) *Art. Veterin. l. 4. c. 27.* (4) *l. 7. c. 26. p. 481, 27.* (5) *Tetrab. 4. Serm. 4. c. 32.* (6) *de Re Rustic. l. 4. c. 29.*

Digitized by Google

haud ita absimili scripsisse: *bruma temporibus aliquando insita vitis comprehendit*: & vitis truncus insitus *cum comprehendit*; hoc est cum indito surculo coaluit intime sic ut ipsum jam alat: quæ omnia eo fusius exposui quod ex iis quæ adhuc consului, Lexicis, aliisque ejusdemmodi libris plane intelligerem, quosdam hujus verbi significatus ex iis esse quæ doctorum alioqui Hominum, & in his rebus versatissimorum magnam quantumvis diligentiam fugerunt.

Jam vero ex innumeris prope locis quorum incertam scripturam commemorare poterat Almeloveenius, hos paucos habe. Lib. 2. cap. 29. in quo cibi, ac potiones quæ alvum movent, traduntur, me non præterit, Nicolai illius qui Florentiæ primus omnium quos non ego modo, sed & Viri noverint longe Eruditissimi Thomas Bartholinus (1). Almeloveenius noster, & Jo. Albertus Fabricius (2), primus, inquam, Celsum descripsit formis, atque etiam L. Ant. Juntæ, ac Manutiorum libros post mulsum, vinumque dulce, vel salsum hæc habere: *aqua: tenera omnia tepida: dulcia: pinguia*: hancque scri-
106, pturam hactenus probare Almelovee-
29. nium, ut cum Lindenio scribat: *aqua, omnia tenera, tepida, dulcia, pinguia*. Attamen in proximo capite 30. quod propter Operarum incuriam apud Almeloveenium inscribitur 25. in quo contra, quæ alvum adstringunt, proponuntur, nunquam ego post asperum & vi-
107, num, & defrutum legi: *aqua vel te-*
31. *pida vel præfrigida, dura, id est, ea quæ tarde putefeit, ideoque pluviatilis potissimum, omnia dura, macra*: hæc, inquam, superiori loco perspicue opposita nunquam legi, quin vehementer dubitarem, an non magis in ipso probanda esset altera scriptura, quam Cæsarius, Pantinus, Stephanus, Rubeus, atque alii sequuntur: *aqua tenera, omnia tepida, dulcia, pinguia*; ut aqua videlicet *tenera* opponatur *duræ*, sicut a Rubeo (3) explicatum est; aut certe utramque scripturam; quod factum video a Constantino, & Ronsseo; esse censerem proponendam. Initium quoque sectionis 16. capitis 28. libri 5. cum hoc habeat Nicolaus: *Scabies vero est durior cutis rubicundus*; Junta autem, Cæsarius, Pantinus, Stephanus, aliique tria postrema verba ita scribant: *durior cutis rubicundior*; Manutii vero: *humor cutis rubicundus*; Constantinus denique ad libri oram: *tumor durior cutis. Alii, durities cutis*; Ronsseus autem: al. *humor durior e. r.* al. *durities cutis*; cum igitur usque adeo hic varient codices; equidem haud improbaverim quod Almeloveenius, missis cæteris aut manifeste vitiosam, aut minus probabilem sententiam habentibus, ultimum cum Lindenio selegerit, & scribere maluerit: *Scabies vero est durities cutis rubicundior.* 338,
ex qua pustulæ oriuntur; erat tamen de 2.
tanta ista varietate Lector monendus tum ne pro certo crederet, Celsum ita scripsisse, tum ut inquireret, quo igitur modo scripsisset, an sic, exempli causa: *Scabies vero est asprituda cutis rubicundior, ex qua pustulæ oriuntur*. Ut enim mittam, verbi *aspritudo* vestigia quædam fortasse in illo *durior* relicta esse, quod pleræque, & in his vetustissima, editiones servarunt; certe in ejus quæ proxime antecedit, sectionis principio cum hæc de pustulis Celsus scripsisset: *Earum plura genera sunt*. 336,
Nam modo circa totum corpus partemve 8.
aspredo (*aspritudo* ex optimis, vetustisque exemplaribus quæ Rhodius (4), & Constantinus (5) nominant, legendum est) *quædam fit, similis his pustulis &c. eæque modo rubent, modo colorem cutis non excedunt*; cum, inquam, Celsus hæc scripsisset; a veri similitudine non prorsus abhorret, jungere cum illa sectione hanc quæ sequitur, eo quod exempli causa proposuimus, initio voluisse, eoque magis quod paulo post id initium, *Quo asperior est*, inquit, *quo-* 338,
que prurit magis, eo difficilius tollitur. 9.
Verbis autem opus non est, ut intelligatur, aut libro 6. cap. 14. (quod per-

peram

(1) *Differt. IV. de libris legend. Scribon.* (2) *Bibl. Lat. l. 2. c. 4.* (3) *Annot. in Celf.* (4) *in Lexic.* (5) *Adnot. in Celf.*

Digitized by Google

peram Almeloveenii Operæ 16. fecere) in quo de Uvæ morbo ſermo eſt, omittere non decuiſſe, veterem librum a Conſtantino, & Ronſſeo in ſuorum margine deſcriptum, cujus auctoritate, proxima iis quæ afferemus protinus, verba in ſuam ſedem reſtituta ſunt; non *ſucco* habere, ſed *ſuccus* in hoc loco: *Chelidoniæ quoque ſucco per cochlear illita uva maxime prodeſt*: Aut libro eodem, cap. 6. in extrema fere ſectione 1. cum illis verbis: *In ipſum vero oculum primo die, niſi immodica inflammatio eſt, nihil recte conjicitur*; alteram quoque librorum videlicet Nicolai, Juntæ, Manutiorum, Stephani, Conſtantini, ſcripturam, quæ a Ronſſeo, aliiſque præterea ſaltem in ora adſcripta eſt, proferre conveniſſe: *niſi modica inflammatio eſt*; præſertim cum hæc continuo ſequantur: *ſæpe enim potius concitatur eo pituita quam minuitur*: Aut lib. 7. cap. 2. ad illa verba: *ſi ægrum fluens alvus exercuit, neque per alimenta quiequam corpori accedit*; indicandum fuiſſe: Manutios tamen; quos cum dico, Egnatium quoque ipſum dico; pro *exercuit*, legiſſe *exhaurit*, Stephanum autem *exhauſit*; quam quidem ſcripturam, magis profecto cum proximis quæ modo allata ſunt, verbis ipſo loquendi genere congruentem, Conſtantinus quoque, ac Ronſſeus adnotavere: Aut eodem libro 7. cap. 12. ſect. 1. quæ eſt inſcripta *de Dentibus*, poſt ea verba quibus docemur tum cognoſcere, in eorumne evulſione aliquid ex oſſe cui inhærent, fractum ſit, tum fracti oſſis particulam, inciſa etiam, ſi opus ſit, gingiva, vulſellæ ope eſſe extrahendam; quæ porro ſubjiciuntur: *Quod ſi fractum ſtatim non eſt, ſed intumeſcit extrinſecus maxilla, ut os hiare non poſſit*; non ſine iis legi oportuiſſe quæ ipſorum loco ſunt tum in pervetuſto Nicolai libro, tum in illis quos Junta, & Cæſarius edidere; quorum quidem verborum præcipua pars eſt a Conſtantino, Ronſſeo, aliiſque in margine poſita: *Quod ſi factum ſtatim non eſt, indureſcit extrinſecus maxilla, ut is hiare non poſſit*; hoc eſt, ſi fracti oſſis particula educta ſtatim non ſit: Aut denique libro 8. cap. 10. ubi de membris, ut reponantur oſſa, extendendis, hæc habentur: *Sub qua* (inflammatione) *& difficile, & periculoſe vis nervis adhibetur. nam diſtentionem nervorum vel eancer ſequitur; vel certe, cum mitiſſime agitur, pus*; duo fuiſſe non omittenda, alterum, plerorumque libros non habere: *cum mitiſſime agitur*, ſed *ut diutiſſime alatur*, Manutiorum: *ut mitiſſime alatur*, Conſtantini ſcriptum calamo: *agatur*; ut proclive ſit ſuſpicari, ſcripſiſſe Celſum: *ut mitiſſime agatur*; alterum in iiſdem omnibus, imo ipſius quoque Lindenii libro non *diſtentionem* nervorum legi, ſed *diſtentio*.

389, 30. 359, 30. 410, 5. 441, 16. 532, 15. 148, 14.

Verum in hiſce aut omnibus, aut certe fere omnibus locis erunt fortaſſe qui minus neceſſarium fuiſſe judicent variantem ſcripturam indicare. Quid vero de iis cenſebunt quos protinus memorabo, in quibus, nulla alia commonſtrata ſcriptura, eam Lindenius, atque Almeloveenius ſine ulla dubitatione unam ediderunt quam aut nullo pacto aut minus profecto laudabiliter tueri poſſimus? Libro enim 3. ſic capitis 18. initium propoſuerunt: *Et fabrium quidem curatio expoſita eſt. Superſunt vero alii corporis affectus, qui huic ſuperveniunt, ex quibus eos, qui certis partibus aſſignari poſſunt, protinus jungam. Incipiam ab inſania*. Ego vero qui in aliis omnibus quæ adhuc videre licuit, Celſi exemplaribus conſtanter legerim: *eos qui certis partibus aſſignari non poſſunt*; vixque meminerim, Conſtantinum, atque Ronſſeum, nullo tamen antiquo codice citato, & in ipſo tantum margine ſuorum librorum, iſtud *non* eſſe delendum, indicaviſſe; qui Noſtri & reapſe deleverint, & deleviſſe ſe, riticuerint, plurimum miror. Nam ſi quis forte dicat; quid ergo? Num inſania, lethargus, apoplexia, paralyſis, comitialis, cardiacus, aut regius morbus (de quibus videlicet ſermonem habendi ab iſtis verbis Corn. Celſus initium capit) affectus igitur ſunt qui certis partibus aſſignari non poſſunt? ego etſi illum ad Pantini Annotationes poſſem rejicere, ex quibus qua ratione

Digitized by Google

id negare Celso licuerit, intelligeret; non tamen faciam; sed hoc unum respondebo, non quid aliis, & his nostris potissimum, sed quid Celsi, aliorumque latinorum rei medicæ Scriptorum temporibus apud ipsos in usu esset, ac consuetudine, esse spectandum. Serenus certe Samonicus (1) lethargi, & comitialis, ac regii morbi; Plinius autem Valerianus (2) & horum, & cæterorum qui sunt paulo supra nominati, curationes seorsum, extraque aliorum qui certis partibus assignantur, ordinem proposuerunt, quanquam uterque a capite orsus, & deinceps thoracem, imum ventrem, artusque ipsos perlustrans, ante poterat in suis quemque sedibus, siquas eorum certas esse, censuisset, nullo negotio collocare. Quorum Scriptorum aliquis forte auctoritatem contemnat; ipsius autem Celsi contemnere qui possit? Hic vero si, ut Lindenius, atque Almeloveenius proponunt, eos de quibus loquimur, affectus certis partibus assignari posse, scripsisset; qua tandem ratione statim atque ipsorum tractationem cum libro tertio absolverat, hoc uti libri quarti initio (quod quidem omnes ad eundem pariter modum exhibent, & in his Lindenius etiam, ac
182, Almeloveenius) potuisset: *Hactenus re-*
7. *periuntur ea genera morborum, quæ in sotis corporibus ita sunt, ut iis certa sedes assignari non possint: nunc de his dicam, quæ sunt in partibus.* Operæ quoque pretium est animadvertere quomodo ipsi eodem in libro quarto capitis
235, 21. finem ediderint: *Neque alienum est*
18. *fovere inferiores partes aqua, decocta ex verbenis comprimentibus, ex iisdem aliqua cataplasmata imo ventri inguinibusque circundare; præcipueque ex aceto. Vitare autem oportet rutam, & ne supinus dormiat.* Nempe igitur Celsus in nimia seminis profusione (de hac enim agit in eo capite) rutam quam cæteri laudarunt Medici, ipse improbaverit? Vi enim sua; in Scholiis inquit Almeloveenius; nimium extinguere semen posset. At quanto veri similiora scripsisset, si indicata plerorumque librorum scriptura: *præcipueque ex aceto rutam vitare, etiam* (alii habent: *&*) *ne supinus obdormiat*; Lectores monuisset, paulo aliter dumtaxat interpungendo & librarios potuisse hunc locum corrumpere, & nos posse restituere, si videlicet (quod factum esse, nuper vidi etiam in Constantini editione, & ad eundem fere modum in Ronssei Enarratione) scribamus: *Neque alienum est cataplasmata imo ventri inguinibusque circundare, præcipueque ex aceto rutam: vitare etiam, ne supinus obdormiat.* Non difficilius est, præsertim alia aliorum librorum scriptura animadversa, locum restituere, quem libro 5. in capitis 27. initio comperies: *Sequitur, ut de his* (vulne- 307,
ribus) *dicam, quæ morsu fiunt, inter-* 6.
dum hominis, interdum simiæ, sæpe canis, nonnunquam ferarum, aut aliorum animalium, aut serpentium. Omnis autem feræ morsus habent quoddam virus. Quæ postrema verba cum in libris editis ab Nicolao, itemque a Manutiis ad hunc modum scripta sint: *Omnis autem fere morsus habet quoddam virus*, imo a Manutiis scriptum sit *ferè*; miror, Almeloveenium hos potius non esse secutum, præsertim qui hic laudet Panaroli Pentec. 2. Observationem 32. (legendum est 42.) quæ est *de Mulieris morsu venenato*, cui addere ex Hildano (3) alias potuisset idem ostendentes, morsum videlicet hominis aut esse virulentum, aut certe; ut Plinii (4) verbis utar; *inter asperrimos* non injuria numerari. Quæ etiamsi non ita se haberent, neque Serenus Samonicus (5) qui respexisse ad hunc Celsi locum videtur, scripsisset:

Sive homo, seu similis turpissima bestia nobis
Vulnera dente dedit, virus simul intulit atrum;

Celsum tamen ipse per se istam sibi scri-

[1] *de Medicina Præc.* [2] *l. 2. c. 58. & seq. l. 3. c. 7. & seq.*
[3] *Cent. 1. Obs. 84. 85 & Cent. 4. Obs. 87.* [4] *Natur. Hist. l. 28. c. 4.*
[5] *De Medic. Præc. cap. de Hominis, ac Simiæ morsu.*

Digitized by Google

ſcripturam aſſereret. Cum enim poſt ea de quibus agimus, verba, hæc continuo ſubjecerit: *Itaque ſi vehemens vulnus eſt, cucurbitula admovenda eſt*; hæcque, ut tota reliqua prima ſectio, de omnibus univerſe morſibus ſint neceſſario accipienda; neque enim alioqui de hominis, ac ſimiæ morſibus, velut eſt pollicitus, in toto hoc capite verba faceret; neceſſe profecto eſt, ut non modo omnis feræ, ſed etiam omnium animalium morſum fere virus quoddam inferre, poſuerit, quod videlicet cucurbitula ſit extrahendum. Idem quoque Celſus quid de duobus aliis locis cenſendum ſit, ſatis, ſuperque demonſtrat. Nam quod ab Noſtris editum eſt libro
505, 8. cap. 1. *Primo vero duo, radii & bra-*
5. *chii, oſſa juncta paulatim dirimuntur, rurſuſque ad manum coeunt, modo craſſitudinis mutato. Siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis eſt*; non fine vitio eſſe iis omnibus apparebit qui paulo ante, hæc ſcripta eſſe, ani-
504, madverterint: *Quæ res ſedem brachio*
29. *præſtat, quod conſtat ex oſſibus duobus*, iis nimirum quæ illico nominat, ut in eo quoque de quo ſermo eſt, loco, ac deſcribit Celſus, *radio* videlicet, ac *cubito*; ut manifeſtum ſit, cum brachium ipſum conſtet ex radio, non oportuiſſe ſcribere: *duo radii, & brachii, oſſa*; ſed vel ſatis fuiſſe: *duo brachii oſſa*, vel ſi nominanda erant: *duo radii & cubiti, oſſa*, omnino ſcribere oportuiſſe: utrum enim a Celſo reapſe ſcriptum ſit, haud ſatis liquet ex ſcriptura, in aliis omnibus quæ adhuc vidimus, exemplaribus in hunc unum modum depravata: *duobus radiis brachii oſſa*. Alter locus in eodem pariter libro occurret, capite autem 5. quod de Naſo fracto eſt, ubi & Lindenius, & Almeloveenius hæc
522, edidere; *Sin, quod intus inditum eſt,*
21. *lædit; ſicut maxime fit, ubi interior cartilago perfracta eſt, exercitatæ nares eadem tantummodo habena continendæ ſunt.* Ubi tamen, non *exercitatæ*, ſed *excitatæ nares*, ipſe Celſus indicat, eſſe legendum, ut qui non modo alibi, atque adeo etiam paulo infra eodem verbo eadem ſignificatione eſt uſus, ſed & paulo ſupra de fracta naſi cartilagine in ſuam ſedem reponenda verba faciens, 523,
quicquid, inquit, *e cartilagine concedit* 20.
(libentius legerem: *concidit*, cum cæteri quos conſului, libri conſtanter habeant: 522,
Quicquid in cartilaginem incidit) *excitan-* 1.
dum leniter eſt, aut ſubjecto ſpecillo, aut duobus digitis utrinque compreſſis: mox quæ in nares injicienda ſint, docet, quæ deſidere cartilaginem, non ſinant, item quæ extrinſecus habena circundanda ſit quæ nares ſic excitatas, contineat: poſt quæ videlicet ea continuo ſubjicit de quibus loquimur, verba. Sed & in cunctis quos ad hoc tempus inſpeximus libris, non *exercitatæ*, ſed *excitatæ nares* ſcriptum eſt: quod utinam ſignifieaſſet Lectoribus Almeloveenius; hac quippe ſcriptura commonſtrata aut illam alteram rejeciſſent, aut ſaltem quid Celſus revera ſcripſiſſet, amplius ſibi in ejuſdem, ut nos fecimus, aut in aliorum etiam ſcriptis ſtatuiſſent eſſe quærendum. Quod quidem in locis nonnullis facturos ſcio in quibus Vir ille ad iſtum alterum modum ſe geſſit, ut puta cum lib. 4. cap. 21. ad illa verba: *Id faciunt etiam albæ violæ*, hæc adno- 234,
tavit: *Mercurialis Variar. Lect. L. 1. c. 3.* 3.
videtur olivas *legiſſe*. Illud tantummodo minus placet, quod hæc ita adnotet, quaſi vero præter Mercurialem nemo omnium id legiſſet: cum ego contra in nullo adhuc libro: *albæ violæ*, ſed in omnibus invenerim: *albæ olivæ*: quæ quoniam; ut ibi oſtendit Mercurialis meus tum ex ipſarum natura, tum ex Medicorum auctoritate; adſtringendo utiles ſunt; ſane hic videntur convenire ubi & *gummi*, & *paſſum* laudantur, quocum videlicet Celſus ipſe *oleas albas* in eo capite (1) conjunxit in quo ea quæ alvum adſtringunt, propoſuit. Multoque etiam minus dubito, quin doctus Lector noſtri conjecturam non ſequatur quam ad initium adſcripſit capitis 5. libri 3. Cum enim Celſus de Diaria Febre ſermonem inſtituens, hæc habeat: *Igitur ſi* (febris) *ſemel tantum acceſ-* 123,
ſit, deinde deſiit, eaque vel ex inguine, 32.

vel

(1) *l. 2. c. 30. p. 107. 27. 31.*

Digitized by Google

vel ex laſſitudine, vel ex æſtu, aliave ſimili re fuit, ſic, ut interior nulla cauſa metum fecerit; Almeloveenius, pro *inguine*, *malim*, inquit, ſanguine, *vel* ingluvie, *quomodo enim ex inguine poſſet oriri febris? dein* (Celſus) *enumeret cauſas externas, quas inter inguen cenſeri non poteſt*. Verum enimvero ſi has inter cenſeri inguen non poteſt; qua, quæſo, ratione *ſanguinis* ipſe cenſeretur? Certe autem inter cauſas externas cenſetur ictus, vel alia ejuſmodi ipſi etiam pedi vis illata a qua & inguinis tumor, & hujus ſocia diaria febris exiſtit: ſic enim ex inguine diariam oriri febrem, ita manifeſtum eſt, ut minime oportuiſſet, Almeloveenium quærere, *quomodo ex inguine poſſet oriri febris?* præſertim cum ipſe Hippocrates in Epidem. (1) ſcripſerit: *Ex bubonibus febres omnes malæ, præter diarias*: eandemque prorſus in Aphoriſmo (2) ſententiam retulerit, cujus poſtremam partem a Galeno (3), Oribaſio (4), Philotheo (5), Liebautio (6), Heurnio (7) ad eundem atque a me modum explicatam eſſe, ſcio, per externas ſcilicet, evidenteſve cauſas, inguinis tumorem, ac diariam febrem excitantes. Recte igitur illud fecit Almeloveenius, quod in hoc loco nihil in Celſi verbis mutavit: quod utinam in pluribus aliis facere; quamvis ipſo præunte Lindenio; noluiſſet: dici enim haud poteſt, mi Vulpi, quoties, & quot Viri longe etiam doctiſſimi. & in reſtituendis Veterum ſcriptis exercitatiſſimi, cum medicinam afferre ſe crederent, quantum ex integro, ſanoque reſecuerint.

Hoc autem quod in aliis improbo, ne ipſe admittam; etſi poſtremo hoc loco dubitationes, quinetiam divinationes quaſdam communicare tecum ſtatui in aliquot Celſi locos, in quibus Almeloveenius nihil quidquam ſubeſſe vitii, judicare ſe, oſtendit; hæc tamen velim ſic accipias, ut ad te, alioſque quibus præſertim codicum Celſi vetuſtiorum copia eſt, ad inquirendum, conferendumque excitandos, non ad aliquid in Celſo præmature immutandum a me adſcripta eſſe, exiſtimes. Et primum libri 3. caput 27. nunquam me perlegere potuiſſe, fateor, quin mirarer vehementer, in illud unum idemque caput, in quo de apoplexia, paralyſi, aliiſque nervorum affectionibus actum eſſet, ea quoque ad extremum conjici quæ ad Suppurationes pertinent, quæ in aliqua interiori parte oriuntur, atque adeo ſuſpicarer, poſtrema hæc omnia aut alicunde avulſa, eodem eſſe reponenda, aut ſaltem in peculiare, ac penitus diviſum caput ſecernenda. Libris autem Celſi, editiſque in ipſum Commentariis, quæ adhuc licuit, conſultis omnibus, non modo veſtigium ullum antiquæ diviſionis, ſed ne unum quidem reperire Scriptorem potui qui in eadem dubitatione fuiſſet, præter Ronſſeum (8), qui *addubito*, inquit, *vehementer num quæ hic ſubſequuntur, antedictis cohæreant: mihi certe fini 22. capitis annectenda videntur, quod eodem capite de tabidis, & pulmone ſuppuratis agit*. Neque minus propemodum dubito; quamvis nec Ronſſeum, nec alium aliquem habeo præeuntem; quin pariter in libri 4. caput 20. quod eſt *de Vulvæ*, hoc eſt de Uteri, *Morbo*, temere a librariis contruſa fuerint quæ in illius calce leguntur de Nimia Urinæ Profuſione; quaſi vero hoc mali viros nunquam, ſed mulieres tantum corriperet; ut propterea inter peculiares earum morbos ita præſertim, nulla ſcilicet de viris mentione facta, a Celſo referri potuiſſet. Verum ad alia, ut puto, errata librariorum veniamus. In libri ejuſdem 4. capite 1. ſcriptum eſt: *atque hæc quidem juncta ſunt. Renes vero diviſi: qui lumbis ſub imis coxis inhærent, a parte earum reſimi, ab altera rotundi*. Mitto, pro *diviſi* alios omnes quos inſpexi, libros, & recte fortaſſis, habere *diverſi*; duo vero quorum

181, 6.

183, 32.

[1] *l.* 2. *ſect.* 3. [2] *ſect.* 4. *aph.* 55. [3] *Commentar.* 2. *in Aph. Hipp.*
[4] *Comment. in Aph. H.* [5] *Comment. in Aph. H.* [6] *Schol. in Aph. H.*
[7] *Enarrat. Aph. H.* [8] *Enarrat. Celſ.*

Digitized by Google

rum primum vix tandem in Manutiorum libris, alterum in nullo adhuc reperi, prætermittere non possum; sic enim legendum credo: *qui lumbis sub imis costis inhærent, a parte earum rotundi, ab alteri resimi*: qua in lectione, tibi præsertim adeo in Anatome exercitato, probanda, non est sane cur laborem; quid enim esse manifestius potest, quam Renes ne ima quidem sui parte summas coxas, hoc est innominata ossa, attingere; sub imis autem costis positos esse: neque ea resimos esse parte qua coxas, vel costas spectant, sed rotundos; contra qua alter alteri obvertuntur, non rotundos esse, sed resimos? In capite ejusdem libri quarto sect. 2. ubi inter ea quæ asthmati, atque orthopnœæ communia sunt, hoc
198. primum legimus: *quod propter angu-*
14. *stias, per quas spiritum evadit, sibilum elidit*, videndum censeo, an non potius oporteat legere: *sibilum edit*: Nam quid sit *spiritum elidit*, quomodo vel ipse alibi (1) locutus est Celsus, satis id quidem; quid autem sit *sibilum elidit*, haud satis videor intelligere. Quod si igitur legamus: *sibilum edit*; commentarii loco esse poterit quod Cassius Medicus (2) in Problemate habet 22. *Cur*, inquit, *difficulter spirantes sibilo non absimilem vocem reddunt? Quoniam morbus ipse est præclusio, atque compressio inanium pulmonis fistularum: per angustum autem foramen dum fertur spiritus, talis redditur sonus*. Velim etiam hæc attente consideres in ejusdem libri capite 24.
237. *Quidam* (podagrici, chiragricive) *cum*
26. *toto anno a vino, mulso, venere sibi temperassent, securitatem totius vitæ consecuti sunt, idque utique post primum dolorem servandum est, etiamsi quievit. Quod si jam consuetudo ejus facta est, potest quidem aliquis esse securior his temporibus, quibus dolor se remisit: majorem vero curam adhibere debent hi, quibus id revertitur. quod fere vere autumnove fieri solet*. Quanam, quæso, ratione postrema hæc accipiemus? Num *hi quibus id revertitur*, ii sunt quibus dolor reverti solet? At quid attinebat his majorem curam imperare, quasi ille aliquis quem securiorem esse jussit, non pariter ex iis esset quibus consuevit reverti dolor? Certe de utrisque dicit: *si jam consuetudo ejus facta est*. Num igitur *hi quibus id revertitur*, erunt ii quos jam nunc revertens dolor reapse invadit? At multo minus id attinebat monere; nam quis, reapse invadente dolore, majorem nescit curam esse adhibendam? Quid ergo est? Una ego litterula omissa hastantas huic loco offusas tenebras esse, puto. Si enim legamus, non *hi*, sed *his*, aut etiam (nam *ii* lego in vetustissimo libro ab Nicolao typis descripto, quem porro secutus est Junta) *iis, quibus id revertitur*; perspicua profecto, & Celso digna, & cum superioribus, ac consequentibus verbis apta, & cohærens existit sententia, hæc videlicet: Quibus dolor primus decessit, ii sibi diu, atque omnino temperent, necesse est, ut ne amplius revertatur. Quibus autem sæpius dolor reversus est, eorum aliquis minus quidem sibi temperet, licet his anni temporibus quibus dolore solutus esse consuevit; at contra iis temporibus quibus solet redire, id est vere ut plurimum, atque autumno, iis, inquam, temporibus sibi podagrici omnes magis temperent, necesse est; nimirum quia nisi majori temperantia consueto morbo occurratur, majus tunc periculum est ne redeat. Sed ut hoc in loco unam a librariis omissam literam; sic in altero unum, aut plura esse ab ipsis addita verba, crediderim. Libro enim 5. cap. 25. ubi legimus: *Quin* 279.
etiam silvestris papaveris, cum jam ad 10.
excipiendam lachrymam maturum est, manipulus, qui manu comprehendi potest, in vas demittitur, & superinfunditur aqua, quæ id contegat, atque ita coquitur: existimassem forsitan, Celsum ita scripsisse, ut Scribonius Largus (3): *fasciculus, quantum manu comprehendi potest*; nisi continuo primum illud verbum rursus posuisset: *Ubi*, inquit, *jam bene manipulus is coctus est*. Itaque cum papaveris manipulus idem sit ac quod manu comprehendi po-

(1) *l.* 5. *c.* 28. *p.* 316. 10. (2) *Med. Quæst. & Probl.* [3] *Compos. Med. Comp.* 83.

poteſt, ideoque & Ovidius (1), & Plinius (2), & Palladius (3), ut manipulum ſignificarent, ille quidem dixerit:

Arentiſque roſæ quantum manus una prehendat;

alter vero: Mercurialis herbæ *quantum manus capiat*; poſtremus autem: *buxi folia, quantum manus ceperit*; videtur profecto Celſus poſt illa: *papaveris, cum jam ad excipiendam lachrymam maturum eſt*; vel ſcripſiſſe: *quantum manu comprehendi poteſt, in vas demittitur*, vel potius: *manipulus in vas demittitur*; ſic ut ea verba: *qu. manu comprehendi poteſt*, explicationis cauſa in ora alicujus veteris libri adſcripta, imperitia librariorum inter ipſius Celſi verba recepta ſint: quod quidem & in aliis deſcribendis Auctoribus haud raro accidiſſe, notum eſt, & ſæpe in noſtro hoc contigiſſe, cum Lindenius (4) animadvertit, tum Rhodius (5), nonnullis prolatis exemplis, indicavit. In loco autem quem protinus afferam ex ejusdem libri 5. capite 28. ſect. 2. quæ eſt de Carcinomate, nihil quidem aut additum, aut omiſſum eſt; & verborum tamen ſolum mutata diſtinctione, ſententia miſere depravata eſt. Poſtquam enim ejus de quo ibi agitur, morbi plura genera, vel plures, ſi mavis, gradus ſunt memorati, hæc ſubjiciuntur: *Tolli*
317, *nihil, niſi κακόηθες poteſt: reliqua curatio-*
31. *nibus irritantur. Et quo major vis adhibita eſt, eo magis quidam uſi ſunt medicamentis adurentibus.* Sic autem verba hæc diſtinguenda ſunt: *Tolli nihil, niſi κακόηθες poteſt: reliqua curationibus irritantur; & quo major vis adhibita eſt, eo magis. Quidam uſi ſunt medicamentis adurentibus.* Diſtinctionem hanc comprobant quæ continuo ſequuntur: *quidam ferro aduſſerunt: quidam ſcalpello exciderunt, neque ulli unquam medicina profuit; ſed aduſta protinus contitata ſunt, & increverunt, donec occiderent.* & reliqua, quæ eo nimirum omnia pertinent, ut oſtendant, vitia iſta curationibus, ſicuti poſitum eſt, præſertim vehementioribus, adhibitis exaſperari. Res ut perſpicua, ut facilis ſit, vides; tamen ex omnibus quos ad hunc diem hujus diſtinctionis confirmandæ gratia conſului, libris, vix unum, Roberti videlicet Conſtantini, invenire potui in quo ad eundem fere modum diſtincta ſint verba.

Haud multo gravior in deſcribendo Celſo plerorumque error hujus pariter ſententiam mutat in lib. 7. cap. 18. ubi inter cæteras notas quibus Enterocelen dignoſcamus, hæ quoque ſic proponuntur: *frigore omni* (tumor) *contrahitur, calore diffunditur; eſtque tum ſcrotum &* 457,
rotundum & tactu leve. Hic vero eſſe 14.
ſcribendum: *tactu læve*, ipſe per ſe Auctor indicat, qui paulo ſupra iner ſigna quibus nos docuit Epiplocelen ab Enterocele diſtinguere, *tactu vero*, inquit, *tumor inæqualis eſt*. Hujuſmodi autem errorem haud notaſſem; ſed ut Operarum Almeloveenii, ſane vel in ipſa A. 1713. *editione*, quam *correctiorem* eſſe, in libri fronte confirmant, & qua mihi una ad hoc tempus datum eſt uti, non valde diligentium, ſicuti multis in locis collato Lindenii exemplari (quod a te ſedulo fieri, velim) animadverti; ut Operarum, inquam, Almeloveenii, fortuitum lapſum prætermiſiſſem, niſi etiam in Lindenii; Lindenii autem? imo vero Juntæ quoque, Manutiorum, Cæſarii, Stephani, Conſtantini, Ronſſei, aliorumque exemplaribus animadvertiſſem, cum tamen in primo illo, Nicolai videlicet, itemque in Pantiniano ſcriptum ſit: *læve*. Sed & in his, & in cæteris omnibus, quos modo memoravi, libris fruſtra quæſivi qua ratione intelligere melius poſſem quod legimus in proximo capite 19. *Miniſter au-* 460,
tem ſiniſtra manu comprehenſo ſcroto, ſur- 30.
ſum verſus eum debet extendere, & quam maxime ab inguinibus abducere; omnes enim ii libri pariter habent: *eum*, vix Conſtantino, ſed in ora, ſcribente: *eam*, aut *id*, quam videlicet poſteriorem voculam, aut aliam nullam in vetuſtiorum librorum aliquo me invenire poſſe ſperaveram. In aliis autem verbis

[1] *de Medicam. Faciei.* [2] *Nat. Hiſt. l.* 25. *c.* 5. [3] *de Re Ruſt. l.* 11. *tit.* 14.
[4] *Epiſt. ad Lect.* [5] *in Scribon. Compoſ.* 4. & 104.

Digitized by Google

bis quæ in ejusdem 6. libri capite occurrunt 26. sect. 1. *Nonnunquam etiam prolapsus in ipsam fistulam* (id est urethram) *calculus qui subinde ea extenuatur, non longe ab exitu inhæresçit*; in his, inquam, verbis ne Constantinus quidem id exhibuit quod quærebamus. Nam quod in margine ad vocem *ea* adnotavit: *urina, vel subaudi*, nimis id longe petitum videtur, cum vox *urina* non ita prope posita sit: neque præterea urina extenuat hærentem calculum, sed auget; vel si extenuat, cur igitur extenuatus sic inhæresçit? Ego vero pro *qui* sperabam vel *quia*, vel *quâ* in libro aliquo posse inveniri, ut Celsus hoc diceret: quia; vel qua parte subinde urethra extenuatur; propterea; vel ea in parte calculus inhæresçit. Videndumque esse, censebam, num forte huc pertineret quod Aretæus (1) vidisse se, dicit; postquam enim scripsit: *Secunda porro calamitas est, cum per colem calculus transmittitur. Nam si amplior sit, quam urinæ iter* (*Græci urethram vocant*) *capere possit; in eo multum temporis hæsitat, &c.*; tum hæc subjicit: *Ægerrime autem tortuosi calculi exeunt: quosdam enim & hamatos vidi, in meatibusque adnatas quasdam duritias*. Sed & secundum naturam solere utrethram contrahi in ipso primo, sive exteriore suo orificio in ipsis etiam, ut nosti fœminis observavimus (2): quod eo potissimum memoramus, quia ubi Celsus in proxima hujus capitis sectione 4. de minori fœminarum calculo verba facit, cum cæteri quos inspeximus, libri; nisi prorsus memoria nos fallit; omnes sic habeant: *Ergo & per se sæpe excidit, & si in primo quod est angustius inhæret, eodem tamen unco sine ulla noxa educitur*; ibi Almeloveenii, ac Lindenii exemplaria, omnino abjecta (quam bene alii viderint) illa voce: *primo*, hæc exhibent: *& si in urinæ itinere, quod est angustius, inhæret*. Porro ambo; ut ad alium locum veniamus; in ejusdem capitis sectione 2. quæ est de calculis e vesica extrahendis, hæc in ipso fine habent: *Quocunque autem modo cervix ea parte secta est, leniter extrahi, quod asperum est, debet*. Haud equidem diffiteor, hunc locum in aliis omnibus quos consului, libris manifesto esse vitiatum; sic enim in cunctis legitur: *Quocunque autem modo cervix ea parte facta est*; Attamen cum proxime scriptum fuerit, non qua parte, sed quo & ferro, & modo cervix vesicæ sit aperienda; semper ego, potius in *ea parte*, quam in *facta* subesse vitium existimavi, & hac propterea ratione esse tollendum: *Quocunque autem modo cervix patefacta est*; præsertim cum supra Auctor de ejusdem cervicis sectione ad hunc ipsum modum locutus sit: *Cum vero patefacta est* (hoc est cervix; hæc enim proxime antecedunt: *rupta cervice, quam habuisset incisa*) *in conspectum calculus venit*. Non me præterit, Almeloveenium, quam vis omnibus quos vidi, libris, atque adeo ipsius etiam Lindenii, repugnantibus, qui nempe constantissime habent: *Cum vero patefacta est*; scribere eo in loco maluisse: *Cum via perfecta est*; tamen ipse, idem locutionis genus in eadem re ante paucos versus in Celso servavit; nam post illa: -- *plaga facienda est, qua cervix aperiatur; donec urinæ iter pateat sic, ut plaga paulo major, quam calculus sit*; continuo hæc subdit: *Nam qui metu fistulæ* (*quam illo loco ὑροῤῥώδα Græci vocant*) *parum patefaciunt; &c.*

Essent alii loci in quos meas; quales eæ cunque sunt; divinationes proferre possem; sed quia jamdudum sentio, me justum longe esse prætergressum epistolæ modum; unum tantummodo, eumque ad rem nostram anatomicam pertinentem, attingam, quem locum ne ipsi quidem Paawio (3), Anatomes, ut tute scis, haud ignobili Doctori suspectum fuisse, mirum est. Libro igitur 8. cap. 1. in maxillæ inferioris descriptione hæc habentur: *Verum ipsius maxillæ partes extremæ quasi bicornes sunt. Alter pro-*

474. 16.
480, 6.
478, 12.
477, 32.
481, 23.
501, 7.

(1) *De Sign. Diut. Morb. l. 2. c. 3.* [2] *Adverss. Anat. IV. Anim. 24.* [3] *Comment. in Celsi. l. 8.*

Digitized by Google

proceſſus intra latior, vertice ipſo tenuatur, longiuſque procedens ſub oſſe jugali ſubit, & ſuper id temporum muſculis illigatur. Alter brevior, & rotundior &c. Erſi in nullo eorum quæ ad hoc tempus vidi, exemplarium aliam quam hanc ipſam inveni ſcripturam; non poſſum tamen non credere, Celſum potius ita ſcripſiſſe: *Alter proceſſus infra latior, vertice ipſo tenuatur*. Si enim res id pateretur, ut ſcribere potuiſſet: *Alter proceſſus intra latior, extra tenuatur*; nihil immutandum eſſe, cenſerem; nunc igitur cum & res ipſa, & quod non obſcure oppoſitum eſt: *vertice ipſo tenuatur*, requirant, ut illud ante poſuerit: *infra latior*; non video cur unius litterulæ mutatione ut vitiari hic locus a librariis, ſta a nobis reſtitui non poſſit. Hanc tamen, aliaſque omnes quas in hac epiſtola propoſuimus, ſive divinationes, ſive dubitationes, velim tibi perſuadeas, nihili nos & in preſentia facere, & ſemper eſſe facturos, niſi ab Doctiſſimis Viris, & longe magis quam nos Anatomici, in emendandis ſcriptis Veterum exercitatis probentur. Quod ſi forte unam modo, aut alteram haud prorſus cenſerent eſſe improbandam; ſatis magnum nobis videremur earum fructum cepiſſe, cum quæ de Xenophonte, cujus e libris quædam menda auferebat, Muretus (1), ea nos de Celſo etiam dicere, nequaquam dubitaremus: *Nihil eſt tam puſillum quod non avide accipi debeat, quod quidem ad tam politum, tamque utilem Scriptorem pertineat. Parvum eſt, quod afferimus; ſed magnus is, quem adjuvamus.* Vale.

Patavii Poſtrid. Idus Decembr. MDCCXX.

EPISTOLA ALTERA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

SI vales, bene eſt; ego quidem valeo. In hac vetuſta Alexandri Paduanii, Medici olim Doctiſſimi, Bibliotheca Celſi noſtri exemplar inveni, calamo in membranis deſcriptum. Quod ut paulo attentius inſpexi, cœpi ſuſpicari, haud veram fortaſſe eſſe additam illam ab Henrico Stephano inſcriptionem: *Aurelii Cornelii Celſi de re medica libri octo, operis ab eo ſcripti de artibus, pars ſexta*. In fine enim IV. libri in hoc quidem codice ſcriptum eſt: *Artium Aurelii Cornelii Celſi liber. VIIII. Idem medicinæ liber. IIII. explicit feliciter*; hiſque numeris proportione reſpondent qui ad plerorumque inſequentium librorum calcem adſcripti ſunt; ut ſi hanc rationem ſequamur, manifeſto appareat, octo hos de re medica libros, quos, ut alias ad te ſcripſi, quinque de re ruſtica antecedebant, non ſextam operis ab eo ſcripti de artibus, verum ſecundam omnino partem fuiſſe.

Ex illis autem quæ iisdem meis ad te litteris oſtendi, minus mihi in Almeloveenii editione probari, nonnulla ſunt in quibus hunc etiam codicem inveni ab ea diſcrepantem, mecumque facientem. Neque enim ut illa habet (*pag.* 148. *lin.* 17.) *aſſignari poſſunt*; ſed *aſſignari non poſſunt*: non (234, 3.) *albæ violæ*, ſed *albæ olivæ*: non (307. 11.) *feræ morſus habent*; ſed *fere morſus habet*: non (350, 30.) *niſi immodica inflammatio*; ſed *niſi modica inflammatio*: non (410, 5.) *fluens alvus exercuit*; ſed *fluens alvus exhaurit*: non (444, 16, 18.) *Quod ſi fractum — ut os*; ſed *Quod ſi factum — ut is*: non (474, 27.) *qui ſubinde ea extenuatur*; ſed

[1] *Var. Lect. l.* 3. *c.* 15.

Digitized by Google

ſed *quia ſubinde ea extenuatur*: nec denique (522, 23.) *exercitatæ nares*, ſed *excitatæ nares*.

Verum hæc omnia etſi minime contemnenda ſunt; nullo tamen pacto videntur mihi cum eo uno quod continuo exponam, comparanda. Memoria, opinor, tenes quod ad te ſcripſeram, non modo de Almeloveeniana, ſed de omnibus quas vidiſſem, Celſi editionibus verba faciens: minime videlicet a me dubitari, *quin in libri 4. caput 20. quod eſt* de Vulvæ, *hoc eſt de Uteri*, Morbo, *temere a librariis contruſa eſſent quæ in illius calce leguntur de nimiæ urinæ profuſione; quaſi vero hoc mali viros nunquam, ſed mulieres tantum corriperet, ut propterea inter peculiares earum morbos ita præſertim, nullæ ſcilicet de viris mentione facta, a Celſo referri potuiſſet*. Accipe nunc quid ex hoc codice didicerim; intelliges enim, non ſolum conjecturam illam meam (quod levius eſt) veram fuiſſe, ſed hoc inſuper quod graviſſimum, & inexpectatum omnino eſt, in his Celſi libris, quos nemo (quod ſciam) non integerrimos unquam putavit, unum aut alterum caput deeſſe. Igitur in eo quod diximus, capite, ubi Lindenii, & Almeloveenii editiones hæc habent (*pag. 234. lin. 1.*) *Si maligna purgatio eſt, ſubjicienda ſunt * coercentia. Id faciunt etiam albæ violæ, nigrum &c.*; codex poſt illa verba, *ſubjicienda ſunt*, non modo ingentem habet lacunam quidquid reliqui eſt in ea pagina obtinentem, & in proximæ demum paginæ initio, *coeuntia. id faciunt etiam albæ olivæ: & nigrum &c.*; ſed contra eam lacunam eadem manu in ora ſcriptum eſt: *Deſunt in vetuſtiſſimo exemplari duo folia*. Hic ex me quæres, in iis duobus foliis quid ſcriptum a Celſo fuiſſe, exiſtimem. Ego vero etſi nequaquam dubitarem, quin abſoluto primum quem inſtituerat, ſermone de morbis qui cum ad uterum ſpectent, ſunt mulierum peculiares, tum ad eos tractandos veniſſet quos ad proximas, ſed utrique ſexui communes partes, & nominatim veſicam referret, de cujus videlicet doloribus omnes, quantum memini, editiones, iis dumtaxat quas Lindenius, & Almeloveenius procurarunt, exceptis, hic ipſum exhibent ante loquentem quam de nimia urinæ profuſione verba faciat; etſi, inquam, hæc conjectura aſſequerer; tamen hujus ipſius codicis adjumento comperi quæ eſſent hic a Celſo reapſe tractata. Cum enim libris ſingulis ſingulos peculiares Indices præponi, animadvertiſſem, capitum argumenta ex ordine commonſtrantes, ſubiit eum conſulere qui libro huic quarto præfixus eſt, ſi forte in ea parte integer eſſet quæ pars in libro deſideratur. Hæc igitur, quam quidem ex minime interrupta numerorum ſerie integerrimam judicavi, ad hunc modum ſe habet.

CX. Vulvæ exulcerata eſt.
CXI. De Veſica.
CXII. De calculis in veſica.
CXIII. In omni dolore veſicæ.

Quæ cum ita ſint, cumque numerus CX. in ora codicis eo in loco adſcribatur, ut reſpondeat illis verbis (apud Almeloveenium pag. 233. lin. 26.) *Si vero vulva exulceraea eſt*; numerus autem CXIII. contra hæc ferme ſcriptus ſit (*p. 234. l. 7.*) *Præter hæc in omnibus veſicæ doloribus* (*veſicæ* enim in codice legitur; non, ut apud Almeloveenium, *vulvæ*) hinc præclare, quot, & quæ deſiderentur, intelligis, in eo loco, in quo aut nihil, aut unum, vel pauca certe verba deeſſe, Viri Exercitatiſſimi, atque Doctiſſimi exiſtimabant. Is enim qui primus Celſum formis deſcripſit, Nicolaus, & Lucas Ant. Junta ſic ediderunt: *ſubjicienda ſunt coeuntia*; Joannes autem Cæſarius, Gulielmus Pantinus, Henricus Stephanus, & Balduinus Ronſſeus: *ſubjicienda ſunt coercentia*. Vix Manutii in utraque editione, interjecta, ad hunc modum lacuna, propoſuerunt: *ſubjicienda ſunt, * coeuntia*. Quæ lacuna ſic contracta deinde fuit a Roberto Conſtantino, ut non aliquot, ſed unum fere verbum deſiderari oſtenderet, hoc videlicet modo: *ſubjicienda ſunt * coercentia*, præſertim cum hæc in libri margine appoſuerit * *menſes evocantia*, quaſi ita nihil deeſſe, crederet, poſtremumque verbum

Digitized by Google

coeuntia, ab aliis in *coercentia*, ab ipso in *evocantia* mutatum, ad sermonem de uteri vitiis pertineret, quod reapse ad caput pertinet vel de vesica doloribus, vel de calculis in vesica, enatisque inde noxis per medicamenta videlicet, ac victus rationem, & frequentiora Chirurgiæ auxilia oppugnandis; nam quæ curatio aut iis a quibus urina non redditur, aut calculosis, *cum aliter*, ut Celsus ipse ait, *succurri non potest*, a Chirurgo adhibenda sit, libro docet 7. capite 26.

Nunc illud, opinor, expectabis, ut scribam, an conjecturam aliam aliquam meam ejusdem codicis auctoritate comprobaverim. Neque enim ignoras, præter ea quæ in mea ad te Epistola attigi ut inter scribendum succurrerunt; plura adhuc esse quæ mihi quidem in Almeloveenii editione displiceant. Igitur cæteris in aliud tempus rejectis, unum in præsentia memorabo quod simul ad latinam linguam, simul ad rem nostram anatomicam pertinet. Almeloveenius in libri octavi capite primo (*pag.* 504. *lin.*22.) Lindenium, ut solet, secutus, hæc edidit: *Superius autem humeri caput rotundius, quam cætera ossa, de quibus adhuc dixi, verticillati scapularum ossi inseritur, ac majore parte extra id situm nervis deligatur*. Manutii autem in utraque editione ad hunc modum proposuerant: - *verticillatis scapularum ossibus parvo excessu inseritur: ac majore parte ex transitu nervis deligatur*. Cum his Constantinus fecit; quanquam in margine adnotavit: *parvo excessu* deesse in antiquo Codice, aliosque legere *incessu*. Et Joannes quidem Cæsarius, atque ante hunc Lucas Ant. Junta duas illas voces omiserant, cætera ut Manutii, edentes; nisi quod pro *verticillatis* posuerant, *verticulatis*. Qua in re socios habuerunt Gul. Pantinum, Henr. Stephanum, Bald. Ronsseum, qui tamen *parvo excessu* non omiserunt; etsi Ronsseus in libri ora, esse qui omitterent, & qui non *verticulatis*, sed *verticillatis* scriberent, indicavit. Ronsseï scripturam secutus est Paawius, qui in commentario ad hunc locum suo vocare Celsum, ait, *scapularum ossa verticulata, aut quia cervicibus prædita: aut a verticillis exstantium coracoidis & spinosi processuum*; verum enimvero quænam in his processibus partes sint quas *verticilla* vocemus, non docuit. Hanc ego tantam in eodem loco describendo varietatem cum attenderem; pro ea qua solet peritia prudentiaque facere existimavi V. Cl. Jacobum Facciolatum, cum se vehementer dubitare, mihi ostenderet, essetne inter latinas voces facile recipienda *verticillatus*, quam nimirum qui Lixicis inseruere, hoc uno Celsi loco incertissimæ procul dubio scripturæ niterentur. Cum vero idem miraretur, cur Almeloveenius *verticillati scapularum ossi*; non *verticillato*, aut *verticillatis scapularum ossibus* edidisset; ac præterea ex me quæreret, an potius *vertebratis* (quæ Pliniana vox est libro 11. c.37.) *scapularum ossibus*; hic legendum esse, censerem; memini me in ea quæ paulo superius (*pag.*503. *lin.* 23.) de scapularum ossibus scripta sunt a Celso; hunc enim in manibus habebamus; continuo oculos conjecisse, & Viro Doctissimo respondisse, mihi vero omnino videri, *vertici lati scapularum ossis* esse legendum. Hæc enim illis de ossibus tradiderat Celsus: *a cervice duo lata ossa utringue ad scapulas tendunt: nostri scutula operta; ὠμοπλάτας Græci nominant. Ea in summis verticibus sinuata, ab his triangula, paulatimque latescentia ad spinam tendunt*: ex quibus licet intelligi, eam horum ossium partem, quam Anatomici solent *scapulæ cervicem* vocitare, Corn. Celsum nomine *verticis* appellavisse, sive quod eam *summam* esse illo in osse, crediderit; sive quod ut in *triangulo* osse oppositam basi, vel ut locum spectaverit in quo humeri caput vertitur, qua videlicet ratione Polorum uterque (quos alii pariter cardines vocant ab eorum similitudine circa quos valvæ convertuntur) a Virgilio l. Georgic. *vertex* est dictus. Cum igitur scapulæ, sive ut Celsus loqui mavult & in hoc capite (*pag.* 504. *l.* 3. *ac l.* 11.) & ad finem tum septimi (*pag.* 526. *l.* 6.) tum octavi (*pag.*528.*l.*6.) & sub initium tum unde-

Digitized by Google

decimi (*p.*542. *l.* 33.) tum quintidecimi (*pag* 548. *l.*22.) *lati ſcapularum oſſis* ſinuatam cervicem paulo ante appellaverit *verticem* ; quid veri eſſe ſimilius poſſit , quam ut porro traditurus , cui parti ejusdem oſſis , humeri caput inſeratur , ad hunc modum ſcripſerit : *vertici lati ſcapularum oſſis inſeritur* ; præſertim cum in eo librarii , dictata verba excipientes , perſæpe labi conſueverint , ut ex duabus vocibus unam facerent , & primam conſequentis vocis litteram ad præcedentis etiam poſtremam addentes , duplicarent , unde facillime nova hæc vox *verticillatis* effingi potuit. Nunc quam in codice ſcripturam offenderim , tibi fideliter deſcribam : *parvo exceſſu vertici latis ſcapularum oſſibus inſeritur. ac majore parte : & tranſitu nervis deligatur* . Illud quidem minime eſt diſſimulandum , in verſuum intercapide auſum eſſe aliquem nonnulla addere , videlicet ſuper ultimam *vertici* litteram , litterulam *s* , & ſuper *&* , particulam alteram *ex* : quo de utroque additamento ſi forte quæris , quid ego ſuſpicer ; ſic habeto . Primum mihi tum codicem , ac ſupra deſcriptas & Almeloveenii , & cæterorum lectiones , tum ipſam anatomen reſpicienti veri ſimillimum videri , ita a Celſo ſcriptum fuiſſe : *vertici lati ſcapularum oſſis parvo exceſſu inſeritur , ac majore parte extra ſitum , nervis deligatur* ; neque enim (quod tu optime noſti) ſumma pars humeri ita in ſcapulæ cervicem , ut ſumma pars femoris in oſſis innominati acetabulum conditur ; ſed *parvo* tantum *exceſſu* , ideſt ejus capitis quod ab interiore latere extuberat , portione immiſſa , *majore parte extra ſita* eſt , quam etiam ob rem *nervis* , ideſt ligamentis atque tendinibus , ne facile excidat , *deligatur* . Cum ergo Librarii voces illas *extra ſitum* deſcribendo , ita vitiaſſent , ut alii *& tranſitu* , ut Scriptor codicis , alii *ex tranſitu* , ut plerique , quibuſcum facere codicis Emendator maluit , ſcriptum relinquerint ; nonnulli denique , in quibus Lindenius , & Almeloveenius , integro ea in parte exemplari uſi , priores voces reſtituerunt , niſi quod perſpicuitatis addendæ cauſa , minus , ut puto , neceſſariam voculam *id* interjecere . Verba autem illa , *parvo exceſſu* etſi ad rem fideliter tradendam , neceſſaria ſunt , iiſque perbelle reſpondent quæ ſequuntur , *majore ex parte* ; cum tamen aliquo in codice , ut ſupra diximus , omiſſa eſſent , minus mirandum eſt quod in hoc invenerim alium in locum tranſpoſita , unde Emendatori occaſio data eſt exiſtimandi , ea cum inſequenti voce *vertici* eſſe conjungenda , quam propterea in *verticis* mutare maluit , haud animadvertens , unde factum eſſet , ut pro *lati* ſcriptum eſſet *latis* , & ne vox hæc minime cohæreret cum voce *oſſis* , hanc in *oſſibus* eſſe mutatam ; cum tamen non modo alii codices , quibus auctoribus Lindenius , & Almeloveenius ediderunt , *verticillati ſcapularum oſſi* , aliquando meliorem in parte indicare poſſent ſcripturam ; ſed ipſe etiam Celſus , cum videlicet non de utroque , ſed de alterutro oſſe humeri hic loquatur , inſitum ſcribere non *latis oſſibus* , ſed *lato oſſi* , vel ; quod eodem recidit ; vertici *lati* ſcapularum *oſſis* , debuerit . Verum meas haſce conjecturas tanti faciesſ , quanti volueris ; illud mihi ſatis eſt a te diligenter attendi , in hoc codice non *verticillatis* , ſed evidentiſſima certiſſimaque diviſione legi *vertici latis*. Hac de re V. Cl. Iac. Facciolatum certiorem facito , & meis verbis ſalvere jubeto . Vale .

Dabam Kal. Sextilib. MDCCXXI.
Forolivii .

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA TERTIA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

QUæ nudiuſtertius duo tibi pollicitus ſum, alterum ut quæ nuper Venetiis animadverti, ſuperiorem Epiſtolam meam cum manu exarato Celſi exemplari conferendo, ſignificarem, alterum ut V. Cl. Jacobi Facciolati ad quosdam Scriptoris ejusdem locos Animadverſiones XV. longe doctiſſimas cum meis nonnullis exiguis illis quidem, ſed tamen a te efflagitatis, additamentis mitterem; ea his ipſis litteris ambo præſtabo. Igitur exemplar id Celſi chartaceum eſt, illudque ipſum eſt quo apud Clericos Regulares (*Tolentinos* ibi vocant) ſe uſum eſſe, tradidit Rhodius (1); nam alterum, idque membraneum (2), quod ibidem in Divi Antonii Bibliotheca, plurimis vetuſtiſſimis codicibus inſtructa, verſaverat, in hujus incendio periit; quem caſum hoc ægrius fero quod quæ illo ex codice excerpſerat Rhodius, ea pariter cum Th. Bartholini (3) Bibliotheca conflagrarunt. Itaque cum Veneto hoc codice quidquid ex Forolivienſi adnotaveram, cum diligenter contenderem, etſi loca ſane haud ita pauca inveni diſcrepantia; ea tamen octo quæ ſuperioribus deſcripſi litteris, uſque adeo (ſi demas ſeptimum, cujus mihi lectio dubia fuit) mirifice vidi in his quidem verbis in quibus ab Almeloveenio diſſenſi, inter ſe congruentia, ut cum in poſtremo, quem non ſatis accurate exſcriptum forte ad te miſeram, pro *excitatæ* perperam in illo codice ſcriptum ſit *excitat*, ſic in Veneto quoque ſit ſcriptum; verba autem illa ad tertium locum pertinentia: *omnis autem fere morſus habet quoddam virus*, vetuſta quidem, ſed non eadem tamen manu, pariter (quod obſervatione dignum cenſeo) utroque in codice addita ſint.

Sed jam illuc tranſeo quo properare te, ſcio, ad eam videlicet ingentem lacunam libri IV. Quid quæris? Longe ea in Veneto codice major eſt. Nam inter illa: *Si maligna purgatio eſt, ſubjicienda ſunt*, atque hæc: *coeuntia. Id faciunt &c.* quæ nimirum verba tot Editiones conjunxere, albæ grandes paginæ relictæ ſunt quatuor cum dimidio. Et ne quis caſu intermiſſas putet; hic quoque in margine eadem qua cætera, manu ſcriptum eſt: *Deſunt in vetuſtiſſimo exemplari duo folia*; Indicis autem huic libro præpoſiti quæ pars lacunæ reſpondet, ac iis quæ proxime antecedunt, & conſequuntur, ita nimirum ſe habet.

CII. Vola (legendum *Vulva*, vel *Volva*) *exulcerata eſt.*

CIII. De Veſica.

CIIII. De Calculis in veſica.

CV. In omni dolore veſicæ.

Vides, mi Vulpi, in iis quæ præcipua hic ſunt, ut mirum in modum utrumque conveniat exemplar.

Reſtat locus ille de humeri, & ſcapularum oſſibus. Sic autem inveni ſcriptum: *parvo exceſſu vertici latis ſcapularum oſſibus inſeritur: ac majore parte extranſitu nervis deligatur*. Non eſt meæ fidei quidquam, tecum præſertim, diſſimulare; quin etiam Perhumanum ac Eruditum Virum, ampliſſimæ eorum Clericorum Bibliothecæ Præfectum, qui mihi hæc omnia inſpicienti deſcribentique officioſiſſime aderat, rogavi, ut id recognoſcere mecum vellet quod proti-

[1] *Vid. Catalog. Auctor. ad Rhodii Scribonium.* [2] *Ibid. & in Notis ad Compoſ.* 20. *Scribon.*
[3] *Vid. Diſſert. Th. Bartholini de Bibliothecæ Incendio.*

Digitized by Google

tinus subjiciam. Scilicet inter *vertici*, & *latis* subobscurum quoddam (qualia in eo exemplari alibi quoque deprehenduntur) veteris litturæ vestigium est, quasi litterula fuisset erasa; eo tamen illud in loco est, ut littera *l* fuisse omnino non possit, sed brevior quædam instar litteræ *s*, ut mihi *verticis* in hoc etiam codice scriptum facile fuisse; *verticillatis* certe non fuisse videatur.

Venio nunc ad eas de quibus initio dixi, Animadversiones, quæ quidem a Viro Doctissimo scriptæ sunt cum ut aliquot Celsi loca illustrentur, tum vero maxime ut dictiones aliquæ expendantur, quas optimi latinitatis Magistri tanquam certas Celso tribuunt, ejusque auctoritate in linguam latinam inducunt. Has quoniam ante quatuor hos menses mihi perlegerat, cum Forolivienfi, & Veneto codice pleraſque contuli, quot videlicet memoria comprehenderam, collaturus omnes, si quod nuper, atque adeo modo venit in mentem, id principio veniſſet, ut earum omnium exemplum ab Humaniſſimo Viro peterem, quod tecum in eorum commodum qui ſive Cornelii noſtri, ſive linguæ latinæ ſunt ſtudioſi, communicarem. Eas hue fideliter adſcribam, & fere ſingulis quæ mihi adnotata ſint in Codicibus, probatiſve Editionibus, aut Enarratoribus, ſubjiciam.

I. *Lib.* 1. *Præfat. pag.* 7. *l.* 11. Eorum poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, molitiem, lævorem, confractum. *Loquitur hic Celſus de partibus corporis humani: nec video, quem locum habeat* Confractus, *quæ vox, ſi Latina eſt, fracturam ſignificat. Quinque editiones longe optimæ, quæ apud me ſunt, Florentina princeps* 1478. *utraque Aldina* 1528, *&* 1547. *Gryphiana* 1542. *& Henrici Stephani* 1567. *habent* contactum, *quæ vox certiſſimæ Latinitatis eſt, & ſenſum reddit idoneum. Non dubito, quin Almeloveenius, præſtanti judicio vir, probatis codicibus uſus ſit: ſed hic aliquis diligentiam ſaltem illam deſiderabit, quæ variantes lectiones complectitur, & ceteroquin Tranſalpinis ingeniis familiariſſima eſt. Hanc ſiquis ex noſtris damnavit unquam, in quo accuſari ſolemus, ideo damnavit, quod ſæpe vertitur circa levia. Ceterum cum aliquid hujuſmodi contra vulgatas editiones in libros inducitur, tum vero non utilis modo, ſed prorſus neceſſaria eſt; præſertim ſiquid inducatur ita novum, ut nullo præterea locupletis Auctoris teſtimonio confirmari poſſit. Talia enim non ad unum aliquem Scriptorem pertinent, ſed ad communem totius linguæ rationem, qua de agitur. Exemplo eſſe poſſunt cum aliæ voces, quas deinceps recenſebo, tum hæc ipſa* Confractus, *quæ Celſi auctoritate in egregium Baſilii Fabri Theſaurum allata eſt, & reliquis Latinis fidei non dubiæ adnumerata.*

Editiones aliæ quinque, ideſt Juntæ, Cæſarii, Pantini, Conſtantini, Ronſſei, habent *contactum*; manifeſtum enim Operarum errorem puto quod in Juntina legatur *cortactum*. Illud mirum eſt, Ronſſeum in libri margine addidiſſe: *Per lævorem, & contactum, aſperitatem intelligit, & quod illi eſt contrarium;* quando Conſtantinus hæc adnotaverat: *Contractum* (lege *Contactum*) *exponunt aſperitatem vel ſcabritiem. Sed quis unquam ita uſurpavit? in manuſcripto legitur* contractum. *Itaque* confractum *pro aſpero & confragoſo* (*quod lævigato opponitur*) *repono*. Hieronymus autem Rubeus in ſuis ad Celſum Annotationibus, cum hæc ferme ipſa Conſtantini verba, Auctoris nomine diſſimulato, retuliſſet, iſtiuſmodi emendationem atque interpretationem *ſatis* ſibi *probabilem videri*, negavit, hæcque ſubjunxit: *Forte autem quia quod contractum eſt, explicato & ob id lævi opponitur, per* contractum *poterit aſperum intelligi*. Videtur igitur maluiſſe *contractum*, quam quidem vocem in Veneto etiam codice invenimus. Hæc tamen eo dumtaxat protulimus, ut tu, mi Vulpi, intelligeres, Conſtantinum non veterum exemplarium auctoritate, ſed conjectura ductum, ex *contractum* illam qua de agitur, vocem elicuiſſe, & huc primum induxiſſe, *confractum*.

II. *Lib.* 1. *c.* 3. *ſect.* 2. *pag.* 28. *l.* 15. So-

Digitized by Google

Somnus plenus, & non multum nimis longus. *Celsi ipsius ἀντιγραφον producat oportet, qui velit nobis persuadere, hoc genus constructionis latinum esse. Quinque Editiones modo allatæ ita habent:* somnus & plenus, & non nimis longus.

Idemque omnino habent aliæ præterea quinque Editiones quas supra memoravimus.

III. Ibidem sect. 7. pag. 31. l. 30. Humidant autem corpus labor &c. *Hic quoque in quinque Editionibus meis aliter legitur:* Humidum autem corpus efficit labor, &c. *Miror autem, ex quo codice verbum hoc* Humido *exierit, & non modo in Celsum, sed & in Basil. Fabri Thesaurum irrepserit ad augendum latinum sermonem. Ego vel inter barbara, vel inter dubia referendum crediderim.*

In hoc etiam loco nostræ Editiones nihil discrepant a quinque illis quæ in Animadversione indicantur.

IV. Lib. 3. c. 21. pag. 163. l. 34. Utilis quotidianus, aut altero quoque die post cibum vomitus est. *Quinque Editiones meæ habent:* Alterno quoque die. *Itaque Petrus Danetius in suum Lexicon ad Usum Delphini novam hanc vocis* Alternus *Constructionem inducit. Sed latino ingenio satis apparet legendum* altero, *undecumque tandem Almeloveenius acceperit.*

Ne hic quidem nostræ discrepant Editiones. Constantinus tamen, atque Ronsseus in libri ora adscripserant, *altero*. Idque receptum est a Lindenio, cujus nimirum Editionem cum plerisque aliis in locis, tum in iis certe omnibus qui hisce Animadversionibus XV. expenduntur, fideliter expressit Almeloveenius.

V. Eodem lib. 3. c. ult. sect. 2. pag. 180. *l.* 1. In lectulo leniter satis diu corpus perfricandum est; deinde retento spiritu in ipsa exercitatione potius superiores partes movendæ. *In omnibus libris duo hæc membra ita dividuntur, sed vereor, ut satis recte: nam* spiritus retentio *non videtur locum habere in ea exercitatione, qua superiores partes moventur, cujusmodi est pilæ ludus, & similia, ut colligitur ex hoc eodem Celsi capite sect. 3.* Pila, similibusque superiores partes dimovendæ. *& ex lib. 1. cap. 6.* Opus est pila, similibusque superiores partes exercere. *Igitur aliter dividendum puto, & ita legendum*: In lectulo leniter satis diu corpus perfricandum est, deinde retento spiritu: in ipsa exercitatione potius superiores partes movendæ. *Id est lenis fricatio satis diu adhibenda est, deinde vehementior per spiritus retentionem, qua uti athletas consuevisse, cum fricantibus intercepto spiritu obnitebantur, scribit Plutarchus de tuend. Valet. Hujus frictionis meminit etiam Cælius Aurelianus de tard. pass. l. 3. c. 1.* In lenimento vero si passio tardaverit, erit adhibenda resumptio gestatione, vocis exercitio, deambulatione, unctione, fricatione corporis retento spiritu. *Etiam verba* In ipsa *laborant mendi suspicione; nam in omnibus editionibus meis est* Ab ipsa; *quod genus constructionis aliquanto rarius est, sed tamen latinum. Sic Cicero in Bruto c. 16.* Græcus ab omni laude felicior. *Idem ibid. c. 43.* A Philosophia, a Jure Civili, ab Historia instructior. *Avienus fab. 31.* Ausus ab exiguo fallere dente bovem. *Sensus igitur est: per exercitationem, seu in ipsa exercitatione curandum esse, ut superiores potius partes, quam inferiores agitentur. Porro autem superiores partes, quæ pila exercentur, sunt cervix & brachia. Hinc Athenæus δειπν. l. 1. c. 12. in hoc ludo maxime commendat τὸ κατὰ τὰς τραχηλισμὰς ῥωμαλέον, id est robur cervicis, quod acquiritur per multiplicem ejus flexionem.*

In verbis Celsi supra allatis ex sect. 3. hujus capitis, in quo hactenus versati sumus, animadvertendum est verbum Dimoveo *pro simplici* moveo, agito, exerceo: *neque enim similia exempla facile occurrent.*

Forolivienſis codex proposita verba sic dividit: *perfricandum est. deinde retento spiritu ab ipsa exercitatione &c.* Venetus autem sic: *perficandum est: deinde retento spiritu ab ipsa exercitatione &c.* Illum Juntæ Editio repræsentat; hunc, Pantini. Sed quas Cæsarius, Constantinus, ac Ronsseus procurarunt, eæ vero sic habent: *perfricandum est, deinde re-*

Digitized by Google

retento ſpiritu, ab ipſa exercitatione &c; quod niſi caſu atque incuria factum eſt; dubium iis Viris fuiſſe, oſtendit, ad perfricationem, anne ad exercitationem illa eſſet retentio ſpiritus referenda. Quamvis enim Cælius Aurelianus in libro etiam 4. *Chronion*, c. 7. *fricationem cum retentione ſpiritus* imperet, imo noſter quoque Celſus, etiam in hoc ipſo libro 3. c. 21. (*pag.* 162. *lin.* 14.) *ſuperiores maxime partes ſic*, ajat, eſſe *perfricandas, ut ſpiritum* æger *ipſe contineat*, in proximo autem capite 22. (*p.* 172. *l.* 1.) *ipſum ſe, ſuppreſſo ſpiritu perfricare*, jubeat; tamen & idem Cælius lib. 3. c. 2. non modo *unctionem ac defricationem*, ſed *& eos motus* imperat, *qui magis humeros valeant exercere, retento ſpiritu*, & idem Celſus lib. 4. c. 2. ſect. 3. (*p.* 190. *l.* 24.) *exerceri*, jubet, *retento ſpiritu*, capite autem 4. (*p.* 201. *l.* 8.) *ſpiritu retento currere*. Quid ergo eſt? Mihi quidem totum hunc locum, & quæ conſequuntur, perpendenti, vel ipſo (ut cætera prætermittam) aurium judicio multo magis placet ita dividere, uti in Animadverſione propoſitum eſt.

Voces autem illas, *ab ipſa*, non modo in Codicibus, ut oſtenſum eſt, verum etiam in meis omnibus Editionibus inveni. Ronſſeus quidem in margine admonuit, eſſe obliterandas, ſecutus, opinor, Conſtantinum, qui tamen id dumtaxat de præpoſitione *ab* monuiſſe videri poteſt. Sed *in ipſa*, nemo; quod ſciam; aut ſcripſit, aut ſcribendum eſſe, docuit ante Lindenium.

Cæterum quo rariora apud alios idoneos Scriptores exempla occurrunt verbi *dimoveo* pro ſimplici *moveo*, *agito*, *exerceo* uſurpati, eo crebriora apud Celſum videor inveniſſe. Nunc tria quæ ſuccurrunt, adſcribam; tu alia perquires. Lib. 1. c. 6. (*pag.* 37. *lin.* 20.) *neque ambulatione quamvis leni dimoveri.* Lib. 2. c. 14. (*p.* 90. *l.* 11.) *manus dimovendæ ſint*. L. 4. c. 7. (*p.* 212. *l.* 8.) ægrum *intra domum tantum dimovere*.

VI. Lib. 4. *t.* 16. *pag:* 226. *l.* 15. Quidquid aſſumptum eſt, inconfectum protinus reddunt. *Animadverſione digna eſt vox* Inconfectus, *quæ elegantem hoc loco ſignificationem habet; ſed tamen non debuit in Juncherianum Latinitatis Theatrum cum certis referri; nam nec alibi occurrit, & hic Editiones meæ magno conſenſu habent* Imperfectum. *Quæ quidem lectio non admodum mihi probatur; attamen eſt hujuſmodi, ut indubitata poſtulantibus negotium exhibere debeat.*

Meæ quoque omnes Editiones habent, *imperfectum*. Quod in Codicibus etiam vidi; non *inconfectum*.

VII. Lib. 7. *c.* 7. *ſect.* 1. *pag.* 422. *l.* 1. Superinungi collyrio debet ex iis aliquo, quo lippientes oculi ſuperinunguntur. *Ad verbum* Superungo *in Theatro Juncheriano, & Fabri Theſauro affertur locus hic. Revera codices variant; & ſiquidem Scribonius Largus compoſ.* 29. *ſcripſit* ſuperunctum, *non eſt temere huic verbo auferenda Romana Civitas. Tutius tamen adhibetur* ſuperinungo, *quod hic habent meliores libri, quod repetitur a Celſo l.* 6. *c.* 6. *ſect.* 1. *quod uſurpat etiam Largus compoſ.* 27. *Non eſt prætereundum, verba hæc Celſi, quæ duo membra complectuntur, in Theatro Juncheriano partim ad Celſum, partim ad Largum referri, ut verbum* Superungo *bina auctoritate nitatur. Sed vix credibile eſt, quam multa in lexicis excudendis peccentur ab Operis.*

Editiones omnes meæ & *ſuperungo*, & *ſuperinungo* exhibent in hoc uno loco. Sic enim proponunt: *ſuperungi collyrio debet ex iis aliquo, quo lippientes oculi ſuperinunguntur*. Juntina tamen, quam utraque Manutiorum imitata eſt, ſic habet, *ſuper ungi - - ſuper inunguntur*. Codices quos in altero forte loco inſpexi, quem Animadverſio quoque memorat (*l.* 6. *c.* 6. *ſect.* 1.) in eo quidem congruunt quod ambas voces in unum iungunt; ſed hoc tamen diſcrepant quod Forolivienſis habet, *ſuperinungi*; Venetus, *ſuperungi*. Pariter apud Largum, ut non modo Compoſ. 27. lego *ſuperinungantur*, ſed etiam Compoſ. 26. *ſuperinungere*; ſic Compoſ. 29. in quatuor meis Editionibus, & his quidem Cratandri A. 1529; Manutiorum A. 1547; Stephani A. 1567; Rhodii A.

Digitized by Google

1655. conſtanter lego, *ſuperunctum*.

VIII. Eod. lib. 7. c. 7. ſect. 8. pag. 428. l. 1. Sub ipſis pilorum radicibus angulo immittenda eſt, ut ea tertiam partem palpebræ tranſvehat. *Non puto, vocem hanc ultimam retineri poſſe, quamvis etiam in Fabri Theſaurum poſtrema editione recepta fuerit. In Gryphiana, & aliis quibuſdam legitur* tranſuat, *quod conſonum eſt verbis paulo poſt ſequentibus:* Quidam ajunt, acu tranſui juxta pilos exteriorem partem palpebræ oportere. *Acus autem, & quodlibet inſtrumentum acui ſimile tranſuere dicitur, quoties perforat, tametſi filo careat. Siquis pro* tranſvehat *pugnare velit, is oſtendere debebit, verbum hoc neutrorum more uſurpari poſſe. In eodem Fabri Theſauro habetur &* Traveho, *quod firmatur Varronis auctoritate tanquam certa ex lib. 2. R. R. c. 7.* Flumen travehundum eſt. *Verum in Editione Veneta principe, & in Aldina leg.* Trajiciendum.

In Forolivienſi codice legimus, *tranſvehat;* in Veneto, *tranſueat*. Illius ſcripturam habent Editiones Juntæ, Cæſarii, Stephani; hujus ambæ Manutiorum. Pantinus tamen, Conſtantinus, Ronſſeus ediderunt, *tranſuat*; hic etiam, in margine adſcripſit, *tranſeat*.

IX. Eod. lib. 7. c. 9. pag. 440. l. 8. Quod etſi in levi mutilatione &c. *Per hunc unum Celſi locum vox* mutilatio *inter latinas obrepſit, & in Juncheri Fabrique Theſauro ſine ulla controverſia ſedem poſuit. At mihi dubia erit, donec certiore auctoritate firmetur. Hic enim quinque Editiones meæ habent:* Quod in levi mutatione &c.

Idem habent quinque aliæ meæ; quanquam Conſtantinus, atque Ronſſeus in libri ora ſcripſerunt, *mutilatione*. Quam ego vocem in neutro codice inveni; ſed in utroque, *mutatione*.

X. Eod. lib. 7. c. 12. ſect. 2. pag. 445. l. 14. Ἀντιάδες autem a Græcis appellantur. *Græci dicunt* Ἀντιάδας (*vel* παρίσθμια, *ut eſt apud Pollucem lib. 2. c. 4. ſect. 201.*) *faucium tumores poſt hypoglottida utrinque prominentes, ab* ἀντιάζω, adverſus ſum, *quod hic morbus rebus glutiendis adverſetur, vel ut docent Grammatici,* ἀπὸ τῦ φαίνεσθαι ἀντίας ἀλλήλαις κατὰ τὴν διάνοιξιν τῦ στόματος, quod appareant invicem oppoſitæ aperto ore. *Baſilii Fabri Theſaurus recepit hanc vocem inter latinas, fortaſſe quod in Florentina Celſi Editione 1478. latinis literis ſcripta ſit. Verum Typographus ille Græcis typis carebat, ideoque non hanc ſolum, ſed omnes Græcas voces latinis formis expreſſit. Affertur etiam in eo lexico lex 14. tit. 1. lib. 21. Digeſt. Sed ibi quoque optimæ Editiones, imo omnes quas ego vidi, habent* ἀντιάδες *per Græcas litteras.*

Idem dicendum de voce Rhizagra, *quæ in ſuperiore hujus capitis ſectione græce ſcribitur, ſed in Fabri Theſauro latinam formam induit. Eſt autem* ῥιζάγρα *forceps ad evellendas dentium radices a* ῥίζα radix, *&* ἄγρα captura. *Cælius Aurelianus* dentiducum *appellat de tard. paſſ. cap. 4. prope finem. Quidam codices pro* ῥιζάγρα, *habent* ῥίζα.

Eadem, opinor, cauſa, quæ Nicolaum in Ed. Florentina, coegit Juntam in Veneta A. 1524. edere, *antidyades*, idque non ſine manifeſto errore, & *rizan*. Cæſarius tamen, Pantinus, Conſtantinus, Ronſſeus cum primam illam vocem græcis litteris propoſuiſſent, hanc latinis ſcripſere, *rhizan*, quanquam duo poſtremi in margine græcis litteris addiderunt, *ῥίζαγραν*.

XI. Eod. lib. 7. cap. 27. pag. 486. l. 6. Idemque humor clyſtere intus adigetur. *Hic & Auctor Theſauri linguæ latinæ, & Petrus Danetius cum legiſſent* adjicietur, *quemadmodum ſane habent quinque Editiones meæ, retulere inter latinas conſtructiones* Adjicere intus; *qui quidem modus indiget certiore auctoritate. Fortaſſe confirmari poteſt ex Columel. de Arbor. c. 24.* Truncum findito, & in fiſſuram cuneum pineæ tedæ adjicito. *Verum cum eandem ſententiam iiſdem pene verbis expreſſam repetat Columella l. 5. c. 10. moneo, Aldinos, & Gryphianos Codices in hoc ſecundo loco habere* adigito; *quod placuit & Commelino. Attamen in Veneta principe 1472. utroque legitur* adjicito.

In

In Juntæ, Cæsarii, & Pantini Editionibus est, *adjicietur*. Idemque est in ea quam procuravit Ronsseus, qui tamen in margine apposuit, *injicietur*. Hoc ante ipsum fecerat Constantinus, qui edidit, *adjiciatur*.

XII. Lib. 8. *c.* 1. *pag.* 504. *l.* 24. Verticillati scapularum ossi inseritur. *Veneta princeps, & utraque Aldina habent:* Verticillatis scapularum ossibus inseritur. *Gryphiana, & Henrici Stephani* Verticulatis, *alia* Vertibulatis. *Quam varietatem idcirco significandam existimo, quia* Verticillatus *affertur tanquam vox certæ fidei in Lexico ad Usum Delph. & in Juncheriano Latinitatis Theatro. Hanc ego cum ferre non possem, nec tamen rationem ejus ableganda satis idoneam invenirem, adfuit opportune Jo. Baptista Morgagnus, Vir cum in Anatomicis, tum in omnibus litterarum studiis præstantissimus, mihique omnem sollicitudinem exemit, morbo detecto, remedioque adhibito, de quo Vid. ejus II. in Celsum Epistolam.*

XIII. Eodem lib. 8. *c.* 3. *In capite hoc describitur Terebra illa, quæ* Abaptista Terebella *dicitur ab Interprete Galeni. Hinc deceptus Auctor Calepini Passeratiani, & eo duce Andreas Stubelius, vir ceteroquin mirifice industrius, & de postrema Thesauri Fabri Editione meritus optime, duas has voces* Abaptistus, *&* Terebella *inter latinas receperunt. Uterque autem affert Celsum lib.* 3. *c.* 23. *ubi hac de re prorsus nihil.*

Ad hanc quidem XIII. Animadversionem non est quod addam. Sed ex superiore erat quod demerem, si aliis hæc missurus fuissem quam tibi qui ut eodem es animo adversum me, ita quod Vir doctissimus, Amicissimusque de me, benevolentia, opinor, deceptus, scripsit, non difficile approbabis. Equidem etsi talem esse me, valde cuperem, qualem vos creditis; æque tamen gratum est usque adeo a vobis amari, ut is vobis esse videar. Sed ad rem ipsam redeamus.

XIV. Eodem lib. 8. *c.* 4. *pag.* 520. *l.* 3. Collocandusque is loco intepido. *Si ita legendum esset, novam vocem* Intepidus *in latinis numerare oporteret, & quidem numeratur in Thesauro Fabri* 1717. *At Gryphii, & Stephani Editio præpositionem* in *separat a* tepido. *Et sane non video, quomodo qui calvaria fractura laborat, collocandus sit in loco non tepido, cum tepor fracturis omnibus, maxime vero iis, qua caput lædunt, saluberrimus sit. Qua de re legendus hic noster hoc eodem libro cap.* 10. *sect.* 7. *& Hippocrates aphor.* 17. *&* 18. *sect.* 5. *Non est igitur tanta vis inferenda simul Medicinæ, simul latinæ linguæ, sed reponendum cum Gryphio*, collocandusque is loco in tepido; *vel cum Stephano*, collocandusque in loco tepido.

Gryphio adde Cæsarium, Pantinum, Ronsseum, Paawium, qui ad eundem modum ediderunt; Stephano autem Constantinum. Non me fugit, in Juntina, & Manutiorum utraque Editione legi, *intepido*. Sed non ratio modo, atque experientia, verum etiam Codices ambo adversantur. Nam Forolivienses habet, *is loco in tepido*; Venetus autem, *loco is in tepido*.

XV. Eod. lib. 8. *c.* 7. *pag.* 526. *l.* 2. Intra quod quæque ossa conservent. *Verbum* Conserveo *quod alioqui latinum est, & usurpatur a Palladio de re rust. lib.* 1. *tit.* 35. *apud Celsum tamen non ita bene habitat, ut oppugnatoribus careat. Hic enim quinque Editiones meæ habent* conseruntur. *Rursus repetitur eodem libro c.* 10. *sect.* 1. Quo os quodque conservet. *Et sect.* 7. Inter se ossa conservere. *Sed hoc secundo loco alii legunt* cohærere, *alii* coalescere, *ut ipse quoque Almeloveenius monet; in priore autem reliquæ Editiones meæ habent* conservet, *non sine aliqua ceterorum verborum varietate. Ego quidem malo* conservet, *idque omnino retineo; sed tamen locus non vacat turbis. Basil. Faber in suo Thesauro cum posuisset verbum* Conserveo *tanquam certum, verbis item certis confirmare conatus est ex eodem cap. ductis* Confervent ossa mota aut soluta: *quæ quidem ipsissima in Celso non sunt; attamen apparet ex illis conflata esse*, si quando vero ossa non conferbuerunt, quia sæpe soluta, sæpe mota sunt. *Verum præteritum* conferbui, *& similia non*

Digitized by Google

magnam tribuunt auctoritatem ceteris temporibus eorum verborum, ex quibus oriuntur, cum fere sola in usu sint, ut inchoativis inserviant, cujusmodi est Conferveſco, *& alia id genus.*

Cum quatuor Celſi loca in Animadverſione proponantur; accipe quemadmodum pleraque in Codicibus, omnia autem in meis Editionibus deprehenderim. In primo uterque Codex pro *confervent* habet *conſervantur*; Editiones meæ omnes *conſeruntur*, niſi quod Conſtantinus in libri ora hæc apponit: *συμφύονται*, *confervent l.* 2. *c.* 10. ubi legendum *l.* 8. Alter autem locus in Codicibus ita ſcriptus eſt: *quod quoque os conſervet*. In Juntina, & ambabus Manutiorum Editionibus ad eundem proponitur modum. Nec cæteræ diſcrepant, niſi quod ante *quoque* habent *os*, & Conſtantinus hæc in margine adnotat: *quo os quoque conſervet*; ubi legendum eſt, *conſervet* (*ut & cap.* 10. *Si oſſa non conſerbuerint*) *pro quo dixit c.* 7. *oſſa conſeruntur*, *i quaſi ferrumine conglutinata coaleſcunt*. Porro tertius locus, quem in Codicibus inſpicere obſitus ſum, ab Junta quidem, a Manutiis ſemel atque iterum, ab Stephano ipſo ſic editus eſt, ut habeat, *conſervere*; Cæſarius autem, ac Pantinus ſcripſerant, *cohærere*, quod a Ronſſeo quoque, & Conſtantino factum eſt. Sed cum Cæſarius ad oram adjecerit, *coaleſcere*, Ronſſeus etiam, *confervere*; Conſtantinus (id quod maxime eſt animadvertendum) ſic adjecit; *conſerverе*, *Cod*; ſignificans nimirum, ſe id in Codice aliquo comperiſſe. Locus denique ultimus non modo in cunctis Editionibus meis habet *conſerbuerunt*, verum etiam in Codice Forolivienſi; nam in Veneto ſcriptum eſt, *conſervêre*, in margine autem ſic omnino: *aliter*, *conſrebruerunt*. Quem quidem ad locum nomen poſſes addere *ſpongiæ* illius, ut Plinius ait, *aquarum dulcium*, quam *Conſervam* appellabant Latini propterea quia fractis oſſibus conferruminandis utiliſſimam experiebantur, ut idem Plinius conſcripſit lib. 27. c. 8. niſi quæ de verbo *Conferveſco* in Animadverſione admonita ſunt, utriuſque vocis originem dubiam redderent.

Habes ſedulitatis meæ ſpecimen, quale id cunque eſt, in hiſce levibus, & ex tempore fuſis Additamentis. Sed in XV. Animadverſionibus ſpecimen habes ſummæ peritiæ, atque ſolertiæ qua multo plures ejuſdemmodi Animadverſiones ad ſingulos fere Latinos Scriptores Vir Cl. confecit. Quo inſtituto ut nihil utilius eſt ad barbaras a latinis vocibus, dubias a certis diſtinguendas; ita ipſum hortari, orare, flagitare par eſt, ut Animadverſiones illas univerſas quamprimum edat: quod etſi cum modeſtiam ejus, & occupationes plurimas ſpecto, haud ita facile exiſtimo; attamen cum viciſſim incredibile juvandi ſtudium attendo quo incenſus & præclaras omnes Artes, & Latinam linguam, qua illæ ferme continentur, ſi quis alius, hac ætate exornavit, tum vero facillimum puto. Vale.

Patavii Prid. Nonas Dec. MDCCXXI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA QUARTA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

QUod Horatius (1) patrono ſuo,

Spectatum ſatis, & donatum jam rude, quæris,
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt ætas, non mens;

idem ſi Amico dicerem tibi, undetrigeſimo poſt anno iterum a me flagitanti, ut ſuper Cornelio Celſo, & Sereno Samonico aliquid ſcribam; ignoſcere, mi Vulpi, huic ætati, hiſque occupationibus deberes meis. Nam quæ olim fudi, ſi forte laudata ſunt, ut ais, ab laudatiſſimis Viris, ſi alibi recuſa, ſi aliis addita illorum Auctorum editionibus; nempe gratia habenda eſt eorum qui fecerunt, humanitati; mihi autem ſatis eſſe oportet, in alienis magna ex parte ſtudiis periculo facto, rem quondam non prorſus infeliciter ceſſiſſe. Hæc igitur quæ commemoraſti, me tardant; non movent. Illud movet potius quod adjeciſti, ſi ſcribere nolim adiſciſcendæ laudis cauſa; at cauſa ſcribam injuſtæ cujuſdam & tuæ, & meæ reprehenſionis depellendæ. Extitiſſe enim quoſdam eruditiſſimos quidem illos, ſed in re una apertiſſima clariſſimaque adeo caligantes Viros, ut reos nos faciant alienæ culpæ, & quæcunque in Celſo, & Samonico edendis, Almeloveenius, & Conſtantinus peccarunt, aut peccaſſe illis videntur, eorum omnium rationem a nobis repetant: quaſi vero aut tu in libri fronte quorum editionem repræſentares, ſiluiſſes, ſed cura, & ſtudio tuo de integro concinnatam promiſiſſes, aut ego hoc forte pollicitus eſſem, vel potius recepiſſem. Equidem, quod ad Celſum attinet; nam de Samonico necdum vidi; memini ipſe, magna, ut in re minime expectanda, admiratione obſtupefactum, duobus & viginti ab hinc annis in Exercitatione quadam Schulzii (2) hæc legere: *adſcribam ſingula loca, ut ſe in Celſi editionibus recentiſſimis, cura Almeloveenii, Wedelii, & Morgagni in lucem publicam datis ea offerunt.* Narrabo tibi: ſomniare primum mihi videbar, minime intelligens, quî poſſet a Viro docto id mihi tribui, quod omnes ſcirent non eſſe meum. Mox autem cum ita tribui, animadverterem, ut prolatis ex ſuperioribus editionibus iiſdem locis, non obſcure mihi quoque dica ſcriberetur, quæ Lindenio ſcribitur, cujus editionem ſecutus eſt Almeloveenius; enimvero cenſui, rem tacite non eſſe ferendam, præſertim cum iis de locis quid mihi eſſet viſum, nuſquam aperuiſſem; imo III. in Celſum Epiſtola (3) ante Schulzium, id reticentem, oſtendiſſem, quemadmodum in prioribus editionibus, atque adeo in manu ſcriptis codicibus ii loci legerentur, aliumque Plinii de Conferva; quem locum Schulzius (4) produxit poſtea, indicare non omiſiſſem. Veruntamen cum hæc ante omnium oculos proſtarent, nec fugere quenquam poſſet, quid tu in Epiſtola ad Lectorem tua, quid ipſe in I. ad te mea ſcripſiſſemus; multo magis Schulzio, quam mihi cogitandum eſſe, intellexi, quid in ſua illa Exercitatione poſuiſſet, ſatiſque mihi eſſe duxi oblata forte occaſione (5) amice hominem commonefacere. Nunc vero quando

(1) *l. 1. Epiſt. 1.* (2) *de Offic. Conferventib. §. 1.* (3) *n. XI.* [4] §. 22.
[5] *Epiſt. Anat. 9. n. 30.*

Digitized by Google

do tu ais, non defuisse post illum qui rationem Patavinæ editionis a me reposceret, jamque a Celso ad Samonicum quoque, non dissimilem, nostrum accusationem esse traductam; faciam vel tua causa, vel mea quod facile alioquin non eram facturus, & de utroque Auctore ita scribam, ut nemo in posterum dissimulare jam queat, scire se, quid in nobis possit; & quid non possit jure improbari.

Atque ut a Celso initium ducam; nescio quo adverso Rei Medicæ, & bonis litteris fato acciderit, ut cum tot homines doctissimi, & diligentissimi suos in eum labores contulerint; nemo unus adhuc extiterit a quo ejus editionem numeris omnibus absolutam haberemus. Quid Scaliger, Walæus, Mentelius, Holstius, Vorstius, Dacquetus aggressi essent, minime ignoras, qui singulos, ubi de promissis Celsi editionibus in Prolegomenis verba fiunt, ibi iterum commemorandos curasti: neque te fugit, quid in suis, ibidem recusis, Præfationibus tum Lindenius, tum Almeloveenius se præterea habere, significaverint, quod Celso addi posset, sive observationum, sive variantium lectionum, sive Lexici præsertim, adeo ab omnibus desiderati. His vetustiorem Paawium accense, qui, ut pauca edidit capita, sic totum Celsum eadem *ratione explicatum, lociſque plurimis emendatum* ab se editum iri, spem fecerat (1), non secus ac Lommius (2), antea, cum librum Celsi primum Commentariis ornasset. Sed, ut Nicolaum Blancardum (3), eique surreptas adnotationes omittam; Rhodio præ cæteris addito, & Thomam Bartholinum, quos non sine magno dolore propterea nominamus, quod incendio absumptorum utriusque laborum venit in mentem: qui cujusmodi fuerint, ea satis indicant quæ hic in Dissertatione *de Bibliothecæ Incendio*, ille autem in Præfatione attigit ad Scribonium, & vel magis quæ in calce ejus libri in Lexico Scriboniano, quod similis in Celsum desiderium refricat, ad plurimas voces adnotavit, sive in Catalogo commemoravit restitutorum Auctorum (4), unde emendationes Celsi plures colligere is poterit qui jacturam illam tantam nobis reparandam suscipiat. Susceperant autem duo nostra ætate egregii Viri, Jo. Henr. Schulzius, cui, ut ut meritus est de me, doctrinæ, & eruditionis laudem libens tribuo non vulgarem, & ante illum Jo. Jacobus Bajerus, qui edito in eam rem Schediasmate sex potissimum, in ejusmodi editione summopere optanda, capita, in quibus sibi esset elaborandum, proposuit. Sed utroque e vivis erepto, quis illis in pulcherrimi, & utilissimi, sed ejusdem diuturni, & difficillimi, operis procuratione successerit, adhuc ignoramus.

Quæ cum ita sint; quanam interea Celsi editione uti poterunt studiosi adolescentes? Num veterum illarum aliqua, ubi semibarbara ipsa litterarum forma, & vocum compendia creent legentibus difficultatem, creberrimi autem sive librariorum, sive typographicarum operarum errores tertia propemodum quaque linea obtruserint ea quæ aut intelligi nequeant, aut, si intelligantur, nihil quod ad rem faciat, significent? Atenim in istis ipsis erroribus vestigia nonnunquam restant unde vera conjiciatur scriptura. Fateor: sed a sagacibus, & doctis, & ea in re exercitatis viris; non ab adolescentibus, de quibus est a nobis sermo institutus. His enim si loci occurrant in quibus, exempli causa; ne ab iis quos Schulzius protulit, omnino recedamus; habent priores editiones *os conſervet*, aut *oſſa cœperunt*; aqua ibi hæreat, necesse est, minime assequentibus, *os conſervet*, aut *oſſa conſerbuerunt* esse legendum. Apparet igitur, fore ipsis longe utiliores editiones illas quæ nitide ac perspicue exhibeant verba, ut sunt ab hominibus eruditissimis restituta. Qui certe quo diutius, quo plures, quo majoribus subsidiis

[1] *Præf. in Comment. ad ea capita.* [2] & [3] *Vid. Fabric. Bibl. Lat. Supplem. P. 1. l. 2. c. 4.* [4] *ad vocem* C. Celsus.

Digitized by Google

ſidiis inſtructi in id operam contulerint ſuam; eo credibilius eſt, propius ad verum acceſſiſſe. Atqui Lindenius præeuntibus tot Viris doctiſſimis qui longo annorum ſpatio, alii edendo, alii illuſtrando, alii emendando, omnes aliquid præſtiterant unde Celſi libri meliores fierent, ultimus ſucceſſit, eorumque omnium uſus laboribus, ad hos ſtrenue adjunxit ſuos. Quæ igitur eſſe cauſa poterat, cur tu aliam adoleſcentibus noſtris, quam Almeloveenii, editionem dares, qui Lindenianam non modo, ut diximus, ſecutus eſt; ſed & alia inſuper adjecit? Certe idem quod tibi, Germanis quoque conſilium fuit, qui ſemel, atque iterum, præfante Viro Cel. Georgio Wolfango Wedelio, idemque Batavis, qui non ſolum antea, ſed, ut audio, etiam poſtea quam tu feciſti, Almeloveenii exemplar, ut Helvetii quoque, recuderunt.

At Lindenius *nimis audax in Celſo refingendo*, conjecturas, *in textum temere intulit, ſana & belliſſima ſæpe veteri ſcriptura eliminata*: ſic enim Schulzius (1) *temerarias*, ut loquitur, Lindenii *mutationes* exagitat. De quo tandem homine hæc ſcribuntur? Nempe de illo qui; ut nunc mittam dicere, qua doctrina, diligentia, auctoritate fuerit; certe quot, & quibus in Celſo emendando ſive calamo exaratorum, ſive typis deſcriptorum codicum adjumentis uſus ſit, diſerte, & ſigillatim expoſuit, in quibus nec quæ Walæus paraverat, nec Scaligeri ipſius emendationes, adnotationeſque defuere. Quid igitur? ſi codices illi vetuſtiores eam quam repoſuit, ſcripturam habuere; num temere conjecturas intruſiſſe propterea cenſendus eſt, quod in ſex editionibus quas Schulzius conſuluit, aliter legatur? Atenim quæ Conſtantinus in margine ſuæ editionis adnotaverat *ſive ſcriptis codicibus, ſive conjectura ductus, ſive declarandi auctoris cauſa*, in *textum* recepta ſunt. Num omnia? an ea quæ codices alii confirmabant? Quod cum dico, non id volo, nunquam Lindenium nimis ſuis; aut doctorum hominum conjecturis indulſiſſe: ſed hoc volo, niſi codices quibus ille eſt uſus, antea inſpiciamus; idem ab eo factum eſſe in omnibus in quibus nobis forte videatur, locis pronunciari non oportere. Interea autem credere æquum eſt ſpectatiſſimo Viro profitenti, ſe quædam, *ſed admodum pauca*, idque cum res aperte poſtularet, *ex ingenio tentaviſſe: in cæteris, ubi ſui ſibi libri & ingenioſæ ſummorum virorum conjecturæ non præluceret* (vide, quæſo, ut conjecturas cum libris conjungit) nihil mutaſſe: *gloſſemata offendiſſe plura; nullum tamen præter unum, auſum eſſe de medio tollere; quia nullum huc præeuntem habebat librum*. Quod ſi dum Celſum *pluſquam bis mille locis*; ſic enim ad Patinum ſcripſit; *corrigeret*, in multis; aut, ſiquis malit, etiam in plurimis libri ipſum, & conjecturæ fefelliſſent; non erat tamen de audacia & temeritate libere adeo accuſandus. Sed quos locos egregie reſtituerat; bene multos autem, ut alias ad te ſcripſi, reſtituit; illi erant grato animo accipiendi: in quibus autem humani aliquid paſſus videretur; hos vero ſatis erat ſine contumelia indicare. Quod & nos alias fecimus ad te ſcribentes, & nunc faciemus, & ab aliis fieri cupimus; ut ſtudioſi juvenes interea ſciant, ubi minus tum Lindenii, tum Almeloveenii editionibus fidendum ſit, donec, collata multorum opera, illa tandem exiſtat abſolutiſſima, quam omnes optamus, & quam hiſce libenti animo præferemus.

Unum eſt utique in Lindenio minus probandum, quod fortaſſe ne ipſe quidem erat facturus, niſi parva coegiſſet, quam omnino voluit, libri forma. Scilicet aut nihil in Celſi contextu mutandum erat, ſed quid, & quomodo mutandum crederet; in ora dumtaxat libri adnotandum: aut ſaltem, ſi mutare mallet, in eadem ora, quid antea legeretur, ſignificandum. Quarum tu rationum longe meliorem, id eſt primam, in Patavina editione, flagitantibus nobis,

(1) *Exercit. cit.* §. 2. & 4.

bis, secutus es, etsi erant forte in nostris Epistolis nonnulla quæ tibi pro tua erga nos benevolentia non indigna viderentur quæ in textum acciperes. Quod tuum, meumque adeo factum, & quidquid præterea in ea editione a te præstitum Lectoribus indicasti, & quæ ego in eas Epistolas conjeci, sicui improbanda existimentur; non dubito autem, quin multa in meis deprehendi possint jure improbanda; æquo animo feremus: nostra enim sunt illa; non editio, quæ sive bona, sive mala est, Almeloveenii certe est.

Nunc quando æquis, & iniquis satis esse factum, puto; ut non horum tantummodo causa, sed tua in primis has Litteras aggressum esse scribere, intelligas; meam I. ad te Epistolam in manus sumam, ejusque conservato ordine, primum quidem de Celso ipso nonnulla, deinde vero de his ejus libris multo plura adjiciam, quæ & tibi satis esse nunc possint, & evidentius ostendere, num is sim qui in Lindenii, aut Almeloveenii verba juraverim, an is potius qui antiquos codices seu calamo, seu formis descriptos observem, ubi eum ratione consentiant.

Aurelius, an *Aulus* Cornelii nostri prænomen fuerit; si veterem, neque ejus temporibus ita ut postea, facile neglectam, attendas Romanorum consuetudinem, duarum gentium nomina in uno homine haud conjungentium, neque ex nomine prænomen facientium; haud difficile videbitur dijudicare. At si libros fere omnes sive excusos, sive scriptos inspicias; hærebis, cum *Aurelium* magno consensu habere videris. Nam quod Daniel Clericus (1) affirmat „ inveniri in omnibus manu scriptis hunc titulum, *A. Cornelii Celsi*, „ & unam dumtaxat esse editionem, „ eamque Aldi Manutii, quæ mutet „ *Aurelium* in *Aulum*; „ hæc nescio quomodo Viro alioquin diligentissimo exciderint, Rhodium ibi præsertim laudanti in Scribon. Larg. Compos. XCIV. & in Celsi Vita. Etsi enim in hac, aliud spectans, Rhodius esse veterum codicum communem hanc inscriptionem, ait, *A. Cornelii Celsi*, non secus ac modo vel magis in compendium illam contrahens, esse, dixerat, in vulgatis Lugdunensibus omnibus *A.C.C.*, at certe ad Compositionem illam Scribonii diserte hæc scripsit: Celsi libri *hactenus Aurelii nomen ubique præferunt: quod initio unica littera A: Prænominis nota signatum, diversa ratione exprimi potuit. Inde quidam ad V. C. Caroli Moroni editionem Aldinam Celsi præfixit* Auli *appellationem. --- Quis vero ille fuerit, quave id factum auctoritate, incertum est. Aldum Manutium characteris indicio putat multiscius noster Leo Allatius:* cui pariter sic emendandum, ut Josepho quoque Scaligero, visum esset. Itaque intelligis, quod Celsi librarii primum scripsissent *A.* ex hac littera posteriores feciſse *Aurelii*: nec Manutii editionem a typis, sed ab Aldi manu in illo Moroni exemplo habuisse *Auli*. Hieronymus tamen Rubeus, qui suas in Celsum Adnotationes absolverat anno 1607., hoc earum initium fecit: *Vetus codex Vaticanus manuscriptus inscriptionem libri sexti sic habet*. Auli Cornelii Celsi liber sextus, idemque Medicinæ primus. *Quod Auli prænomen, eo magis in Cornelio Celso placet, quod* Aurelii *Romanæ familiæ nomen fuit*, Aulus *autem Corneliæ prænomen*: quod sicuti ex Livio in illustribus quibusdam Corneliis ostendit, sic ex Fastis producto L. Cornelio Celso Consule, ne Celsi quidem cognomen in gente Cornelia fuisse inusitatum, commonstrat. Vides igitur, quot, & quales auctores habeas, si *Auli* forte prænomen præferas. Nam quod nonnulli, præeunte Viro cæteroquin eruditissimo, legendum putant apud Cassiodorum (2), non *Cælii Aurelii de medicina*, sed *Celsi Aurelii*; te ibi, credo, cum aliis potius, & nominatim cum Daniele Clerico (3), *Cælii Aureliani* esse lecturum.

Etsi vero ex Romanis gentibus familiæ

(1) *Hist. de la Medec. P. 2. l. 4. S. 2. c. 4.* (2) *Divin. Lect. c. 31.* (3) *l. c. S. 1. c. 3.*

Digitized by Google

miliæ plures ab Urbe in Colonias migrarunt ; ego tamen nihil prohibere, imo pleraque convenire, video, ut Celſum noſtrum Romæ potius, quam alibi, & natum eſſe, & vixiſſe, opiner. Sic autem loquor propterea quia ſi alterutrum petas ut ipſius, aut aliorum idoneo teſtimonio confirmem ; non facile poſſim. At Romanum, id eſt non externum fuiſſe, non Plinii ſolum alias indicata auctoritate, aut geminata M. Fabii (1) teſtificatione, ſed & Celſi ipſius compluribus locis oſtendam, ut ubi (2) *noſtri*, inquit, *anginam vocant: apud Græcos nomen, prout ſpecies eſt*, aut ubi (3), *noſtri ſcutula operta ; ὠμο-*
392, *πλάτας Græci nominant*. Idemque con-
29. firmant quæ initio poſuit cap. 18. l. 6.
456, atque ; ut alios alibi omittam ; tres lo-
11. ci uno in capite pariter 18. lib. 7.
28. Non eodem autem ſæculo ſcripſiſſe
458, quo vivebat Aſclepiades (floruit hic æ-
1. tate Magni Pompeii (4), & ſuprema in ſenecta obiit (5)) illa indicant ex
85, ex cap. 12. lib. 2. : *quod ab Aſclepiade*
7. *quoque ſic vituperatum, ut tamen ſervatum ſit, video plerunque ſeculo noſtro præteriri*. Scripſiſſe tamen, ut tardiſſime, ante Claudii imperium, ex iis intelliges quæ alias (*) de Julio Græcino attigimus, qui Celſum tranſcripſerat, a Cajo autem Cæſare interfectus eſt. Quot autem ſcripſerit ante Claudium annis, conjicere poterunt qui forte ſciant, quo anno Gallio pater, ſive is ad quem ab L. Seneca fratre liber miſſus eſt *de Vita Beata*, ſive alius fuerit, ſua de eloquentia præcepta emiſerit ; priorem enim *patre Gallione* ſua Celſum edidiſſe, auctor eſt M. Fabius (6), aut certe quo anno Medici nobiles Caſſius, & Themiſon, aut quo non mediocres Chirurgi Tryphon pater, & Evelpiſtus, & Meges, quos omnes Celſus (7) *nuper* extitiſſe ajebat, e vita migraverint. Quod vero Paawius (8), aliique, & in his aliqui etiam qui ætate noſtra ſcripſerunt, Celſum Neronis quoque temporibus vixiſſe, non dubitant ; ut potuiſſe, concedam ; non tamen, niſi antiquorum auctoritate probatum videam, pro certo affirmabo. Sed quod *major*, ut eſt apud Rhodium (9), *eruditorum pars uſque ad Trajani tempora vitam produxiſſe*, cenſent ; veniam mihi dabunt Viri cæteroquin eruditiſſimi, qui non plurimis ab hinc annis id ſine ulla dubitatione acceperunt, ſi dixero, M. Fabium (10), qui Domitiano imperante, ut ipſi egregie norunt, ſcribebat, ne inter ætatis quidem ſuæ Auctores, nedum inter *viventes*, quorum ſe *parcere*, ait, *nominibus*, Celſum poſuiſſe : ut verear, ne plus æquo dederim, cum Celſum potuiſſe in vivis eſſe Neronis temporibus, paulo ante non negavi.

Medicuſne fuerit, an non fuerit, adhuc apud aliquos dubium eſſe, video. Qui, ſi hoc volunt, non ita exercuiſſe medicinam, ut qui mercedis cauſa ſolent, ſed tamen ut in gravioribus caſibus ab amicis, & a pauperibus ſe pateretur adiri, & conſuli ; Rubeum (11) ſecum, & Lindenium (12) facientes habebunt, atque adeo, velut ego animadverto, Celſum ipſum. Qui ſi quæſtum ſecutus, huc illuc curſare conſueſſet, non facile pronunciaſſet (13), *ab uno medico multos non poſſe curari, eumque, ſi artifex eſt, idoneum eſſe, qui non multum ab ægro recedit. Sed qui quæſtui ſerviunt, quoniam is major ex populo eſt, libenter amplecti ea præcepta, quæ ſedulitatem non exigunt*. Hæc ſi ponant ; vix aliquid invenient cur Medicum fuiſſe, non credant. Quod enim tot alia, & tam varii argumenti ediderit ; non inde conficitur, *univerſæ naturæ*, ut ipſum Columella (14) vocabat *prudentem Virum* Medicinam præ cæteris non adamaſſe : de qua profecto accurate adeo ſcripſit, ut cum cætera

(1) *Inſtit. Orat. l. 3. c. 1. & l. 10. c. 1.* (2) *l. 4. c. 4. p. 196, 6.* (3) *l. 8. c. 1. p. 503, 24.*
(4) *Vid. Plin. Nat. Hiſt. l. 26. c. 3.* (5) *Ibid. l. 7. c. 37.* (*) *Epiſt. 1. p. 9, 6.*
(6) *cit. c. 1. l. 3.* (7) *Præf. p. 18, 23. & p. 4, 2. & l. 3. c. 4. p. 119, 18. & l. 7. Præf. p. 406, 7.*
(8) *ante cit. Comment. initium.* (9) *in Celſi Vita.* (10) *loc. cit.* (11) *loc. indic.*
(12) *Epiſt. ad Pasin.* (13) *l. 3. c. 4. p. 120, 21.* (14) *de Re Ruſt. l. 2. cap. 2.*

Digitized by Google

ejus opera ætatem non tulerint ; hoc unum sagax posteritaritas conservarit. Quin ex illa multiplici, variaque scriptione visum Rubeo (1) est, responsionem esse petendam adversus grave alterum eorum argumentum qui Medicum fuisse, inficiantur, permoti videlicet Plinii (2) auctoritate, qui in Auctoribus non externis etsi Medicos seorsum non ponit ; tamen cum Medici nomen adjungat pluribus, Cornelio Celso nunquam adjungit. Scilicet ideo non adjunxisse, Rubeus credidit, quia non de Medicina tantum Celsus scripsisset. Quod ut non contemno, sic illud potissimum addendum censeo, fortassis non tam Plinium spectasse quod quisque scripsisset, quam quod, & quatenus exercuisset. Sic igitur cum (3) Opilium, exempli causa, & Granium, & Cæcilium *Medicos* dixit, Celsum autem, iisdem locis nominatum, non magis dixit, quam Catonem Censorium ; non ideo fecerit quod hi rogati de medicina non responderent, sed quod eam non, ut illi, vulgo exercerent qui propterea apud omnes Medici erant appellationem consecuti. Sed neque hanc Plinius unquam addit iis quos sæpe adeo simul nominat (4), Sextio Nigro, & Julio Basso, quos tamen Auctores inter asseclas Asclepiadis memorat Daniel Clericus (5), qui nihil, quantum memini, habet de aliis illis tribus Medicis Scriptoribus Opilio, Granio, & Cæcilio. Quod sive Plinius fecit, quia Niger, & Bassus non magis quam Celsus, essent in medendo occupati; rationem veram invenerimus, cur Celsum non appellaverit Medicum; sive casu & incuria quadam fecit; non est igitur, cur ex simili ejus silentio Celsum non fuisse Medicum, inferatur.

Quanquam silentium Plinii obstare non potest, cum Celsus quis ipse fuerit, per se loquatur. Diu est cum gravissimi Viri, & in his Rubeus (6), animadverterunt, inter discrepantes illustrium Medicorum sententias suam, nisi Medicum, non potuisse interponere, qui non doctrina modo, sed usu & observatione excelleret. In eamque rem quosdam Celsi locos produxit Rubeus, quorum aliquo usus est etiam Casaubonus in Scholiis quæ alias laudavimus. Tunc quoque alios addidimus : quorum primum quoniam occupaverat Clericus (7), cujus Historia non erat in manibus, cum scriberemus; idcirco pro uno apponemus plures (8). *Itaque istud* (de vomitu loquitur) *luxuriæ causa fieri non oportere, confiteor : interdum valetudinis causa recte fieri, experimentis credo. Commoneo tamen, ne quis, qui valere & senescere volet, hoc quotidianum habeat* (9). *Neque ignoro, quosdam dicere, omne auxilium necessarium esse increscentibus morbis, non cum jam per se finiuntur. Quod non ita se habet. Potest enim &c.* Sic etiam in aliis controversiis, ubi dissidentes cæterorum consuetudines proposuerat, hæc subjecit (10) : *Ego tum hoc puto tentandum, cum parum cibus, semel & post febrem datus prodest* (11). *Tutius tamen est &c.* (12). *Quid igitur est ? Multa in præcipiti periculo recte fiunt, alias omittenda.* (13) *Sed id supprimere sanguinem potest ; ulcera ipsa sanare non potest. Melius huic rei licium est.* (14) *Ego experimentis quemque in se credere debere existimo, calida potius, an frigida utatur.* (15) *Sed nihil melius est, quam &c.* Quis sanus hæc, atque alia istiusmodi pronunciaret, quem lecturi scirent usu & observatione non pollere? Certe Medici quoque hæc sunt : (16) Alvi lumbricos *interdum latos, qui pejores sunt ; interdum teretes videmus.* (17) *Et plerique quidem* eorum, quibus, ut loqui possint, linguæ frænum incisum est, *ubi consanuerunt, loquuntur. Ego autem cognovi, qui, succisa lingua,* cum

(1) *loc. cit.* (2) *Hist. cit. l.* 1. (3) *Ibid. ad l.* 28. & 29. (4) *Ibid. ad l.* 20. & *seqq.*
(5) *Hist. cit. P.* 2. *l.* 3. *c.* 11. (6) *loc. cit.* (7) *P.* 2. *l.* 4. §. 2. *c.* 4.
(8) *l.* 1. *c.* 3. *p.* 30, 9. (9) *l.* 2. *c.* 14. *p.* 89, 6. (10) *l.* 3. *c.* 11. *p.* 140, 23.
(11) *Ibid. c.* 14. *p.* 144, 4. (12) *Ibid. c.* 18. *p.* 150, 18. (13) *l.* 4. *c.* 4. *p.* 200, 10.
(14) *Ibid. c.* 19. *p.* 230, 15. (15) *l.* 6. *c.* 4. *p.* 345, 14. & *l.* 7. *c.* 7. *p.* 437, 32.
(16) *l.* 4. *c.* 17. *p.* 227, 21. (17) *l.* 7. *c.* 13. *p.* 446, 17.

Digitized by Google

eum abunde ſuper dentes eam promeret, non tamen loquendi facultatem conſecutus eſt. (1) *Si cutis integra eſt, & os læſum eſſe, ex dolore colligimus, &c.* & (2) *majore cura* in calvaria perterebranda *agendam eſt, — ut quandocumque os perrumpitur, ſentiamus.* Quis enim *ſentiamus*, & *colligimus*, & alia ejusdem modi, niſi Medicus, diceret? aut quis alius an lingua ſatis ſuccisa eſſet, ex facili, ſed certo, indicio cognoviſſet? aut latos interdum videre conſueſſet vermes, quos non pauci Medici, etiam valde exercitati, nunquam viderunt?

Hæc, atque alia de eodem genere (ut rerum aptiſſimum ordinem (3), & ſibi ubique conſentaneum ſcriptorem omittam) non illi, opinor, attenderunt qui nihil eſſe hos Celſi libros exiſtimant, niſi præcepta ex Græcis Medicis collecta, & ab ipſo, ut loquuntur, conſarcinata, decepti fortaſſe una vocula, qua nonnunquam uſus eſt, ut cum propoſiturus non omnes, quas poſſet, Compoſitiones, (4) *contentus his ero*, inquit, *quas accepi velut nobiliſſimas*, & alibi (5), ubi de obſcœnarum partium vitiis ſcripturus, *ut omnia, quæ ſalutaria accepi, comprehenderem*; quaſi vero *accipere* nunquam id quod *capere*, id eſt etiam *eligere*, ſignificare poſſet, aut qui ſuum inter varias aliorum ſententias interponere judicium ſoleret, nihil quidquam ab aliis deberet accipere! Quanto aliter egregii medendi Magiſtri de Celſo judicarunt! quorum plures in ejus Vita nominavit Rhodius, initio ducto a Minadoo, qui Celſum, *dedita opera, ab aliis prætermiſſa proferre ac illuſtrare voluiſſe*, cenſuit. Ad illos omnes, alios adde, in his Paawium (6), qui *præſtantem Medicum* fuiſſe, *Anatomicum*, & *Chirurgum*, *hos ejus libros teſtari abunde*, confirmat; Hildanum (7) autem in primis, qui ex ipſis Celſi accuratis, & perſpicuis deſcriptionibus ſatis apparere, non dubitat, vel eam quæ manu auxiliatur, medicinam exercuiſſe; fieri enim non poſſe, ut tam difficilia ad deſcribendum non ante perfecerit qui ſic deſcripſerit. Mihi vero etſi Celſum Chirurgorum operibus attente interfuiſſe, & credibilius videatur, & ſatis ſit; ex iſto tamen Hildani judicio mirari ſubit quandam aliorum de his Celſi libris opinationem, ab ea quidem quam modo rejeci, longe diverſam, ſed non minus a veri ſimilitudine abhorrentem. Cum enim ex iis quæ ſupra indicata ſunt, plane perſpexiſſent, non exſcriptoris, ſed Medici eximii hæc eſſe volumina; eo animum induxerunt ut dicerent, græce ab aliquo conſcripta, latine a Celſo fuiſſe reddita, minime animadvertentes, res difficillimas explicatu non niſi ab egregio doctrinæ ejusdem magiſtro, tam proprie ubique, tamque dilucide ex una in alteram linguam potuiſſe converti: ut quam ſcientiam tribuere Celſo nollent, nihilominus in ipſo agnoſcere cogantur. Quanquam tantus ille Medicus quem comminiſci malunt auctorem, quonam modo uni Celſo notus, cæteris incognitus eſſe potuiſſet eo tempore? neque enim priſcus aliquis, tot Medicorum qui modo vixerant, inſtituta, ſententiaſque nominatim commemoraſſet. Quod pariter adverſus illos dictum puta qui ab Latino quopiam Medico ſcriptum Opus ſibi Celſum ſubjeciſſe, vel magis illiberaliter exiſtimarent: quam fraudem ſtylus inſuper coarguiſſet diſſimilis ejus quo antea editos ſcripſerat libros, ut puta de Re Ruſtica, quorum quidem fragmenta eundem utrobique oſtendunt ſcriptorem. Denique iſtas omnes quas attigimus, opinationes una funditus convellit animadverſio, non potuiſſe videlicet in hominem ſanum cadere, ut ſe eorum, quæ facile conſtare poſſet non ſua eſſe, auctorem inſcriberet, non Medicus præſertim in Re Medica; de qua continuo ab doctis, indoctiſque, ut fit, interrogatus, ſuam ſimul inſcitiam, ſimul impudentiam retegeret.

Celſum *profeſſione fuiſſe Scepticum*,

(1) *l.* 8. *c.* 8. *p.* 528, 22. (2) *Ibid. c.* 3. *p.* 512, 11. (3) *Vid. Lommii Præf. in Celſ.*
(4) *l.* 5. *c.* 17. *p.* 248, 27. (5) *l.* 6. *c.* 18. *p.* 393, 5. (6) *loc. cit.* (7) *Præf. ad Liſbotom.*

Digitized by Google

idque *dixisse Quintilianum*, Paawius (1) credidit. Sed Quintilianus eo loco (2) quem Paawius indicat, cum pauciſſimos illos memoraret qui latinis litteris eloquenter tractaverant Philoſophiam, ibi quidem *ſcripſiſſe*, ait, *non parum multa Cornelium Celſum*, *Scepticos ſecutum*, *non ſine cultu ac nitore*. Ubi autem quæ de Rhetorica ediderat Celſus, attingit, aut ubi hunc, dicit (3), *rei* quoque *militaris*, *& ruſticæ etiam*, *& medicinæ præcepta reliquiſſe*; hîc vero nec quos ſecutus ſit, indicat, & Lindenius (4) vere in hos de Medicina libros meliora quæque cujuſque Sectæ, delectu habito, congeſſiſſe, &, quod conſequitur, Eclecticum egiſſe, cenſet. Sed neque in cæteris illis ſcriptis fuiſſe Scepticum, credo, cum rerum quas in iis tractavit, naturam, & capiendum ex præceptis fructum attendo, qui nullus in rhetores, aut duces, aut denique agricolas ex perpetua dubitatione proveniſſet, aut cum librorum Celſi fragmenta relego, qui ad rhetores, aut ad agricolas attinebant; nam in ea quæ ad duces ſpectabant, necdum incidi, legitima quidem & certa. Ut enim legitima ſint quæ in ſuos *de Re Militari* libros retuliſſe Vegetium, non dubito, quippe profeſſum (5), *fideliſſime ſe dicturum quæ Cato --- ſcripſit: quæ Cornelius Celſus*, *quæ Frontinus perſtringenda duxerunt*; tamen, ſicut aliquis hinc conjiciat, ſummatim illa attigiſſe Cornelium, ita quiſnam poſſit quæ Vegetius ex eo deſcripſerit, pro certo internoſcere? Incerta igitur prætermitto. Spuria autem nihil moror. Cujuſmodi in primis erat ille mutilus *de Arte dicendi* libellus; quem non tam miror viſum olim Sixto Popmæ, aliiſque poſtea, & in his Danieli Clerico (6) opuſculum eſſe Celſi noſtri, quam a Viro Eruditiſſimo, qui iterum edidit hoc ſæculo ſub ejusdem Celſi nomine, haud agnitum eſſe vel ex ipſis primis verbis non modo ad Celſum referri non poſſe, ſed illa eadem eſſe Julii Severiani *præcepta artis Rhetoricæ*, quæ modo ex editione Rhetorum Antiquorum Pithœi, ex aliiſque recenſuerat. Ea igitur fragmenta dico, qualia ex rhetoricis Celſi libris, exempli gratia, apud Fabium (7) ſunt, aut qualia, præter illud quod a Philargyro (8) ſervatum videbis, ipſe tibi apud Columellam alias (*) indicavi ad rem ruſticam pertinentia: cujus *diſciplinæ totum corpus* Celſum *quinque libris* complexum eſſe, tunc (**) ſatis oſtendi; ut nihil jam attineat longe aliam Clerici (9) interpretationem diſcutere. In veris igitur utrorumque Celſi librorum fragmentis nihil quod Scepticum oleat, a me adhuc inventum eſſe, confirmo. Invenio quidem in his *de Medicina* libris, præſertim autem in Præfatione, haud prorſus immemorem eorum quæ, Philoſophum agens, docuerat, hactenus a Scepticis ſtare, ut rerum obſcuras cauſas ſcientia comprehendi poſſe, neget: quæ res in Quintiliano eam quam paulo ante produxi, lectionem comprobat adverſus illos (10) qui, mendoſis codicibus uſi, legerunt ibi *Sextius* pro *Scepticos*. Sed in aliis, vel Præfationis ejusdem, locis, rationi, & ſenſibus Celſus fidens, adeo non dubitat; ut rerum naturæ contemplatione *aptiores* fieri, *majoreſque* Medicos, arbitretur, mortuorum autem diſſectionem eſſe ipſis *neceſſariam*, pronunciet; quarum utramque Empirici eſſe ſupervacuam, dictitabant. Quid autem magis Scepticum decuiſſet, quam illam Empiricorum dubitationem tueri, num interiora videlicet corporis per diſſectionem notiora ſint, *quia poſſit fieri*, *ut patefacta*, *& detecta mutentur*? Utor autem ipſis apud Ciceronem illorum verbis in eo libro qui inſcribitur *Lucullus*: quanquam & Celſus iſtam eorum, quam repudiavit, opinationem bono in lumine collocaverat, eadem fide, qua Medicos Rationales paulo ante induxerat ſummis laudibus Anatomen exornantes: quorum verba qui 13, 11. 18. 20, 6.

(1) *loc. cit.* (2) *Inſtit. Orat. l.*10. *c.*1. (3) *Ibid. l.*12.*c.*11. (4) *in Præf. ad Celſ.* (5) *l.*1. *c.*8. (6) *c.*4. *cit.* (7) *Inſtit. cit. l.*2. *c.*15. (8) *ad Virgil. Georg. l.*4.*v.*1. [*] *Epiſt.l.p.*7,26. (**) *Ibid.p.*4,24. (9) *c.*4.*cit.* (10) *Vid. apud Burmann. ad eum Fabri locum.*

Digitized by Google

qui ætate hac protulit, ut quo in pretiò apud Celsum esset Facultas nostra, intelligeretur, is minime attendit, non ibi suam a Celso, sed in extrema demum Præfatione proponi sententiam, ut Eclecticum decebat, utrinque seligentem ea quæ sibi magis probarentur.

Eandemque rationem secutus, universam „Medicinam", quæ seu victu, seu medicamentis, seu manu auxiliatur, primus omnium, quod Vir eruditissimus Lindenius (1) sciret, *redegit in systema, & corpus methodo constitutum*, summo veri studio, summaque prudentia, & æquitate. Veri amorem satis ostendit laudata ab ipso (2) in Hippocrate *simplex veri erroris confessio*, præcipueque in Re Medica, *ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus est*: prudentiam autem, & æquitatem cum illa (3): *verisimile est, id a quoque prætermissum, quod ipse non cognoverat: a nullo id quod non viderat, fictum*, tum hæc (4): *oportet autem neque recentiores viros in his fraudare, quæ vel reperierunt, vel recte secuti sunt; & tamen ea, quæ apud antiquiores aliquos posita sunt, authoribus suis reddere*. Omitto de eodem genere alia, ad conformandos cum legentium, tum scribentium mores spectantia; ne plura contra ac pollicitus sum, de Celso, quam de his ejus libris, videar scribere: quanquam intelligis, quæ de illo memoravi, non parva ex parte ad hos quoque pertinere.

Ex quibus cum alias observatus ordo postulet, ut jam de plurimis locos aliquos indicemus, peculiari sive mentione, sive illustratione dignos; id eo libentius faciendum est, quo minus illorum pœnitet quæ de duabus tunc (*) scripsimus vocibus, *filanus*, & *comprehendit*. De illa enim postea vidimus doctissimum etiam Virum Petrum Victorium [5] idem vel in Celso statuisse; Marcum autem Ciceronem quid altera non modo in stirpibus, sed in ipsis quoque animalibus interdum significet, ibi satis docuisse ubi [6] de semine utrorumque scripsit, *si inciderit in concipientem, comprehendentemque naturam*. Nunc, siquis alius, tum mentione, tum illustratione dignus occurrit ille Præfationis locus: *ætate nostra quædam, ex naturalibus partibus corne prolapsa & arente*, 13, 29. *intra paucas horas expiravit; sic ut nobilissimi medici neque genus mali, neque remedium noverint*. Quid enim memorabilius, quam *morbus*, ut ipse ait, *novus*, id est quem si alii ante Celsum Scriptores adnotassent, novus ejusmodi Medicis non accidisset? Quid autem magis declarationem requirat, quam morbus hic, de quo apud Celsi Interpretes, quotquot vidisse meminerim, si unum excipias Rubeum, altum silentium est, apud reliquos autem Medicos varia, & discrepans explicatio? Cui dissidio ansam fortasse dederit scriptum in nonnullis editionibus *quidam* pro *quædam*, & adnotatum a quibusdam in libri ora *hærente* pro *arente*, cum multo plures tamen, & antiquiores ex meis, & cum ipsis membraneus codex Forolivienſis haud aliter habeant atque ex Almeloveenio proposui. Sed & naturales parte, sive, ut alibi Celsus loquitur [7], *naturalia*, aut [8] *naturale*, ipsi quidem id quî fœminæ sunt, significant, rarius autem, sed tamen aliquando [9] etiam viriles partes, nunquam vero, quod meminerim, ea loca per quæ non aliud ejicitur, quam alvi excrementa, ut neque Columellæ; in avibus enim hæc genitalibus quoque communia sunt; & siquando in jumento [10] pro obstructo Recto intestino *obsessos naturales exitus* dixit; non aliter, opinor, dixit, ac de obstructis naribus dicere potuisset. Præterea, si per anum, aut per inguen aliqua intestini pars splendidæ illi personæ procidisset; neque novus, neque

in

[1] *Epist. ad Patin.* (2) *l.8. c.4. p.515, 7.* [3] *l.7. c.14.p.448, 11.* (4) *l.2.c.14. p.88,2.*
(*) *Epist.l.p.14,28. & p.18,23.* (5) *Explic. suar. in Ciceron. Castig.ad Epist.l.3. ad Q.Fr.p.599.*
[6] *De Nat. Deor. l 2.* (7) *l.4. c.20. p.233, 8. l.5. c.21. p.270, 17. l.7. c.26. p.481, 28. ibid c.28. p.488, 26.* (8) *ibid. c.26. p.474, 22.* (9) *l.4. c.21. p.235, 5. l.7. c.18. p.455, 21.*
(10) *de Re Rust. l.6. c.30.*

Digitized by Google

incognitus fuisset morbus. Vides enim; et alia prætercam; de procidente ano, & de intestini devolutione in ipsa inguina, & deorsum, tanquam de pervulgatis morbis, verba suo loco [1] a Celso esse facta. Vides simul, ubi de ano prolapso, ibi quoque de ore vulvæ procidente, & de utriusque fungo eundem scripsisse; ut neque de ullo ani vitio, neque ita extrorsum prolapsi, ut carnis specie appareret, intestini, neque de prolapsu uteri in vulgus cognito, neque de aliqua ejus vaginæ, ut appellant, excrescentia propositus casus, præsertim intra paucas horas funestus, posse accipi videatur. Quod ultimum Rubeo [2] quoque objicio, molam fuisse, censenti, multoque illud magis; ut alia sileam; quod quem morbum ab Hippocrate, nec sine curatione, ait, fuisse descriptum, hunc, ejusque remedia prorsus ignorare nec Medici illi nobilissimi, nec Celsus potuisset, in Hippocratis lectione mirum in modum versatus. Quid ergo est? Aut ego quidem plurimum fallor, aut non aliud fuit, quam uteri inversio, quemadmodum olim hunc Celsi casum a me, Anatomen docente, explicatum esse, memineris. Inversus enim uterus, ex naturalibus prolapsus, nihil magis, quam carnem, refert: brevique, ob commemoratas ab Ruyschio [3] causas, *gangrænam concipit*. Hoc fuit, cur aruisse, Celsus dixerit, qui in gangræna [4] *siccam & aridam carnem* descripsit. Gangrænam autem inversi uteri *mors*, ut Ruyschius ait, *statim subsequitur*, id est, ut Boerhaavius [5] explicat, *intra tres horas* ab inversione: quod cum eo convenit quod Celsus dixit, *intra paucas horas*. Remedium, ut nosti, unum est, si illico uterus suam in sedem blande reponatur: neque sic tamen omnes servantur. Quo magis fortunatam, quæ adhuc vivit, Matronam fuisse, censeo, cui statim ab difficili partu cum se invertens uterus procidisset, Chirurgus autem qui adstabat, tibi probe notus, incognitæ rei novitate perculsus, continuo ad me, consilii causa, accurrisset, ego vero ipsi ostensam illico Ruyschianam inversi uteri præclaram delineationem (6) audirem suo casui tam similem esse, quam ovum ovo; recurre, inquam, sed quanto ocyus potes, ad mulierem, si forte servari adhuc possit, cauteque ad hunc modum age. Fecit ille, ut solet, diligentissime, & quamvis horulam circiter extra suam sedem fuerit uterus, fœmina tamen generosissima persanata est. Non sic felici esse licuit puerperæ, ab Lentilio (7) descriptæ; neque enim dubito, quin propendens ex naturalibus globosum corpus sanguinolentum uterus fuerit, quippe saccus ex carne spongiosa, sesquipollicem crassa, glabra intus vestitus tunica, id est membrana secundum naturam exteriore, quacum non miror si annexa uteri vincula non invenit, ut quæ in puerpera inferiora tenent, & quod consequitur, inverso utero, superiora, quo usque nec Chirurgi ferrum, nec digiti, prohibentibus mortuæ consanguineis, potuerant pervenire. Nec vero mirandum est, quod doctus ille Vir; quanquam rem conjecit; aut quod alii Medici, nedum Chirurgi, ut Ruyschius (8) narrat, id quod erat, continuo non agnoverint, sed pro mola, aut tumore alio acceperint. Aspectus enim inversi uteri nimis est rarus. Quod si hæc in tanta Anatomes luce; quid Celsi tempore? Cujus meam interpretationem eo minus a vero alienam esse, putaverim, quod non aliam esse video quam nuper attigit Vir Illustris Albertus Hallerus (9).

Quanto longior fui in primo Celsi loco explicando, tanto ero brevior in altero, qui in extremo est capite quarto libri 8. *Omnibusque* pertusæ calvariæ 521,
locis cicatrix *commode inducitur, excepta frontis ea parte, quæ paululum super* 15.
id

(1) *l.6. c.18. p.402, 31. l.7. c.17. p.456, 23. & seqq.* (2) *Annot. in hunc Celsi locum.*
(3) *Obs. Anat. Chir.10.* (4) *l.5. c.26. p.301, 8.* (5) *Prælect. ad Instit. Med. n.685.*
(6) *Obs. cit. Fig.12.* (7) *Eph. N. C. D.2. A.2. Obs.151.* (8) *Obs. cit.*
(9) *ad cit. Boerh. n. not. bb.*

Digitized by Google

id est, quod inter supercilia est. Ibi enim vix fieri potest, ut non per omnem ætatem sit exulceratio: quæ linteolo, medicamentum habente, contegenda erit. Almeloveenius, qui nihil ad superiorem locum, ad hunc adnotavit, post *ut* deesse *non* in editione Pantini. Deest vero & in aliis nostris, etiam antiquioribus. At minime deest in membraneo codice, quem quoties indicabo, tu Forolivienſem intelligito. Neque in illis, opinor, deerat unde accepit Lindenius: quem qui redarguunt, hic nobis commode sine illa particula Celsum interpretentur. Cæterum illam hujus observationem Almeloveenius poterat lectoribus explicare, Paawio (1) saltem, quem alioquin sæpius nominat, indicato. Causam enim vidissent recte ab hoc conferri in respondentes ei frontis loco Sinus Pituitarios: qui tamen cur id faciant, non recte declarat. Satis autem declaravit postea Verheyenius (2) propter aerem, cum spiritus ducitur, redditurque, illac ultro citroque meantem, aut certe illuc tendentem, præclaro etiam exemplo addito, quo infelix Celsi prædictio non confirmatur modo, sed augetur.

Facta calvariæ, & Paawii mentio Celsi quosdam locos quos Paawius (3) explicavit, in memoriam redigit, & eos primum qui attinent ad futuras. Harum, Celsus ait (4), *neque certum numerum esse, sicut nec locum quidem.* Et de loco, præter quam quod Hippocratem (5) secutus est, diserte id docentem, mox quoque suo peculiari exemplo (6) confirmat, Sagittalis videlicet; sic enim vocant; aliquando ad nasum usque productæ. De loco autem simul, & numero, vel ea tantummodo satis ostendunt, quæ indicavit Paawius, ossicula prope occiput interdum conspicua, peculiaribus futuris concluſa, Wormiana appellant; sed antiquioribus adeo cognita, ut olim Eustachius (7) delineaverit. Quæ cum ita sint, cumque ne varietates quidem futurarum Celsum fugerint; quid fuisse dicemus causæ, cur in earum quæ ut plurimum sunt, enumeratione, & descriptione obviam omnibus futuram Coronalem prorsus omiserit? Ego, si quid judico, in Paawii sententiam eundum arbitror, existimantis, nonnulla hic periisse. Multo autem facilius fieri potuit, ut perpaucos versus, post quartæ futuræ descriptionem, quintam proponentes, librarii temere transilierint, quam ut aliquot capita libri IIII. ut alias (*) ostendi, tota interciderint injuria temporum. Sed ut Paawii judicio, de quo fuerant ab Almeloveenio admonendi lectores, facile in hoc loco assentior; sic in aliis vellem pariter posse assentiri, velut in futura tertia. Hæc, Lambdoides nominata, sic antea apud Celsum legebatur descripta (8): *tertia ad aures per verticem tendens, occipitium a summo capite diducit.* At Paawius, non *ad aures*, sed *ad latera*, judicat esse legendum; post Lindenium astipulante Almeloveenio. Ego vero cum in meis reliquis decem editionibus, si unam Cæsarii excipias, in qua, errore operarum evidentissimo, legitur *ad nares*, idem inveniam quod in membraneo codice, *ad aures*; assensum sustineo: quem, etsi codex alius proferretur qui haberet *ad latera*, nihilominus sustinerem. Neque enim alterum illud rejicere necesse est. Tendere enim ad aures futura dicitur; non pervenire; quemadmodum lata scapularum ossa infra dicentur *ad spinam tendere*, 503,
quam certe, ut nosti, non assequuntur: 27.
& si tendere non aliud hic quam pervenire, significaret; plura non deessent capita in quibus ea futura ubi ad temporum ossa ventum est, se quasi dividere, & in unguem exterius commissa, inter processus Mastoidis radicem, & os syncipitis ad auriculam pergere videatur. Is processus; ut alterum longe aliter ac Paawius, interpreter Celsi 499,
locum; est *crassissimum* illud *in capite* 25.

os

(1) *Comm. in Cels. in fin.* (2) *Anat. corp. hum. l. 1. tr 4. c. 16. ad fin.* (3) *Comm. ad c. 1. l. 8.*
(4) *l. 8. c. 1. p. 499. 12.* [5] *de Cap. Vuln. n. 2.* [6] *p. 409. 20.* [7] *Tab. 36. Fig. 3.*
[*] *Epist. II. §. Verum hæc.* [8] *p. 499. 15.*

Digitized by Google

os quod *poſt aurem eſt*, *qua capillus*, *ut veriſimile eſt ob idipſum non gignitur*, craſſitudine videlicet oſſis ſatis muniente eam partem capitis, quæ, ut jam ad poſteriora accedit, ſic protegi magis debuiſſet, quam anteriora. Verum, utcumque id eſt; ſcio enim, a priſcis etiam aliter; quod & Paawius indicat; potuiſſe explicari; illud in quo diſſentire ab ipſo cogor, hoc eſt quod os, de quo Celſus loquitur, eam eſſe credit oſſis temporum partem, quæ *adeo tenuis eſt*, *etiam tranſparens uti ſit*; quaſi Celſus, id quod Paawius miratur, craſſiſſimam non dixiſſet, tum ſine capillis, & poſt aurem.

Non obſcure quoque paulo infra miratur Paawius. Ubi enim Celſus ait:
500, *Foramina*, *intra caput*, *maxima oculo-*
9. *rum ſunt*; *deinde narium*; *tum quæ in auribus habemus*; ille ad hæc ultima hoc adſcribit: *multo tamen capacius quod occiput oſtendit foramen*. Fateor. Sed Celſus, qui hanc oſſium deſcriptionem
498, non ob aliam cauſam ſuſcepit, niſi *quo*
28. *facilius accipi poſſent* quæ de agendis a Chirurgo circa oſſa erat protinus ſcripturus, alia hic foramina ſibi attendenda, diſerteque memoranda eſſe, non cenſuit: diſerte, inquam: nam ſicuti quæ de futuris omnibus dixit, ſatis eſſe, credidit, ut inde oſſa, quæ non ſigillatim nominabat, intelligerentur; ita ex
502, eo quod de *ſpinæ medulla cerebro com-*
4. *miſſa* attingere mox debebat, foramen per quod e capite hæc intra vertebras deſcenderet, intellectum iri, non dubitavit. Atque ut perſpicere omnes poſſent, quæ foramina prætermitteret, ea ſibi non eſſe incognita; idcirco fortaſſe
500, illa interjecit de *multis & tenuibus in-*
24. timorum oſſium capitis *foraminibus*, per quorum alia olfaciendi, per alia autem audiendi facultas eſt, eaque interjecit verborum vi, ut vetuſtius ſubviſorum canalium auris Semicircularium monumentum non habeamus, quemadmodum a me alibi (1) animadverſum eſt.

Sunt in thoracis etiam oſſibus quædam alia adverſus Paawii ſive accuſationes, ſive dubitationes explicanda. Os pectoris, quod στέρνον, Græcos (2) ſecuti, vocitamus, & quod Celſus aliis in locis (3), græcam vim latine imitatus, *pectus* dixit; quanquam hanc pectoris ſignificationem necdum in Lexicis adnotatam video; id igitur os cum Celſus (4) ajat *a faucibus incipere*; ibi Paawius, *niſi legamus* a jugulo, *non video*, inquit, *qui erroris excuſari poſſit Celſus. quid enim ſterno cum faucibus intercedit? univerſa colli longitudo intermedia viſitur*. Non attendit profecto Paawius, fauces ad imam uſque laryngis cartilaginem pervenire: quæ cartilago in eo qui ſecundum naturam frequentiſſimus, & prope aſſiduus eſt, capitis, & colli poſitu fere ſummæ reſpondet parti oſſis pectoris, aut certe non multo ſupra eſt. Non eſt igitur cur verba in quibus meæ cunctæ editiones, & codex omnino conſentiunt, propterea mutemus. Conſentiunt quoque in proximo loco ubi legimus *a cervice duo lata oſſa utrinque ad* 503,
ſcapulas tendunt, Paawius autem legen- 23.
dum propemodum cenſet *ad claviculas*, haud animadvertens, ſcapulas ibi accipi pro corporis regione: quas autem ſcapulas nunc vocitant Anatomici, duo illa eſſe lata oſſa, quorum deſcriptionem Celſus recte incipit a ſuperiore, non, ut Paawius facit, ab inferiore, & reliqua illa parte qua *velut innatant*; 503,
quoniam niſi in ſummo nulli oſſi inhære- 30.
ſcunt: quæ Celſi verba eo tibi libentius commemoro, quod peculiarem horum fere dumtaxat oſſium proprietatem deſignant, quæ fundamenti inſtar ex parte iis eſt quæ de horum oſſium motibus ſcite Recentiores expoſuere.

Noli tamen credere, me in illis pariter a Paawii ſententia recedere, quæ in Celſo non injuria notavit, ut cum 505,
poſteaquam metacarpo *quinque oſſa tri-* 29.
buit *ad digitos tendentia*, continuo ipſos digitos, ab illis ortos, *ex oſſibus ternis conſtare*, docuit, *omniumque eandem rationem eſſe*. Scilicet hæc, atque alia ejuſ-

(1) *Epiſt. Anat. I. n. 92.* [2] *Vid. Ruff. Epheſ. de corp. hum. part. Appellat. lib. alter. 1. c. 11.*
[3] *l. 8. c. 7. p. 526. 6. & c. 8. p. 528. 6.* [4] *Ibid. c. 1. p. 503. 13.*

Digitized by Google

ejuſmodi, etiam quæ Paawius non advertit, ut, exempli cauſa, cruris os quod vocamus fibulam, altero quod tibiam
507, dicimus, *brevius* eſſe, hallucinationes
7. ſunt, magno Viro, & iis temporibus ſcribenti, eo facilius condonandæ, quod plurima ſimul recte tradidit, & in iis quædam, velut obiter indicatum eſt ſupra, non iis temporibus expectanda; ut illud mihi ſatis cum Clerico (1) non conveniat, nihil in hoc Celſi capite primo libri 8. niſi *generalia*, reperiri.

Quod caput tantummodo, indicari a quibusdam, miror, ut rationem reddant, cur Celſum inter Anatomicos Auctores ponant; quaſi alterum, de interioribus, caput non ſcripſiſſet, & nihil præterea tradidiſſet de oculis, nihil de teſticulis: quæ plerique ſilent, de anatomica illius ſcientia verba facientes; qui autem memorant, quo in numero Enarratores quoque ſunt, aut non ſatis explicant, aut quædam, etiam immerito, ut opinor, redarguunt, velut cum de teſtium natura ſcribens (2), *dependere* hos, ait, *ab inguinibus per ſingulos nervos, quos κρεμαστῆρας Græci nominant*. Hic Rubeus (3) *animadvertendum eſt*, inquit, *nervos non eſſe, e quibus ab inguinibus teſtes dependent, ſed muſculos*. Confirmat Clericus (4) „ quem Celſus appel„ lat nervum, eſſe muſculum;„. Nempe utrique impoſuit Anatomicorum poſterior conſuetudo, tenuem quandam muſculoſam expanſionem qua Vaginalis tunica comprehenditur, cremaſterem teſtis muſculum appellantium; cum Celſus, temporum ſuorum morem ſecutus, non eum muſculum, ſed, niſi me omnia fallunt, vas indicet ſemen deferens, quod craſſiuſculo nervo ſimile, intra illam tunicam cum arteriis & venis ad teſtem pertinet. Poſſum id non una ratione oſtendere. Ruffus enim Epheſius, quem ſub Trajano vixiſſe, Clericus (5) agnoſcit, etiam tum ſcribebat hæc (6) quæ a Craſſo noſtro in hunc modum latine reddita ſunt: *nervus quoque cum arteria concavus ad teſtem pervenit, qui Suſpenſor a noſtris dici poteſt: Cremaſtera Græci nuncupant*. Quin Columella, qui ipſis temporibus Celſi floruit, cum memoravit (7) *teſtium nervos, quos Græci κρεμαστῆρας ab eo appellant, quod ex illis genitales partes dependent*, niſi id quod nos diximus, intellexiſſet, non juſſiſſet certe, in vitulorum caſtratione *extremam partem* teſtium *adhærentem prædictis nervis relinqui*; neque enim teſtes, ut illis ſeminis vaſis, ita cremaſteribus adhærent muſculis. Quid? quod Celſus ipſe ſatis per ſe docet, quid illo nomine ſignificet. Nam primum, ni vaſa hæc voluit, quæro abs te, quo ergo alio nomine hæc indicavit? omiſiſſe enim haud potuit qui præter tunicas, *vel multas* illas *membranulas* dili- 456,
genter propoſuit, quæ *venas*, *& arte-* 3.
rias, *eoſque nervos comprehendunt*. Deinde ea quæ de his nervis infra dicit; multa autem dicit, & ſæpenumero, ut tanto magis ſcire interſit de quo loquatur; omnia cum explicatione conveniunt noſtra, plura autem evidentiſſime diſcrepant ab aliena, ut puta cum *ſub ima*, id eſt Vaginali, *tunica circa ipſum* 459,
teſticulum nervumque ejus, aut cum *in-* 2.
ter imam tunicam & ipſum teſticulum, nervumque ejus, ramicem, ait (8) *oriri*, aut denique cum (9) teſticulum, curationis cauſa, tantiſper e ſcroto, dum ea perficitur, digito depromptum, mox ubi de tunica & media, & ima tantum ſit obſciſſum, quantum eſt opus, eundem, inquam, teſticulum *purgatum* docet *per ipſam plagam cum venis, & arteriis, & nervo ſuo demittendum eſſe* in priſtinam ſedem. De oculorum autem anotome cum quædam explicare conatus ſim in Epiſtolis Anatomicis (10), in quibus nonnullos quoque attigi (11) ex iis locis quibus mox Celſus quæ ſentiret de inſanabili, aut ſanabili Suffuſione, propoſuit; nihil eorum hic repetam.

(1) *Hiſt. de la Medec.* P. 2. *l.* 4. S. 2. *c.* 5. (2) *l.* 7. *c.* 18. *p.* 455, 29. (3) *Annot. in hunc loc.* (4) *cap. cit. not.* 25. (5) *Hiſt. cit.* P. 3. *l.* 2. *c.* 3. (6) *Oper. cit. l.* 1. *c.* 32. (7) *de Re Ruſt. l.* 6. *c.* 26. (8) *c.* 22. *p.* 470, 1. (9) *c.* 19. *p.* 461, 4. & 27. (10) *Epiſt.* 17. *n.* 23. (11) *Epiſt.* 18. *n.* 33. & *Epiſt.* 19. *n.* 7.

Digitized by Google

tam. Sed protinus ad ea transibo quæ de humani corporis interioribus ab eodem tradita sunt.

Quanquam illud initio dubium est, ex humanorum revera corporum, an ex bestiarum dissectione hæc quæ scribit (1), deprompta sint. Ex hominum credas, si totum relegas quem in extre-
20, ma Præfatione indicavimus, locum. *In-*
6. *cidere mortuorum corpora*, inquit, *discentibus necessarium. Nam positum & ordinem nosse debent. Quæ cadavera melius, quam vivus & vulneratus homo, repræsentant. Sed & cætera quæ in vivis cognosci modo possunt, in ipsis curationibus vulneratorum --- usus ipse monstrabit.* Nulla hic certe, neque supra, nisi de homine, mentio est, ne tum quidem cum de iis pariter sermo est quæ in vivis dumtaxat quæri possunt: adeo illo tempore vereri Medici, quod aliqui hoc nostro non sunt veriti, videbantur, ne a dissimilibus bestiarum corporibus deciperentur. Sed contra, ubi morum ejus & insequentium diu sæculorum veniat in mentem aversorum adeo ab humani cadaveris incisione; non facile existimabis, quæ Celsus tradidit, si quidem ab intima non discrepent hominis structura, aliunde quam ex vulneratorum inspectione, multo autem magis ex Herophili, & Erasistrati librorum, qui tunc extabant, lectione fuisse desumpta. Si vero ex ipsis Celsi descriptionibus dignoscere aveas, hominum, an belluarum interiora proponat; rursus ibi, nec semel, hæreas. Hominis enim hæc, exempli causa, videntur:
183, lien *longitudinis crassitudinisque modicæ:*
28. & *vulva in mulieribus, nisi ubi gravi-*
185, *da sunt, non multo major, quam ut*
32. *manu comprehendatur*. At bruti alicu-
183, jus animantis illa: jecur *in quatuor fi-*
24. *bras* dividitur: & *orbes* tenuioris inte-
184, stini *per membranulas singuli cum inte-*
24. *rioribus connectuntur:* neque enim, nisi ex obvia animante aliqua, canis simili, mesaræum spectasset, *membranulas* dixisset, aut certe adipem, unde crassescerent, his innasci, non siluisset, 185,
qui id in omento non erat taciturus. 12.
Apparet igitur, ex bestiis quædam esse deprompta: quibuscum tamen alia ex homine videntur admixta. Nam si ejusdemmodi animalis cujus proposuit mesaræum, lienem quoque proposuisset; certe *modicæ* esse *longitudinis*, non scripsisset. Cujusmodi animal respexerit oportet Balduinus Ronsseus (2), qui ad eum Celsi locum hæc adnotavit: *Vide, ne non hic mendum sit, atque legendum* latitudinis crassitudinisque modicæ. *siquidem cum splenis innata figura sit oblonga, non dixeris eam longitudinis crassitudinisque modicæ*. Longior certe vel in homine est lien, quam latus: sed tanto brevior, si cum quadrupedum pleriisque compares; ut laudandus, non emendandus, sit Celsus, qui modicæ in homine longitudinis scripsit. Quod vero ad alterum attinet, quod produximus, uteri exemplum, etsi Cl. Vir Noortwykius (3) optaret, ut figuram Celsus descripsisset, quo certius sciremus, humanum ab eo uterum fuisse propositum; non tamen, humanum proposuisse, inficiatur. Doctissimi autem Viri, qui de egregio Noortwykii libro in Eruditorum Actis (4) retulere, satis indicii dant, quo eorum inclinet sententia, in proximis Celsi verbis illa at-
tendentes, vulva, *recta tenuataque cer-* 186,
vice, quam canalem vocant, --- super 1.
rectum intestinum progressa. Quod enim cervix *tenuata* sit, ajunt, *humanæ magis, quam brutorum, vaginæ convenire:* multo autem magis quod *super*, non, ut in brutis, sub recto intestino progrediatur: quanquam in brutis quoque idem posse dici, fateantur, si supino, ut fit in dissectionibus, corporis situ spectentur: & Noortwykius admonuerit, non *tenuataque*, ut ab Almeloveenio editum est, sed *continuataque* in tribus antiquioribus editionibus scriptum esse. Sane & in meis omnibus, & in codice ad hunc modum scriptum erat; ut is sit unus ex iis locis in quibus

Lin-

[1] *l. 4. c. 1.* [2] *Enarras. in Celsi libr.* [3] *Uteri hum. gravid. Anat. P. 1. §. 36.*
[4] *A. 1745. M. Jun. P. 1.*

Digitized by Google

Lindenium decuiſſet variantem ſcripturam commemorare. Sed etſi mihi totum hoc Celſi caput legenti pleraque videntur potius ut in ſtante homine, quam ut in ſupino, poſſe intelligi, præſtat tamen ut ab his de quibus dubitare licet, jam ad certiora tranſeamus.

Et primum linguam noſtram anatomicam vocibus aliquot augeamus, quæ ea ſignificatione qua apud Celſum in hoc capite, aut alibi ſunt, in meis quidem latinis Lexicis non reperiuntur. Quam in mulierum genitalibus vaginam appellitamus, eam *canalem* vocatam eſſe, paulo ante viſum eſt. In virilibus autem quam glandis coronam dicimus, hæc a Cel-
472, ſo lib. 7. c. 25. *circulus glandis* no-
5. & minabatur. Quod frenum ibidem voci-
17. tamus, recte a nobis dici, productis ex
472, eodem capite locis, proclive eſt demon-
26. & ſtrare, nec minus recte, incluſum in
32. utero fœtum poſſe qui velit, vocare *infantem*, non Poeta, aut Scriptore alio inferioris temporis, ſed Celſo ipſo
271, auctore cap. 21. lib. 5. & toto capite 29.
10. lib. 7. (1). Sed cum utrumque horum in aliquod tandem Lexicon relatum eſſe, animadvertam; illud potius addam, quem nos funiculum umbilicalem, Lexica autem quædam cum Tertulliano umbilicalem nervum appellant, eum a
492, Celſo capite eodem 29. *umbilicum* no-
28. minari. *Siniſtra manu*, inquit, mortui in utero infantis extractionem perficiens Medicus *leniter trahere umbilicum debet ita, ne abrumpat, dextraque eum ſequi uſque ad Secundas*. Verum, ne longius te abduci, dicas, a propoſito capite I. libri quarti; alias voces alio differro, & ad caput illud redeo, ut in eo quaſdam conſideremus. Pulmone, corde,
184, jocinore, liene, renibus deſcriptis, *Ac*
2. *viſcerum quidem hæ ſedes ſunt*, inquit. *Stomachus vero &c.* atque hinc incipit ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, & uteri deſcriptionem. Non igitur hæc; ſed illa tantum viſcera ſunt? An poſt *viſcerum* vox aliqua deeſt, ut puta *ſuperiorum*? ſic enim alibi (2), *ſeptum id, quod tranſverſum a ſuperioribus viſceribus inteſtina diſcernit*. Sed num renes viſcera ſunt ventriculo ſuperiora? Huc adde, præter ea quibus in Præfatione uſus eſt, verba: *qua parte quodque viſcus, inteſtinumve ſit*; huc, inquam, 7. 18. adde, quod cum illarum quas primo loco nominavimus, partium curationes abſolvit (3), *A viſceribus ad inteſtina veniendum eſt*, inquit, ſicque ad reliquarum curationes progreditur. Manifeſtum eſt igitur, has reliquas noluiſſe Celſum accipere viſcerum nomine. Cur autem noluit? Id vero eſt obſcurum, niſi forte, ut alios olim, in ea quis comminiſcatur fuiſſe ſententia, quam ex vetere Scholiaſte protulit Riolanus, (4) *exta vitalia eſſe ſeptem, linguam, cor, hepar, lienem, pulmonem, & duos renes*. De præcordiorum autem vocabulo; ſi nullum, niſi hoc, caput ſpectemus; ſatis in Lexicis, ſuperque dictum videri poteſt. Sin pleroſque alios Celſi locos; ſignificatio apud nos frequentiſſima, & a Plinio Valeriano (5) diſerte expoſita, hypochondriorum, aut plane deſideratur, aut minus dilucidis, quam Celſi, comprobatur exemplis, ut cum ait (6): *ſi præcordia ejus ſine ullo ſenſu doloris æqualiter mollia in utraque parte ſunt: quod ſi paulo tumidiora ſunt, tamen digitis cedunt, & non dolent*: aut cum (7) *ad ſpinam reducta præcordia*, aut (8) *præcordia ſurſum contracta*, aut; ne in re apertiſſima longior ſim; cum quæ Hippocrates de hypochondriis ſcripſerat, ea ipſe non obſcure in latinum ſermonem convertens, de præcordiis ſcribit.

Contra, ſi pleroſque alios Celſi locos attendamus; arterias ab ipſo quoque, ut fere a priſcis ſolebant, venarum dumtaxat nomine deſignatas fuiſſe, exiſtimabimus: at ſi hoc, aliaque ejuſdem capita, in primiſque quintum

(1) 400, 3, 31. & 491, 9, 17. 19, 27. & 492, 25, 31. (2) *l.* 7. *c.* 4. *p.* 412, 31. (3) *l.* 4. *c.* 11. *p.* 217, 27. (4) *Anthropogr. l.* 2. *c.* 21. (5) *de Re Med. l.* 2. *c.* 13. (6) *l.* 2. *c.* 3. *p.* 40, 22. (7) *l.* 5. *c.* 26. *p.* 286, 6. (8) *Ibid. p.* 288, 3.

Digitized by Google

libri 7. & decimum libri 2. perlegamus; non id ipſi magis, quam Hippocrati, perpetuum fuiſſe, perſpiciemus. Nam & in eo de quo ſatis vidimus,
182, capite *circa guttur venas grandes* memo-
17. rat, *itemque arterias*, & in illo quinto
416, magnopere cavendum dicit, *ne nervus*,
27. *ne vena major*, *ne arteria incidatur*, in eo autem quod noviſſime indicavimus, decimo, cum de mittendo ſanguine ver-
81, ba faciat, *juncta eſt*, inquit, *vena ar-*
19. *teriis*, *his nervi*. Continuo autem cum graves ibi indicet noxas quæ compunctos nervos ſequuntur; *at arteria inciſa*, inquit, *neque coit*, *neque ſaneſcit*. Quo loco adnotandum eſt, nec Celſum tamen, nec quos inſequentibus libris commendat, tot Medicos, aut Chirurgos, quantum ex iiſdem libris apparet, aneuryſmatis injeciſſe mentionem, imo plus quam ipſe, Hippocratem non dixiſſe, ſi quidem *venam ſanguifluam* libro quem Almeloveenius hic laudat, I. de Morbis pro arteria accipiamus; nam in iis quos citat, Aphoriſmis neque de arteria, neque de vena quidquam eſt. Aretæus vero, qui idem quod Celſus, ſcripſiſſe dicitur ab erudito alioquin Medico, Jo. Bapt. Silvatico in ea quam inſcripſit de Aneuryſmate, Tractatione, non antiquior, ut ipſe putat, Celſo fuit, neque eo quod deſignatur, capite (1) de alia arteria, quam de Aſpera, locutus eſt, cum credere non poſſet, ſi in angina inciderentur, poſſe coire. Quantum igitur ex ea Silvatici Tractatione, & ex Ingraſſiæ, Medici doctiſſimi, Iatropologia (2) perſpici poteſt, nemo ex iis qui ſuperſunt, ante Galenum Scriptoribus de aneuryſmate verba fecit. Quod vero ad venas attinet, quæ Celſo auctore, ſecari poſſunt, non illo uno loco ſtandum eſt quo paulo ante dixerat, *non ubique*
80, *mitti poſſe* ſanguinem, *ſed in tempori-*
30. *bus*, *in brachiis*, *juxta talos*. Nam alibi (3) jubet, *ex naribus*, alibi (4), *ex fronte*, alibi (5), *ex fronte*, *vel naribus*, alibi (6); ex *iis* quoque *venis*, *quæ ſub lingua ſunt*, ſanguinem mitti. Juſſiſſet fortaſſe, ex podicis etiam venis, ſi hirudines, ſive, ut loqui jam tum cœperant, ſanguiſugas probaſſet, quæ ut in legitimis Galeni ſcriptis, ſic pariter in Celſi (7), longe alia de cauſa, quam ut medicinæ inſtrumentum ſint, memorantur: quanquam Themiſoni, qui Celſum, nedum Galenum, ætate præceſſerat, multo aliter viſum eſſet, ut recte eſt a Clerico (8) animadverſum. Eſt etiam ubi Celſus docuit (9) *inter verticem ac frontem ---- venas incidere*, *& ſanguinem mittere*: qui locus ob id etiam erat a me adnotandus, quod antequam id doceret, jam tum probe ſcire ſe, oſtendit (10), ex venis ad oculos pertinentibus alias eſſe, *quæ inter calvariam & cutem ſunt*, alias, *quæ inter membranam cerebri & calvariam*: *ſuperiores* autem illas *per tempora oculos rigare*; *inferiores*, *per eas membranas*, *quæ ab oculis ad cerebrum tendunt*. Hanc autem non minus veram, quam ſubtilem, anatomicam obſervationem prorſus neceſſariam eſſe, cenſuit ad diſcrimen intelligendum eorum quibus utilis, & quibus inutilis futura eſſet ea curatio, non ſine errore quidem aliquo, præſertim niſi hic quoque venarum nomine arterias putes ſignificaſſe, at exemplo illuſtri in eo Auctore quem ſubtilibus diſſectionibus adverſari credunt, quanti hæ contra in exercenda medicina ab illis faciendæ ſint qui uti ſciant.

Habes aliquot, ut ſcribenti occurrerunt; locos ſive mentione, ſive explicatione, ſive utraque dignos. Nec me fugit, eſſe alios prope innumeros, qui ad vina, ad aquas, ad edulia, ad medicamenta, ad ferramenta, ad tela, ad morbos, ad Auctores, ad alia pertinent quæ in Celſi opere ſic memorantur, ut aliquam illuſtrationem requirerent. Sed

ego

(1) 7. *l.* 1. *de Acut. morb. curat.* (2) *l.* 1. *err.* 4. (3) *l.* 4. *c.* 2. *p.* 188, 31.
(4) *l.* 6. *c.* 6. *p.* 363, 13. (5) *Ibid. p.* 367, 28. (6) *l.* 4. *c.* 4. *p.* 197, 8. (7) *l.* 5. *c.* 27. *p.* 314, 13. (8) *Hiſt. de la Medec.* P. 2. *l.* 4. S. 1. *c.* 1. (9) *l.* 7. *c.* 7. *p.* 437, 22.
(10) *Ibid. p.* 435, 27.

Digitized by Google

ego epistolam, non librum, scribere aggressus sum. Quæ quoniam sentio quam præter opinionem excreverit; cætera quæ ad variantem scripturam, & ad meas de hac dubitationes, ac divinationes attinent, in alias Litteras conjiciam: quas propediem expectabis: & valebis.

Patavii MDCCXXXVIIII. XVIII. Kal. Januar.

EPISTOLA QUINTA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

QUo magis memoria repeto, quot, & quam sæpe, & quam aperte in Almeloveeniana Celsi editione minus probaverim Epistolis illis tribus quas duodetriginta ab hinc annis simul cum ea voluisti in publicum prodire; eo magis miror, mi Vulpi, existere aliquem potuisse qui perinde ac si a me curata, aut omni ex parte laudata esset, quidquid sibi in ea displiceret, id mihi objiceret non obscure, ne dicam, exprobraret. Ego vero, cum sint illæ Epistolæ in omnium manibus, minime opus esse duco singula in quibus ab Almeloveenio dissensi, numerando percensere, præsertim cum tot sint, ut nihil aliud illæ nisi quædam fere perpetua ab eo dissensio, esse videantur. Satis est duo quæ universe dixi, commemorare, alterum (1): *recte illud fecit Almeloveenius, quod in hoc loco nihil in Celsi verbis mutavit: quod utinam in pluribus aliis facere; quamvis ipso præeunte Lindenio; noluisset*: alterum (2): *ex innumeris prope locis quorum incertam scripturam commemorare poterat Almeloveenius, hos paucos habe*. Quod si fecisset; longe facilius mihi tunc fuisset, & nunc esset quas mutationes haud probarem, & quas tamen vicissim probarem, invenire.

Scripsi enim alias id quod superioribus etiam Litteris confirmavi, loca esse in ejus editione quæ bene ac sapienter mutata sint. Nunc, exempli causa, pauca alia proferam ex uno dumtaxat capite libri 8. Locus est cap. 1. de latis scapularum ossibus, quæ, ut in meis omnibus editionibus (Lindenianam semper excipio, quam est secutus Almeloveenius) summo consensu legebatur, ab Romanis *scoptula operta* nominabantur: idque nomen, hujus unius loci auctoritate in latina Lexica invectum fuerat. Sed Casaubonus, ut in Scholiis habes ad hunc locum, aperte admonuerat, *istam lectionem procul dubio mendosam esse, cum nunquam alibi hæc vox* scoptulum *reperiatur*. Vocem autem *scutulum* apud idoneos Auctores inveniri, cum vel ex Lexicis ipsis constet, cumque duo ista ossa & forma sic satis, & officio, scapulas videlicet protegendi, referant parva scuta sub tegumentis, & musculis quibusdam quasi latentia; Lindenius tum rationem quidem certe, tum optimos, quibus non carebat, calamo exaratos libros, ut opinor, secutus, *scutula operta* reposuit. Atque ut intelligas, me non temere sic opinari; in Forolivienſi codice *scutula* inveni; ille autem Venetus, quem apud Clericos Regulares nosti a me olim inspectum esse, etsi minus antiqua manu scriptum nunc habet *scoptula*, sic tamen habet, ut mihi quidem visus sit olim *scutula* habuisse. A qua voce num quondam ortam vulgarem illam quam memorat Paawius (3), horum ossium appellationem censebimus, *scutorum cordis*, quippe 503 24.

(1) *Epist. L. p. 31, 7.* (2) *Ib. p. 21, 8.* (3) *Comm. in hoc Celsi tepos.*

pe vitalia a tergo munientium? Recte quoque Paawius (1), & ante ipsum Constantinus (2) admonuerant, cum aliæ editiones habeant *in sinus*, aliæ *in sinu*, legendum esse *in sinum* eo loco primi hujus capitis quem propterea
505, sic edidit Lindenius, *ex manu duo exi-*
27. *gui processus in sinum radii conjiciuntur.* Neque enim radius, quod probe scis, nisi unum habet sinum quo carpi quidem osficula duo excipiat. Nemine autem; quod sciam; nisi evidentissima ratione, & optimo fortasse codice, præeunte, egregie rescripta a Lindenio sunt
507, in eodem capite verba hæc: *alterum*
5. *os ab exteriore parte suræ positum est: quod ipsum quoque sura recte nominatur;* cum editiones omnes, quotquot consului, sic proponerent: *quod ipsum quoque supra*, falsa omnino scriptura & inepta; nam neque supra, hujus ossis nomen positum fuerat, nec *recte* a se positum Celsus ipse dixisset; noxia præterea & nostræ anatomicæ, & Latinæ linguæ. Ob hoc enim præsertim mendum Lexica, quæ ad hoc tempus inspexi, fere omnia carent hoc suræ significatu, quo suræ os, fibulam dictum, ipsum quoque recte a Latinis suram nominatum fuisse, constat. Constat, inquam: neque enim illa vox *quoque*, eo loco a Celso posita, aliud posse ibi reponi, quam *sura*, ostendit, una litterula quæ temere irrepserat, detracta. Confirmat hæc locus alter, minus, ut videtur, animadversus, atque perpensus,
542, libro eodem, cap. 11. recedit *in bra-*
33. *chio, radius a cubito; & in crure, tibia a sura.*

Vides, ut uno in capite mutationes tres adnotaverim, quæ non possint, ut opinor, facile reprehendi. Erunt, præter eas quas scio, aliæ quoque ejusdemmodi & in eo capite, & in cæteris, siquis inquirat: id quod mihi in præsentia faciendum non putavi, ne forte præter modum viderer addictus iis, quibus potius quæ in tam longo, tamque difficili opere humanitus exciderunt, ea mihi cum aliis, tum modo præsertim adnotanda hinc illinc fuscepi, modeste tamen, ut hominem decet suæ conscium tenuitatis, nec aliud, nisi veri studium, & adolescentum utilitatem, spectantem. Itaque ut magis appareat, & quo animo ad id aggrediar, nec vana dixisse paulo ante; dabis veniam, ut unam aliam eorum mutationum adjiciam, in qua simul pro merito possim laudare, simul gradum facere ad cætera quæ dixi, adnotanda. Est ea mutatio initio ipso unius ex proximis ejusdem libri octavi capitibus, videlicet quarti: *Igitur, ubi calvaria* 514,
percussa, protinus requirendum est, num 4.
bilem is homo vomuerit; num oculi &c. Hic non modo antea legebatur, *ubi calvaria pertusa:* sed cum essent nonnulli qui legerent *percussa*; Paawius (3) extiterat qui repugnaret propterea quia ista de quibus Celsus quærendum esse, dicit, non possunt de ejus sententia, ut proxima ostendunt verba, nisi osse 514,
fracto, evenire. Sed non attendit Paa- 9.
wius quæ paulo inferius subjiciuntur: *At si nihil horum secutus est, & jam* 514,
potest dubitari, an os fractum sit &c. 16.
quæ, si pertusam posuisset esse calvariam, non erat Celsus additurus. Quod cum perpenderet, ut opinor, Lindenius, sciretque, admonente Constantino (4), haud deesse codicem qui doceret, legendum esse *percussa*; hanc vocem; siquid ego judico; sapienter reposuit. Almeloveenius autem vel sapientius fecit, qui non solum eandem vocem accepit, sed insuper lectores monuit, cunctas editiones habere *pertusa*. Hoc vero illud est quod ad mutationes omnes, multoque magis ad eas potuisse facere oportuisset, in quibus loci scriptura sic varia esset, ut alii, aliter, non improbabili ratione adducti, conjicere possent esse legendum.

Namque; ut ab levioribus incipiamus; suboffendi aliquis fortasse potest, cum apud Celsum legit libro 4. cap. 8. 214,
aut lib. 3. cap. 21. *In initio*, aut *in se-* 4.
quentibus diebus; quæ operarum incu- 166,
ria excidisse, crederem, nisi utrumque 21.
in

(1) *Ibid.* (2) *in libri ora ad hunc loc.* (3) *Comment. in hunc loc.* (4) *In ora ad hunc loc.*

Digitized by Google

in Lindenii quoque editione esset, hoc vero ad eundem modum etiam postea
173, scriptum viderem capite 23. Si igitur
24. hæc non inconsulto sunt facta; admonendus tamen erat lector, in plurimis editionibus scribi *Insequentibus*, in omnibus autem, & in codicibus, quantum mihi licuit videre, *Initio*. Multoque erat magis admonendus, tametsi illa Empiricorum verba in Præfatione
12. sic edantur: *Ob hæc, ne mortuorum qui-*
16. *dem lacerationem necessariam esse. Quæ etsi non crudelis, tamen fœda sit, cum aliter pleraque in mortuis se habeant, &c;* non deesse tamen editiones in quibus ita istud membrum legitur; *quæ etsi non crudelis, tamen fœda sit;* ut inter præcedentia, & insequentia interjici, non cum his ultimis conjungi, statim ab omnibus intelligatur. Potest etiam non planissima alioquin, utrolibet legatur modo, ibi magis obscurari sententia injecto verbo alius apud alios
36, significationis, *dimoveat*, ubi Celsus
22. lib. 1. cap. 5. eum qui gravedini sit opportunus, vitare hanc posse, ad eum modum docens inducitur, *si caput in sole protegit, ne incendatur, neve subitum ox repentino nubilo frigus dimoveat.* Hic autem & membraneus codex, & omnes quæ apud me sunt, editiones maximo consensu habent *id moveat*.

Etsi vero eodem capite paulo superius codex, & editiones inter se non consentiunt; & ille tamen, & hæ discrepant ab eo quod edidit Almeloveenius,
36, *post cibum aut contentio, aut fatigatio*
15. *animi*. In codice enim est *agitatio animi*; in editionibus *cogitatio animi*. Quæ si indicata essent; credo, non defuturum fuisse qui codicem sequi mallet.

In duobus autem quos continuo proferam, locis si idem factum esset; tanto magis futurum fuisse qui ab Almeloveenii exemplari discederet, certo scio. Est uterque locus libro 8. Alter
526, cap. 7. *nisi duæ partes ejus temporis,*
1. *intra quod quæque ossa conferunt, transierint.* Alter cap. 10. *nonnumquam autem recte quidem ossa conferbuerunt, superincrevit vero nimius callus*. Igitur cum
542, 11. ad primum ego III. ad te Epistola (1) adnotassem, in duobus codicibus pro *confervent* legi *conservantur*, in editionibus autem meis omnibus *conseruntur*; sexto fere post anno extitit Schulzius (2), qui actum agens, & vel quandam meam typographorum Constantini emendationem tacitus describens, eo transivit, ut Lindenium acriter damnaret, quod non retinuerit *conseruntur*, quo in verbo *veteres in universum omnes consensissent*, & quo Celsus *sensu non dissimili* usus esset, cum de artubus lib. 4. cap. 22. hæc scripsit: *articulis inter se*
235, *conseruntur*. Ad me non attinet, cui 28. hic nec seritur, nec metitur, illud excutere, an revera omnes veteres in eo verbo consenserint, quando duo, quos inspexi, codices non ita consentiebant, neque an sicuti ossa in artubus, recte dixit Celsus, inter se articulis conseri, nimirum mutuo se excipientia, & subeuntia, sic non minus recte potuerit dicere, ea conseri, cum fracta, quodam interjecto quasi glutine, cohærent. Si id agerem; quærere possem, ubinam Celsus, ut hoc significaret, eo verbo usus sit? cum glutinari quidem, coire, & præsertim confervere tunc ossa, dixerit. Quin, ut idem quod proposito loco scripserat, rursus capite 10. enunciaret; hæc, si codices, & editiones, velut tibi eadem III. Epistola (3) exposui, inspiciamus, hæc, inquam, habuit verba, *donec duæ partes ejus temporis, quod quoque os*, vel *quod os quoque conservet, compleantur*. Quæ quidem verba si egregie præmonente Constantino, & Schulzio ipso (4) confitente, si egregie, inquam, sic a Lindenio intellecta atque edita sunt, ut nunc legamus *quo*
534, *os quodque confervet*; quærere, si vive- 27. ret, Lindenius posset, collato hoc loco cum superiore, cur si ubi codices habebant *confervet*, recte edidit *confervet*, cur, inquam, ubi habebant *confervantur*, non laude, non excusatione, sed con-

(1) p. 64, 4. (2) Exercit. de Ossib. Confervent. §. 1. & 2. (3) p. 64. 4.
(4) Exerc. cit. §. 3.

contumelia dignus sit, quod ad eundem modum emendaverit? Sed Lindenium tueri in præsentia, ut dixi, ad me non attinet, qui illud exemplis ostendendum suscepérim, quam præstitisset, ut quidquid mutaret, de eo lectores admoneret, quo facilius quisque posset quam lectionem mallet, eam sequi. Itaque non improbo omnino dissensum Schulzii, multoque minus ejus laudabilem voluntatem id illustrandi quod a Celso bis dictum retuli de expectando donec *duæ partes* transeant ejus temporis quo os quodque confervet. Quæri enim posse, duas quintas, an septimas, paucis, quotas voluerit partes? Si igitur est qui duas tertias significari, non intelligat; huic ex Hippocraticis monumentis (1) locum exhibet unde id colligat: qui locus ab Almeloveenio indicari potuisset. Libens quoque laudo; ut alia quæ infra memorabo, præteream; lectionem quam scite excogitavit alterius, supra descripti, loci, in quo apud Almeloveenium
542, legitur *ossa conferbuerunt*, nulla adnota-
11. ta ex editionibus, & codicibus varietate. Schulzius autem cum in suis sex editionibus; ad quas meas adde reliquas, & membraneum codicem; animadvertisset, scriptum esse *cœperunt*; ex hoc manifeste vitiato hic verbo effici posse, censuit, *coierunt*, verbum a Celso pro *conferbuerunt*, si alios ejus attendamus locos, hic verisimiliter usurpatum. *Conferbuerunt* autem non ideo rejicit, quod huc non conveniat; neque enim ignorat, scripsisse Celsum superiore pagina
541, *ossa non conferbuerunt*, & *inter se ossa*
14. *confervere*: imo ob hoc ipsum rejicit;
& non est enim, inquit, ab elegantia
31. Celsi expectandum, ut unam eandemque loquendi formulam *tam exiguo intervallo, toties repetat*: Mallem, suam nobis lectionem probasset ex levi scripturæ dissimilitudine inter *cœperunt*, & *coierunt*, quam ex accuratiori isto formulas variandi studio: quod sæpe a Celso, ut magnum decebat, & perspicuitatis amantem Scriptorem, neglectum est: mirorque, Schulzium, cum exempla illa e decimo ipso capite mox proferret, *os coire*, & *cum cæteris coeant*, 540,
non attendisse, quatuor, nec totos, ver- 9.
siculos esse inter utrumque interjectos, &
cum sexdecim, & quatuordecim inter- 14.
cedant in exiguo illo, ut ipsi visum est, intervallo: ut fileam, cum Celsus dixisset de ossibus quæ interdum non recte *inter se confervent*, maxime proprium videri posse, ut eodem usus verbo, hæc illis opponeret: *nonnunquam autem recte quidem ossa conferbuerunt*.

Utcunque id est; optandum fuerat, ut qua felicitate & perspicuitate Schulzius ex *cœperunt* fecit *coierunt*, eadem ex *contactum*, quod in cunctis quibus tunc utebar, editionibus, sive ex *contractum*, quod in codicibus legi, III. ad te Epistola (2) adnotaveram, elicere potuisset vocem aliquam, Celso usitatam, & ad propositum facientem, quam in perdifficilem alioquin locum reciperemus. Ipse autem *confrutum* nobis excogitavit. Intelligis, me de iis verbis dicere quæ, conjectura adductus, quod tunc ostendi, Roberti Constantini, sic in Præfatione edidit Almeloveenius, *duri-* 7,
tiem, *mollitiem*, *lævorem*, *confractum*: 12.
processus deinde singulorum & recessus, videlicet humanorum viscerum secundum naturam se habentium. Igitur ut Schulzio (3) demus, quæ fortasse non omnes continuo darent, sicuti a defervéo *defrutum*, ita a conferveo potuisse fieri *confrutum*: deinde ex iis quæ, ut erat doctissimus, e compluribus Græcis Scriptoribus operose congessit, illa effici quæ ipsi visa sunt, & huc redeunt tandem, ut Latini *confervere* dixerint non de ossibus modo, sed *de quavis parte solida, quæ appulsu fluidarum augetur, vel nutritur* propterea quod cum ea quoque *succus nutritius conferveat*; ut hæc, inquam, omnia demus; non tamen idcirco *omnino*, ut ipse, *persuasum* habebimus, hic a Celso *confrutum* fuisse scriptum: quæ vox neque apud ullum

(1) *l. de Fract. n.* 6. (2) *p.* 53, 12. & 33. *Edit. Patav.*
(3) *Exercit. cit. §.* 109. & *seqq.*

ullum alium extat, quod sciamus, Latinum Scriptorem, nedum apud Celsum usquam, neque eo in loco intelligitur quomodo ad rem faceret. Loquitur enim Celsus; quod Schulzius (1) agnoscit; *non de præternaturali statu, sed maxime naturali*: in hoc autem quid sit istud *confrutum*, peculiariter, ut cætera illa, ab Anatomicis adnotandum, neque ipse declarat, nec ego assequor. Nam si est bona bene nutritorum viscerum habitudo; satis illa ex *colore*, *magnitudine*, aliisque ibi a Celso enumeratis cognoscitur; ut præteream quod aliis visum est, eo in loco vocem desiderari quæ non minus ipsa *lævori*, quam *mollities duritiei*, & *recessus processibus*, opponatur: quanquam in nostris, quæ recte se habeant, interioribus non facile video quid asperi obvium sit, ubi eam partem quæ in thorace est, excipias arteriæ illius quæ propterea aspera nominatur.

Verum ut hic locus ob vitiatum fortasse in codicibus verbum (2), ansam præbuit doctis hominibus aliquid audendi, & inusitatas voces excogitandi; sic alii in quibus nihil, quod sciam, vitii fuerat, cur Lindenio dederint mutandi occasionem, dicere non possim qui ejus codices non inspexerim: illud possum, multo minus locos istos alios, nisi variantibus lectionibus indicatis, fuisse mutandos. Libro 8. cap. 4. ubi verba fiunt de asperitate quæ in percussa calvaria specillo occurrit, dubitante Chirurgo, a futuris, an a fracto osse illa sit, in meis omnibus editionibus, & membraneo ipso codice legebatur *os aperire tutissimum est*. Ibi Lindenius, quasi veritus ne hoc quod de nudando osse dicitur, acciperetur, ut Paawius (3) facere inceperat, de terebrando, sic mu-
515, tavit, *os deoperire*. Idem profecto mox
17. voluerat Celsus, cum, aliquando post
515, vehementiorem ictum, scripsit, *quamvis*
22. *specillo nihil invenitur, tamen aperire commodius est, At si ne tum quidem rima manifesta est &c.* Hic vero nihil mutavit Lindenius. Quod si primo etiam loco feciſſet; in Lexica receptum non esset verbum *deoperio*, ex hac quidem Celsi, si modo Celsi est, auctoritate. Sed illud, si non æque prisca, aliqua tamen tuetur auctoritas. Vox autem *carpus* ita producitur, ut quæ neminem præter Celsum auctorem habeat, qui lib. 3. cap. 6. scripserit, *ejus carpo* 129,
manum admovere. Non facile autem il- 23.
lam productum fuisse, credo, qui & codicem, & editiones meas omnes habere, sciret, non *carpo*, ut Lindeniana, sed *corpori*, & Constantini esse explicationem, non lectionem, quod in ejus libri ora adjectum est *carpo: aut thoraci*. Sane Celsus non carpum, sed primam palmæ partem dixit lib. 8. c. 1. *In manu vero prima palmæ pars ex mul-* 505,
tis minutisque ossibus constat: qui locus 20.
illud quoque docet, non *manum* dumtaxat *explicatam aut dilatatam*, ut tradi video, *palmæ* vocabulo significari. Etsi vero pro latina voce *corpori* non latinam *carpo* substitui, plerique difficilius patientur; non tamen facillime sinent, in latinæ locum reponi alteram, quamvis latinam, & a Celso ipso alibi in usum vocatam, præsertim si illa quæ extrudatur, ejusmodi sit, ut, nisi caveamus, ejus interire paulatim memoria queat. Urinæ in mulieribus iter Celsus, quod dixerat lib. 4. cap. 1. virili esse *brevius & plenius*, id est minus an- 185,
gustum, ut libro 7. cap. 26. simul es- 30.
se *rectius*, addit, sic eadem usus diligentia, ne Chirurgi ad lotium manu emoliendum fistulam in illud demissuri, aliquando, ut nostra ætate etiam contigit, turpiter decipiantur, docet non solum ubi semper, sed insuper quem sæpe in modum se ostendat illius finis, *Mammulæ simile*, inquit, *inter imas oras super naturale positum* est. Et sic quidem codex, & editiones omnes habent quæ apud me sunt. Almeloveeniana autem habet *carunculæ simile*, ea- 474,
dem certe sententia, & voce non mi- 21.
nus latina. Sed vox *mammula* rursus in

[1] §. 24. [2] *de quo tamen vid. Epist. VIII. infra medium.*
[3] *Comm. in hunc loc.*

Digitized by Google

periculum adducitur, ne quemadmodum in Varronis libris (1) expuncta fuerat, ni Viri doctissimi ex codicibus antiquis restituissent, ita libris etiam Celsi eliminetur. Eodem quoque in eadem editione sententia redit lib. 8. cap. 10. ubi postquam traditum est, in suppura-
530, tione eo dimettendum esse ferrum *qua*
20. *parte maxime tumebit locus*, hæc adduntur: *Si nusquam tumor se ostendit; ubi maxime pus subsit, sic intelligemus &c.* Qui tamen noverint, in omnibus meis editionibus, & codice quoque sic legi: *Si nusquam caput se ostendit*, iidem fortasse hoc malent, præsertim si sciant, ad Plinium (2) docentem, quæ furunculos discutiant, *priusquam capita faciant*, sive, ut alibi (3) loquitur, *si nondum caput fecerint*, adnotasse Dalechampium (4), videlicet *si nondum in acutum fastigium sublati fuerint, si nondum in acuminatum verticem extuberaverint*. Ex qua capitis apud Latinos significatione illa orta apud nostrates videtur consuetudo, ut tumores quibus id accidit, ipsi dicant *venire a capo*. Celsus eodem intellectu alibi (5) scripsit suppurationes *in exteriorem partem feruntur, & acuuntur*.

Plinii facta mentio cujusdam me admonet; quem ipse laudavit (6), loci Cornelii nostri. Is est lib. 2. cap. 33.
109, *herba muralis* (*parthenium vel perdi-*
15. *cium appellant*.) Quæ sic, ut Almeloveenius, Editores, qui apud me sunt, cæteri proposuere, uno excepto, Viro apprime docto, Joanne Ruellio. Hic enim Celsi libros, ab se emendatos, typographo dedit qui Parisiis A. 1529. vulgavit simul cum Scribonio, ut gratus in litteris fatetur, huic præpositis, ad ipsum Ruellium scriptis. Ruellius igitur ista herbæ muralis nomina quæ Almeloveenius inter uncos inclusit, non latinis, sed græcis & literis, & terminatione excudenda curavit. Quod cum judicio adductum suo, tum libris calamo exaratis, quibus abundasse legi, in primis permotum, feciſſe, puto, quando ego quoque in membraneo codice non aliter scripta ea nomina animadverti. Accedit ipsius Celsi duplex in eodem capite exemplum, qui latinis herbæ sanguinalis, & solani vocabulis cum græcis litteris alia quæ apud Græcos in usu erant, adjecerit; non apparet, cur in herba murali idem facere non debuerit, præsertim cum alibi quoque eandem servaverit consuetudinem, ut capite 25; ne alia quæram exempla; libri 5. in *herba solari*, servaturus quoque, ut o-311,
pinor, libro 6. cap. 10. in *radice ea*, 17.
quam dulcem appellant, nisi ut erat u-
nicuique longe notissima, minime opus 383,
fuisset græco etiam nomine, præsertim 34.
quod ipsa significationis vi nihil discreparet a latino, designare; quapropter ex verbis illis apud Scribonium (7): *glycyrrhizæ succi* (*est autem radix dulcis*) quatuor hæc ultima ideo neglexisse Marcellum, quod *glossa esset*, Rhodius (8) non dubitat; *neque enim res adeo facilis*, inquit, *interpretationem postulabat*. Si igitur græce hic illa nomina adscripsit Celsus; viderint, quo jure faciant qui *parthenium* & *perdicium* inter latinas voces referunt ex Celsi quidem auctoritate, cum interea *herbam muralem*, & *solarem*, & *radicem dulcem* ejusdem, ut possent, exemplis non confirment. Id viderint pariter qui hunc locum ita ediderunt, uti descripsimus: nam præter græcas litteras, & terminationem, vox *Græci*, quæ in proximis exemplis non omittitur, desideratur. Sed altera ex parte objici potest is quem indicavi, Plinianus de Celso locus. *Parthenium, alii leucanthen, alii tamnacum vocant. Celsus apud nos, perdicium & muralium*. Non est, mi Vulpi, tempus ut hinc ad Rem Herbariam divertam, neque ut, Plinii verba emendare conatus, actum fortasse agam. Sed quantum ex Dalechampii editione, qua melior, cum hanc Epistolam scriberem, non erat in manibus

[1] *de Re Rust. l. 2. c. 3.* [2] *Nat. Hist. lib. 22. c. ult.* [3] *Ibid. l. 26. c. 12.*
[4] *ad cap. 12. cit.* [5] *l. 2. c. 8. p. 67, 7.* [6] *Hist. cit. l. 21. c. 30.*
(7) *Compos. Med. 86.* (8) *Not. ad citat. Compos.*

Digitized by Google

bus, & ex iis quæ in ejusdem margine adscripta huc sunt, ego quidem possum conjicere; Plinius potius est ex Celso, quam Celsus ex Plinio, emendandus: apud quem alibi quoque (1) eum alter ex hoc Celsi capite profertur locus, *strichnon* latinis litteris descriptum. video, quam vocem Celsi Editores, nisi siqui forte græcis carebant typis, græcis litteris scripsere. Quod si ad Plinium, quotiescunque aliquid ex Celso; quod non sæpius tamen facit; nominatim producit, hujus adnotata fuissent verba ex iis videlicet qui extant, libris; interciderunt enim qui ad Rem Rusticam attinebant, ad quos videntur referenda quæ producta sunt lib. 10. cap. 53., aut si ad Celsum indicata semper essent loca quibus ejus sententia a Plinio laudatur; fortasse alter ad alterius scripturam meliorem reddendam opis aliquid afferre potuisset.

Verum ad Almeloveenium, ut redeam, vel potius redire videar; neque enim reapse digressus sum, cum hæc attigi quæ de vocibus aliter ab Ruellio, aut apud Plinium scriptis, ad Celsum poterat adnotare; debebat certe de mutato primo verbo capitis 1. lib. 7. lectores admonere. Legebant ibi ante Lindenium omnes quos inspeximus, *Luxata*: quam vocem, ut accipi quidem solet, res ipsa evidenter respuit; agitur enim de fugillatis, & contusis: tum Celsus, an quod vetustatem olere crederet? Catoni, ejusque antiquorum verborum studioso Crispo Sallustio & *luxatum*, & *luxum* reliquit: & quanquam ii qui mox scripserunt, *luxare*, & *luxatum* rursus in usum revocaverint; ipse tamen fugit studio tanto, ut libro 8. non modo initio capitis 2. sed & capite 11. & quatuordecim quæ sequuntur, cum de luxatis ossibus semper ageret, nunquam hoc verbo, sed aliis, & pluribus potius, ne eo uteretur, usus sit. Nam *de loco*, aut *sedibus suis moveri*, *excidere*, *elabi*, *prolabi*, *loco suo non esse*, *expelli*, *propelli*, *procidere*, *delabi*, *incidere*, *recedere*, *promoveri*, *labi*, *prorumpere*, *prodire* ossa, dixit, & pleraque horum verborum repetere etiam sæpe maluit, idque exiguo intervallo, quam semel, ossa luxari, scribere: ut nisi aliæ essent quæ alias (2) proferentur, hæc una animadverso satis ostenderet, non esse a Celso inscriptiones istorum capitum *De Ossibus luxatis*: *De Maxilla luxata*, & cæteras ejusdemmodi. Recte igitur videtur fecisse Lindenius, quod primum illud sustulit verbum *Luxata*: fortasse etiam hoc recte, quod pro illo rescripsit *Vexata*, non modo quia levissima mutatione, sed & quia Constantino, imo quodam Constantini codice non dissentiente, id fecit. Ille enim hunc adscripserat: *contusa scriptum inveni: itemque vexata, quod plane non displicet, si pro contusis sumatur, ut apud Gell.* Hic vero loco quodam suarum *Noctium* (3), quem hic designari puto, sic habet: *qui fertur, & raptatur, atque huc, atque illuc distrahitur, is vexari proprie dicitur*. Verum hinc sequitur, vexationem posse quidem esse fugillationis causam; non ipsam tamen esse fugillationem. Nec quidquam de suo, quo hic uteremur, Macrobius (4) addidit, cum hæc, atque alia ex Gellio innominato descripsit. Celso æqualis Auctor, Scribonius (5) rem magis illustrasset, si quos *ex ictu*, *casu*, — *contusione* dolentes memorat, *nec minus arbore alta delapsos*, *vel scalis devolutos*, *excussos a rheda vel curriculo*, *atque ita tractos*, non illos *manifesta causa vexatos*, sed simpliciter *vexatos* dixisset, neque aliis *ex occulta causa laborantibus* opposuisset. Celsus autem ipse, qui fugillationem lib. 5. cap. 18. sic designaverat, *si facie contusa, livor subcruentus est*, capite autem 23. *collisa corpora vel per ictus, vel ubi ex alto deciderunt*, memoraverat, & cap. 26., nec semel, eadem significatione *collisum* scripserat, aut *callisa*, & lib. 2. c. 10. *si ex superiore parte aliquis decidit, si contusus est &c.* cur non

256, 27. 274, 33. 284, 20. 294, 2, 8.

S 2

[1] *l.* 27. *c.* 13. [2] *Epist. VII.* §. *Sed ut plenius*, [3] *l.* 2. *c.* 6. [4] *Saturn. l.* 6. *c.* 7. [5] *Compos. Med.* 101.

Digitized by Google

304, 28. 79, 30. non hic *Contuſa*, aut *Colliſa* dixit; ſed *Vexata*? Ob has igitur, atque alias quæ in aliquorum animis inſidere poſſent, dubitationes, ut ſi forte *luxata* hic crederent Celſo aliud, quam apud alios ſoleat, ſignificare, tum etiam ne priuſquam optimi non unius codicis auctoritate res, quæ ratione non poſſet, confirmaretur, alii eſſent qui *vexata* pro contuſis accipi jam poſſe, Celſo auctore, non dubitarent; ob hæc, inquam, omnia quid antea ſcriptum eſſet, non videbatur reticendum. Sic etiam admonendi erant lectores, apud omnes, quantum nos quidem vidimus, lib. 4. cap. 2. pro *capillitio* legi *capillo*, aut ſicut in codice a Conſtantino inſpecto, *capillis*; cum tamen noſter codex *capillo* habeat; in iis verbis, *ſub quo nomine*, capitis, *nunc ſignifico eam partem*, *quæ capillitio tegitur*; ne ad unum quod ex Apulejo (1) proferri video, exemplum inſuper Celſi addi poſſe, pro certo exiſtimaretur. Sic & inferius illos omnes habere, non *ſpongiam concavam*, *ſubinde aqua frigida expreſſam*. ſed *in aqua frigida expreſſam*, idque melius aliquanto; nam verius fortaſſe fuit *ex aqua*; ſic enim cap. 24. *ſpongia impoſita*, *quæ ſubinde ex oleo*, *vel aceto*, *vel aqua frigida exprimitur*: libro autem 6. cap. 6. non *tanto finis minus expeditior eſt*, ſed *minus expeditus eſt*: & ſane comparativo aliquando *magis* adjunctum legi; *minus* nec legiſſe memini, nec, ſi rationem attendas, potui. Utrobique autem codex cum editionibus conſentit. Denique in eo loco libri 7. cap. 19. *Neque tamen nimium ex ea* tunica *rurſum relinquendum eſt*, indicandum erat, editum fuiſſe ab illis omnibus id quod in codice, *furſum relinquendum eſt*. Nam etſi quæ proxime præcedunt, *Sed non a ſumma inguinis plaga*, *verum infra paululum ea abſcindenda*, utrumlibet legere permittunt, placetque ibi *rurſum* dici pro *e contrario*; decebat tamen, non ignorari, Celſum fortaſſe ipſum quoque ita *furſum* poſuiſſe, ut motum non ſignificaret locum verſus.

Quin etiam ubi non tanti referebat, quid antea legeretur commemorare, minime id erat prætermittendum, ut libro modo citato 7. cap. 13. in his verbis, *Medio tumor una linea inciditur*, ſcriptum fuiſſe in meis omnibus libris (quibus & codicem addes) *Medio tumore*, Pinziano excepto, cujus lectionem *tumor* qui in margine adnotarunt Conſtantinus, & Ronſſeus, recte quidem fecerunt, quippe cum Celſus alibi, ut puta libri hujus cap. 2. ſcripſerit, *majores ſinus — duabus aut tribus lineis incidendi ſunt*; ſed idem tamen cap. 9. etiam ſcripſit, *ab interioribus ejus angulis lineas tranſverſas incidere*: Ut cap. 17. 3. cum laudantur, puris jam redditis ulceribus, *cibi potioneſque corpori facienda aptæ*, hanc utique lectionem dignam eſſe quæ hic probetur, ubi de carne producenda agitur; nec tamen extra librorum marginem, quos duo iidem Viri procurarunt, uſquam extare, quod ſciam; ſed pro ea fuiſſe *corpori reficiendo*: Ut in Præfatione ad librum eundem hunc 7. ea verba: *ſed* Chirurgus *perinde faciet omnia*, *ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur*; apud omnes, ſi Cæſarium, & Pantinum excipias, ſic legi, *perinde faciat*: & ſane his nullo alio interpoſito verbo, ea præponuntur, *non ut clamore ægri motus*, *vel magis*, *quam res deſiderat*, *properet*, *vel minus*, *quam neceſſe eſt*, *fecet*: Ut lib. 6. cap. 6. ubi nunc ſcriptum vides, *alvum duci*, *longioremque inediam induci*, *neceſſarium eſt*, fuiſſe olim ſcriptum in meis editionibus cunctis id quod in codice, vel aurium ipſarum judicio, melius, *inediam indici*: Ut lib. 4. cap. 4. pro illis *caput leniter dolet*, quæ Pinzius quoque, & Junta, & Cæſarius habent, reliquos, ut codex, habere *leviter*, quemadmodum & Celſus alibi apud Almeloveenium ipſum loquitur lib. 8. cap. 9. *is locus leviter indoleſcit*: Denique ut lib. 3. cap.

409, 27. 440, 17. 411, 30. 406, 21. 355, 5. 191, 2. 528, 30.

(1) *Metam. l.* 2.

181, 3. cap. 27. ubi editum nunc est, *quic-*
16. *quid est puris, excat*, in illis omnibus exemplaribus pro *exeat* fuisse *excedat*, si unum Cesarii demas, in quo erat *excidat*, errore fortasse operarum, facili, nec hic quidem sententiam mutante, ut contra nonnullis aliis locis animadverti, velut extremo capite 9. li-
531, bri 8. Ubi enim legitur, *si quid ex ver-*
7. *tebra excidit, aut aliquo modo fractum est*, quasi ibi ageretur etiam de Spinæ luxatione, cum de fractura solum agatur; ibi codex, & Pinzii, Juntæ, & Manutiorum ambæ editiones sic habent, *si id quod ex vertebra excedit, aliquo modo fractum est*; in cæteris est *excidit*, in quarum aliquibus, ut Constantini, & Ronssei, deest *quod*, tametsi ex libri ora constet, in veteri codice non defuisse. Itaque mutato *excedit* in *excidit*, inepta primum sententia, deinde haud intelligibilis facta est: quæ res Lindenium coegit, ut pro *id quod* ederet *quid*, & particulam *aut* adjiceret; sic autem rursus quidem intelligibilem sententiam reddidit, sed ab Auctoris mente, nisi ego fallor, plurimum discrepantem. Hoc enim voluisse Celsum, arbitror, si aliquo modo fractus est vertebræ alicujus processus, is videlicet qui magis est injuriis expositus, nimirum posterior. Processum autem ut designaret, hic dixit *id quod ex vertebra excedit*, quemadmodum ultimo hujus
558, libri capite dixit *quod excedit*, ut si-
10. gnificaret nudi ossis eminentem partem,
507, primo autem capite os calcis *quadam*
17. *parte sinuari, quadam excessus*, id est processus, *habere*: quæ hoc libentius adnotavi, quia isto modo, & significatione in Lexicis non inveni.

Jam vero in eodem primo capite libri 8. quædam juvat animadvertere.
500, Et primum ubi nunc legis, *Sed ea fo-*
19. *ramina, quæ a summis ad intimas nares simplicia sunt*, magno antea probandoque consensu legi consueverat, *a summis ad imas*. Illa autem multo
506, inferius, *Ima vero spina in coxarum os-*
5. *se desinit*, optime fortasse, ex conjectura Constantini, edita sunt, cum scriptum sit *desidit* in cunctis editionibus, si Manutiorum utramque excipias, quæ, & membraneus codex habent *discedit*. Constantinus tamen sic adnotaverat *desidet* vel *desinit*, minus a codice recedens in *desidet*: quanquam illa vox *discedit*, vel potius *desidit*; si quod supra dixerat Celsus, *parum desi-* 502,
dentes sinus, attendamus; indicare vi- 10.
dentur aliquid de Sacri ossis concavitate, in qua, hactenus extuberans, spina repente subsidit. Cujus omissionem ossis minus in Celso notasset Paawius (1), si hæc suspicatus esset, aut etiam si in descriptione ossis coxarum Sacrum quoque comprehendi, animadvertisset; ex dextero enim & sinistro unum, idque transversum os Celsus non faceret, si, ut pectinem, ita Sacrum etiam os excluderet. Superius vero ubi descripti sunt dentes, & recte puto ab Almeloveenio hæc ferme omnia esse proposita: *utrinque fere maxillares quini* 501,
sunt, præterquam in iis, in quibus ge- 21.
nuini, qui sero gigni solent, non increverunt, & recte simul quæ Paawius maluerat, esse indicata: qui cum *quaterni*, ut omnes, legeret; mirum non est, si *non* in *jam* mutaret, haud mutandum amplius ex quo, antiqui apud Constantinum codicis auctoritate, ab Lindenio rescriptum est *quini*. Legebant præterea omnes *in quibus tres ultimi*, ubi penultimam voculam primus, quod sciam, expunxit Paawius, egregie quidem, re ipsa videlicet, ac membraneo, quod laudare solitus sum, exemplari consentientibus; in eo enim sic inveni, *quibus hi ultimi*: quam postremam, quæ apud omnes est, vocem nescio cur mutaverit Lindenius. Ad dentes quoque ea pertinent, *cum toto osse quod su-* 501,
periores dentes excipit. Sic enim Linde- 5.
nius, Constantini editionem, & quod in margine alii habent, secutus, edidit; nemine admonente, cæteros tamen habere *exigit*, quod in codice etiam video; & Celsum ipsum non uno 502,
loco, ut non multo infra, *ab utroque* 3.
late-

[1] *Comment. ad locum prox. super.*

Digitized by Google

latere proceſſus duos exigunt, & mox, *deorſum verſus proceſsus exigunt*, & lib. 3. c. 28. *radices altius exigunt*; vim hujus verbi, non ſatis fortaſſe in Lexicis repræſentatam, expreſſiſſe: & quamvis ad hunc ultimum Celſi locum adnotet in Scholiis Almeloveenius, tribus exceptis Editoribus, alios maluiſſe ex codicibus *adigunt*, ſe vero ex Columellæ conſuetudine *agunt*, vel *exſerunt*; tamen ſic habeto, præter illos tres, apud me ſeptem alios eſſe Editores, qui *exigunt* retinuere, vix duobus in margine commemorantibus *adigunt*, Columellam (1) autem vites ſcripſiſſe & *materiam*, & *uvas duplices*, & *complures exigere*. Sed quædam videtur nonnullorum eſſe quaſi conjuratio de verbo iſto *exigo* e Celſi libris exigendo. Nam ecce tibi etiam Paawius, qui in eo quem primum de tribus produximus, loco pro *exigunt*, lego, inquit, *exſerunt*, nullo, quem laudet, codice, nulla, quod ſciam, editione aſſentiente. Sed nimirum cum alter altero in loco retineat *exigunt*; non ſatis apparet, cur in utroque non debeant retinere. Jam vero in iis quæ continuo ſequuntur, quidquid a Paawio, aut ab Lindenio mutatum eſt, videamus. Ea ſunt: *Vertebræ, mediæ perforatæ, qua ſpinæ medulla cerebro commiſſa deſcendit: latera quoque inter duos proceſſus tenuibus cavis pervia, per quæ a membrana cerebri ſimiles membranulæ deducuntur*. Codex vero, omneſque editiones meæ pro *latera quoque inter*, habent *circa quoque per*; pro *pervia* autem, quod ſic mutavit Paawius, habent *perviæ*. Sed; ut alia omittam; qui de particula *per* in alias, ut *inter*, aut, ſicuti Conſtantinus, & Ronſſeus in libri ora, *ſubter* mutanda cogitarunt, non videntur animadvertiſſe, quemadmodum, in cervice præſertim, per cavos a ſuperiore facie proceſſus meninges, & nervi exeant, ut neque, ſi hic ea particula mutanda ſit, capite quoque 14. mutari oportere, ubi ſummo omnium, atque adeo ipſorum etiam conſenſu ſcriptum eſt, vertebras non poſſe excidere, *niſi & medulla, quæ per medium, & duabus membranulis, quæ per duos a lateribus proceſſus ferun-tur, & nervis qui continent, ruptis*. Interea juvat animadvertere, cum Celſus vincula, & tendines, ut ſolet, nervorum nomine hic deſignet, pro veris autem nervis nihil niſi membranas memoret, a cerebri videlicet membrana deductas; utroque loco cum iis facere videri qui his temporibus vim eorum quos nervos proprie appellamus, in horum meningibus, non in ſubſtantia ipſa nervea, agnoſcunt, præſertim cum de oculo quoque verba faciens lib. 7. cap. 7. tunicas quidem ſcleroticam, & choroidem ajat *extenuatas & in unum coactas per foramen, quod inter oſſa eſt, ad membranam cerebri pervenire, eique inhæreſcere*; ſubſtantiam autem, quam conveſtiunt, nervi Optici, prorſus negligat. Sed ne eſſe nimius videar in exemplis, ad eam Facultatem quam profiteor, attinentibus; rurſus ad alia quæ alio pertineant, redeamus.

Utinam quod lib. 7. cap. 30. fecit Almeloveenius, id ſemper facere potuiſſet. Ibi enim cum ſermo ſit de podicis venis ſanguinem fundentibus, etſi edidit *ut omnia vaſa quaſi capitula conſpicua ſint*; tamen cum monuerit, eſſe qui aliter legant, excitavit ad editiones alias, ipſoſque codices inſpiciendos. Quarum illæ, exceptis Manutianis, in quibus eſt *omnes venæ*, cum apud me habeant, non ſine manifeſto errore, *omnia vela*, codex autem *omnia vena*; proclive eſt attendenti, de iisdem venis ſcripſiſſe Celſum cap. 18. ſuperioris libri *ora venarum tanquam capitulis quibuſdam turgentia*; proclive eſt, inquam, in Conſtantini inclinare ſententiam, qui pro *vela* adſcripſerat *venarum*, ut legatur *omnia venarum quaſi capitula*. Sed eodem libro 7. cap. 26. ubi poſt ſigna calculi veſicæ ſpinoſi in cervicem delapſi, cum Lindenio edidit Almeloveenius, *neque adhibenda manus, niſi id conſiſtit*, nec de varietate lectionis admonuit; quotus quiſque erit qui ſuſpicetur,

502, 12. 335, 1. 502, 4. 547, 8. 432, 16. 494, 19. 401, 22. 479, 24.

[1] *de Re Ruſt. l. 3. c. 6. & l. 3. c. 2. & 6.*

Digitized by Google

cetur, in cunctis iisdem editionibus, Manutianis quoque, & præterea in membraneo codice, &, quod probe memini, etiam in altero illo Veneto legi *nisi id constitit*: quam lectionem illud confirmat quod supra inculcatum fuerat,
477, 5. *ne curandum quidem, nisi cum hoc*, nempe calculum descendisse in cervicem, *indiciis suis cognitum est*. Quamvis autem infra ubi post sectionem præcipitur, ut siquis exiguus supersit calculus, potius relinquatur, hæc subjiciuntur, quia *longa inquisitione vesica læditur, excitatque inflammationes mortiferas; adeo ut quidam non secti, cum diu frustraque per digitos vesica esset agitata, decesserint*: quamvis, inquam, noster codex habeat *quidam non secuti*; non reticendum tamen fuerat, editiones, quotquot apud me sunt, ad unam omnes negantem particulam haud habere; ut siqui mallent, id quod a primo postulare videtur locus, has sequi, possent. Multo autem minus id fuerat supra negligendum, cum hæc proposita
477, 16. sunt, Manus *sinistra* calculum *compellit deorsum digitis, donec ad cervicem pervenitur. In quam, si oblongus est, sic compellendus est ut ne pronus exeat: si planus, sic, ut transversus sit: si quadratus, ut duobus angulis sedeat: si altera parte plenior, sic, ut prius ea, qua tenujor sit, evadat*. Namque ut hæc sint ad eorum normam quæ in libri ora adscripserat Constantinus; tamen Constantinus ipse edidit, uti plerique, *sinistræ digiti deorsum eum compellunt*, uti omnes autem, *ut pronus exeat*: quæ duo sic etiam in codice leguntur. Nec ratio quam attulit pro nova scriptura *ut ne pronus*, sic placere omnibus videtur posse; ut Lindenio placuit. *Jacens ovum oblongum pronum est*, inquit Constantinus: *stans erectum*. *Pronus* calculus *minime, aut vix extrahi posset*. Imo ovi exemplum adversatur; neque enim per id foramen per quod jacens traduci potest, traduci poterit erectum: itaque Celsus ovi similem calculum, id est altera parte pleniorem, altera tenujorem, non erectum, sed pronum educi, voluit, cum dari operam jussit, ut prius ea parte qua tenujor sit, evadat. In cæteris autem quæ his interjecta descripsimus, num recte omnia interpretetur Constantinus, alii viderint; res enim sane digna est de qua quæratur. Nos vero, cum in iis nihil prorsus a communi scriptura alienum animadvertamus; ad alios Celsi locos in quibus ea mutata est, transimus.

Libri igitur octavi capite 10. ubi in ossis artuum fractura cui carnis quoque vulnus accesserit, fragmentum esse, docet, manu in suam sedem recondendum, *ac, si id manus facere non potest, vul-* 539,
sellam, quali fabri utuntur, injiciendam 34.
esse acutæ ossis prominentis cuspidi, ab ea parte, qua sima est; ut ea parte, qua gibba est, eminens os in suam sedem compellat; admonendum omnino fuerat, pro *acutæ ossis prominentis cuspidi*, quæ nescio ex quo exemplari accepta sint, longe aliud alios legere consuevisse. Codex enim, & Pinziana, & Juntina editio ibi habent *recte se habendi capiti*, id est *habenti*, ut plerique postea ediderunt; nam aliqui *habenti capite*, unus Cæsarius *habente capite* proposuerunt. Recte autem se habens caput, videtur hic extremum ossis, cujus ossis fragmentum prominet, firmum, & idoneum ad sustinendum vulsellæ illius quasi vectem, significare: quale non fore, si in acutam desinat cuspidem, tum ratio docet, tum Hippocrates (1) in re non ita dissimili, his verbis confirmat: *Si vero superna ossis pars immutata fuerit, ac confracta, ut vecti adhibendo locus non sit commodus; sed acutum quid prominet; tunc osse scalpendo derasso, securam vecti sedem facere oportet*. Acutam autem cuspidem in fragmento quod reponi debet, intelligi hic non posse, ea quæ modo scripserat Celsus, ostendunt, si fragmentum *acutum* est, *ante acumen ejus, si longius est, præcidendum; si brevius, limandum, & utrumque scalpro lævandum*. Libri quoque ejusdem caput 12. quod est de maxilia

[1] *l. de Fract. n.* 35.

xilla luxata, cum ad combrobandum, quanti referat, poſt ejus repoſitionem
546. liquidiore cibo uti, ſic deſinat, *adeo ut*
18. *ſermo quoque frequens, motu oris temporum nervos lædat;* non tamen ad eundem modum verba hæc in libris cæteris leguntur. Omnes enim, & codex pariter ſic habent, *adeo ut ſermo quoque frequenti motu oris per nervos lædat.* Quod qui ſciat, is fortaſſe ſuſpicetur, minus hæc eo pertinere quo indicavit Conſtantinus, cum ad marginem reſcripſit *motu, oris nervos perlædat*, non ſatis, ut videtur, animadvertens, num hoc verbum apud idoneos Scriptores legatur, aut qui ſint oris nervi, aut denique num eorum læſionem hic præcipue ſpectare conveniat; minus, inquam, hæc verba eo pertinere ſuſpicetur, quam ne articuli maxillæ, in ſuam ſedem nuper repoſitæ, cum quiete egeant, ſermone lædantur, quippe maxilla, inter loquendum, pro vario oris motu per ſuorum identidem muſculorum tendines coagitata. Sic fuiſſet ſuſpicionibus aliis
369. locus lib. 6. cap. 6. ſi, cum illa de luſcioſis propoſita ſunt, *inungi oportet ſanguine jocinoris* (*maxime hirnici; ſin minus caprini*) *ubi id aſſum coquitur, excepto;* indicatum ſimul eſſet, Manutios tamen pro *ſanguine* ſcripſiſſe *humore*, plures autem, in quibus Cæſarius, Conſtantinus, Ronſſeus, in libri ora edidiſſe alios *ſanie*, alios *humore*, alios utrumque. Extitiſſet enim profecto aliquis, cui alterutra harum vocum magis, quam *ſanguine*, placuiſſet, ſicque Pantinum, a quo Celſus propterea arguitur, eluſiſſet. Pantinus enim in ſua ad hunc locum Adnotatione, cum Dioſcoride idem (1) produxiſſet, a quo adverſus ejuſmodi vitium *caprini jecoris aſſi ἰχῶρ commendatur*, & Plinium (2), *qui pro Dioſcoridis ichore ſaniem vertit* (quaſi Dioſcoridem ante Plinium ſcripſiſſe, conſtaret) *Celſus* vero, inquit, *minus bene, ſanguinem interpretatur*. Et mihi quidem Trallianum (3) quoque, ut Ronſſeus hic in Enarratione admonet, animadvertenti in eodem caſu laudantem, ſi ex hircino jocinore, *dum aſſatur, ichora colligamus, & inde lumina perungamus*, veniſſet in mentem, ut ex *humore*, quod verbum in codice quoque inveni, *ichore* in Celſo reſcriberem, ſi vox *ichor* ut in Lexicis ex ejus lib. 5. cap. 26. ſect. 20. producta eſt, ſic ibi latinis, non græcis, litteris ſcripta haberetur.

Loci duo ſunt libro 4. alter c. 9. alter 11. Ille ad hunc modum ab Almeloveenio proponitur: *oleæ ex muria du-* 215,
ræ; lactucæ intinctæ in aceto. Omnia 25.
ex Lindenio ſunt præter illud *duræ*. Ediderat enim *dura*, ut omnes, qui ex Rei Ruſticæ Scriptoribus probe ſcirent, quid eſſet muria dura. Itaque operarum inſcitia id factum crederem; niſi certior fierem, in prima quoque Almeloveenii editione ſcriptum eſſe ad eundem modum. Sed & omnes, ut codex pariter, poſt *dura* habent *tinctæ in aceto lactucæ:* ut quamvis alibi ſcriptum
eſſet *oleæ albæ ex dura muria, eædem* 103,
aceto intinctæ; tamen nihil mutandum, 31.
non monito lectore, fuiſſe videatur, præſertim cum Lindenius ipſe lib. 8. cap. 4. in Celſo retineat, *ſpongia ſub-* 516,
inde in aceto tincta. Locus alter eſt, 31.
Admovendumque naribus pulegium ex a- 218,
ceto, vel polenta vino aſperſa, vel men- 27.
tha, vel quod ſecundum naturam eſt. Qui minime ignoret, in pleriſque editionibus legi *vel mentha, ſi nondum matura eſt*, adſcribente Conſtantino *nempe materia*, fortaſſe hoc malit. Qui vero animadvertat, non fuiſſe opus hoc addere, cum illa imperata ſint, *ſi adhuc ſubcruda ſunt, quæ vomuntur*, ſimulque ſciat, in codice, & in pervetuſta Pinzii editione, & Juntæ, & Manutiorum utraque ſcriptum eſſe, *vel menta ſecundum naturam eſt*, is, fieri poteſt, ut dictum accipiat de mentha, ut per ſe eſt, non ut pulegium ex aceto, neque ut polenta vino aſperſa. Ibi etiam ubi geſtationum leniſſima genera, & inſtrumenta propoſuerat Celſus lib. 2. cap. 15. dixeratque: *Si nihil horum* 91.
eſt, ſuſpendi lectus debet, & moveri; 25.
quod

[1] *l.* 2. *c.* 39. [2] *l.* 28. *c.* 11. [3] *De ſingul. corp. part. vitiis &c. l.* 1, *c.* 23.

Digitized by Google

quod auxilium erat libro proximo cap. 153, 18. in phreneticis, capite autem 27. 8. in iis qui resolutam haberent partem corporis, laudaturus; cum illa conti- 179, nuo adjiciuntur: *Si ne id quidem est,* 2. *at certe uni pedi lecti fulcimentum subjiciendum est, atque ita lectus huc & illuc manu impellendus;* ibi igitur si adnotatum esset, ab aliis scribi *uni pedi lecti funiculus subjiciendus est*, tanto consensu, ut neque in codice, neque in editionibus meis omnibus aliter legatur; aliquis fortasse scripturam hanc probare maluisset, tanquam magis post illa quæ præcedere diximus, conguentem, ut cum suspensus omnibus pedibus haberi lectus non posset, at uno haberetur. Cæterum fulcimentum quoque, uni pedi subjectum, cum pariter præter illum quem secundum lineam diagonalem habet oppositum, reliquos pedes suspensos servet; eundem præstare usum potest, præsertim si ejusmodi sit quale cunis supponitur ut manu huc & illuc agitentur. Quod ob lectorum *fulcra* illa *mobilia* dico quæ ad eundem usum ab Antyllo, & Aetio memorata, ad hunc ipsum modum interpretatur Mercurialis meus (1): qui cætera gestationum similium genera apud priscos Medicos usitata, omniumque utilitates explicans, hoc quo *uni pedi lecti funiculus subjiciebatur*, ait Vir eruditissimus, *primum* (*quod ipse sciat*) *inter Medicos Celsum monstravisse*. Libro etiam 4. cap. 4. cum in gravedinis, aut distillationis initio hæc præcipiuntur, 191, *Ambulatione tantum non acri, sed recta* 24. *utendum est*, haud ab re fuisset monere, hactenus omnes scripsisse *tantum acri, sed tecta*, nisi quod Ruellius, & Stephanus *recta* ediderunt. Insuper Rubeus (2), cur acris, & tecta esse debeat, ostendit, & Celsi commemoravit loca, quibus aeris inæqualitate maxime ea ipsa 22, concitari incommoda, docuit lib. 1. c. 16. 2. & 5. Attamen eodem cap. 2. *melior*, 36, universe dicitur, *esse* ambulatio *sub di-* 19. *vo*, *quam in porticu*, & *recta*, *quam flexuosa*, & cap. 4. quibus caput infir- 23, mum est, iis commendatur *multum am-* 9. *bulare*; *sed*, *si licet*, *neque sub tecto*, 34, *neque in sole*. Nescio, an quidquam, 29. saltem ejuscemodi, dici possit pro eo loco libri 1. cap. 3. *Si assidua oscitatio* 26, *urget*; cum ibi nemo; quod sciam; id 27. legerit, sed omnes *fatigatio*, quam vocem ut ea quæ præcedunt, ac sequuntur, requirunt, sic Thriverius (3), & Pantinus (4) non nisi ea posita sententiam Celsi explicarunt. Nam quod lib. 2. cap. 7. nunc editum est secus atque in iis quos vidi, omnibus, *Suppuratio* 64, *vero pluribus modis excitatur*, pro *pluri-* 20. *bus morbis*, quæ lectio satis cum proximo utrinque Auctoris sermone congruit; tamen Constantinus in margine adscripsit, *legi* etiam *modis*. Et quamvis in iis verbis lib. 6. cap. 18. *Sive autem hoc* 393, *modo* cutis (de præputio sermo est) 33. *victa erit, sive nunquam repugnaverit*, legendum potius *unquam* cum Pinzio, Junta, Cæsario, Ruellio videatur propterea quod supra positum est, *reduci* 393, eam cutem, *aut rursus induci non posse;* 11. tamen de hoc amplius videndum est, cum reliqui, & codex habeant *nunquam*.

At tanto magis discrepant in loco altero ejusdem capitis: *Quod si ex ictu* 399, *testiculus ali quidem desiit, fere quoque* 12. *pus increscit*; ut minus oporteat mirari, editum esse ad hunc modum qui repugnantia dici videntur. In codice enim scriptum est, *si ex ictu alii desit*, in editionibus, *si ex ictu testiculis aliquid desit*; sed in horum aliis mox vocula desideratur *pus*, quæ in aliis, & in codice est. Denique Constantinus, & qui hunc in libri oris plerunque sequitur, nusquam nominat, Ronsseus novam lectionem, nec omnino contemnendam, adnotarunt, *si ex ictu testiculis aliquid hæsit, fere quoque pus increscit*. Ad eosdem testiculos, tres attinent loci cap. 18. lib. 7. hic minime prætermittendi. Primus est: *testiculi simile* 455, *quiddam glandulis habent. nam sangui-* 25. *nem non emittunt, & omni sensu carent:*

(1) *Art. Gymn. l. 3. c. 12. & l. 6. c. 11.* (2) *Annot. ad hunc loc.*
[3] (4) *Comment. in hunc loc.*

Digitized by Google

dolent autem in ictibus & inflammationibus tunicarum, quibus hi continentur. Codex quidem, meique omnes libri pro *glandulis* habent *medullis*, cui lectioni plerique credent ista ipsa favere quæ vidisti continuo sequi. At duo quos novissime laudavi, in margine adscripserunt *glandulis*, Galeno astipulantes: cujus etiam gratia Rubeus (1) hanc vocem mavult. Verum mox gravior est dubitatio: nam *si omni sensu carent* testiculi; quomodo in tunicarum ictibus *dolent*? Certe hæc dubitatio in eam non cadebat, quam omnes antea sequebantur, scripturam, *dolent autem ---- tunicæ, quibus hi continentur*. Paulo inferius hæc alia occurrunt: membranu- 456, 5. læ *inter duas* testium *tunicas superioribus partibus tenues patulæque sunt*. Hic vero legebant cuncti *leves parvulæque sunt*. Quæres, cur id ita mutatum sit? Locus hoc ostendet tertius, qui, non ita multis interjectis versiculis, ad hunc modum proponitur: rupto in inguini- 456, 23. bus peritonæo, *pondere eo devolvitur aut omentum, aut etiam intestinum: atque ibi reperta via, paulatim ab inguinibus in inferiores quoque partes nisum, subinde nervosas tunicas, & ob id, quod dixi, patentes diducit*. Verum hic quoque, ut Manutii ediderint *nisum*, & Constantinus in margine *ob id* deleverit; ipse tamen, & cæteri sic exhibuerunt, *demissum, subinde nervosas tunicas, & ob id ejus rei patientes diducit*. At in extremo proximo capite 19. 464, 22. etsi in verbis illis, *Inflammatione* incisi sceroti *finita, propter nervos propiore cataplasmate, dein cerato utendum est*; etsi, inquam, antea legebatur *priore cataplasmate*, & sane unum, atque alterum paulo superius propositum fuerat; tamen, ne aliud dicam, is saltem, quem tibi sæpius nomino, Constantinus monuerat, *propiore* plane *legendum, ut & vetus Codex ostendit*. Sic idem ad 492, 17. eum locum cap. 29. *At si pes alter* inter emortui fœtus, *juxta repertus est, alter retro cum corpore est, quicquid prolapsum est, paulatim abscindendum est*, adnotavit, revera in vetere exemplari esse *prolapsum*; cum in omnibus quidem meis sit *protractum*. Pariter ad ejusdem libri 7. caput 2. Constantinus adscripserat, codicem habere *callosæ* in his verbis, *si, antequam sinus carne im-* 411, *pleatur, oræ callosæ fiunt*, ubi apud me 5. omnes habent *carnosæ*, idque optime, ut puto, cum ea continuo sequantur, *illa quoque ipsa carne hebete, nec firma*. Hinc vero intelligis, quanti retuliisset in his etiam locis quorum alia alicubi occurrebat scriptura, quid a cæteris scribi consuesset, non omisisse. Quanto igitur minus omitti hoc debuit, ubi nusquam quod sciamus, ea quæ proponitur, occurrebat? velut proximo superiore capite, *At si nervi juxta sunt,* 409, *ignis alienus est; ne distendantur & membrum debilitent*: aut capite 7. *deinde* 431, *melle inungendum a quarto die, vapore* 1. *aquæ calidæ fovendum, inungendumque medicamentis ad cicatricem perducentibus*. Hic enim etsi codex habeat *ut quarto*, alii autem *& quarto*, alii, & melius, ut videtur, *at quarto*; nemo tamen habet *a quarto*. Ibi vero ut alii non re, sed verbis discrepent in eo quod est etiam in codice, *ignis alienus est*; omnes certe in hoc conveniunt, ut scribant, *ne vel distendantur hi, vel membrum debilitent*; præclare autem nosti, posse horum alterutrum ita fieri, ut alterum non sequatur.

Et, ne diutius in libro hoc uno 7. hæreamus; vide, quæso, libri 2. caput 12. ubi catharticis, quia stomachum fere lædunt, in febricitante improbatis, hæc subjiciuntur. *Plerunque* 85, *vero alvus lotionibus ducenda est. quod* 6. *ab Asclepiade quoque sic vituperatum, ut tamen servatum sit &c.* Asclepiadem cathartica quidem vituperasse; quod & quo in volumine ab eo factum, Celsus 29, quoque supra dixerat; indicatus ab Al- 7. meloveenio Plinii locus (2) ostendit, *Arguit & medicamentorum potus stomacho inimicos*; sed clysteres etiam vituperasse, non ostendit. Et quanquam aliqui in Celso hic legunt, *vituperatum*; fere

(1) *Annot. in hunc loc.* (2) *Nat. Hist. l. 26. c. 3.*

Digitized by Google

fere omnes tamen legunt *temperatum*, quod codex quoque habet, & quæ mox adduntur, confirmant, *Est autem ea* 85, *moderatio; quam is secutus videtur, a-* 9. *ptissima, ut neque sæpe &c.* Confirmat pariter Celsi alter locus, quem huc attinere, adscriptis ad ejus oram numeris Almeloveenius significavit: *Asclepiades medicamenta sustulit; alvum non* 118, 10. *toties, sed fere tamen in omni morbo subduxit.* Alvum autem ducere, aut subducere a Celso hic dici pro eo quod est per clysterem exonerare, cum illud indicat quod id oppositum, & opponit propinatorum medicamentorum actioni, non secus atque ubi scripsit, *vel alvi* 84, 14. 27. 240, *ductione uti, vel lacte purgari;* tum præsertim Lindenius, & Almeloveenius non dubitant, qui a prima memorati capitis parte quæ *de Dejectione* per medicamenta est, totam hanc alteram separantes, huic inscriptionem præposuerunt *De Alvi ductione*. Quæ altera pars etsi quædam habet quæ ad clysteres dumtaxat non videantur attinere, si hodiernam spectes frequentiorem consuetudinem, aut eos etiam, quibus interdum 12. vel tunc utebantur, *ex pura aqua*: cur 86, enim tot servanda quæ Celsus jubet? 9. tamen tota ad clysteres pertinere ab Rubeo (1) existimatur, nec minus ab Lindenio, & Almeloveenio, ut qui hujus partis id quod descripsi, initium fecerunt, *Plerunque vero alvus lotionibus ducenda est*: quid enim aliud esse hic ipsis lotiones possunt, nisi clysteres, quos plures Italorum hodieque, & Galli haud absimili solent nomine significare? Nollem vero, a græca vocabuli clysteris origine, nedum ab hac sequiorum temporum in eo designando consuetudine illos fortasse adductos fuisse, ut huc eam vocem inferrent *lotionibus*, pro qua plures quidem scribebant *potionibus*, ea quæ paulo ante animanvertimus, non attendentes; sed Pinzius, Junta, Ruellius, & in utraque editione Manutii idem quod in codice est, *potius*, unde *potionibus* videtur factum, ut hinc tandem ab Lindenio *lotionibus*. Quam ego vocem, minime, quemadmodum ostendi, apud Lindenium necessariam, cum hic antea apud neminem viderim, neque eo quidem significatu, nisi in aliquo forte Lexico, idque ex hac Lindenii, & Almeloveenii lectione, offendisse meminerim; idcirco potissimum hunc locum diligentius consideravi. Sed quod ad alterum attinet, quem Asclepiadis facta mentio ad memoriam redegit ex libro eodem 2. sub finem capitis 6. *quod Asclepiades sciens, funeri obvius inclamavit, eum vivere, qui efferebatur;* satis est certiorem te facere, neque in ullo meorum librorum extare *sciens*, & in cunctis pro *inclamavit*, esse *intellexit;* ut propemodum credam, huc aliquid translatum ex illis Apuleii (2) verbis, *confestim exclamavit vivere hominem*, in ejusdem videlicet casus narratione, quem nescio cur duo eruditissimi Viri pro fabula habere videantur, cum ad illam Apuleii narrationem, hoc Celsi, & geminum Plinii (3), Asclepiadi alioquin parum æqui, testimonium accedat: & ut fraus subesse potuerit, sic nihil repugnet quominus vel sine ullo dolo id potuerit accidere, præsertim cum Plinius ajat, illi *funeri* Asclepiadem *occurrisse ignoto*, si qua colluvionis suspicio fuisset, non omissurus.

Sed ad Celsum ut redeam; capite etiam 10. libri ejusdem constantem hanc inter omnes scripturam invenio: *Quod si vehemens febris urget, in ipso impetu ejus sanguinem mittere, hominem jugulare est. Expectanda ergo remissio est. Si non decrescit, sed crescere desiit, tunc quoque, quamvis pejor, sola tamen occasio non omittenda est.* Præclarus hic ordo, & præclara sententia; ut mirer, sic mutatam nunc esse, ut legamus, *Ex-* 80, *pectanda ergo intermissio est: si non de-* 14, *cedit, cum crescere desiit: si neque remissio speratur, tunc quoque &c;* quasi remissio non satis opponeretur impetui, & quasi in febre quæ non decedat, non ante videndum esset, an descrescat,

(1) *Annot. in hoc caput.* (2) *Florid. l. 4.* (3) *Nat. Hist. l. 7. c. 37. & l. 26. c. 3.*

Digitized by Google

quam an saltem crescere desinant.

Non displiceret lectio quæ proximo libro 3. proponitur cap. 11. *ei* febris *remissioni credendum est, quæ etiam immoratur, & jactationem fervoremque corporis, quem ζέσιν Græci vocant, minuit;* si modo editiones veteres, codicesve eandem haberent. Sed quotquot illarum apud me sunt, & codex quoque hic mire inter se conveniunt, in omnibusque sic legitur, *fœtoremque quendam oris, quem ὄζην Græci vocant, minuit:* quam græcam vocem ex hoc quidem ipso Celsi loco in Thesaurum suum (1) retulit Henricus Stephanus, in suumque Lexicon (2) Joannes Scapula: eandemque Rhodius, ut ex iis quæ ad Scribonium adnotavit (3), manifestum est, procul omni dubitatione in Celso erat editurus. 140, 29.

Nec vero minus illa omnia exemplaria conveniunt in verbo *aqua* omittendo, quod lib. 5. cap. 28. nunc legimus in eo loco, *adjiciendusque ei pulvis ex contrita testa, ex aqua, quam faber ferrarius tingere candens ferrum solitus est,* aut in habendo *tum is locus* pro *tumens locus* libro 8. cap. 5. aut denique capite 9. in vocula *sed* prætermittenda, ubi nunc legimus, *sed abunde est eadem, quæ supra scripta sunt, facere;* nisi quod codex ab editionibus in eo discrepat, quod omisso *tum*, habet *is locus*, & quod istud *sed* non omittit. Contra autem in eodem codice ne unum quidem est verbum ex his quæ finem faciunt capitis 7. lib. 3. *Si quis autem in hujusmodi febre*, ardente, *leniter tussit, is neque vehementi siti conflictari, neque bibere aquam frigidam debet, sed eo modo curandus est, quo in cæteris febribus præcipitur.* Quod ideo a me adnotandum censui, quia Ronsseus cum ad hunc locum enarrandum perveniisset, suspicatus est, *periodon hanc a sciolo quodam assutam potius, quam a Celso ita pronunciatam; præsertim quando Pinzianum exemplar eam omittat.* Et certe in eo non est, neque in Florentino, si probe memini, neque in Juntino. Suspicio autem Ronsseï ex illo ipso Aphorismo (4) nata est, quem Almeloveenius quasi cum descriptis verbis congruentem, in pagellæ ima ora indicavit, *quibus plurimum siccæ tusses leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.* Si igitur hoc verum est, ut Galenus quoque (5) explicando confirmat; *frustra Celsus moneret*, inquit Ronseus, *hosce non gravandos vehementi siti, nec propinandam frigidam, quod per se ipsi ---- sticuloſi ---- non sint, & fauces affectæ frigidam non admittant.* Utcunque id est; hæc reticere non debebat Almeloveenius, ut neque eos qui illa Celso verba adscribunt, non ita ut ipse edidit, proferre, sed *leviter tussit* pro *leniter*, &, si Cæsarium excipias, pro *conflictari* scribere *conflictatur*, qua ratione ab Hippocratis aphorismo ista non discreparet sententia. 318, 27. 522, 26. 528, 31. 135, 31.

Non me præterit, ex his atque aliis quos producere possem, locis non paucos esse ejusmodi, ut quemadmodum propositi sunt ab Almeloveenio, ita pluribus sint placituri. Verum neque ego ideo produxi quod omnes; ut quidam certe; displiceant mihi; sed tantummodo ut cognita lectionum varietate intelligeres, quanto melius ille facturus fuisset, si eam plerunque lectoribus indicasset, quorum alii, ut varii sunt hominum sensus, aliter fortasse legere maluissent. Præter eos tamen locos, sunt alii in quibus non video, quomodo Almeloveenii scriptura ab ullo facile probari possit. Quos, ne hæc nimium longa Epistola fiat, in alteram differemus. Vale.

Patavii MDCCXLVIIII. XII. Kal. Januar.

EPI-

[1] [2] *in* Ο"ΖΩ. [3] *Not. ad Compos.* 40. [4] 54. *sect.* 4.
(5) *Comment. in eum Apher.*

Digitized by Google

EPISTOLA SEXTA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

ACcipe jam quos nudius quintus promiſi, locos. Quorum tanto magis referebat variantes lectiones ab Almeloveenio indicari, quanto illa quam ipſe potiſſimum ſecutus eſt, minus cæteris, niſi me fallit opinio, placeré poteſt. Initio autem duo proferam quæ pro fortuitis ejus operarum hallucinationibus haberes, niſi ad eundem modum Lindenius utrumque ediditſet, ſecundum vero Cæſarius quo-
66, que. Libro 2 cap. 8. *Ex veſica dolenti,*
24. *ſi purulenta urina proceſſit, inque eo la-*
82, *ve & album ſubſedit:* & cap. 11. *In*
34. *æneum, linamentum ardens conjicitur.* Dixerat autem modo Celſus de curcubitula *ænea*, & *cornea*, & mox de *cornea* dicturus eſt iterum; ut manifeſtum ſit, non ad paulo ante poſitum genus *æneum*, & *corneum*, ſed ad proxima eſſe reſpiciendum: & ſane, una illa Cæſarii editione excepta, decem meæ reliquæ, & codex habent hic *æneam*, ut illic omnes *inque ea*. Sed ejuſmodi una in litterula typographorum errores, ab iis quas nominavi, editionibus in Almeloveenianam traducti, facile, ut fit, doctiſſimorum illorum hominum oculos effugere potuerunt. Neque ipſe aliam ob cauſam hic indicavi, niſi ut ab iis ad graviorem, eadem, ut puto, ratione illapſum, tranſirem. Eſt in brevi Præfatione, memorato lib. 2. antepoſita:
42, *Non quod non omni tempeſtatum genere,*
3. *omnis ætatis, omnis habitus homines &c.* Duo hic verba *omni tempore*, poſt tria illa prima collocanda, in Juntæ, deinde in Cæſarii editionibus omiſſa, in Lindeniana pariter, & Almeloveeniana deſiderantur; ſed non in codice, cæteriſve meis editionibus. Quin mirum eſt, Almeloveenium, cum indicatum a Pantino (1) olim, & Conſtantino (2) Hippocratis Aphoriſmum (3), quem Celſus hic ſpectavit, adſcriberet, non ſenſiſſe, duo iſta potiſſimum requiri hic verba: quanquam ſatis id Celſus ipſe præmonſtraverat, qui, cum modo ſcripſiſſet, ſibi exponendum, *quæ tempo-* 41,
ra anni, quæ tempeſtatum genera, quæ 33.
partes ætatis, qualia corpora quibus morbis ſint, aut non ſint opportuna, idque præſtet capite continuo inſequente, eadem quadripartita diviſione, eodemque ordine conſervatis; non poterat ſane in propoſitis, quæ ei diviſioni, & ordini reſpondere debebant, verbis, cum res poſteriores tres poneret, primam omittere. Ad eundem modum, ſed gravius propter obſcuratam ſententiam, peccatum eſt lib. 8. cap. 1. in officulorum 505,
carpi deſcriptione: *oblonga omnia, &* 23.
triangula, ſtructura quadam inter ſe connectuntur, cum invicem ſuperior alterius planities ſit. Quis, obſecro te, ſex ultima hæc verba quid ſibi velint, ſatis intelligat? Pleræque autem editiones, & codex quoque ſic habebant, *cum invicem ſuperior alterius angulus, alterius planities ſit:* Quo quidem modo cum Celſi apertiſſima ſententia fiat; credas facile, neminem hic, niſi Almeloveenii typographum, eſſe accuſandum, qui duo neceſſaria verba *alterius angulus* tranſilierit. Sed hunc abſolve, qui ab Lindenii typographo in errorem adductus eſt, iterum hunc etiam, qui a Pantini, & Pantini denique typographum, qui, niſi vetuſtius erratum eſt,

a Cæ-

[1] *Comment. in hunc loc.* [2] *Annot. in marg. ad eund. loc.* [3] S. III. 19.

Digitized by Google

a Cæsarii typographo deceptus fuit: hoc unum mirare, tot, tamque doctos homines non sensisse.

Quis autem Lindenio, & Almeloveenio imposuerit, nescio, ut pluribus aliis quos continuo producam, locis ea prætermitterent quæ minime erant prætermittenda, & in codice utique cunctisque meis undecim editionibus legun-
184, tur, Lib. 4. cap. 1. renes *& venosi sunt*,
1. *& tunicis super conteguntur*. Post tria prima, totidem omissa sunt verba *& ventriculos habent*; quasi Hippocrates (1), quem Celsus inferius quoque sequitur,
185, ubi *a renibus singulas venas, colore al-*
14. *bas*, scribit, *ad vesicam ferri*, non ita esset locutus, *etiam ipsi* renes *ventriculos habent*, & mox, *enascuntur ex* rene *ipso venæ in vesicam*. Nempe Anatomes parentes Græci, ut alibi (2) de laryngis ventriculis adnotavi, appellare caveas sæpenumero solebant ventrium, aut ventriculorum nomine, quorum consuetudinem in corde, & cerebro adhuc
189, retinemus. Libro eodem cap. 2. Cyni-
23. cus spasmus *cum acuta febre oritur*. Nisi post secundam vocem præterita esset vox *fere*; minus a vero distaret senten-
284, tia. Libro autem 5. c. 26. *malum vul-*
8. *nus est, quodcunque in alis, vel feminibus, vel inanibus locis, vel inter digitos est*. Si post verbum *locis* hæc quoque interjicerentur *vel in articulis*; non miraretur lector, omnia perpendens quæ infra (3) de difficultate bene curandi articulos vulneratos traduntur, horum vulnera non fuisse cum cæteris illis commemorata. Nec, nisi quædam omissa essent, inferius miraretur, in hæc
309, incidens: *Hæ gravissimorum vulnerum*
25. *curationes sunt. Sed ne illa quidem negligenda, ubi interior pars collisa est*: quis enim monitore egeat, ut sciat, interiorum partium collisiones haud esse negligendas? At Celsum non viscus aliquod, sed partes quæ proxime cuti subsunt, hic designasse, facillime intellexissent omnes qui sic legissent, *ubi integra cute, interior pars collisa est*. Et quoniam hæc ad Chirurgos spectant; duo quoque alia ejuscemodi loca subjiciamus. Libro 6. cap. 360,
6. ubi oculorum ulcera *aut supercrescentia, aut sordida, aut certe vetera esse consuevisse* dicuntur; post *sordida*, hæc desunt *aut cava*. Statim enim quomodo *supercrescentia* reprimantur, *sordida* autem purgentur, Celsus docet: collyriis autem ad id utilibus propositis, antequam dicat, qua ratione *vetustis ulceribus* succurrendum sit, *cava ulcera* qui 361,
commodissime impleantur, ostendit. 32.
Eodem libro cap. 18. si Celsus præcipit, 396,
cum propter colis ulcera *glans excidit*, 13.
sub eo casu cutem ipsam circumcidendam esse, & nisi id fiat, quæ incommoda, & pericula instent, diserte mox docet; apparet certe, inter hæc non posse legi, sub eo casu cutem *esse servandam*; imo desiderari particulam *non*, quæ sententiam ut in contrarium vertat, sic cum proposito congruentem faciat.

Sed omitti aliquid incuria potest: addi vero, nisi de industria, fere non potest; ut qui addit, nec quæ aliorum scriptura esset, ignorare queat, & sciat, quanti referat eam indicare. Quod si fecisset Almeloveenius; haud dubito, quin libro 2. cap. 24. ubi inter ea quæ stomacho apta sunt, ab ipso, cum Lindenio, primum ponuntur *murices, pur-* 103,
puræ, cochleæ, quasi vix septem versi- 29.
culis interjectis hæc eadem inter illa non esset iterum positurus, haud, inquam, dubito quin ii qui scirent, in omnibus quæ apud me sunt, editionibus, si unam Ruellii excipias, ipsoque in codice, secundo dumtaxat loco ista legi, primum illud supervacuum additamentum repudiarent. Sed nec Ruellius, nec codex, nec decem reliquæ editiones quidquam eorum habent quæ non apparet quid coegerit his tribus aliis locis adjicere. Libro eodem cap. 8. 67,
Longe optimum est in tabe, *febrem omnino* 24.
non esse: secundum est, tantillam esse, ut neque tantulum cibum impediat, neque crebrum sitim faciat. Istud *tantulum*, quod adjectum est, ne Hippocrates quidem inlicat in ea prædictionum parte (4) quæ

[1] *de Off. nat. n. 8.* [2] *Adverf. Anat. 5. Animad. 43.* [3] *Sect. 28. hujus cap.* [4] *l. 2. n. 12.*

Digitized by Google

quæ tota ibi, ipso quoque ordine conservato, a Celso latine reddita est. Probat enim, in tabescente *febrem non invadere, ut ne a cœnis prohibeatur, neque sitiat*. Libro 6 extremo capite 18.
403, *Si hac ratione* ulcus *non tollitur, vel*
16. *aliis medicamentis similibus, vel vehementioribus; ferro adurendum est*. Legebatur antea *vel medicamentis vehementioribus, vel ferro adurendum est*. Quæ interjecta sunt, *aliis similibus*, cum superflua sunt; quid enim tunc a similibus sperandum est? tum Auctoris sententiam mutant, qui, cum ei ulceri modo imposuisset medicamenta quædam ex iis quæ inter *adurentia* commemoraverat (2); si hæc inutilia sint, pergendum porro in adustione præcipit, sed vel medicamentis ex eo genere validioribus, vel ferro candente. Libro 7. cap. 5. postquam traditum est, quatenus plaga aut amplianda sit, aut facienda, ut telum, corpori inhærens, aut ab ea parte, qua venit, aut ab ea, in quam tetendit, extrahatur, hæc se-
416, quuntur: *In summa autem utraque par-*
26. *te ista habenda cura est, ne nervus, ne vena major, ne arteria incidatur*. Sed num summa dumtaxat pars tunc inciditur? aut ejusmodi nervus, & vasa num in summa tantum sunt parte? Certe si addita non esset ista particula *In*;
466, neque hæc possent objici, & Celsi hic
13. eadem ac sæpe alibi, locutio foret, *ma-*
451, *gna cura habita, ne venæ, quæ juxta*
13. *sunt, violentur: magna cura habita, ne*
441, *qua vena incidatur: summaque cura quod*
20. *ita sutum est, tuendum &c.*

Verum alia quoque eorum quæ minus bene aut omissa, aut addita videantur, exempla habebis inter ea, ad quæ jam transeo, non feliciter mutatorum verborum. Quo in numero haud scio
337, an recenseam quod libro 5. est cap. 28.
14. *Præter hæc, is, qui tam robustus est*. Nam etsi hæc ad verba illa continuo attexuntur, *si lactens puer ita affectus est*, unde patet, quæ graviora auxilia sequuntur, requirere ut legamus *is, qui jam robustus est*; tamen litterulæ unius mutatio non tam consilio, quam casu, accidere potuit, idemque Cæsarii quoque, & Pantini typographis contigisse. Non æque facile crediderim, duas alias, quamvis unius pariter litteræ, mutationes fortuito esse factas libro 7. cap. 19. & 20. Prima est in *confectis* pro *conjectis*: altera in *sinistro* pro *ministro*. Primus locus ita editus est: *tunicam extra collocare* oportet; *deinde eam — in-* 462,
cidere sic, ut intrare duo digiti, index 34.
& medius possint: his deinde confectis, incidenda reliqua pars tunicæ, & inter digitos scalpellus immittendus est. Vides, ut, nisi antea scriptum sit, *conjectis* digitis, non posse præcipi, ut inter digitos scalpellus immittatur. Locus alter sic proponitur: *eaque tunica* 466,
eodem modo duobus hamis excipitur sic, 21.
ut a sinistro testiculus eatenus contineatur, ne per vulnus exeat. Certe autem si inciso inguine, tunica excipienda ibi est duobus hamis eodem modo, id est si *juxta ipsas oras* est *apprehendenda*; neu- 466,
ter hamus poterit testiculum in sua se- 6.
de continere, ne si instrumentum quidem esset ad eam rem idoneum. At Chirurgi ministrum, qui non raro his duobus ultimis libris, & ad aliquid præsertim simile præstandum superiore ca- 460,
pite memoratur, quis posse dubitet? Ap- 30.
paret igitur, quanto melius *conjectis*, & *ministro* legatur in codice, meisque omnibus editionibus. In quibus pariter, nisi siquam nominatim excipiam, ea credito scripta esse, quæcunque recentibus mutationibus deinceps opponam. Libro 6. cap. 19. *excipiuntur fico* 404,
pingui leviter cocta & melle. Legebatur 7.
summo consensu, *cocto ex melle*. Non improbo *cocta*: quanquamm in re controversa tantum consensum veterum exemplarium indicatum fuisse, mallem. *Ex* vero in *&* mutatam non probo: quæri enim potest, quemadmodum, aut ex humore coctam ficum voluerit Celsus, nisi legas *ex melle*.

Hæc quæ modo notata sunt, si ea quoque casu mutata esse, credideris; non valde repugnabo. Utinam vero idem

(1) *l.* 5. *c.* 8.

Digitized by Google

idem credi posset de iis quæ sequun-
22, tur. Libro 1. cap. 2. Exercitatio *sem-*
34. *per antecedere cibum debet : in eo qui minus laboravit , & bene concoxit , remissior : in eo , qui assuetus est , & minus concoxit , amplior* . Contra autem antea legebatur , *in eo , qui minus laboravit , & bene concoxit , amplior : in eo, qui fatigatus est , & minus concoxit , remissior* . Utra lectio probanda sit , productis rationibus disputare nihil attinet,
22, quando Celsus paulo ante docuit , *qui*
2. *parum* concoxit , *quiescere debere* . Celso eodem auctore , non difficile est judicare in iis quæ scripsit de gravedine lib. 4. cap. 4. num recte edita sint cum alia , tum hæc præsertim : Gravedine le-
191, vata , *si nares magis pallent , balneo uten-*
31, *dum est ; — deinde cum cibo pleniore vinum bibendum* . Etsi ad hunc modum & Cæsarius , & Ruellius , & codex habent ; manifestum est tamen , legendum esse , ut in reliquis editionibus , *si nares magis patent* . His enim mox ea
192, opponit Celsus : *At si nares æque clau-*
1. *sæ videntur* . Qui etiam cum *vinum bibendum* præcepit levato vitio , & naribus jam magis patentibus , satis ostendit , in iis quæ paulo ante posita sunt,
192, incipiente gravedine , *protinus abstinere*
21. *a sole , a balneo , a venere debemus ;* post *balneo* , male omissum esse *vino* , quod in codice , cunctisque legitur editionibus . Sed & pluribus aliis locis utra lectio retinenda sit , Celsus ipse commonstrat . Ubi enim lib. 3. cap. 21. nunc editum est , exigua hydropicis potio
162, *optima est , quæ urinam movet . Alvum*
29. *moliri cibo melius est , quam medicamento* , cum scriptum esset olim non *Alvum* , verum *Sed id ipsum ;* hoc , videlicet sed urinam movere , ea comprobant quæ continuo sequuntur : *Si tamen res coget, ex his aliquid , quæ id præstant , erit decoquendum , eaque aqua potui danda . Videntur autem hanc facultatem habere iris, nardum , crocum , cinnamomum , cassia* , id est casia , *myrrha , balsamum , galbanum* , atque alia , in quibus ut quædam sint quæ alvum etiam movent ; pleraque tamen non eam movent , sed urinam . Libro 5. cap. 26. Gangrænæ ul- 301,
ceri *proximæ cutis plerunque subnigris pu-* 8.
stulis impletur ; deinde ei proximæ , vel pallida , vel livida , fereque æruginosa & sine sensu est . Deterior in inflammatione est . Quanto melius antea legeretur ; mitto *rugosa* pro *æruginosa ;* at certe *Ulterior* ; nam *Alterior* in Pinziana , & Juntina editione mendum manifestum est ; pro *Deterior* , præclare apparet ex iis quæ Auctor ipse statim subjicit , *omniaque ea simul serpunt : ulcus in locum pustulosum : pustulæ in eum , qui pallet aut livet : pallor aut livor in id, quod inflammatum est : inflammatio in id, quod integrum est , transit* . Libro 6. 367
cap. 6. Suffusio , *oculi pupillæ , qua cer-* 24.
nit , se opponit . Olim vero ; si Cæsarium, ,
& Pantinum excipias , apud quos perperam erat *oculi pituitæ ;* longe melius scribebant *oculi potentiæ* , confirmante Celso lib. 7. cap. 7. ubi suffusionem , ait, 433,
interiori potentiæ se opponere : quod *potentiæ* vocabulum , hoc quidem significatu, miror in iis quæ apud me sunt , Lexicis non inveniri . Eodem capite 7. ubi de humorum cursu ad oculos verba fiunt per ea vasa , quæ alia Epistola (1) memoravimus aut *inter calvariam & cutem* , aut *inter membranam cerebri & calvariam repentia* , legimus nunc , *Potest* 435,
autem adhiberi remedium his , quæ supra 32.
os fluunt , non potest his quæ ab osse . At legebant quondam , *non potest his quæ sub osse* , ut non præcedentia solum , quæ modo commemorabamus , significant , sed & ea quæ mox addit Celsus , confirmant . Raso enim capiti adhibitis quæ humoris cursum suspendunt , *si sicci oculi esse cœperunt apparet* , inquit , 436,
per eas venas , quæ sub cute sunt , irri- 7.
gari : si nihilominus madent , manifestum est , sub osse descendere . In his autem quæ continuo sequuntur : *si est tumor , sed levior , duplex vitium est* , id est per viam utramque humor fertur ; in his , inquam , pro *est tumor* , de quo nulla fuerat injecta mentio , *est humor* legebant . Quam vocem infra quoque , uno

exce-

[r] *V. p.* 103. 31.

Digitized by Google

excepto Cæsario, habebant, ubi viginti interjectis versiculis, nunc ita scri-
436, 31. ptum est, *venas ex quibus ad oculos transiret*; ut nisi scias, olim edi consuevisse, *ex quibus humor*; quid transiret, nusquam appareat. Vide insuper eodem capite num placere possint quæ in unguis oculi curatione ad hunc modum
424, 4. proponuntur: Caruncula lachrymalis, *si vehementius unguis ducitur, sequitur quoque ac decidit. Si abscissa est, &c.* Quo enim modo, si decidit, abscindi adhuc potest? Erat autem antea hæc scriptura, *sequitur. Ideoque decipit: ac si abscissa est, &c.*

Sunt & alia capita hujus libri 7. in quibus novæ mutationes vel proximis pariter Celsi verbis improbantur. Capite 4. Linum, per ani fistulam bipatentem trajectum, & utroque capite li-
414, 20. gatum, *bis in die, soluto nodo, ducendum est sic, ut subeat fistulam pars, quæ superior fuit.* Sed quidnam cogit bis in die nodum solvere? Num quod linum aliter sic duci non possit? At præce-
414, 14. ptum modo fuerat, *ut laxe cutem, quæ super fistulam est, teneat.* Num ut antequam putrescat, recens aliud linum alligari ad vetus possit, & pro hoc in fistulam trahi? At ejus rei causa mox
414, 23. scribitur, satis esse, ut *tertio quoque die nodus resolvatur.* Quid ergo est? Nempe olim, non *soluto*, sed *salvo nodo* scriptum erat vel apud Pinzium, & Juntam, etsi hi, per operarum incuriam, *salvo modo* ediderunt. Capite etiam 2. nisi quid me fallit in Celsi sententia atque ordine intelligendis; mutata sunt quædam præter rationem. Videtur enim hæc velle, ut ex incipientibus abscessibus materia eo congesta, incisa cute, & cucurbitula ter admota, extrahatur: fieri tamen nonnunquam posse, ut cucurbitula nihil agat, propterea quod eam materiam sua illa tunica concludat, quam Meges quidem (haud multo aliter ac plures hoc tempore de folliculo censent cysticorum tumorum) non proprie tunicam vocari, ajebat, quia nervosa non est, sed callus est qui pus vetustius consequitur; verum aliquando esse vel prius quam pus conficiatur, eoque cucurbitulæ tunc obstare interjecta suo, ne ex incipiente abscessu materiam educat. Quæ si ita sunt; non modo illa; quod quidem manifestius est; perperam sunt posita, *cucurbitulam accommodare oportet; quod quicquid illud malæ corruptæque materiæ coiit, extrahat* pro *quæ quicquid illuc*; sed hæc insuper, *Neque tamen fas est, nihil a cucurbitula agere. Interdum etiam fit, ut quicquid abscedit, velamento suo includatur*, loco eorum, *Neque tamen fas non est nihil cucurbitula agere. Interdum enim*: itemque hæc, *tum pure quoque maturiore, hæc* tunica *interdum esse consuevit*, cum antea legerent, *maturior hæc*, aut, quod est in codice, *maturius hæc*: & quanquam in alio Constantinus adnotet fuisse, ut tres quoque editiones habent, *maturiore*; non hic tamen agitur de pure celerius confecto, sed de materia ex qua conficeretur, extrahenda, nisi celerius tunica perfecta est qua illa concludatur.
408, 5. 408, 10. 408, 23.

Sed & capite 5. ejusdem libri septimi, & capite 26. alia sunt, quorum mutationes haud facile probes. In hoc, Medicus *sinistræ manus duos digitos, indicem & medium, leniter prius unctos oleo, simul in anum ejus demittit.* Scribebant olim, *leniter prius unum, deinde alterum in anum ejus demittit*, & longe quidem melius. Agitur enim de puero cui calculus e vesica excidendus, satis doloribus circa ea loca cruciato, quos cur, duos *simul* digitos immittendo, Medicus plus æquo augeat, nulla causa est. Cum vero ad nimiam sanguinis profusionem, quæ evulso calculo interdum accidit, compescendam, si inutilia sint alia, *agglutinanda cucurbitula* proponitur *& in genibus, & coxis, & super pubem*; scire licet, scriptum antea fuisse, non *& in genibus*, sed *& inguinibus*: quin Celsus pariter adversus nimias mulierum purgationes *cucurbitulas*, vel *cute incisa, inguinibus admoveri*, voluisse; qua autem ratione, & quatenus, Rorarium (1), & Rubeum (2) explicasse: quae siquis in eo
476, 27. 482, 20. 233, 34.

[1] *Contradict. Cels. V.* (2) *Annot. ad eum locum.*

Digitized by Google

caſu non probet (quanquam de ſcriptura , non de ratione hic quærimus) is neque admotam genibus cucurbitulam in hoc probabit. Capite autem 5. cum legeretur. *Latum vero telum ſi conditum eſt*, eodem videlicet modo quo paulo ante, *Nihil tam facile in corpus, quam ſagitta conditur*; non apparet unde ſumptum ſit quod pluribus verbis nunc ita editum videmus, *Latum vero telum ſi aliquis intus in carne habuerit*; niſi forte ex libro aliquo in quem pro duobus Celſi verbis longum gloſſema e margine in contextum irrepſiſſet. Infra etiam ubi traditum eſt, qua ratione extrahendum ſit telum quod oſſi inhæſerit, cum illa adduntur; *ſi* nihilominus *morabitur, excuti quoque cum aliquo ferramento poterit*; non video, cur antiqua lectio mutata ſit, *ictum aliquo ferramento*. Minuſque video libro 6. cap. 6. quid ſibi velint ea verba, *poſthæc cibo paulo pleniore, quam ex operum conſuetudine uti*, cum hæc quæ prius erant, præclare intelligam, ex *eorum dierum conſuetudine*. Proximo capite 7. poſtquam præceptum eſt, quid agendum ſit, ubi cruſta, qualis ſuper ulcera innaſcitur, intra auris meatum conſpecta eſt, hæc modo ſubjiciuntur: *Atque ubi cruſta ex auricula procidit; eluenda eſt aqua tepida; quo facilius ea per ſe diducta oriculario ſpecillo protrahat*. Olim autem erant hæc, in quibus nihil diſpliceat: *Atque ubi cruſta a corpore jam recedit, eluenda auris aqua tepida eſt, quo facilius ea per ſe diducta, oriculario ſpecillo protrahatur*. Capite 18. levis quidem mutatio eſt in iis verbis, *At Eraſiſtrati compoſitio, aut Cratonis, recte ſuper purulenta naturalia imponitur*; una enim littera detracta ex *Aut* factum eſt *At*. Sed tamen cum ea quæ proxime præcedunt, ipſa quoque purulentis naturalibus imponenda proponantur; ſi *Aut* ita diſplicebat, ut alia particula ſubſtituenda videretur; non quæ adverſaretur, ſed quæ conjungeret, potius erat ſeligenda, qualem, exempli cauſa, in libri ora Conſtantinus, & Ronſſeus indicaverant, *Ac*, & optime quidem, niſi vocalis ſequeretur.

Verum in his quæ continuo legimus: *Folia quoque oleæ ex novem cyathis coquuntur*, manifeſtum eſt, humoris vocem deſiderari: quam alii omnes habent, *ex novem cyathis vini* ſcribentes, ſi Cæſarium excipias, cujus quoque operæ ex incuria, ut opinor, prætermiſerunt. 394, 28.

Sed non ob incuriam factum credo, ut lib. 4. cap. 22. nunc quidem ſic legamus: *Ultimum eſt, & in uteri quoque morbis efficaciſſimum, tribus aut quatuor locis ſuper coxam, cutem candentibus ferramentis exulcerare*. Nam etſi non idem modo Cæſarius, ſed & ante ipſum Pinzius, & Junta hic habeant *uteri*; reliqui tamen, & codex habent *veteribus*. Loquitur autem hic Celſus de coxarum dolore, de quo proximo etiam capite 23. quo agit de dolore genuum, hæc videtur docuiſſe, *Omnes autem ejuſmodi dolores, ubi inveteraverunt, vix citra uſtionem finiuntur*. Libro 5. cap. 26. inter ſigna vulnerati cordis hoc ponitur, *ſudores frigidi, malique odoris, tanquam in ægroto corpore oriuntur*. Sed vox illa *ægroto*, quæ pleriſque ibi placere non poteſt, in nulla alia, quod ſciam, editione eſt. Vix a Conſtantino, & Ronſſeo in libri ora adnotatur, ſic tamen, ut hæc ſequantur, *melius irritato, nam in vetuſto cod. irrotato*. Unde factum eſt quod uterque eorum, & Cæſarius antea, & Ruellius, & Pantinus, aliique ediderunt, *in rotato*. Verum illa ipſa vox *irrotato* facile orta eſt, una haud intellecta litterula, ex vera, ſi quid ego judico, quæ in codice noſtro, & Manutiorum utraque, & Stephani editione eſt, *irrotato*, niſi forte mavis ex duabus, quas Pinziana, & Juntina habent, *in rorato*. Utrolibet autem modo corpus ſignificatur, levi tenuique ſudore, quaſi rore, aſperſum, qualis, ut puto, ſudor infra quoque inter notas percuſſi ventriculi indicatur, *ſudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt*. Ejuſdem libri 16. caput 28. qua parte abſceſſuum curationes proponit, non unum habet examine dignum. Sed; ut modus aliquis ſit; hic quoque non omnia perſequemur. 394, 26. 236, 19. 237, 10. 285, 25. 287, 16.

Digitized by Google

127, 8. mur. Satis hæc esse potuerunt, *Eadem aut hæc in minoribus quoque abscessibus — recte fiunt. Eademque omnium curatio: tantummodo distat.* Crediderim quidem, typographorum negligentia mutatum esse *autem* in *aut*: eademque crederem ex *tantum modo* factum esse *tantummodo*, nisi duas illas voces in unum pariter conjunctas viderem in Juntæ, Cæsarii, Pantini, Constantini, & Ronsei editionibus, nisi quod hi duo ultimi in margine saltem disjunctas exhibuerunt, ut ratio postulat, & Codex, & Pinzii, Manutiorum, Ruellii, Stephani editiones proponunt.

Hic tamen discrepantia erat. Sed in ea lectione quam mox laudabo, cum quotquot mihi sunt editiones, & codex ipse convenirent; haud sane video, qua causa permoti Lindenius, & Almeloveenius in alia omnia abierint. Libro 3. cap. 5. locus est tanto dignior quem diligenter consideremus, quod vel ex eo uno intelligi planissime potest, Celsum, quamvis non vulgo, medici-
125, 1. nam exercuisse. Dissensionem proponit Medicorum de tempore alendi ægros, si febris assidua sit, nec levior unquam fiat. Qui alunt matutino tempore, his illud objicit, insequi tempus meridianum, a quo omnis æger fere pejor fiat. Transit deinde ad alia tempora his verbis, apud Almeloveenium quidem: quæ, etsi plura sint, tamen omnia describam,
125, 14. necesse est. *Igitur alii vespere tali ægro cibum dant. Sed, cum eo tempore fere pessimi fiat, qui ægrotant, verendum est, ne, si quid tunc moverimus, fiat aliquid asperius. Ob hæc alii differunt ad mediam noctem, decurso jam gravissimo tempore, eademque longissime distante. Securius vero datur antelucanis horis; quibus omnes fere maxime dormiunt: deinde matutino tempore; quod natura sua levissimum est.* Dicet hic aliquis, & jure dicet, cum cibum dare matutino tempore ob insequens meridianum improbaverit paulo superius; quomodo nunc probat? Deinde, quomodo antelucanis præsertim horis? quibus cum omnes fere maxime dormiant, expergefaciendi essent importunissime, nec sine detrimento. Accipe nunc cæterorum lectionem: longe aliam Celsi fuisse videbis sententiam, quæ neque propositis difficultatibus obnoxia sit, & medicinam ipsum exercuisse, evidenter ostendat. *Ob hæc ad mediam noctem decurro, id est finito jam gravissimo tempore, eademque longissime distante, secuturis vero antelucanis horis, quibus omnes fere maxime dormiunt, deinde matutino tempore, quod natura sua levissimum est.* Vides, ut sibi constet excellens Medicus, qui ea tempestate cum rarius quam nostra, cibum caperent sani, multo autem rarius ægri, tempus quidem spectabat quo cibum daret, sed illa simul quæ datum essent insecutura. Animadverterat enim; ut ejus verbis ex superiore capite utar; *non diduci tam* 123, 3. *celeriter* cibum *posse*, ut tempore proxime sequenti, in ægris præsertim, jam satis diductum esset. Secundum hæc tradit, quid secus ac alii, ipse facere consuevisset. Quo ejus luculentissimo testimonio, ut Medicum fuisse, ostenderem, in ea qua id quærebam, Epistola (1) non sum usus, quia necdum, quomodo hæc ejus verba oporteret legere, demonstraveram. Sed summa quoque & codicis, & eorum quos laudavi, aut omnium, aut fere omnium erat consensio in quibusdam aliis locis quos mutavit Lindenius. Qui, quoniam ad ægros spectant juxta propositam normam alendos, hic indicabuntur. Capite igitur, quod modo designabam, quarto libri 3. sic edidit: *Interdum e-* 121, *nim pejores dies pares fiunt; & oppor-* 18. *tunius post febrium accessiones cibus datur.* Omnes loco *febrium* habebant *eorum*, aut *earum*. Recte habuisse, mens Celsi ostendit improbantis hic priscorum consuetudinem, ad hunc modum paucis ante versiculis propositam, *sic* 121, *ægros nutriebant, ut dierum imparium* 9. *accessiones expectarent: deinde postea cibum, quasi levioribus accessionibus instantibus, darent*: itaque nisi legamus

[1] *IV. p.* 77, 11.

Digitized by Google

post eorum, id est dierum parium, *accessiones*; sententiam Celsi corrumpimus. Infra pariter ubi eodem capite nunc
123, 5. scriptum est, *satius est, principia cibi a decedente febre, quam reliquias ab incipiente excipi. Ita si longius tempus secuturum est, quam integerrimo dandus est: si etiam breve, antequam ex toto integer fiat*; bene omnes pro *secuturum* scribebant *secundum*, id est felix & opportunum integritatis tempus, &; si Juntam, & Cæsarium excipias; *si breve, etiam antequam* pro *si etiam breve, antequam*.

Quoniam hactenus vix quidquam notavimus in libro 8. quidquid ex hac Epistola reliquum est, in eum impendamus. Qui cum maxima ex parte huc redeat, ut ossa proponat aut vitiata, aut fracta, aut de loco mota; in his singulis casibus pertractandis verba aliqua comperiemus aut aliter, aut alibi fuisse ab Almeloveenio scribenda.

Quod ad vitiata igitur ossa attinet; sunt capite 2. & 3. quædam ita nunc edita, ut dubitare possis, an sint retinenda; nonnulla autem sic, ut pro certo scias; esse mutanda. Quæ ut dignoscamus; Celsi ordinem servare juvat.
508, 1. Vitiatum os, docet *primo fere pingue fieri, deinde vel nigrum, vel cariosum*
Quod autem pingue est, semel iterumve satis esse admoto ferramento adure-
508, 10. re, *ut ex eo squama secedat*. Erat in omnibus quæ apud me sunt, editionibus, *ut ex eo statu secedat*: in codice evidenti mendo, pro *statu* erat *stava*: Constantinus in margine adscripserat *recedat*. Lindenius sic emendavit, ut primo loco posuimus, multo probabiliore scriptura, non tamen certa; nam & *testa* Celsus; sic enim etiam solet; poterat, non *squama*, scripsisse. Pergit deinde Celsus ad nigredinem, & cariem, curationem utriusque in summo osse tradens, & notas subjiciens, per quas seorsum tum illius, tum hujus finem in osse cognoscamus
508, 30. l, tunc etiam cum *dubium est*, quam alte ultralibet descenderit; quo loco, & quidem apud alios quoque, majori divisionis signo appositio post voculam illam *est*, spatioque insuper relicto, male in duas sententiam videbis fuisse disjectam. Et cariei quidem finem magis, minusve profundum monstrari, docet, a tenui specillo magis, minusve descendente. Cum expectas, ut de nigredine quoque doceat; ecce continuo hæc legis, quasi ad cariem ipsam spectantia: *Colligi idem potest etiam ex dolore, & ex febre, quæ ubi mediocria sunt, illa alte descendisse non potest. Manifestior tamen adacta terebra fit. nam finis vitii est, ubi scobis nigra esse desiit*. Sed nonne Auctor, cum inferius scribit, *sive autem nigrities, quam terebra detexit, sive caries, quam specillum ostendit &c.*; satis indicat, hæc de terebra ad nigredinem attinere? Est igitur omnino ea scriptura restituenda, quam in codice video, & in cunctis editionibus: *Nigrities colligi quidem potest etiam ex dolore &c.* Hanc in illam mutari jusserat Paawius (1), *corruptissimam* judicans, quia nigritiem ex symptomatibus colligere non est opus, quippe quæ *conspicitur, neque latere potest*; haud animadvertens, non de nigredine quæ in summo osse est, sed de profunda illa hic quæri, de qua, ut Celsus dixerat, *dubium est*. Verum ut hoc loco non erat Paawio obtemperandum; sic altero quidem erat. Is in proximo est. *Sin autem nigrities est, aut si caries ad alteram quoque partem ossis transit, oportet excidi. Idem quoque in carie ad alteram partem ossis penetrante fieri potest.* Etsi in his codex, & editiones cunctæ; nisi quod habent, *Atque idem in carie quoque*; mire conveniunt; ratio tamen clamat, huc ex libri ora glossema irrepsisse: neque ille tantus & calamo, & typis scriptorum librorum consensus aliud ostendit, nisi jam diu esse cum irrepsit. Cur enim continuo, & inutiliter bis idem diceretur? imo cur simul idem præciperetur, & Medici arbitrio relinqueretur? neque enim, ut libri, ita hæc conveniunt inter se *oportet excidi*,
509, 1. 511, 31. 509, 15.

(1) *Comment. in hunc loc.*

Digitized by Google

cidi, & *fieri poteſt*. Itaque gloſſema eſſe, non dubitarunt Conſtantinus, & Ronſſeus, & poſt hos Paawius. Sed illi delendas eſſe quatuor illas voces *eſt, aut ſi caries*: hic autem, iis relictis, totam alteram partem, *Idem quoque &c.* tollendam cenſuit. Ego cum hoc facio.

Cæterum non, ut hic, ita etiam altero in loco ratio codici, & editionibus repugnabat, ubi ab Almeloveenio de ſpecillo, cariem explorante, ſcriptum
511, eſt, *depreſſum in id foramen, quod in-*
23. *fra ſolidam ſedem habet, & renitens aliquid invenit, & madens exit*, omiſſis ante *renitens* voculis duabus, quas habent omnes, *ob id*. Si cauſam quæris; nempe Paawio viſæ erant *ſenſum turbare*, proptereaque cum precedente vocula & delendæ. Ubi etſi mihi aliter videtur; tamen levius fero non ſecus ac cum paulo ante in Paawio legendo ſic hallucinatus eſt Almeloveenius, ut pag. 511. quod ille recte admonuerat de *ac ſi* linea 14, ipſe tranſtulerit ad *At ſi* linea 4. Gravior interea, ut qui ſententiam prorſus vitiet, in una dempta litterula error eſt, qui in Cæſarii, & Ronſſei editiones, non in cæteras, ne Lindenii quidem, neque in codicem irrepſit. Quem ut errorem planius oſtendam; alter qui præcedit, indicandus eſt: uterque autem poſtulat, ut hic quoque Celſi ordinem commemoremus. Os, cum altius vitiatum eſt, docuerat, ut vidimus, eſſe excidendum. Excidi autem, ſi vitium poteſt anguſto modioli ambitu comprehendi, circumacto modiolo, docuit. Sin latius eſt; terebra, & ſcalpro. Terebra enim, ſe-
511, cundum Almeloveenii ſcripturam, *fo-*
6. *ramen fit in ipſo fine vitioſi oſſis atque integri: deinde alterum non ita longe, tertiumque, donec tactus is locus, qui excidendus eſt, his cæviſ cinctus ſit*. Quæres hic, quid ſignificet iſta vox *tactus*? Nempe incuriam operarum ſignificat; operarum, inquam, non Almeloveenii, non Lindenii, tametſi hic quoque ſic habet, ſed operarum Cæſarii, in cujus editione anno ab hinc ducenteſimo, & quod excurrit, ita ſcriptum eſt pro *to-*

tus quod & ſententia requirit, & codex habet, & editiones reliquæ omnes quæ apud me ſunt. *Tum*, pergit mox Almeloveenius, *exciſorius ſcalper ab alte-* 511,
ro foramine ad alterum malleolo adactus 11.
id, quod inter utrumque medium eſt, excidit; ac ſi ambitus ſimilis ei fit, qui in anguſtiorem orbem modiolo imprimitur. Utro modo vero &c. Quibus verbis ſi litterulam addas, & pro *ac* ſi reſcribas *ac ſic*; plana fient omnia atque aperta. Quem errorem ſi typographo pariter imputare velis; facile aſſentiar: nec vero, quamvis ſententiam, ut dixi, omnino pervertat; aut ipſum, aut qui eum præcedit, hic eram memoraturus, niſi ab una in alteram editionem animadvertiſſem aut tranſiiſſe, aut longo poſt tempore ſe ſe iterum intruſiſſe. Haud diſſimile quidpiam accidit paulo ſuperius, capite eodem 3. ubi nunc legimus: *Si nigrities eſt, angulo ſcalpri ſi-* 510,
nus exiguus ſit, qui clavum modioli *re-* 21.
cipiat, ut, eo inſiſtente, circumactus modiolus delabi non poſſit: deinde his habena, quaſi terebra, convertitur. In his enim verbis non modo per typographorum negligentiam *ſit* factum eſt ex *fit*, quod omnes habebant; ſed & *his*, quod in Pinzianam, & Juntinam editionem incuria intruſerat, reliquæ autem editiones, & in iis Lindeniana quoque, ſic emendatum protulerant *is*, modiolus videlicet; *his*, inquam, rurſus in Almeloveenianam ſe retulit. Quæ de carie paulo ante attigimus, locum alterum ad memoriam revocant, qui tametſi non ad 8. ſed ad 5. attinet librum, non eſt hic a nobis prætereundus. Ibi igitur cap. 28. ubi de ſpecillo in fiſtulam demiſſo, & os jam contingente verba fiunt, hæc ſunt: *ſi di-* 329,
labitur ſpecillum, nondum caries eſt: ſi 21.
non dilabitur ſede, qua innititur, caries quidem, verum adhuc levis eſt. Antea ſcribebant omnes, *ſi non labitur, ſed æquali innititur*, idque egregie. Nam etſi Conſtantinus, & Ronſſeus in margine adſcripſerint *ſede qua*; monſtrat tamen Celſus, utra verior ſcriptura ſit, cum ad deſcripta verba hæc continuo attexit, *ſi inæquale quoque & aſperum ſub-*

Digitized by Google

ſubeſt, vehementius os exeſum eſt. Scilicet voluit ſecundo loco, cariem quidem eſſe, ſed hactenus, ut ſpecillum labi non ſinat, cæterum levem adeo ut os æquale videatur.

Satis de vitiatis oſſibus. Nunc, ut pollicitus ſum, de fractis. Ad hæc pertinent ex libri, ad quem redeo, octavi capite quarto propemodum extremo verba illa de curatione fractæ calvariæ:
521, 8. *Ubi bene res cedit, incipit ab ipſa membrana, vel ſi os eo loco duplex eſt, inde quoque caro increſcens id, quod inter oſſa vacuum eſt, replet.* Non dubito, quin pro *caro inſcreſcens id, quod*, malis communem lectionem *caro increſcere, eaque id quod*. Capite autem 7. ubi
525, 9. legis, *ſi maxilla tranſverſa fracta eſt (ſub quo caſu fere dens ſuper proximum dentem excidit)* tametſi Cæſarii quoque, & Ruellii editiones, atque adeo codex habent *excidit*; res tamen ipſa poſtulat, ut cæteris potius aſtipulemur, qui habent *excedit*. Sed hic neutiquam prætermittendus eſt locus, ad fracta artuum oſſa pertinens parte ultima capitis 10.
541, 30. *Solent tamen interdum adverſa inter ſe oſſa conſervere: eoque & brevius membrum, & indecorum fit.* Hic vero eſt ubi Schulzius (1) in illos aſperius invehitur, qui *temeraria mutatione*; ſic enim loquitur; *adverſa oſſa* ediderunt, ubi veteres *omnes* habebant *diverſa*. Omnes autem ei ſunt, qui ſex quas laudat, editiones procuraverant. Quinque ego alios addo; nec tamen an reliqui pariter, quibus nunc careo, omnes habeant *diverſa*, pro certo ſcio: eſſe poſſe qui non habeat, ex codice apparet, in quo lego *tranſverſa*, quemadmodum & alios, non nominat; ſed indicat Rubeus (2), legiſſe, non ignoro. Quid in ſuis codicibus Lindenius, illius mutationis auctor, legerit, neſcio. Attamen Schulzio libens aſſentior improbanti iſtam lectionem *adverſa*. Aſſentior quoque anteferenti alteram illam *diverſa*.

De ratione autem qua explicat, cur abjiciat primam, tueatur alteram, magna ex parte diſſentio. Nam diſcere cupientem quid Celſo ſint *adverſa oſſa*, rejicit ad caput 5. libri hujus. Ibi autem oſſa narium *adverſa fracta* illa in- 521,
telligenda eſſe, patet, quæ ab adverſo, 30.
non ab laterali, ictu fracta ſint; itaque oſſi opponuntur, quod *a latere fractum, ictumve* ſit: quæ res quantum ad *ibid.* & propoſitum faciant, non video. Scire 522,
etiam aventem, quid ſint *diverſe*, at- 30.
tendere jubet, Celſum propoſita parte capitis 10. tradere inſtituiſſe *communes curationes, ad humeros, brachia, crura, femina, digitoſque confractos pertinentes; reſpexiſſe* igitur *ad illos caſus, ubi in cubito vel crure utrumque os fractum eſt, minuſque curioſe omnia in reponendis & continendis oſſibus facta ſunt: ex quo accidere poſſet, ut ulna cum radio, vel tibia cum fibula, hoc eſt oſſa diverſa coaleſcant.* Ego vero illud primum dico, qua parte propoſitum Celſi eſt communes etiam humeris & feminibus curationes docere, ea parte peculiares brachii vel cruris, quas ſuperius abſolverat, iterum attingi, præſertim nec brachio, nec crure commemorato, non potuiſſe. Deinde dico, quos Schulzius ponit caſus me neque apud Tagaultium, neque apud Paræum, neque apud Fabricium noſtrum, neque; ut alios omittam; apud Cel. Heiſterum, ubi conſultiſſimi hi Viri, neque minus in Celſi lectione, quam in Chirurgia diutiſſime verſati, de oſſium brachii, aut cruris fractura agunt, legere meminiſſe: ut quamvis ex parte queant contingere; rari ſint, oporteat, cum Celſus non ita rarum deſignet ſuum; *Solent enim*, inquit, *interdum &c.* Quid ergo eſt? Non 5. hujus libri capite, ſed prima parte capitis hujus 10. qua plura quoque communia Celſus docuit, locus erat, cum eo quo de agimus, comparandus, ut ſimul quid ipſi eſſent oſſa *adverſa*, & eſſe poſſent *diverſa*, ſimul hic verba eſſe de crebro caſu, nec ſolum ad brachii, aut cruris oſſa attinente, perſpiceretur. *Si* fracta oſſa *non adverſa, ſed obliqua junguntur (quod* 532,
fit ubi loco ſuo non ſunt) membrum id 4.
alte-

(1) *Exerc. de Oſſib. conſervent. §. 4.* (2) *Annot. ad hunc loc.*

Digitized by Google

altero latere brevius est, & musculi ejus tument. Loquebatur ibi de ossibus necdum repositis, non modo necdum conferventibus. Si ergo accidat ut sic conferveant, quod solitum interdum accidere sive Chirurgi, sive ægri culpa, vel nimis notum est; sua quoque curatio, oblongis omnibus ossibus communis, Celso non erat hic omittenda.

541, 34. Quam ita subjicit, *ut frangi rursus ossa, & dirigi debere*, dicat; non transferri: quemadmodum mox quoque dicit, 542, 7. *ab ea parte, in quam os se inclinat, involutam lana regulam* esse *objiciendam*. Adversa igitur inter se ossa confervere non aliud Celso est, nisi ita confervere, ut naturalem quodque directionem conservent, non ut fractarum partium aliam alio inclinent. Non scripsit igitur hic *adversa*; sed id quod adversis oppositum est. Quod ut significaret, *obliqua*, ut vidimus, supra dixerat. In codice hic, ut dictum est, non secus ac alii olim, *transversa* reperi: quod & obliquitatem interdum non maximam significat, ut cum febricitantes sues Columella (1) scripsit, *obstipas transversa capita ferre*, quod postea sic expressit Plinius (2), *index suis invalidæ — caput obliquum in incessu*. Potuit tamen Lindenius in alio codice invenire *adversa*, sive quod infscitiâ librariorum, præcedens negativa vocula deesset, sive quod tenuis quæ eam repræsentaret, notula, atramento diffugiente, evanuisset: nec prohibet quidquam credere, potuisse hic Celsum scribere, ut alibi fecisse vidimus, *non adversa*. Veruntamen si plerique optimi codices inter se hic, ut editiones, conveniant, & *diversa* habeant; hoc potius ita accipiemus, ut in longe aliam ac Schulzius, sententiam euntes, aliam ossium, quæ conferbuerint, partem alio versam inclinatamque significari, existimemus.

Restat, ut de ossibus loco suo motis verba faciamus. Capite 19. hujus, a 552, 31. quo non recedimus, libri octavi primum quidem *in* manuum *digitis totidem fere luxationum casus, eademque signa* esse dicuntur, *quæ in ipsis manibus*. Dictum autem fuerat cap. 17. manum *in omnes quatuor partes prolabi*, 551, 29. id est in priorem, aut in posteriorem partem, aut in utrumlibet latus, & quæ his singulis conveniant casibus, curationes adjectæ. Cum eadem igitur in digitis quoque expectes; de eorum curatione hæc solum invenis: *Super mensam tantummodo intendi debent, qui* 553, 1. *vel in priorem vel in posteriorem partem exciderunt; tumque palma compelli: ut ita in locum, unde lapsus est digitus, restituatur*. At qui in latus alterutrum prociderunt, ii qua ratione curandi sunt? Monstrant editiones omnes meæ, quæ nimirum summo consensu pro novem istis ultimis verbis, hæc habent, *atque id quod in latus elapsum est, digitis restitui*, id est Chirurgi digitis, ut opinor, non palma: quamobrem suspicatus sum aliquando, Celsum non *atque*, sed *at* scripsisse, certe in codice sic est, *ad id quod in latus elapsum est*. Verum hoc levius. Nunc ad primum, unum, atque alterum dumtaxat exemplum addam, utrumque luculentum, utrumque ex capite 20. libri hujus; sed alterum ex initio, ex fine alterum. Primum est: *Cum de humeris dixerim*; 553, 9. *de his quoque, quæ in cruribus sunt, videri possum dixisse: siquidem in hoc casu quædam similitudo est femori & humero, tibiæ & cubito, pedi & manui*. Dixerat Celsus proximis superioribus quinque capitibus de prolapsis humero, cubito, manu, & quæ in hac sunt, palma, & digitis. Cur igitur de humeris, ajat dumtaxat, se dixisse? aut quomodo humeris non modo femora, sed & tibiæ, & pedes respondeant? hæc enim omnia, ut diserte explicat, *crurum* nomine hic accepit. Num igitur ut nominata hac una parte totos artus inferiores, quod nescio an alibi usquam fecerit, hic certe significat; sic etiam humerorum appellatione totos superiores designavit? Sane hoc loco aliquid ejusmodi comminiscemur, necesse est;

(1) *de Re Rust. l. 7. c. 10.* (2) *Nat. Hist. l. 8. c. 51.*

Digitized by Google

set; quanquam non ad hunc modum loqui solitum sciremus, ut cum supra,
507, cap. 1. *per omnia femur humero, crus*
1. *vero brachio simile esse*, scripsit; nisi & codex, & editiones, quotquot apud nos sunt, sic hujus 20. capitis initium proponerent, *Cum de his dixerim; de his quoque*, sive, ut habet Stephanus, *de iis quoque, quæ in cruribus sunt, videri possum dixisse*. Qua ratione ut vocula *his* ossa omnia artuum superiorum, sic vocula *iis* omnia pariter inferiorum comprehendit. Tandem ut ex capite hoc extremo alterum exemplum proferamus; tres certe ultimi e-
555, jus versiculi, *Potest tamen conditus, arti-*
15. *culus medius aut summus canaliculo aliquo contineri*, neutiquam possunt femoris ossi convenire, de quo uno in suam sedem reponendo, in eademque continendo verba facta sunt eo capite. Et vero neque codex, neque ex meis omnibus editionibus ulla est, quæ tres eos alibi versiculos habeat, quam post totidem ex quibus caput constat 24. quod ad caput, quippe de luxatis digitis pedis, attinere possunt verba de articulo medio, aut summo. Sed cum digiti qui in manu sunt, singuli articulos habeant ternos, quot non habent singuli qui sunt in pede, & quod præsertim attendendum est, his longiores sint, multoque illos crebrius, quam hos, movere consueverimus; mirari aliquis possit, cur eum canaliculum Celsus non illis potius quam his continendis proposuerit capite 19: quod si fecisset; non fuisset opus hic iterare ubi
557, in digitis pedis *nihil ultra fieri*, præ-
4. cipit, *quam quod* præceperat in manus digitis. Quærere insuper aliquis posset, quare cum cruri, aut femori continendis, si fracta quidem, non si luxata sint, canalem adhiberi jusserit parte 5. capitis 10; in digito fracto canaliculum non laudaverit particula illa proxima 6. brevi adeo, ut typographi in altera Manutiana editione, prioris alioquin consimillima, pene accepisse videantur pro inscriptione partis 7. Quod si is quæreret, quasi ad brevissimam hanc particulam verba illa quæ proposuimus, suspicaretur esse adjicienda; plura essent per quæ ab ejusmodi suspicione posset dimoveri: sed unum satis est, quod articulus medius aut summus *conditus* dicitur, eadem videlicet significatione, qua capite 23. *condi* dicuntur luxata plantarum ossa; *iisdem modis, quibus* 556,
in manibus, prodeunt, iisdemque con- 26.
duntur, id est reponuntur: articuli autem nomine hinc junctura non accipitur, sed os quod jungitur; quæ significatio in artu quidem, non in artieulo, a Lexicorum Scriptoribus memoratur. Quæ cum ita sint; conjicere posse mihi videor, Lindenium a codice fortasse aliquo admonitum, ad caput potius 19. attexenda verba proposita credidisse, eoque a capite 24. disjunxisse, ejus autem amanuensium incuriâ ad caput 20. adjuncta esse.

Hæc, mi Vulpi, habui quæ duabus Epistolis ad te scriberem super locis pluribus, quæ mihi Almeloveenianam Celsi editionem inter scribendum volutanti, & cum libis seu typis, seu calamo descriptis conferenti, hic illic forte occurrebant digna in quibus alia scriptura aut indicata esset, aut etiam proposita. Ut hæc, sic alia, opinor, nec pauca fortasse, deprehendere potuissem, si minus fuissem aliis studiis, & occupationibus distentus. Sed vel ea quæ notavi, satis superque esse potuerunt scire aventibus, quid ego de ista editione sentiam. Neque tamen in Lindenium hanc culpam confero, quod marte, ut dicitur, suo tot mutaverit, multoque etiam minus, quod mutando, plura vitiaverit, quam emendaverit. Me enim illa quam modo dicebam, collatio docuit, bene multa, quæ ab ipso primum invecta crederes, in quibusdam antea editionibus, aut codicibus fuisse: plurima autem ne intelligi quidem potuisse, nisi emendationibus, quas ratio, & facilitas ipsa commendat, ab eo sæpius, ut videtur, selectis, quam excogitatis, feliciter restituta haberemus. In ejus igitur editione, ut ab Almeloveenio ornata est, cum & plurima sint, ut dico, & in parte etiam ostendi, bene emendata,

&

Digitized by Google

& plurima quoque, præter respondentes Celsi locos, numeris ad latus adscriptis indicatos, tum pagellis plerisque, tum volumini universo, non sine legentium utilitate, subjecta: cumque in cæteris editionibus, si eadem trutina examinarentur, non pauciora saltem; ne dicam multo plura; emendationem requirerent; quis merito arguere te possit quod non aliam nunc Cominianis formis describendam cures interea dum aliqua tandem melior existat. Et sane postquam ex eadem officina eandem emisisti editionem, cum semel, iterum, tertio apud exteros Celsus prodierit; secundum Almeloveenii editionem semper audio prodiisse. Utinam Viri docti, quibus codicum optimorum copia sit, ea in medium conferant, unde lumen accendatur ad illam, aliis non temere detractis, aliis adjectis, aliis mutatis, aliquando perficiendam. Nam certe, quo magis considero, novæ mihi subinde oriuntur dubitationes, quæ, si codicum subsidio abundarem, fortasse ad verum propius vestigandum perducerent. Nunc per se vix usui sunt. Nam ut vitiatum suspicer locum aliquem, faciunt; ut videam, quomodo restituere possim, non faciunt: & tametsi videre mihi aliquid interdum videar quod a veri similitudine non abhorreat; id tamen proponere vix audeo conjecturæ nomine, aut divinationis, vel potius conatus divinandi. Cujusmodi igitur futura essent intelligis, quæ promiseram; ut ægre ferre non debeas, si jam satis longam Epistolam nolui facere his quæ melius apud me latebunt, multo longiorem. Vale: & librum, quem ad Samonicum, & ad me attinere, dixeras, quam primum mitte.

Patavii MDCCXXXVIIII. VII. Kal. Januar.

EPISTOLA SEPTIMA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

NEgas, mi Vulpi, te prius librum, quem eras pollicitus, esse missurum, quam dubitationes acceperis, & divinationes, quas promiseram. Accipe, quando ita vis, qualescunque sunt, & quotquot, & quocunque ordine succurrent protinus scribenti. Sed cave, ne tot sint, ut te pœniteat voluisse, neve, si justæ Epistolæ, tuique desiderii modum forte transivero, tu mussitans, me similem propemodum cantorum censeas (1).

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare, rogati:
Injussi, nunquam desistant.

Hæreo primum in quodam loco lib. 2. cap. 7. *tum in superioribus partibus fit abscessus: ac si inter ipsa initia sanguis e naribus non fluit, circa aures erumpit.* Causa dubitandi est, quia cum ea quæ hæc præcedunt, & quæ subsequuntur, ex uno eodemque loco Hippocratici Prænotionum libri (2), ipso rerum conservato ordine, sumpta agnoscam, neque indidem accipi videam quæ illis interjecta hic descripsi, neque satis cum his convenire, intelligam; ut putant aliqui, certum quendam Coacarum Prænotionum (3) locum, in quo de sanguine quidem e naribus, sed post parotidis eruptionem fluente, verba fiunt; quærendum supereſt, unde igi-

(1) *Horat. Serm. l. 1. Sat. 3.* (2) *n. 6.* (3) *apud Holler. Sect. 2. l. 1. A. 21.*

Digitized by Google

tur sumpserit Celsus, & cur hoc loco interjecerit; nisi quidem huc temere e sua sede translata sint, quæ sententia Ronsei (1) fuit. Verum id dum quærimus, scriptura ipsa nostræ officit perquisitioni. Verba enim illa, *sanguis e naribus*, neque in nostro codice, neque in ulla ex his quæ ante oculos sunt, editionibus invenimus: & vix Constantinus, & Ronsæus in libri ora scribunt *initia*, aut *viscera*, cum in contextu omnes scribant *ipsa ulcera*; alii autem *non fluit*, alii *non fuit*, quod & vetustior ex meis editionibus, & codex habet, hicque insuper *viscera*; ut mihi aliquando in mentem venerit legere, *an si inter ipsa viscera non fit, circa aures erumpit*, abscessus videlicet. Quod etsi, quemadmodum postea animadverti, placuerit etiam Pantino (2); tamen, ut in loco aliter adeo ab aliis scripto, esse amplius perpendendum censeo.

Commemorata sententia Ronsei de ~~eo loco paulo superius transferendo,~~ ad memoriam redigit dubitationem quandam meam, num alius sit forte de sede sua deturbatus. Indicia enumerans Celsus lib. 3. cap. 6. ex quibus Medicus febricitare ægrum, cognoscat, non videtur mihi omnium, ut nunc quidem legimus, ultimum illud facere potuisse,
130, *si vena non æquis intervallis moventur*;
8. cum hæc continuo esset adjuncturus: *Ob quam causam medicus neque in tenebris, neque a capite ægri debet residere; sed illustri loco adversus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perspicias*. Quod si illud ex arteriarum ictibus percipiendum signum perpaucis ante versibus scriptum fuisse concipiamus; nempe ultimæ erunt illæ notæ, post quas statim possint illa recte subjici, *Ob quam causam*, & cæteræ quæ descripsimus.

Sed leve hoc præ iis quæ lib. 8. c. 1. in descripcione articulorum dubito superiorum vertebrarum, sive rei obscuritas tantummodo, sive & vitium quodpiam verborum est. Illustrare conemur locum, non perbrevem, hactenus saltem, ut minus difficile possit intelligi, an a verborum depravatione, id quod credibilius est, oriatur obscuritas. 1. *Omnesque vertebræ (exceptis tribus summis) a superiore parte in ipsis processibus* 502, 8. *parum desidentes sinus habent: ab inferiore alios deorsum versus processus exigui*. 2. *Summa igitur protinus caput sustinet, per duos sinus receptis exiguis ejus processibus*. 3. *Quo fit, ut caput deorsum parvis tuberibus exasperetur*. 4. *Secunda superioris parti inferiori inseritur*. 5. *Quod ad circuitum pertinet, pars summa angustiore orbe finitur. Itaque superior secunda circundata in latera quoque caput moveri finit*. 6. *Tertia eodem modo secundam excipit*. & perpaucis de cervicis mobilitate interjectis, 7. *Jamque vertebra tertia tubercula, quæ inferiori inserantur, excipit*. 8. *Cætera processibus deorsum spectantibus in inferiores insinuantur, ac per sinus, quos utrinque habent, superiores accipiunt*. Locum omnem ~~cum brevitatis~~, ~~tum~~ perspicuitatis causa in octo particulas divisi. In prima igitur, quæ verba uncis intercepta sunt, num a Celso esse, credemus? aut si a Celso, ita prorsus ab eo scripta? Nam si vertebræ tres summæ superioribus carent sinibus, itemque processibus inferioribus; quomodo prima vertebra sinus habet, ut in 2. particula est, quibus capitis processus recipiat? & quomodo tertia vertebra tubercula quæ inferiori inserantur, exigit? sic enim ostendam in particula 7. esse legendum. Jam vero particula 3. non ita uti ex Almeloveeniana descripsi, in cæteris exstat editionibus, sed ad hunc modum, *Quo fit, ut caput sursum deorsum versus tuberibus exasperetur*; nisi quod Juntæ editio, & Manutiorum utraque, & Ruellii habent *versum*, quibuscum & codex, & vetustior editio omnino conveniunt. Paawius (3), qui *versus* legeret, perperam huc intrusam ratus vocalem *sursum*, quia *deorsum versus processus solummodo exserit caput*, hanc sustulit. Sed retinenda est, opinor, legen-

(1) *in Enarr. hujus libri*. (2) *Comment. in hunc loc.* (3) *Comment. in hunc loc.*

legendumque cum vetustioribus *caput sursum deorsum versum*, ut attollendi inclinandive capitis motus intelligatur: quem recte Celsus sine articulis illis fieri non posse, indicat, quos proxime 2. particula memoraverat, sicuti motus capitis in gyrum, sive in latera cui structuræ debeatur, mox 5. particula est traditurus. Verumtamen in hac, de qua loquimur, 3. num aliquid redundat, aut aliter legendum est? Nam si nihil aliud scripsisset, nisi *Quo fit, ut caput sursum deorsum vertatur*, aut *verti possit*: jam satis omnia exposita essent; *subeve* enim, quibus, additum est, caput *exasperari*, iidem nempe *exigui ejus processus* sunt, de quibus proxime dictum erat; ut minime opus fuisset, a Lindenio huc inseri illam insuper vocem *parvis*, quam apud alios non invenio, & quam supervacuam Celsus fecerat, cum *exigui processus* dixerat. Cæterum etsi alii fuerint, ut Constantinus, & Ronsseus in libri ora indicant, quibus post *versus* addere verbum placuit *moveatur*; ii tamen continuo *&* quoque addiderunt, & reliqua retinuerunt. Ego præter ea quæ antiquiores libri mutanda esse, docuerunt, nihil muto: quid dubitem, tantum indico.

In particula tamen 4. mutare nihil ausim, tametsi & codex, & editiones omnes meæ magno consensu ab ea discrepent. Habent enim: *Secunda superiori parti inferiore. Quod ad &c.* scriptura, ut vides, aperte adeo mendosa, ut Paawius (1) huc adscripserit, *quis sensus? nullus fane. lego*, secunda superiori parti inferioris. *ut mens sit, secundam vertebram jungi superiori parti inferioris vertebræ. nulla tum obscuritas*. Nulla utique. Sed neque erat, cur id Celsus traderet, quod omnes haud aliter esse posse, per se intelligerent: neque erat, cur necdum absoluto sermone de vertebris duabus primis, mentionem injiceret de tertia, præsertim cum hæc quomodo secundam excipiat, mox esset 6. particula indicaturus. Præterea in Paawii lectione verbum deest, neque in iis quæ proxime antecedunt, aut subsequuntur, quidquam est unde illud subaudias. Quamobrem longe melius ab Lindenio videtur factum, qui litterulas illas Paawii duas *i*, & *f* sejungens, rescripsit *superioris* parti *inferiori*, verboque *inferitur*, quod Constantinus in codice legi admonuerat, accepto, particulam hanc 4. complevit. Verum hinc oriri potest dubitatio, an quod hæc 4. sic dictum est, supervacuum sit propter ea quæ statim subjiciuntur particula 5. de vertebra prima circumdata secundæ, &, quod consequitur, de secunda igitur superiori inserta. Nec dissimulare possum, aliquando mihi venisse in mentem suspicari, an non 4. particula, mendose adeo, ut vidimus, scripta, e librorum margine in contextum irrepsisset; cum dici non possit, quam apte post tertiam quæ de capitis inclinatione, aut erectione est, statim sequeretur 5. quæ ad circumversionem attinet ejusdem capitis, addito uno, haud amplius, verbo, *secundæ* videlicet ante *pars summa*. Sed quid de particula dicemus 6? Traditur in 5. modus quo prima vertebra excipit secundam, nimirum hujus summæ parti circumdata, quæ in angustiorem dentiformem processum finitur. Continuo autem in 6. additur, *Tertia eodem modo secundam excipit*. Num secunda igitur ab ima etiam parte alterum ejusmodi processum exigit, cui tertia ad eundem modum circumdetur vertebra? Multo quam hæc aut emendare, aut dilucide explicare, facilius videtur restituere particulam 7. *Jamque vertebra tertia tubercula, quæ inferiori inferantur, excipit*. Nam etsi plures, nec contemnendæ editiones sic habent; vetustior tamen, & illæ pariter quas supra laudavi in particula 3. & præterea Henrici Stephani editio, & membraneus codex, & rei ipsius natura docent, pro *excipit*, rescribendum esse *exigit*. Quo enim pacto fieri possit, ut tubercula inferenda vertebræ inferiori, id est quartæ, excipiantur a tertia, id est tertiæ inferantur?

(1) *Ibid.*

Digitized by Google

Imo hæc a tertia emittuntur in quartam : idque adeo ex Anatome ; quod præclare noſti ; manifeſtum eſt, ut quamvis particula 8. quam ob hanc unam tantummodo cauſam protuli, indicare videatur, a quarta vertebra incipere proceſſuum inferiorum in ſubjectas emiſſionem ; tamen (niſi etiam deſcrimen forte aliquod Celſo fuiſſet inter proceſſus, & tuberoſa, per quod rem explicare nuis poſſet) multo levior mihi repugnantia hæc videretur, quam in uno eodemque verſu dicere, eadem tubercula & alio interi, & hic excipi.

Expoſui fuſe dubitationes meas, earumque cauſas, in deſcriptione vertebrarum. Nunc illas preſſius indicabo, quæ ad clavicularum, ut Paawius ipſe (1) exiſtimat, deſcriptionem ſpectant. Locus, eſt eodem 1. capite aliquanto inferius, ubi latorum ſcapularum oſſium figura, & adhæſione præpoſitis, hæc
503, 34. ſcribuntur ; *At a ſumma coſta &c.* Deſcribitur hic os *quod ſuſtinet jugulum*, ſive *in* quo jugulum *inſidit* exteriore *capite*. Non poteſt igitur eſſe clavicula ; hanc enim Celſus non ſolum alibi, ut
526, 23. hujus libri 8. capite 8. *jugulum* vocat, ſed & hic, nec deſcribere tamen inci-
504, 6. pit ante verba illa, *Id ipſum recurvum &c.* Quodnam igitur os eſſe iſtud, dicemus, quod primo loco proponit ? Exterius certe juguli caput nullo alio oſſe, niſi eo quod nunc Scapulæ appellant Spinam, ſuſtinetur. Si pergens igitur latum os ſcapularum deſcribere, hic de ejus Spina Auctor loquitur, cui Spinæ quidem pleraque ejus verborum conveniunt ; quomodo ait, *a ſumma coſta* fere *media* hoc *os excreſcere*, primum tenue, deinde eo plenius latiuſque, *quo propius lato ſcapularum oſſi fit ?* Ut enim pro *ſumma coſta* non accipias, quam his duobus iiſdem vocibus non multo
503, 3. ſuperius deſignavit, duodecim coſtarum ſupremam ; ſed unum de tribus ſcapu-
503, 26. læ lateribus ; nam *triangulam* eſſe, dixerat, certe a ſummo illorum, quod coſtam ſuperiorem vocamus, Spina non oritur, ſed a baſi, multoque ſuperius, quam ubi hæc media eſt. Deinde Spina, quæ a ſcapula oritur, & per ipſam pergit, parſque ejus eſt, num propior fieri ſcapulæ ipſi diceretur ? Scriptum oportuit, *quo propius vertici lati ſcapularum oſſis fit*, ut veram agnoſceremus deſcriptionem. Sed & deſcriptio juguli ipſius cum ſic finiatur *& cum lato oſſe* 504, *ſcapularum, infra caput ejus, nervis &* 10. *cartilagine connectitur* ; quid tandem verbis illis deſignat, *infra caput ejus ?* Nam ſive caput, ſummum verticem ſignificat ſcapulæ, ſive ipſum juguli exterius caput ; vox *infra* quomodo cum vero conveniat, non eſt facile divinare. Et ſunt quidem aliqua in his ſpinæ ſcapulæ, & claviculæ deſcriptionibus, quæ aliter in Almeloveenii, aliter in cæterorum editionibus, ipſoque codice leguntur. Sed nihil juvant ad has mihi dubitationes eximendas.

Nec plus juvant varietates aliæ in iis quæ paulo ſuperius, ut modo indicabam, de coſtis ſcripta ſunt. *Infra* 503, *cervicem vero ſumma coſta contra hume-* 3. *ros ſita eſt. Inde ſeptem inferiores uſque ad imum pectus perveniunt.* Equidem video, accipi non poſſe lectionem hanc, cum, aliquot interjectis verſibus, hæc ſequantur, *Sub coſtis vero ſuperioribus,* 503, *quinque &c.* Sic enim coſtæ cum ſum- 16. ma illa uno in latere eſſent tredecim. Verum haud ſatis video, quomodo ſine aliqua hæſitatione accipiam id quod ante Lindenium legebant, *Inde undecim inferiores*. Nam ſi univerſæ coſtæ ibi continuo deſcribuntur ; cur de inferioribus quinque mox, ſcribitur, *ipſæ* 503, *quoque paulatim in cartilaginem verſæ ?* 18. quod profecto ſupervacuum eſſet cum modo de omnibus ſcriptum eſſet, *pau-* 503, *latim in cartilaginem degenerant.* 10.

Sed non de oſſium fabrica tantum, neque hæ tantum dubitationes fuere, quas, vel codice, meiſque editionibus inſpectis, mihi ex animo non potui eximere. De plurimis huc aliquot adjiciam. Libro 3. cap. 22. poſtquam inter levia phthiſis initia, cibi primo acres, deinde lenes, tum in vicem modo hi, mo-

(1) *Comment. in hunc alterum loc.*

Digitized by Google

modo illi propositi sunt ; hæc sequun-
170, tur , *adjiciendaque quædam ex media*
25. *materia , præcipue vero ex prima , cerebellum , vel pisciculus , & his similia.* Quo referrem illud *ex prima*, cum minime appareret ; quid antea ibi legeretur , quæsivi . Omnes aut *ex apruna* , aut , sicuti Pantinus (1) admonuit , *ex aprugna* habent ; codex *ex pruna* . Sed quodnam *ex pruna* ; si tamen sic affari, voluisset ; cerebellum indicasse Cornelium , dicas ? non aprugnum certe, quando lib. 2. cap. 18. aprum valentissimæ
96, materiæ esse, docuit, nec vulgo ea copia
28. aprini cerebri est , quæ cæterorum quos phthisicis laudavit, ciborum . Suis quidem cerebellum minus valentis esse ma-
98, teriæ , *ex agno* autem , *hædove totum*
27. *caput* , dixit , *in media materia poni posse* . Itaque ex quonam horum , aut his similium cerebrum sumendum esset, scripsisse , puto , idque nomen in mendo latere ; nisi forte malis , revera *ex pruna* scripsisse ; cerebellum autem cum ex media materia , quam supra explicaverat , accipiendum esse, diceret , animalis nomen adjicere supervacuum existimasse : quanquam & codex , & editiones , cum ita habeant , *præcipueque vel ex* , priori magis conjecturæ favere videantur . Libro 7. cap. 2. planissima
409, illa quidem sunt de suppuratis : *Sed cæ-*
15. *tera etiam subcruda aperiri possunt ; inter nervos ultima expectanda maturitas est , quæ cutem extenuet , eique pus jungat , quo propius reperiatur* . Verum quæ continuo sequuntur , non item . *Jamque alia rectam plagam desiderant , ut in carne : alia vero vehementer cutem extenuant, in quibus tota ea super pus excidenda est.* Si editiones inspicio ; omnes habent *Itemque* pro *Jamque* , & *extenuat* pro *extenuant :* nulla *ut* . Sed pleræque habent *aliam rectam* , perpaucæ *alia rectam*. Codex cum his perpaucis convenit ; sed in eo discrepat ab omnibus, quod pro *tota* habet *tuto* ! Verum per has lectionum varietates nihil proficere mihi videor , ut neque per Constantini , adscriptas in margine , conjecturas.

(1) *Annot. in hunc loc, qui ipse est c. 23.*

Fieri enim posse , existimo , ut Celsus postquam dixit de prorsus maturis , verba fecerit de subcrudis , & quod consequitur , magis de carne , quam de cute incidenda : repetita autem esse per librariorum incuriam quæ de extenuata cute dixerat . De cute vero tota excidenda si hic quidquam præcepisset ; non videtur paucis post versibus de eadem re ad hunc modum fuisse scripturus , *Est etiam in rerum natura , ut cu-* 409,
tis latius excidenda sit . Quod si non *to-* 31.
ta , sed *tuto super pus* excidenda , imo forte incidenda scripsit : nimirum hoc quoque ad ultimam illam maturitatem pertinebat . Vides igitur , cujusmodi sint quæ huc intrusa putem pro illis quæ nequidquam in codice , & tot aliis exemplaribus quæsivi .

Nec felicior fui in ejusdem libri 7. capite 26. Namque ubi emoliri manu urinam oportet , cum hæc legerem : *Homo tum resupinus eo modo , quo in* 474,
curatione calculi figuratur , super subsel- 11.
lium aut lectum collocandus est ; non mediocriter miratus sum , probe gnarus, quam molesta , & simul ut minus hic necessaria ea figura sit , quæ in calculi curatione a Celso ipso inferius proponitur . Multo autem magis miratus sum, 476,
ubi meis editionibus , & codice inspe- 3.
ctis , summo consensu in omnibus pro *in curatione calculi* scriptum reperi *in curationi ani :* in qua alienam omnino a proposito requiri figuram , manifestum est , neque eam a Celso usquam fuisse descriptam . Itaque aut nomen alterius curationis hic posuit , aut ab ejus manu non sunt ista , *eo modo , quo in curatione ani figuratur* .

Libro etiam 8. cum in extremo capite 7. animadvertissem , iis quorum maxilla fracta est , non modo humidum cibum diu præscribi , sed hæc insuper addi , *etiam , cum tempus processit , in* 526,
lagano similibusque aliis perseverandum 14.
esse , neque quicquam edendum , donec ex toto maxillam callus firmaverit ; alterutrum suspicatus sum , aut Celsum tria ista verba *neque quicquam edendum*

non

non scripsisse, aut, si scripsit, aliud quodpiam interjeciſſe quod a librariis præteritum sit, ut puta *durius*, aut aliud ejuscemodi, nempe ad hunc modum, *neque quicquam durius edendum*. Nam laganum, ut tenue esset, quantum ex Acrone (1) intelligimus *comedebatur* certe, quod & ipse Acron diserte ait; non potabatur. Quonam igitur modo qui in lagano perseverandum esse, diceret, idem negaret, quicquam edendum? Cum quotquot habeo editiones consulerem; nulla omnino fuit in qua tria illa verba invenirem. Sed codex ita prorsus habet, uti Lindenius, quem commentum non esse quæ addidit, hic quoque locus indicio est. Quanquam igitur eo inclinat animus quo indicant editiones, præsertim cum Celsi sententia, vel tribus iis verbis demptis, eadem sit tamen cum Scriptoribus liceat interdum aliqua inculcare, verbaque illa non modo in nostro, sed ut appareret, in aliis etiam, quæ Lindenius viderit, scriptis exemplaribus legantur; me potius juvat pendere animi, quam fortassis contra fidem vetustiorum, quibus careo, meliorumque codicum quidpiam pronunciare.

Magis autem hæreo in ejusdem libri capite 10. ubi de fracti humeri curatione verba fiunt. Neque enim hæc est sine aliqua obscuritate, quæ si a depravatis dumtaxat vocibus oriretur; aliquanto minus difficile esset eam discutere: sed vereor, ne præterea quidpiam desit, ut in fasciæ quæ secundo loco ponitur, descriptione, in aliisque fortasse. Frustra autem codicem, & libros formis descriptos inspexi. Variat quidem scriptura; sed non ibi ubi sperabam. A tergo ægri minister sub ea de qua modo dicebam, fascia, *porrecto, si dexter*
535, *humerus ducendus est, dextro, si sinister,*
16. *sinistro brachio, demissum inter femina ejus, qui curatur, baculum tenet: medicus super eam fasciam, de qua tertio loco dixi, plantam injicit dextram, si sinister, sinistram, si dexter humerus curatur &c;* medicus enim adversus, humiliusque sedet, eaque tertia fascia, amplexa ipsum ægri humerum, deorsum pendet capitibus ibi inter se vinctis. Pro *porrecto*, pro *plantam*, pro *humerus curatur*, in editionibus cunctis invenio *correpto*, in aliis autem *planam*, in aliis *palmam*, & rursus in cunctis *humerus sumatur*. Codex apud Constantinum pro hac ultima voce habet *sinuatur*; noster magis evidenti mendo *suratur*. Sed cum uterque habeat *planam*; noster, qui manifesto errore pro *correpto* habet *correcto*; habet contra pro *baculum*, quod ab omnibus scribitur, planissime *brachium*: quæ lectio tanto minus negligenda est, quod de baculo nullum antea, aut postea in hac curatione verbum est; *brachium* autem legi animadvertimus in hoc ipso Celsi loco in Vesalii Chirurgiam (2) relato. Nec *plantam*, ab Lindenio hic positam, facile rejiciendam puto. Idcirco enim videtur tertia fascia *deorsum* fuisse *demissa*, ut eam planta injecta *premat medicus*, sicuti mox Celsus loquitur; potius, ni fallor, *trahat* dicturus, si manu voluisset. Manu autem ut posset utraque medicus fracti humeri partes in suam sedem compellere, quemadmodum & res exigit, & superius ipse in universum docuerat; propterea planta uti 532,
malluerit ad fasciam premendam. Sic 32.
etiam cap. 15. ut ambabus manibus reponi luxatus humerus posset; Medicum jussit vel genu uti; si modo Lindenius recte illa edidit, *humerum genu sub ala ejus* 548,
cogere, quomodo in antiquo libro manu 25.
exarato legi, docuerat Constantinus. Qui tamen dum confirmari hanc lectionem credidit cap. 20. de luxato femore, an hallucinatus sit, videas, ex verbis illis, *rotundum aliquid super inguen* 555,
ponendum, subitoque super id genu ad- 2.
ducendum est eodem modo eademque de causa, qua idem in brachio fit; neque enim a Celso ibi designari crediderim, ut Constantinus ibidem putat, caput hoc 15. de humero, sed potius caput 16. quod proprie est de brachio, & in quo sane hæc scripserat, *rotundum ali-* 551,
quid a lacerti parte ponendum est, & 11.
super

(1) *in Horat. l. 2. Sat. 6.* (2) *l. 2. c. 8.*

ſuper id repente cubitus ad humerum impellendus eſt; ut genu capite 20. ægri ſit, non medici, cujus quidem eſt in quadam repoſitione humeri apud Hippocratem (1), in qua medicus, præter manus, genibus quoque, & capite nititur. Verumtamen lectio, a Conſtantino producta; ejuſmodi eſt ſaltem ut intelligi facilius poſſit, quam quæ eſt in noſtro codice, ad eundemque prorſus modum in Pinzii, Juntæ, Manutiorum editionibus miſere depravata. Sed ad caput 15. ut redeam; etſi quæ de quibuſdam in eo verbis cenſeam, non reticui; quæ præterea tamen deſiderem, ſupra indicavi.

Proferam denique ex lib. 5. cap. 19. 262, num. 11. locum illum: *Sunt autem quædam emplaſtra, quibus utriuſque rei facultas eſt. quæ, niſi ſingula habenda ſit, meliora ſunt*: Cum hærerem in ea voce *ſingula*, dubius, an Celſus, ſiè præſertim, illa uti voluiſſet; vel magis hæſi, dum attentius legens quæ ſequuntur, eaque cum ſuperioribus, & mox adjectis contendens, non invenire viſus ſum ita preſſe, apteque ſcripta, ut Celſus ſolet. Et ſane editiones cæteras conſulens, deeſſe illa vidi quæ ſequuntur; ſed tamen & ipſas, & codicem vitio non carere. Habent enim, *quæ ſi ſingula habenda ſunt, meliora ſunt*, ſtatimque illuc tranſeunt, *ſed in copia &c.* Cui vitio ſi Conſtantinus mederi voluit ex ingenio per ea quæ in margine adnotavit, quorum parte uſus eſt poſtea Lindenius; morbum quidem magis cognoviſſe mihi videtur, quam ſuſtuliſſe: ſin codice aliquo uſi ſunt; vereor ut ejuſmodi fuerit, qualem ipſe verſare & ſcrutari vellem: quanquam vitia interdum adeo antiqua ſunt, ut ad ea tollenda ſatis opis ne a vetuſtiſſimis quidem, optimiſque exemplaribus habere liceat. Quod cum poſſem tibi non uno exemplo demonſtrare, eo quod ſequitur oſtendam.

Cum æſtate A. 1742. in Patriam ſeceſſiſſem meam, nec horas vellem pomeridianas illas fervidiſſimas perdere; Celſi codicem, quem alias, ut ſcis, nonnihil verſaveram, petii; ut quidquid a Pinziana editione diſcreparet, in hujus oris perſcriberem. Hæc editio, A. 1497. Venetiis habita, & qua nunc apud me nulla alia vetuſtior eſt, eo gratior in dies mihi fit, quo magis convenire ipſam in pleriſque cum principe Florentina, intelligo, cum plura quæ ex hac adhuc ſervo, excerpta confero: eſtque eadem *Celſus* ille *Pinzianus*, quem adeo laudabat Scultzius (2). Celſus autem Forolivienſis calamo in membranis ſcriptus eſt A. 1451; ut quanquam ab editione illa in non paucis differat, non tamen unquam miratus ſim, quod in difficilioribus locis non idem mihi auxilium tulerit, quod a multo antiquioribus libris ſperaſſem, ut neque tunc in quodam Præfationis loco, neodum mihi, ut verum fatear, ſatis perſpicuo, multo autem minus in Almeloveenii editione, in qua ſic legitur: *Nam ne* 11, *uterum quidem, ut nihilominus aerem* 25. *contineat, ſpirante homine poſſe diduci*. Certe enim venter, ſpirante animali (quod vel proxima verba non negant) imo diutius vitam trahente, in experimentis anatomicis aperitur; non ita quidem, ut aerem nihilominus contineat: ſed quis hoc requirat? aut ſic objiciat, quod per ſe omnibus manifeſtum eſt, fieri nullo pacto poſſe? Itaque in nulla ex meis editionibus ita is locus deſcriptus eſt; ſed in cunctis ad hunc modum, *Nam uterum quidem qui minus ad rem pertineat ſpirante homine poſſe diduci*. Verum ut communis hæc lectio neque inſequentibus verbis repugnet, nec vero, nec illud requirat, aut objiciat quod ſic non eſſet objiciendum; tamen id ponit quaſi minus ad propoſitam diſputationem pertinens, quod evidens eſt ad ipſam pariter valde attinere. Ea enim erat diſputatio quæ non minus ad hæc ſpectaret, quæ alvo, quam ad illa quæ thorace includuntur, vivo animali, examinanda. Cum propterea hæſitarem; fruſtra codicem illum cum Pinziana editione con-

(1) *l. de Artic. n. 2.* (2) *Epiſt. ad Thomaſium, præfixa Exercit. de Oſſib. conſerv.*

Digitized by Google

contuli : id enim quod modo tibi descripsi, ut in hac, ita in illo pariter scriptum erat. Quid optabilius esse poterat, quam videre, quomodo legeretur is locus in eo codice, *quicum nullum inter omnes Italiæ membranas ætate vel emendatiori scriptione comparandum* esse, censuerat Jo. Rhodius (1)? Hujus voti me ultro compotem fecit Vir Humanissimus, idemque græce, latineque Doctissimus Antonius Cocchius Mugellanus in adjectis ad Etruscam suam de Anatome Dissertationem, ad me perbenigne missam. In illis enim, inter egregia cætera, lectiones aliquot proferens ex vetusto illo Mediceo, quem Rhodius tantopere laudaverat, codice, eam quoque produxit quam præ omnibus optabam. Sed cum ea nihil prorsus discrepet a communi; jam æquum esset fortasse, ut me tardiorem in percipiendo, aut fastidiosiorem in accipiendo faterer: quod & facerem libens, nisi animadverterem, plerisque pariter Editoribus non planissimam esse visam propositæ scripturæ sententiam. Cujus rei indicium est, quod legendum credidere *quî minus*, & interrogandi notam? in fine appossuere; quasi ita aliquanto captu facilior redderetur. Cum vero difficultatem ne sic quidem tolli, existimaret Constantinus; eo decurrit, ut in libri ora adscriberet, *Nam ne uterum*. Quam adnotationem retinuit Ronsseus, credo ob eandem causam, Lindenius autem in contextum recepit, aliaque mutavit ex codice aliquo, an ex ingenio? minus feliciter certe, ut ostensum est, sed non obscura significatione difficultatis, quam offenderent in communi lectione satis commode intelligenda.

Cave tamen credas, optimos ejuscemodi codices; etsi non omnibus in locis meliora quærenti respondeant; non magno alibi esse usui ad veram lectionem aut ex quibusdam quasi vestigiis indagandam, aut etiam plane aperteque reperiendam. Exemplis utrumque comprobabo, ab eodem Cocchio propositis. Legitur, ut Manutiorum aliorumque complurium, sic etiam in Almeloveenii editione lib. 8. cap. 20. *Neque tot genera machinamentorum quoque, ad extendendum in hoc casu femur, Hippocrates, Andreas, Nileus, Nymphodorus, Protarchus, Heraclides, faber quoque quidam reperissent, si id frustra esset.* Quid cogebat Celsum, ut post tot, talesque Viros, obscurum fabrum memoraret? Nihil certe. Itaque laudanda videtur editio princeps, & Ruellii, & ante hanc, Pinzia, & Juntæ editiones, & siquæ aliæ nihil habent de fabro, cum cæteræ meæ omnes habeant, & codex Foroliviensis, & quinque alii Florentini, eodem sæculo scripti XV. Sed fuitne in codicibus vetustioribus quidquam ex quo perperam lecto istud extiterit de fabro commentum? In vetustissimo illo, inter *Heraclidem*, & *reperissent* hæc scripta fuerant *quid qua vi*. Admonet autem non minus opportune, quam docte, Cocchius, locum hunc Celsi videri ex loco expressum Heraclidis Tarentini, extante adhuc apud Galenum (2): quod eo facilius credo, quo sæpius video, Heraclidem illum a Celso memorari & quo similiorem utriusque loci sententiam agnosco. Heraclides vero cum Medicos clarissimos nominet, in iisque Hippocratem, Nileum, & Nymphodorum; de fabro nihil, sed hujus loco, habet, ut Cocchius vertit, *aliique quidam*. Quibus ex vocibus, a Celso verisimiliter scriptis, neque ut fabrum, sed ut claros alios Viros, quos Heraclides nominatim laudaverat, significaret, num illæ sint natæ *quid qua vi*, Criticorum erit existimare.

554, 8.

Vidisti, ut optimus codex indicia præbeat ad veram, aut certe veri similem scripturam intagandam. Nunc accipe, quemadmodum plane eam aperteque exhibuerit. Libro 7. cap. 26. ubi Celsus docet, quî via ferro facienda sit, per quam calculus e vesica eximatur, hæc

(1) *Præfat. in Scribon. & Dissert. de Acia c. 6.*
(2) *in Hippocr. de Artic. Comment. l. 4. num. 42.*

Digitized by Google

hæc legebantur: *juxta anum incidi cu-*
477, *tis plaga lunata uſque ad cervicem ve-*
27. *ficæ debet, cornibus ad coxam ſpectantibus paululum: deinde ea parte, qua ſtrictior ima plaga eſt, ſtiamnum ſub cute, altera tranſverſa plaga facienda eſt, qua cervix aperiatur*. Cumque omnia quæ apud me ſunt, exemplaria in iis præſertim verbis conveniant, *qua ſtrictior ima plaga eſt*; horum loco in pervetuſto illo codice ſcriptum fuerat, *qua reſima plaga eſt*. Noſti, qua ſignificatione, non ſatis fortaſſe in Lexicis expreſſa, utatur Celſus voce illa *reſima*,
183, cum renes dicit lib. 4. cap. 1. *a parte*
34. altera *reſimos*, *ab altera rotundos*. Hic autem vides de plaga *lunata* verba fieri, novamque hanc, vel potius vetuſtiſſimam omnium ſcripturam aperte docere, tranſverſam plagam ad lunatam illam ab ea parte eſſe addendam, a qua extant ejuſdem cornua. Verſamur, ut vides, in re gravi, & ad eam rationem extrahendi calculi pertinente, quam inter cæteras præſtantiſſimam multis de cauſis oſtendit idoneus, ſiquis alius, harum rerum exiſtimator, Heiſterus (1): qui præterea ex eadem ortam eſſe, non dubitat (2), *Methodum*, ut vocant, *Lateralem*, nunc maxime celebratam, confirmatque (3) teſtimonio Ravii, qui de hac methodo, Raviana etiam dicta, interrogatus, ſæpe reſpondit, *legite Celſum*.

Atque utinam Cl. Cocchius, ut has variantes lectiones propoſuit, illamque inſuper, quam & nos, admoniti a Forolivienſi codice, & cunctis editionibus, & re ipſa, in extrema ſuperiore Epiſtola (4) attigimus; utinam, inquam, ſic etiam reliquas omnes adjungere potuiſſet, quas, Celſum totum cum ſcriptis libris conferendo, jam diu habet adnotatas: magno certe beneficio cum omnes politiſſimi, utiliſſimique Auctoris ſtudioſos, tum me præſertim, qui jam pridem ejus humanitati multum debeo, hoc etiam nomine obſtrinxiſſet. Nam ego uno quolicunque codice uſus, vix audeo ex iis quæ animadverſa habeo, quæpiam proferre, veritus, ne aliter in aliis antiquioribus, & præſtantioribus libris legatur. Exempli enim cauſa, libro 1. cap. 2. ubi ambulatio *melior* eſſe dicitur *in umbra, quam pa-* 23,
rietes aut viridaria efficiunt, quam quæ 11.
tecto ſubeſt, pro illa voce *viridaria*, quæ in meis omnibus eſt editionibus, in codice inveni *viridia*. Quod paulo fidentius memoro, quia in alio quoque codice ſic legi, ex mea Pantini editione intelligo, cujus libri duo primi, & tertii priora capita cum olim; a quo neſcio; collata fuerint cum veteri aliquo exemplari, & variantes lectiones inde habeant in oris calamo deſcriptas, inter has hic habent *paries*, *aut viridia*. Differre autem, crediderim, viridia a viridariis, quod hac voce non niſi loca herbis & arboribus virentia, illa vero loca eadem aliquando, alias autem arbores plantæve ipſæ virentes videntur ſignificari. Sic Catanæus (5) in minoris Plinii verbis illis, *ambit hunc ambulatio preſſis varieque tonſis viridibus incluſa*, accipiendum cenſuit *viridibus* pro *arboribus ſemper virentibus*. Nec certe Vitruvium (6) aliter exiſtimes accipere potuiſſe, cum ſcripſit: *Media vero ſpatia, quæ erunt ſub divo inter porticus, adornanda viridibus videntur*. Neque enim viridariis dicere voluit, quæ ipſa ſunt loca, ſeu ſpatia; ſed arboribus, quibus *hypethræ*, id eſt ſubdiales, ambulationes includerentur, ut ſic *heberent* etiam a viridibus *ſalubritatem*, & in urbium obſidionibus, ut aliquando inferius ait, ſucciſis arboribus apertæ, lignorum neceſſariam copiam ſufficerent civitati. Quis autem Senecam (7), credat, cum in Africani majoris villa *ciſternam* dixit *ædificiis ac viridibus ſubditam*, viridaria intellexiſſe? cum ciſterna, ut ædificiis & arboribus poſſet, viridariis ſubdita eſſe non poſſet; neque enim hæc

(1) *Diſſert. de Litbot. Celſi præſtantia* (2) (3) *ibid. n.* 52. (4) *p.* 167. *l.* 35.
(5) *Comment. in l.* 5. *Epiſt.* 6. (6) *de Architect. l.* 5. *c.* 9. (7)
(7) *Epiſt.* 86.

satis conveniunt cum cæteris quæ mox subjiciuntur, *sub hoc ille tecto tam sordido stetit, hoc illum pavimentum tam vile sustinuit*. At enim Macrobius (1) eum *viridia* non pro apposito, ut in viridibus pratis, sed pro positivo ponitur, ut in illis, *formosa facies viridiorum*, docuit, & in genitivo casu sic finiri, & *ipsam loci viriditatem significare*. Fateor, qui supra dixerim, non semper arbores virentes designare. At certe non viriditatem ipsam loci apud laudatos Auctores significat; id quod proposito meo est satis: ut minime mihi quærendum sit, qua significatione in Phædri (2) versiculo ponatur,

Perambulante læta Domino viridia;

quanquam ubi de ambulando per Romanos xystos sermo est, posset alicui in mentem venire, ut secundum Plinii, & Vitruvii productos locos explicaret. Multo autem minus hic quæram, sintne *viridia* ad eundem modum accipienda in scriptis veterum Jurisconsultorum. Qua de re memini multa mecum olim erudite, ut solebat, verba fecisse Herculem Franciscum Dandinum Comitem (qui huic Gymnasio, mihique in primis, moriens, magnum tot ejus virtutum desiderium reliquit) eum differre, ipse quoque, sed alia ratione, *viridia*, & *viridaria* conjiceret, quamobrem alios fuisse *viridiarios*, alios *topiarios*, existimabat, nec *viridaria* dicta etiam *viridiaria*, nisi ex imperitia librariorum, qui *viridia* non intelligentes, alias in *viridaria*, nonnunquam littera ultima *i* non deleta, in *viridiaria*, mutassent: quæ in eum quem ultimum edidit librum (3) fuse retulisse, non dubito. Illud dubito, ne forte etiam in Celso nostro ob eandem causam ejusdemmodi mutatio contigerit, & ex *viridia*, quæ ubi de ambulatione agitur, adeo convenire vidimus, factum sit *viridaria*.

Ex iis quæ in Forolivienſi codice animadverti, hoc quoque est. Libro 2. cap. 12. ubi Almeloveenius hæc edidit, *immittenda in alvum est, si levi medicina contenti sumus, pura aqua; si paulo valentiori, mulsa; si leni, aqua, in qua fœnum græcum, vel passerina, vel malva decocta sit: si reprimendi causa, ex verbenis*; supra illa verba, *si leni, aqua* (quæ in eo codice, ut in meis omnibus editionibus, ita sunt, *si leni, ex aqua*) supra illa igitur scriptum est *leniendi causa*, in margine autem *molliendi causa*. Quæ an glossemata, an variantes, ut sæpenumero in eodem codice, ex aliis descriptæ lectiones sint, non facile dixerim; sed tamen dixerim, apte his respondere, quæ mox sequuntur, *si reprimendi causa, ex verbenis*. Quo loco, si ex me quæras, quid Celso verbenæ sint; noli expectare, ut eum Almeloveenio respondeam *quævis herba*, quasi fœnum græcum, vel malva non essent herbæ, vel herbæ omnes reprimerent; neque, ut cum aliis virgulta semper virentia, & jucundo odore, aut alia denique, magis ad Auctores alios, quam ad Celsum explicandum attinentia. Se ipse Celsus interpretatur hoc eodem libro cap. 33. cum inter reprimentia ponit verbenarum contusa cum teneris caulibus folia; *cujus generis*, inquit, *sunt oleæ, cupressus, myrtus, lentiscus, tamarix, liguſtrum, rosa, rubus, laurus, hedera, punicum malum*: & uno versu interposito, *aqua calida, in qua verbenæ coctæ sunt, quas supra proposui*. Ex autem omnes num semper vireant, aut jucundo odore sint, vides. 86, 8. 109, 30.

Sed, ut plenius desiderio tuo satisfaciam, audendum jam est, & sine cortice natandum, id est sine ullo codicum adjumento, veræ similior scriptura, si non divinanda, conjecturis saltem, aut certe suspicionibus perquirenda. A facilioribus incipiamus. Celsum quidem ipsum libros suos in quædam capita divisisse, manifestum est illa ejus loca attendentibus (4), quæ in extrema sua Præfatione indicavit Lindenius. Ita vero Celsum divisisse, ut nunc videmus, aut eas quas legimus, inscriptiones

(1) *Saturn. l. 1. c. 4.* (2) *l. 1. Fab. 5. v. 14.*
(3) *Interpret. de Servit. Prædior.*
(4) *pag. 387, 19. & 531, 14.*

Digitized by Google

nes capitibus præfixiſſe, ſi quis crederet; is quæ ego, ſcripta exemplaria inſpiciendo, eam protinus opinionem deponeret. Longe enim alias, eaſque haud raro ineptas, & diviſiones, & inſcriptiones animadvertens, a Celſo illas eſſe non poſſe, ſtatim perſpiceret. Huc adde, non easdem eſſe in cunctis codicibus partitiones. Quarum rerum omnium ſpecimen habebis in II. & III. in Celſum Epiſtola ad te noſtra, ſi particulam illam Indicis quam in II. (*) ex Forolivienſi codice deſcripſi, cum ea contuleris quæ in III. (**) eſt ex Veneto, utramque autem cum ea parte quæ illis reſpondet in libro cujuſcunque editionis quarto. Cum enim editiones apparari cœptæ ſunt, tunc primum, ut opinor, cogitatum eſt de aptiore & diviſione in capita, & lemmatum his præponendorum ſententia aut ſeligenda, ſiquo in codice minus forte inepta erat, aut de integro excogitanda: itaque non in cunctis editionibus eædem ubique diviſiones ſunt, eædemque inſcriptiones. Hæc attigi, primum ut mecum laudes Lindenium, ſi quid ſcite in lemmate aliquo emendavit, velut in eo quod antepoſitum capiti 1. libri 8. ſic in meis editionibus legebatur, *De poſitu, & figura totius humani corporis*, quando non hæc eo capite Celſus docuit, ſed ejus
498, *oſſium poſitus figuraſque*, ut ipſo capi-
29. tis initio promiſerat. Recte igitur Lindenius fecit, quod a Conſtantino adſcriptam in margine vocem *oſſium* illi addidit inſcriptioni. Deinde illa attigi, ne mireris, ſi fidentius dixero, e lemmate capitis 27. libri 7. *De cancro*,
485, *qui exſiſa veſica naſcitur*, quamvis &
11. codex, & omnes apud me editiones ſic habeant, verbum eſſe tollendum *exciſa*, aliudque, ut, exempli cauſa, *inciſa* ſubſtituendum. Quis enim, niſi mortuo, veſicam excidat, id eſt ſcalpelli ope detrahat?

Faciles quoque, tametſi non in lemmate aliquo, ſed in ipſo Auctoris contextu, eæ mutationes videri poſſunt, quæ una in litterula conſiſtunt, ut ſi libro 6. ſub finem capitis 6. in illis verbis, quæ iisdem editionibus, & codici ſunt communia, *recognitis omnibus, quæ*
370, *medici quoque prodiderant*, pro *quoque*
7. referibamus *quique*: neque enim ipſe medicus non erat, nec remedia, quæ tam longo capite tot, & tam varia propoſuerat, fere omnia a medicis non fuerant prodita.

Ubi vero ſub initium capitis 17. lib. 5. hæc edidit Almeloveenius: *In hoc autem volumine eas* compoſitiones *expli-* 248,
cabo, quæ vel deſiderari in prioribus pa- 27.
tuerunt; vel ad eas curationes pertinent, quas protinus hic comprehendam ſic, ut tamen quæ magis communia ſunt, ſimul jungam. Si qua ſingulis, vel etiam paucis commodata ſunt, in ipſorum locum differam; recte quidem fecit, quod in *paucis* ſequi maluit Lindenium, quam cæteros qui magno conſenſu habent *parvis*, ne Pantino quidem, & Conſtantino, & Ronſſeo exceptis, quorum tamen primus in Adnotationibus, hi autem in libri ora Lindenio præluxerant; ſed illud haud bene, quod ſcripſerit *commodata*, qua in voce Almeloveenii typographos erraſſe, crederem, niſi eandem in Lindenii, & Pantini editionibus, imo in hujus quoque Adnotationibus offendiſſem, cum reliqui omnes ediderint *accommodata*, codex habeat *accomeda*. Hic tamen, illique omnes cum habeant *in ipſorum locum*; ego qui hæc non videam alio poſſe, quam ad curationes, referri, malim *in ipſarum locum*.

Jam vero ad paulo majoris momenti ſuſpiciones progrediamur. Libro 3. cap. 129,
6. hæc legimus. *Ac protinus quidem* 30.
ſcire oportet, *non febricitare eum, cujus venæ naturaliter ordinatæ ſunt, teporque talis eſt, qualis eſſe ſanis ſolet: nec protinus etiam ſub calore motuque febrem ſe ſe concipere; ſed ita, ſi &c.* Et in eo quidem ab Almeloveenio diſcrepant pleræque editiones, & codex, quod habent *non protinus autem*; ſed in cæteris mire omnes conveniunt, niſi quod Pantinus, offenſus ultimis verbis in Adnota-

(*) *pag.* 44, 1, *Edit. Pat.* (**) *pag.* 51, 7.

Digitized by Google

tionibus credit *se ſe* in *potuiſſe* mutandum, Conſtantinus autem & Ronſſeus leviori mutatione in margine adſcribunt *poſſe*. Mihi vel hac levior placeret, id eſt *eſſe*, legeremque *febrem eſſe*, *concipere*, quomodo Celſus ipſe alibi dixit, 185; 17. *urinam in veſicam deſtillare*, *concipiunt*, 406, & *ego eundem quidem hominem poſſe o-* 27. *mnia iſta præſtare*, *concipio &c.*

Libro 2. initium capitis 14. apud Al- 87, meloveenium eſt ad hunc modum. *De* 28. *frictione vero & geſtatione adeo multa Aſclepiades*, *tanquam inventor ejus*, *poſuit in eo volumine*, *quod Communium Auxiliorum inſcripſit*, *ut*, *cum trium tantum faceret mentionem*, *hujus & vini & geſtationis*, *tamen maximam partem in hoc conſumpſerit*, id eſt in frictione, ut vel ea demonſtrant quæ de hac una & continuo, & toto capite ſequuntur. Igitur cum Celſus dicat, *in hoc*, & *hujus*, & *inventor ejus*, nec de geſtatione verba facere incipiat, niſi capite 15; aut me omnia fallunt, aut duæ illæ voces *& geſtatione*, temere in primum verſum irrepſerunt, idque a longo jam tempore, cum in cunctis meis editionibus, & codice legantur. Ronſſeus in libri ora habet *equitatione*, ex eo, credo, quod in pleriſque erat editionibus, *hujus & equi*, *& geſtationis*, quaſi equitatio ad geſtationem non pertineret, ad quam diſerte retulit Plinius (1), melius tamen paucis, & in his Manutiis *aquæ* pro *equi* ſcribentibus; ſic enim ediderant, *vini*, *& aquæ*, *& geſtationis* ſive ex codicibus quibusdam; nam Forolivienſis ita prorſus habet, ut in margine Ronſſeus, *vini. ſ. & aquæ*, *& geſtationis*, ſive etiam Plinium (2) reſpexerunt. Is enim de Aſcepiade hæc ſcripſerat, cum propoſito Celſi loco conferenda, *quinque res maxime communium auxiliorum profeſſus*, *abſtinentiam cibi*, *alias vini*, *frictionem corporis*, *ambulationem*, *geſtationes*. Quibus ex verbis etſi Muretus (3) delenda cenſuerat illa duo, *alias vini*, haud animadvertens, ſic illas res *quinque* non fore; tamen ob hanc ipſam cauſam nihil mutandum eſſe, credidit Dalechampius (4), niſi *alias* in *aliquando*; neque hoc ipſum neceſſario, ut opinor. Nam quod Plinius infra ſubjicit *Trahebat præterea mentes artificio mirabili*, *vinum promittendo ægris*, *dandoque tempeſtive*, *tum frigidam aquam*, æque congruit cum ſuperioribus, ſive *alias* legas, ſive *aliquando*. Sed quomodo Plinium *quinque* communia Aſclepiadis auxilia, & Celſum *tria tantum* fuiſſe, dicentem conciliabimus? Fruſtra Plinianam Harduini editionem conſului, quam poſt miſſam ad te V. Epiſtolam, nactus, ut libenter vidi pleraque eorum quæ de collatione utriuſque Auctoris deſideraveram, non omittentem, ita ſperabam hujus quoque nodi ſolutionem præbituram. Quæ cum me ſpes fruſtrata eſſet ubi ad ea Plinii verba is quo de agimus, adnotatur Celſi locus; capita alia inſpexi in quibus aut de Aſclepiade, aut de frictione, & geſtatione ſermo eſt. Sed non modo nihil quod me juvaret, inveni; verum inſuper ad caput 4. libri 28. non prætereundam operarum hallucinationem offendi. Græcus enim Hippocratis locus, ut Galeni (5) ætate in libro κατ' ἰητρεῖον legebatur, qui locus ut ad frictionem attinet, ſic omnino erat iis Celſi verbis, quibus expreſſus eſt, ſubjungendus not. 5. Sect. 14; ad alia Celſi verba, quæ de geſtatione ſunt, not. 8. non ſecus ac ſi ille pariter ad geſtationem ſpectaret, adjunctus eſt. Nos vero eam quam propoſuimus, repugnantiam qua tandem ratione tollemus, ut cum Plinius quinque, Celſus tria tantum communia Aſclepiadis auxilia fuiſſe, ſcripſerit? Sic fortaſſe, ut dicamus, Celſum de illis quæ in memorato ab ipſo volumine poſuerat Aſclepiades, Plinium de cæteris quoque eidem uſitatis mentionem feciſſe. Utcunque id eſt; cum Celſus tria dumtaxat memoret, ex quibus unum frictionem fuiſſe, demonſtravimus, alterum autem geſtationem fuiſſe ex conſenſu omnium hanc diſerte in tribus illis

(1) *Nat. Hiſt. l. 28. c. 4.* (2) *Ibid. l. 26. c. 3.* (3) *Variar. Lect. l. 14. c. 16.*
(4) *in marg. ad hunc loc.* (5) *Vid. de Sanit. tuen. l. 2. c. 3.*

Digitized by Google

illis enumerantium, veri similius est; satis perspicue apparet, *hujus*, id est frictionis, optimam scripturam esse, bonam *gestationis*, dubiam vero auxilii ejus quod inter utramque a Celso positum est, sic tamen ut vox *aquæ* prævaleat, si codicem, qui hanc habet, & editiones, in quibus aut eandem legimus, aut ex ea corruptam *equi*, attendere velimus; vox autem *vini* ab iis qui frustra eadem quæ a Plinio, a Celso quoque dicta vellent, in codices aliquos intrusa videatur.

Ut igitur voces illas duas *& gestatione* in ejus capitis initium, sic totidem suspicor irrepsisse in proximum ca-
91, put 15. ubi nunc legimus: *Gestationum*
21. *lenissima est navi, vel in portu, vel in flumine; vel lectica, aut scamno: acrior vehiculo: vehementior, in alto mari navi*. Intelligis, me de istis postremis dicere duabus vocibus: quanquam de *navi*, pridem ab Almeloveenio ipso notata, quin glossema sit, dubium esse non potest. At ego suspicor, non unum esse, neque Celsum, postquam *in alto* scripserat, *mari* adjiciendum censuisse. Suspicionem autem minus improbabis meam, ubi animadverteris, alio ordine in cæteris editionibus, ipsoque codice locum istum proponi consuevisse, ut gestationes quæ navi fiunt, minime disjungerentur, sic videlicet: *Gestationum lenissima est navi vel in portu, vel in flumine: vehementior in alto mari navi*; unde hæc duo ultima verba auferre non modo licet, sed & juvat. Non me fugit, quid Lindenium moverit, ut antiquum ordinem mutaret, nimirum ne quæ sequebatur gestatio *vel lectica, aut scamno*, ea videretur non minus vehemens dici, quam quæ navi in alto. Verum si hoc attendendum; illud quoque attendendum erat, eo quem ipse maluit, ordine vehementiorem dici gestationem navi in alto, quam vehiculo, quasi vero gestatione in alto tunc utendum fuisset cum mare ventorum vi maxime esset agitatum: itemque dici lenissimam, ut navi in flumine, quæ vel lectica fiebat, vel sella, quarum motus, quippe pluribus gestantibus, creberrime inæqualis sit & dissimilis, necesse est. Non tamen negaverim, ut aliquid temere addi, sic & omitti inter *alto*, & *lectica* potuisse. Verum minus mihi facile est conjicere quod omnino verbum omissum sit, quam quæ sint addita, suspicari.

Sic & voces alias duas, & has quidem ex librariorum incuria redundare, crediderim sub initium capitis 29. lib.
7. *Sed ante omnia vulvæ natura mirabi-* 489,
lis, cum in multis aliis, tum in hac re 28.
quoque facile cognoscitur. Oportet autem ante omnia &c. Quis enim tantam in disertissimo Scriptore inopiam verborum fuisse, existimet, ut duo illa verba *ante omnia*, nulla adductus ratione, tam brevi intervallo iteraverit? Ut bene illa conveniant secundo loco, ubi ordine præcipere Auctor incipit quidquid fieri oportet ad maturum partum, intus emortuum, manu educendum; certe primo illo non apparet, cur ponantur. Cum enim difficultatem ejus operis proposuerit; continuo spem unam dat, eamque in uteri natura mirabili quæ occasionem præbet cauto & perito Chirurgo primum unum digitum, deinde & alterum, & sic deinceps totam manum per illas angustias inserendi. Namque ex intervallo subinde os uteri dehiscit: qua occasione utendum, ut magister quisque obstetricandi spectatissimus vel nunc præcipit, sicque deinceps expectandum *donec iterum id os aperiatur*; ita enim legere malo, quam cum Lindenio, adscripta in margine a Constantino, & Ronsseo sequente, *os adaperiatur*, cum sit in codice *ad os* 490,
aperiatur, ut in omnibus quoque, mi- 8.
hi notis, editionibus, excepta principe Florentina, ex qua a me olim excerpta nunc inspiciens, gaudeo, in his idem prorsus quod in mentem venerat, reperire.

Fortasse ob eandem veterum scribarum indiligentiam, quædam alia iterata sunt verba in citati libri 7. ca- 477,
pite 26. *Cum jam eo* calculus *venit, ut* 26.
super vesicæ cervicem sit, juxta anum incidi cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicæ debet. Veterum dixi; nam

hic

Digitized by Google

hic quoque tum in codice, tum in meis omnibus editionibus eadem illa repeti video, quamvis cætera paulò aliter, nempe ad hunc modum proponantur, *ut incidi super vesicæ cervicem juxta anum cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicæ debeat*, nisi quod in codice est *debet*, quod in libri ora Constantinus, & Rousseus malunt, *ut* illud delentes, tanto melius hæc quidem quam Lindenius, quod si calculus super vesicæ cervicem sit, necdum ad eum pervenit locum, ut secundum inculcata hoc capite a Celso præcepta aggredi Medicus sectionem debeat. Ante hanc enim vel modo præceperat, ut calculus digitis compellatur deorsum donec ad cervicem perveniat, in eamque impellatur. Itaque ubi mox dicit, *Cum jam eo venit*, perspicuum est, hoc velle, Cum jam in cervicem venit; ut absonum sit addere *ut super vesicæ cervicem sit*, supervacuum autem videri possit dicere, *super vesicæ cervicem* esse incidendam cutem, quando plaga lunata juxta anum debere dicitur *usque ad cervicem vesicæ* pervenire, aut si illud minus supervacuum sit, vox saltem *vesicæ* secundo hoc loco sit minime necessaria.

Utcunque id est; a non absimili operarum socordia cum factum esse, conjeciſlem, ut in cunctis a me versatis editionibus duo alibi verba essent repetita; meam conjecturam postea confirmatam vidi non illibenter. Locus est Lib. 8. sub initium capitis 7. ubi quædam de variis casibus attinguntur, qui ossi, dum frangitur, possunt incidere.
524, 34. *Quinetiam aliquando plura fragmenta e fragmento fiunt, Sed in aliis quidem ossibus ex toto sæpe fragmentum a fragmento recedit.* Vides, quibus de verbis dicam, nempe *a fragmento*, quæ ut secundo loco necessaria sunt, sic primo vel tunc redundare mihi viderentur, si *e fragmento*, scriptum esset, quod nusquam legi. Et fuisse quidem alios antea quibus displicuissent, ex Constantini marginibus intelligebam, qui adnotatum habent, *Quidam segmento*; nec tamen quid isti spectassent, percipiebam. Verum cum denique in Forolivienſi codice duo illa verba prorsus deesse primo quidem loco, animadverti; sic enim scriptum est, *plura fragmenta fiunt*; tum vero ad meæ conjecturæ pleniorem confirmationem nihil aliud optandum cognovi, nisi ut cum eo codice plures alii, in primisque optimi, consentirent.

Quamobrem etsi alias duas suspiciones meas ab eodem codice demum inveni confirmatas; nolui tamen eas magis quam superiorem, ei codici acceptas referre non modo quia ipsæ quoque multo mihi antea in mentem venerant, quam ejus varietates codicis omnes adnotarem, verum etiam quia uni codici, neque ei optimo, non multum tribuo, in re præsertim quæ minus est in veteribus ejusmodi libris attendenda, velut hæc de duabus prima, quæ nimirum pendet a distinctionum notulis, inter verba interjectis. Paulo supra finem ejusdem capitis 7. in omnibus quæ apud me sunt, editionibus ad hunc modum scriptum est, *costæ, spina* 526, *coxarum, os tali, calx*: ad eundemque 7. modum iterum paulo supra finem inse- 528, quentis capitis 8. eadem verba propo- 7. nuntur, nisi quod eo capite 8. *coxarum* loco, quam vocem retinent Lindenius, & Almeloveenius, reliqui habent, codice non discrepante, *costarum*. A quibus hic duo vides posse requiri, costarum spina quid sit? & quare a costis distinguatur? scribunt enim *costæ, spina costarum*: cum a duobus illis prioribus unum modo requiri possit, idque reliquis capite quidem 7. commune, spina coxarum quid sit? neque enim Celsus cum libri hujus 8. capite 1. ossa omnia sigillatim proposuit, in iisque costas, & os coxarum; illis, aut huic spinam tribuit; ne quis forte quia posteri summam hujus partem utrinque spinam vocarunt, eam, credat, capite 7. intellexisse. Quid ergo est? *Coxarum* ego utroque loco scribendum opinor; *spina coxarum* neutro. Sed verba ita distinguenda, *costæ, spina, coxarum os tali, calx*; aut, si mavis, *coxarum os; os tali*; vel *coxarum os, talus*; sic enim

enim ſingula hæc oſſa alibi nominat Celſus. Qui inter cætera oſſa, quæ ibi cap. 8. memorat, fere immobilia, id eſt non æque mobilia, ac humeri, brachii, femoris, cruris, digitorum oſſa, de quorum curationibus eſt poſtea acturus, coxarum os prætermittere non debuit, nec vertebras; has autem ſpinæ nomine, ut ſolet, hic quoque intellexiſſe, initium, & finis proximi, quod ſequitur, 9. capitis ſatis oſtendunt.

Hæc cum eſſem conjectura perſecutus; codice inſpecto, diſtinctionis notas inveni, non inter *coxarum*, & *os*, ſed inter *ſpina*, & *coxarum*, & inter *os*, & *tali*, quemadmodum ſuſpicione præceperam.

Antequam alias hujus generis ſuſpiciones adjiciam; alteram illam indicabo, quam a codice comprobatam vidi. Li-
399, bro 6. cap. 18. *Anus quoque multa, te-*
19. *diique plena mala recipit, nec a ſe multum abhorrentes curationes habet.* Cum hæc primum legi; credibile viſum eſt, non ita olim ſcriptum fuiſſe, ſed potius *nec inter ſe multum abhorrentes*, quomodo Livius (1), exempli cauſa, dixerat *abhorrent inter ſe orationes*. Et veſtigia quidem ejus ſcripturæ in cunctis meis editionibus deprehendi, in quibus videlicet legitur *nec in ſe*; licet Conſtantinus, & Ronſſeus in libri margine adnotaverint *necnon in ſe multum abhorrendas*, lectione minime iis, quæ ſequuntur, curationibus conveniente, quas ſi perlegas, pleraſque agnoſcas nullam aſperitatem, multam ſimilitudinem inter ſe habere. Suſpicionem denique codex luculentiſſime confirmavit, in quo perſpicue ſcriptum reperi *inter ſe*.

Redeo nunc ad eos locos, in quibus ſuſpicor, ob pravam verborum diſtinctionem ſententiam eſſe corruptam. Libro 2. cap. 29. inter ea quæ alvum mo-
106, vent, ponuntur *uvæ recentes pingues*,
21. *minutæ aves, cochleæ &c.* Capite autem inſequente inter ea quæ contra adſtrin-
107, gunt, recenſentur *dura uva; magiſque*,
15. *ſi aſſa ſunt: minutæ aves, merula, pa-*
lumbes; magiſque, ſi in poſca decocta eſt. Num eædem igitur minutæ aves alvum & adſtringunt, & movent? Hæc repugnare, ſenſit Ronſſeus (2), commentuſque eſt, primo loco teneras & nuper excluſas, elixaſque; altero ſiccas, & adultas, & aſſas; quaſi Celſus ſi ita intellexiſſet, per ſe declarare non conſueſſet. Quod & de Pantino (3) dictum volo, qui teneras, duraſque diſtinxit; cum facilius poſſet, quam Ronſſeus, mutatis primo loco inter verba notulis, tollere, ut mihi videtur, repugnantiam, ad hunc modum, *uvæ recentes, pingues minutæ aves*. Dixi autem facilius, quam Ronſſeus; hic enim ne dubitavit quidem, quin pingues uvæ eſſent intelligendæ, ſicque in Enarratione ſua explicavit. At Pantinus (4) utrum mallemus, optionem dederat, *pingues* de uvis, an de avibus dictum accipere. Ego vero non dubitandum crediderim, quin de avibus ſit accipiendum! Pinguedo enim proprie in animalibus dicitur, & *caro pinguis* mox diſerte a Cel- 106,
ſo in iis quæ alvum movent, commemoratur. Cæterum cum alii ſic verba diſtinxerint, ut Almeloveenius, alii ambigue, ut Pantinus; vix tandem unum Conſtantinum animadverti ita, uti ego conjeci, diſtincta edidiſſe. 27.

Verum ne hunc quidem inveni qui alia quædam ita diſtingueret, quemadmodum mihi diſtinguenda videntur, libro 5. cap. 26. ubi Celſus ſub nomine cancri, vulneribus ſupervenientis, gangrænam fere & ſphacelum deſcribit. Nam quod Almeloveenius quæ Pantinus (5), & Ronſſeus (6) huc adſcripſerant, magis attendens, quam quæ Conſtantinus; indicat, quaſi huc attinentes, Galeni locum, & Hildani Obſervationem; nempe uterque horum ibi de tumore verba faciunt, quem hodieque omnes cancrum appellant, non de affectionibus quas Celſus hoc quidem nomine complecti ſolet, nimiæ vulnerum inflammationi, aut conſtrictioni, ut ante-

(1) *Hiſt. l. 38. haud. ita procul a fine.* (2) *Enarrat. in hoc loc.* (3) *Comment. in primum hoc.*
(4) *Ibid.* (5) *Annot. in hunc loc.* (6) *Enarrat. in eundi loc.*

Digitized by Google

300, 15. tequam deſcribat, ipſe ait, ſuccedentibus; ſic enim cum ſæpe alibi, tum præſertim ibi locutus eſt, ubi generatim vetuit nimis arctas fieri deligationes,
533, 23. *ſiquidem id, quod adſtrictum eſt, alienatur, & cancro opportunum eſt*, & ubi ſpeciatim in oſſis fractura quacum ſit vulnus conjunctum, tanto laxiores faſcias laudavit, *quanto facilius & alienari & occupari cancro vulnus poteſt*.
539, 7. In illa igitur deſcriptione hæc etiam
300, 29. ſunt, *ex nigro ulcere humor pallidus fertur, malique odoris eſt, & caro intus corrupta: interdum etiam nervi ac membranæ reſolvuntur, ſpecillumque demiſſum deſcendit &c.* Nemo autem cæterorum eſt qui vel majoris diſtinctionis notam inter *corrupta*, & *interdum* non interponat; ſi Manutios, & Stephanum excipias: quanquam nemo ibi *caro intus corrupta* habet; habent vero *caruncula corrupta*, vel, ut codex, *caruncula que corrupta*, quod ego melius exiſtimo, quia ante duos treſve verſiculos cum de hoc ulcere dictum eſſet *caro ejus corrupta eſt*; ineptum fuiſſet idem iterare. Sic igitur reſcribendum ſuſpicor, *ex nigro ulcere humor pallidus fertur, malique odoris eſt: caruncula que corrupta, interdum etiam nervi ac membranæ reſolvuntur &c.* id eſt putrefactæ excidunt.

Eſt etiam ubi depravatam ſententiam credas non tam quod verba non bene diſtincta ſint, quam quia tranſpoſita. De quo ut exiſtimare poſſis; ex lib. 3. cap. 6. non brevem locum deſcribam, neceſſe eſt, ad tempus attinentem quo potio febricitantibus eſt concedenda.
128, 20. *Ac ne illud quidem ab Heraclide Tarentino dictum, ratione caret: ubi aut bilis ægrum, aut cruditas male habet, expedire quoque per modicas potiones miſceri novam materiam corruptæ. Illud videndum eſt, ut, qualia tempora cibo leguntur, talia potioni quoque: ubi ſine illo datur, deligantur, cum ægrum dormire cupiemus: quod fere ſitis prohibet. Satis autem convenit, cum omnibus febricitantibus nimius humor alienus ſit, tum præcipue eſſe fœminis, quæ ex partu in febres inciderunt.* Hic igitur manifeſtius eſt, quam ut admonitione mea egeat, non aliam, niſi minoris diſtinctionis notulam, inter *quoque*, & *ubi* fuiſſe ponendam. Illud aliquam attentionem requirit, ut ſuſpicemur, ſuo non eſſe loco ea verba, *cum ægrum dormire cupiemus: quod fere ſitis prohibet*. Hæc enim, ſive ad iſtum modum legantur, ſive ipſis particula, *aut*, ut in codice, meiſque libris omnibus, præponatur, non bene ibi collocata eſſe videbuntur iis qui animadverterint, tempora illa non tunc dumtaxat eſſe deligenda, cum ægrum dormire cupiemus, ſed tunc etiam cum materiam novam corruptæ miſceri, volemus. Quorum utrumlibet addita quidem iſta particula *aut* ſignificabit, ſed in alium translata locum ſimul cum verbis inſequentibus. Tantum igitur abeſt, ut eam particulam, quod Conſtantinus, & Ronſſeus in margine indicant, expungendam credam; ut ſententiam ſic reſtitui poſſe, exiſtimem, *Ac ne illud quidem, ab Heraclide Tarentino dictum, ratione caret: ubi aut bilis ægrum, aut cruditas male habet, expedire quoque per modicas potiones miſceri novam materiam corruptæ, aut cum ægrum dormire cupiemus; quod fere ſitis prohibet. Illud videndum eſt &c.* Quod ſi forte malis, nulla translatione verborum facta, mutare tantummodo *aut* in *ut*; etſi translationem magis probem; non pertinaciter repugnabo: ſatiſque mihi erit, locum, quemadmodum hactenus legebatur, vitio non caruiſſe.

Age nunc veniamus ad alterum in quo manifeſtius eſſe videbitur vitium, neque, ut puto, ſine verborum tranſpoſitione facile tollendum. Libro 4. ſub initium capitis 13. hæc ſunt. *Sed prior*, 221, morbus videlicet Ileus, *modo ſupra umbilicum, modo ſub umbilico dolorem movet. Fit in alterutro loco inflammatio: nec alvus, nec ſpiritus infra tranſmittitur. Si ſuperior pars affecta eſt, cibus: ſi inferior, ſtercus per os redditur: ſi utralibet, vomitus eſt. Adjicitur periculo, ſi vomitus biliosus, mali odoris, aut varius, aut niger eſt*. Vides num ubi ſtercus per os jam redditur, poſſit vomitus eſſe, niſi mali odoris? numve periculum, 23.

quod

Digitized by Google

quod jam ſummum eſt, his adjectis augeatur? Certe Aphoriſmus ipſe, (1), quem, tanquam huc attinentem, indicat Almeloveenius; ſi rationem, & Galeni (2) interpretationem attendamus; periculum in Ileo prænunciat ex eo vomitu, non qui vomitum ſtercoris, aut ſtercori ſimilium excipiat, ſed qui hunc præcedat. In Ileis, inquit Galenus, *vomitus non ſemper adeſt, ſed quando exitiales ſunt: & ſi vehementius diſtorquentur, ſtercus eis aſcendit*: & mox, *Hæc vero mihi fieri videntur ab inteſtinis in quibus paſſio talis exiſtit, a ſe expellere ſtercus appetentibus, quando longitudine temporis cœpit moleſtare*. Quam alteram ex Galeno deſcripſi particulam ob eam etiam cauſam, ut intelligeres, quanto melius in producto Celſi loco, ubi nunc legitur, *ſi utralibet metus eſt*, legeretur antea ab omnibus, *ſi utrumlibet vetus eſt*, quod & codex habet.

Itaque locum ſic reſtitui poſſe, conjicio, ſi poſt *tranſmittitur*, continuo ſcribamus. *Adjicitur*, vel; quoniam in codice eſt, *accidit*; *Accedit periculo, ſi vomitus bilioſus, mali odoris, aut varius, aut niger eſt. Si ſuperior pars affecta eſt, cibus: ſi inferior, ſtercus per os redditur; ſi utrumlibet vetus eſt*; videlicet ſi in ſuperiore, aut in inferiore parte inveteravit affectio. Ad eundem enim modum Celſus de dyſenteria infra lo-
225, quitur cap. 15. *Si pluribus diebus nihil*
26. *remedia illa juverunt, vetuſque jam vitium eſt*. Verum ad alia veniamus, vel potius revertamur.

Cum enim ſupra mentionem facerem immobilium quorundam, id eſt minus inter ſe, ſecundum naturam, mobilium oſſium, quæ Cornelius noſter extremo capite 8. libri 8. nominaverat: in memoriam redii, quid eſſem olim ſuſpicatus in verbis illis, quibus inter initia capitis 11. ejuſdem libri, oſſium motus præter naturam, id eſt luxationes, ita
542, diſtinxit. *Moventur oſſa ſedibus ſuis*
30. *duobus modis. Nam modo quæ juncta ſunt, inter ſe dehiſcunt: ut cum latum os ſcapularum ab humero recedit; & in brachio, radius a cubito; & in crure, tibia a ſura: ---- modo articuli ſuis ſedibus excidunt*. Quem ſecundum modum ſigillatim inſequentibus proponit capitibus, de maxilla luxata, &, quod ad ſuſceptum ſermonem maxime attinet, de luxato humero, aliiſque ejuſmodi. Hinc autem ſuſpicio oritur, in iis quæ produximus, verbis non *ab humero*, ſed *ab jugulo* potius eſſe legendum. Jugulum enim, id eſt clavicula, ita cum lato ſcapularum oſſe junctum eſt, ut cum tibia fibula, aut, ſi mavis, cum ulna radius, non ita ut cum lato eodem oſſe humerus, qui & per articulationem jungitur, maximos quoſque motus permittentem, & cum recedit ab illo oſſe, ſive, quod eodem redit, cum illud os ab ipſo recedit, non huc res attinet, ſed alio, videlicet ad caput, quod peculialiter extare dixi, de luxato humero. Quæ animadverſio non tantum ad id valet, ut vitiatam hic eſſe ſcripturam, opinemur (fruſtra explicante Conſtantino de acromio, quod oſſiculum perraro in adultis invenitur, nec inter oſſa a Celſo proponitur) ſed ad illud quoque, ut paulo inferius ab Lindenio egregie emendatam intelligamus. Cum enim & editiones omnes, & codex ipſe, ut *ab humero* habent, ſic perperam quoque haberent *mollibus*, vel etiam, ut in Conſtantini, & Ronſſei margine, *molibus*; nihil melius reſcribi potuit, quam *mobilibus* in iis verbis, 543,
Quorum vitandorum cauſa, facienda ea- 10.
dem ſunt, quæ in oſſibus mobilibus læſis. Quid enim huc *oſſium molibus*, vel *oſſibus mollibus*, aut *mollioribus*? nam hoc malebat Conſtantinus. Hic enim, ut fibulæ, & radii diſerte propoſita exempla oſtendunt, de oſſibus agitur immobilius, aut certe minus mobilibus: hiſque Celſus læſis, adhibenda eadem eſſe, docet quæ læſis mobilibus.

Simile vitium, ſimilique ratione emendandum, irrepſiſſe in primum caput libri hujus 8. ſuſpicaberis, ubi le-

(1) 10. Sect. 7. (2) Comment. in hunc Aphor.

501, geris, *Maxilla vero eſt molle os.* Nemo
1. enim hoc dicat, nedum Celſus, qui ſternum, duritie cum maxilla non confe-
503, rendum, os tamen eſſe *valens ac du-*
13. *rum*, iſto eodem capite dicturus eſt. At enim codex, & editiones, quotquot inſpicimus, habent *molle*. Nimirum credo, ut *mollibus* habebant in loco ſuperiore, notula quæ compendium vocis *mobilibus* ſignificaret, a librariis olim non intellecta, aut minus animadverſa: cujuſmodi ob cauſam Veterum duo treſve ediderant infra, capite 4. ut Almeloveenius quoque ibi adnotavit, *membrana mollis ac ſui coloris*, ubi edendum
520, fuiſſe *membrana mobilis ac ſui coloris*,
31. ſatis illa oſtendunt quæ continuo his opponuntur, *membrana immobilis, nigra &c.* Unum eſt, quantum video, quod mihi, pro *molle* hic *mobile os* repoſituro, objici poſſit, nempe tribus, nec totis, interjectis verſiculis, de ea-
501, dem maxilla hæc addi, *ſolaque ea mo-*
4. *vetur*; ſupervacuis verbis, ſi modo ea mobilis dicta eſſet. Attamen haud plane ſupervacua fortaſſe videbuntur, ſi quid continuo ſequatur, attenderis. Hoc enim ait Celſus, *ſolaque ea movetur. Nam malæ cum toto oſſe, quod ſuperiores dentes excipit, immobiles ſunt*. Aliud autem eſt dixiſſe, mobile os maxillam eſſe, ſtatim atque de ea ſermo fieri cœptus eſt, nempe cæteris illis capitis partibus quæ omnino immobilibus compinguntur oſſibus, ad eum uſque locum deſcriptis: aliud eſt, nonnullis de ea jam dictis, opportune admonere, maxillam de qua verba fiunt, illam eſſe quæ ſola movetur; ne quis forte rerum ignarus, maxillæ nomine deceptus, putaret, ſuperiorem quoque a Celſo mobilem dictam fuiſſe. Nam ſuperiorem etiam, a Romanis maxillam fuiſſe appellatam, ipſum malæ nomen indicio eſt, quod ex maxilla contractum eſſe, jam diu eſt cum docti homines de M. Tullio (1) didicerunt. Quod nomen etſi Plinius (2) tradidit, in homine tantum habere locum; non tamen ſcripſit, haud licitum eſſe in homine quoque ſuperiorem maxillam dicere: imo licere, exemplo docuit ſuo, cum remedia adverſus *maxillarum dolores, tumoreſve* propoſuit (3). Celſus igitur, ne quis dubitare poſſet, utram maxillam mobilem eſſe, dixiſſet; cum illud adddidit; tum ſuperiorem, niſi forte ſimul cum inferiore, nuſquam, quod meminerim, alio quam malarum, nomine deſignavit: quin a malis aperte, ut hic, maxillam, videlicet inferiorem, diſtinxit, quemadmodum capite 7. hujus libri videbis in illa eertorum oſſium enumeratione, *maxilla, malæ, jugu-* 526,
lum &c. quam conſtantem ejus conſue- 5.
tudinem haud ſcio, an alii ſatis adnotaverint.

Locus eodem capite primo brevis eſt, ſed in quo de pluribus dubitatur. *Super hos quoque muſculos, qui tempora contengunt, os medium, in exteriorem partem inclinatum, poſitum eſt*. Sic cum Lindenio Almeloveenius. Sed qui eos præceſſerant, quotquot inſpexi, & cum his non codex modo quem memorare ſolitus ſum, ſed & Venetus, ut quædam quæ olim ex eo excerpſi, mihi adhuc oſtendunt, habent ad hunc modum, *ſub his quoque muſculis, qui tempora connectunt:* in cæteris autem conveniunt codices, non editiones. Nam vel princeps, & Pinziana *inclinatam* habent, nedum reliquæ, præter editionem Ronſſei, in qua tamen aliud diſcrimen animadverto; ſcripſit enim *in interiorem partem inclinatum*, quam lectionem Paawius (4) ſequitur. Quibus de muſculis Celſus loquatur, manifeſtum eſt: quo de oſſe, ambiguum, eoque magis, quod varia adeo profertur ſcriptura. De qua etſi in muſculis minus controverſiæ eſt; ea ipſa tamen a vera fortaſſe longius abeſt, quam putant. Qua enim, quæſo, ſignificatione tempora *connectere* iſti dicuntur muſculi quos temporales vocitamus? Difficultas hæc, credo, Conſtantinum, & Ronſſeum impulit, ut in libri ora adſcriberent *contegunt*. Quam tamen

(1) *in Oratore*. (2) *Nat. Hiſt. l.* 11. *c.* 37. (3) *Ibid. l.* 21. *c.* 20. *& l.* 23. *c.* 2. *&* 7.
(4) *Comment. in hunc loc.*

Digitized by Google

tamen Paawius vocem respuit, tanquam *Celso minus familiarem*, oblitus; ut renum, & omenti descriptionem (1), & locos alios præteream, ab hoc capite distantes; hujus ipsius initio scripsisse
498, illum, *cerebri membranam contegit*, in ea-
33, demque pagella paulo supra, *os contegat*,
14, & *erit contegendum*; ut intra duo-
& decim, aut tredecim versus ter usus
15. sit, Est igitur Celso maxime familiaris. Sed tamen dubito, num usurpaverit hoc loco, an potius, quam *contegunt*, scripserit *continent*. Quo id auctore? inquis. Nempe eodem Celso, quem animadverti, cum hos musculos indicaret hujus ipsius libri alio loco, qui & in codice, & in editionibus sine ulla cujusquam dubitatione uno eodemque modo legitur, ita scripsisse,
517, *inter musculos, qui tempora continent*.
4. Utinam Celsi ipsius auctoritate uti possem ad cætera pariter quæ in verbis propositis dubia sunt, veri similiori ratione dirimenda, quæ ab illo nimirum pendent omnia, quod os intellexerit? Et a primo quidem id esse videtur quod latine a jugi similitudine satis bene vocamus Jugale: quamvis enim hanc jugalis significationem in Lexicis non vi-
500, deamus adnotatam; Celsus tamen *Jugule*
33. *appellari posse ab eadem similitudine, a qua id Græci ζυγῶδες appellant*, infra docet, ubi id os memorat, ac describit. Quod attendens Paawius, negat, proposito loco de eo esse Celsum loqui, de quo paulo post ex instituto sit locuturus, & quod præterea non *sub* his musculis sit, sed ipsis impositum. Cui secundæ animadversioni tantum videtur tribuisse, Lindenius, qui de Jugali hic dici, crederet, ut propterea fortasse, pro *sub his* ediderit *super hos*, mutatione libris omnibus quos viderimus, ut supra indicatum est, repugnante, & minime ipsi necessaria, stante enim homine, est Jugule os infra totos ferme eos musculos. At Paawius processum petrosum opinatus est hoc loco indicari: quam opinationem, cum Celsus nihil usquam attigerit eorum quæ non nisi aperta calvaria, possunt de hac conspici; examinare non est operæ. De Constantini autem opinione, quam ex libri ora conjicimus, ubi pro *os medium* posuit *os malarum*, satis est, secundum Paawii primam animadversionem, hoc quærere, quid attinuerit hic scribi quod paulo post nihilominus erat scribendum? Nam si *juxta* aurem *finiri* Jugale *os* tradetur, *quod tranversum a genis ten-* 500,
dit; inde satis intelligi poterat, *sub* 30.
Temporalibus *musculis os malarum, in exteriorem partem inclinatum, positum esse*. Quid igitur est? fortasse, nihil a scriptis libris recedendo, vox illa *medium*; quam quo referamus, si de osse Jugali sermo sit, haud satis apparet; de parte illa calvariæ accipienda est quæ, sub his musculis latens, contra medium fere ipsorum in exteriorem inclinatur partem. Cum enim hic Celsus calvariæ latus describat, futuram videlicet squamosam, & os quod proxime post aurem crassissimum est; a veri similitudine non abhorret, cavere voluisse, ne quis forte, ut æquatum exterius videt ab his musculis capitis latus, sic ob ignorationem eorum crassitudinis putet, subjectam quoque calvariam ipsorum esse superficiei parallelam: itaque illud caventem, ibi os extrorsum inclinari, ubi sedem relinquat majori eorum crassitudini, docuisse: dixisse autem, *sub* his musculis, quia hisce obtegitur, non secus atque alibi (1) cor, dixit, *sub sinisteriore mamma situm*. Verum ex his omnibus quæ super uno isto loco a me scripta sunt, noli aliud magis attendere, quam quod, Celso auctore, conjeci de verbo *continent* pro *connectunt* substituendo.

Ejusdem auctoritate ductus, nonnullas alias suspiciones, dum infra legerem hoc ipsum caput, subortas, mihi jam demere conabor. Humerus, inquit, *extremis utrinque capitibus tumidus, mul-* 504,
lis, sine medulla, cartilaginosus. Nulla 13.
hic mendi suspicio. Nam quod duas il-

(1) *l.* 4. *c.* 1. *p.* 184, 2. & *p.* 185, 10. (2) *l.* 4. *c.* 1. *p.* 183, 11.

Digitized by Google

las voces *ſine medulla* Paawius (1) *omnino delendas* eſſe, pronunciat, quia hoc os, ſicuti mox Celſus ipſe agnoſcit, *medulloſum* eſſe, conſtat; delendæ eſſent aliæ quoque, id eſt *mollis*, & *cartilaginoſus*, quia durum eſſe, manifeſtum eſt, neque id Celſus negat. Sic enim pergit, *medius teres*, *durus*, *medulloſus*. At vero omnia ſunt retinenda; prima, quia de *extremis capitibus*; cætera, quia de *medio* inter exrema oſſe diſerte dicuntur: utraque autem, ſi eæ inter ſe conferantur oſſis partes, ſatis vera ſunt. Suſpicio autem oritur ex iis quæ continuo ſequuntur, *leniter cavus*, *in priorem & interiorem; gibbus, in poſteriorem & exteriorem partem.* Certe intelligis, hæc, ſicuti Lindenius, & Almeloveenius edidere, cum ipſius oſſis figura non convenire. Sed neque conveniunt quæ pro his omnibus meæ cunctæ habent editiones. In aliis enim ſic legas, *leniter gibbus*, *& in priorem & poſteriorem*, *interiorem*, *& exteriorem partem:* in aliis autem, quibuſcum Pinziana, & codex ipſe conſentiunt, *leniter gibbus* & *in priorem*, *& in exteriorem partem;* quaſi vero aut ab nulla parte eſſet cavus, quod primæ indicant; tunc autem preſſius Celſus ſcripſiſſet, leniter gibbus in omnem partem: aut præter priorem, & exteriorem, duæ partes reliquæ non eſſent hic commemorandæ, quod cæteræ ſignificant editiones; tunc autem Celſus hæc ſtatim non ſubjeciſſet, *Prior autem pars eſt, quæ a pectore eſt: poſterior, quæ ab ſcapulis: interior, quæ ad latus tendit: exterior, quæ ab eo recedit.* Si Celſo igitur, & re ipſa ducibus, locus ille a librariorum facillima in ejuſmodi præſertim verbis deſcribendis hallucinatione eſt vindicandus; non inde, opinor, ejus initium unde Lindenius, ſed unde omnes reliqui faciendum eſt, reſcribendumque magna ex parte, ut primi illi, *leniter gibbus in priorem & poſteriorem & interiorem; cavus in exteriorem partem.*

Sed etſi tam varia, ut vidimus, apud varios ſcriptura vitium ipſa in eum locum irrepſiſſe, indicabat; non eſt tamen cur alteri plurimum fidamus, in quo ſcribendo mire omnes conſentiunt. Eſt eodem capite primo, ubi femina, id eſt femorum oſſa, *ab exteriore parte gibba* dicuntur. Sunt autem; idque proculomni dubitatione; a priore, ſi re ipſa, & verborum paulo ante propoſita declaratione ſtandum eſt, quam Auctor *ad omnes articulos pertinere*, etiam *in ulterioribus*, diſerte admonuit. Crediderim igitur, ſcripſiſſe, *a priore*, aut, ſi minus recedere a communi lectione velis, *ab anteriore:* aut ſi forte *ab exteriore* ſcripſit non tam quia inde quoque, in nonnullis præſertim corporibus, nonnihil gibba ſint, quam ut Hippocrati obſequeretur; non omiſiſſe tamen *a priore*, ut ſimul id quod multo evidentius eſt, ſimul ipſum ſequeretur Hippocratem (2), cujus hæc verba ſunt, *conſiderare oportet, quod femur gibboſum magis eſt ad externam partem, quam ad internam, & magis ad anteriorem, quam poſteriorem.* 506. 20. 504. 21.

Mendum quoque alterum mihi eſſe videtur in extrema eorundem feminum deſcriptione. *Atque in eo inferiora quoque capita media ſinuantur, quo facilius excipi a cruribus poſſint.* Scire enim velim, quorſum pertineant duæ iſtæ voculæ *in eo*. Nihil enim ſingulari numero præcedit, quo referas. Noviſſima autem hæc fuerant, *tum infra introrſus leviter tendunt, quo æqualius ſuperiora membra ſuſtineant.* Igitur aut eæ voculæ inducendæ ſunt, ut modus quo præcedentia iſta dicuntur, in ſubſequentibus ſervetur, aut videndum eſt, an forte ex *ideo* deſcribentes fecerint *in eo*, potueritque Celſus ita ſcribere *ideo*, *quo*, ut notum eſt, eadem mente ſcriptum eſſe a M. Tullio (3) *eo*, *quo*, & *idcirco*, *quo*. 505. 25.

Verbum *ſinuantur*, quod in iſto ultimo erat loco, locum alterum ad memoriam reduxit ejuſdem capitis, ubi oſſa

(1) *Comment. ad hunc loc.* (2) *l. de Fractur. num. 24.*
(3) *ad Attic. l. 8. epiſt. 9. & l. 1. epiſt. 16.*

Digitized by Google

ossa brachii proponuntur. Brachii autem nomine haud accipio humerum quoque, de quo jam vidimus; tametsi, Celso ipso auctore, non aliis modo, me posse, crederem, qui cum supra hic scri-
504, 10. psit, *paululum motu brachii moveri* jugulum, non videtur humerum quoque non intelligere potuisse. Accipio, quod ipse multo sæpius, eam artus superioris partem quæ inter humerum est, & manum. Ejus igitur partis ossa describens Celsus, cum radium proposuisset superius tenuem, cubitum autem ibi pleniorem, ampliusque quam radius, cum extremo humero commissum, deinde radium a cubito paulatim ditem-
505, 7. ptum; *rursus*, ait, *ad manum coeunt, modo crassitudinis mutato. Siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis est. Dein radius in caput cartilaginosum consurgens, in cervicem ejus insinuatur. Cubitus rotundus in extremo, parte altera paululum procedit*. Gravis suspicio in ea cadit, *in cervicem ejus insinuatur*. Nam primum quæ est cubiti cervix? aut ubi a Celso indicata est? Deinde quomodo radius in imum cubitum insinuatur, si cubitus ibi in radium, ut probe nosti, se insinuat? Denique cum
504, 32. summam radii partem *leniter cavam* esse, a Celso non fuerit prætermissum; quomodo in ima tanto ampliorem omittere sinum potuisset? aut si omisisset; qui mox posset illum, ubi de manu verba facit, non secus ac si propositus antea esset, commemorare? Primam enim manus partem describens, duo ejus pro-
505, 27. cessus, inquit, *in sinum radii conjiciuntur*. Augetur suspicio editionibus inspectis, quæ ante Lindenium, a quo notata illa verba accepit Almeloveenius, prodierant. Nam Cæsarius quidem, & Pantinus *in cervicem*, at cæteri *in verticem* (nisi quod Constantinus *in vertice*) *in verticem*, inquam, *ejus* ediderunt, quod in codice quoque est: in eodemque, ut in editionibus quæ apud me sunt, prorsus omnibus, verbum sequitur quod quærebam, nimirum pro *insinuatur* habent *sinuatur*. Quid tamen adhuc ista faciemus voce *cervicem*, aut *verticem*, aut denique *vertice*? De cervice enim diximus, cur hic agnoscere non possimus. Verticem autem ut pro infima radii parte dici potuisse, non negaremus, exemplo inducti, quod infra animadvertimus in ossibus digitorum; 505, illa tamen adjecta vox *ejus* non digna 32. ibi Celso videretur, sive ad radium velles referre, sive ad radii caput. Satis enim fuisset scribere, *in vertice sinuatur*. Si quid ego suspicer, quæris; a te peto, ut propositum locum attente relegas, & Celsi mentem in describanda alterna illa superius atque inferius radii, & cubiti mutatione, perpendas. Continuo idem quod ego, suspicaberis, ut radium quem in summo tenuiorem, quam cubitum, dixerat, in imo dicit esse crassiorem; ita quoque eundem quem illic ostenderat multo minus, quam cubitum, ad junctura pertinere, hic contra, unum ferme cum manu committi, ostendere debuisse, &, quod consequitur, tradere, cubiti loco radium ipsum sinuari. Quod præclare fecerit, si, ut puto, scripserit *in vicem ejus*, id est cubiti, *sinuatur*. Ita autem scribere potuisse, cum aliorum, tum Celsi ipsius commonstrant exempla. Quorum hoc, proposito simillimum, & maxime geminum, est libro 4. cap. 7. *Sed hic vinum sorbere*, 211, *ut supra præcepimus, morbus ipse non* 5. *patitur: in vicem ejus, cremor ptisanæ sumendus est*.

Suspiciones alias; quasi non nimis multas jam protulissem, huc additurum, opportune litteræ interpellant tuæ. Quæ quoniam non breves sunt, & multa, ut video, de Celso, nec levia, proponunt; cum perlectæ fuerint, respondebo. Has interim accipe, & quæ de Samonico expecto, fac mittas, & valeas.

Patavii Postrid. Kal. Januar. MDCCL.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA OCTAVA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

LIteras perlegi tuas, quibus ex me plura quæris : illud primum, & gravius, quid sentiam de non ita paucis, quas descriptas misisti, in Corn. Celsum Adnotationibus, Dicam, ut solitus sum, ingenue. Ab una eademque manu mihi profectæ non videntur. Sunt enim plures ex quibus aut acumen ingenii elucet, aut doctrina multiplex, atque eruditio, aut linguarum peritia non vulgaris, ut si has a magno quamlibet Viro esse, dicas, non difficile assentiar. At sunt vicissim aliæ ab illis adeo discrepantes, ut prope pœniteat legisse. Quod ne temere dictum suspiceris; relege quas indicabo.

In Celsi Præfatione hæc de Medicis
6, Rationalibus verba sunt, *eum mederi*
32. *posse arbitrantur, qui prius illa ipsa, qualiter eveniant, perceperit.* Pro hoc ultimo verbo substituitur in Adnotatione *præceperit*, hoc addito *Unde præcipere animo, præsumere;* quasi Celsus ipse nec præposuisset *prius*, neque ita satis significaret, qui illa ante didicerit. Lib. 1.
30, cap. 3. *Qui vomere post cibum volet, si*
14. *ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet assumere.* Adnotantur hæc, *Non* tantum, *ut alii, reponendum. Nam hic græcissat, proque* ὡς tanquam *ponit.* Credas fortasse, vetustissimas editiones habuisse *tanquam;* novissime autem aliquos fuisse qui mallent *tantum.* Et tamen, si ex inspectis a me tot editionibus tres excipias; cæteræ omnes, & vetustiores in primis, & codex habent *tantum*, quæ vox an huc magis conveniat, ostendunt quæ continuo sequuntur, *si difficilius; aquæ vel salis, vel mellis parum adjicite.* Vides, ut *adjicere* opponatur illi *tantum.* Quin etiam, duobus versiculis interjectis, hæc leges, *deinde aquam tepidam, ut supra scriptum est, bibere.* Sed gravius quiddam tentatur in verbis illis ex cap. 15.
lib. 3. *dandaque opera est, ne qua cruditas* 146,
in quotidianam id malum vertat, 20. quartanam videlicet febrem. Hæc enim apponitur Adnotatio, *ne qua cruditas quotidiana in malum vertat*, ut cum dicitur *Hoc tibi vertet in malum* : non *se vertet.* Utrum tandem ista adversus codicis, & editionum consensum proposita mutatio est, quod Celsus ita loqui, ut Plautus, Virgilius, & Cicero ipse, non posset? an quod ibi non deberet, ubi de quartana in quotidianam facile mutanda verba facit? Hæc enim continuo subjicit, *Nam quartana neminem jugulat : sed si ex ea facta quotidiana est, in malis æger est.* Imo *ne qua cruditas quotidiana* isto loco dicere non debebat, tum ne quis crederet, nisi quotidiana cruditas sit, ex quartana fieri quotidianam non posse, tum quia ægrum, supra jusserat, *tertio die* 146,
abstinere, hic vero quomodo in cibo 5. assumendo se debeat gerere, non quotidie, sed quo die febris expectatur, ostendit. Libro 7. cap. 26. ubi is minister qui puerum, jam novem annos, nondum quatuordecim excedentem, sic contineat, ut oportet, dum ei calculus extrahitur e vesica; ubi igitur is minister debere esse dicitur *homo præ-* 476,
valens & peritus, verbum *prævalens* 2. Adnotatio mutat in *prudens.* Quid ita? *Nam sæpe* al *in veteribus codicibus pro* d *legitur.* Fac, sæpe ita legi. Num semper, num hic ita lectum esse, credemus? ubi non prudentia modo, quæ satis hic quidem voce illa *peritus* significatur, verum etiam vires adeo requiruntur, ut mox admoneat Celsus, si pueri

Digitized by Google

ri qui curatur, robuſtius ſit corpus, tum
476, unius loco, miniſtros eſſe oportere *duos*
10. *valentes*, qui contineant, imo ſemper
476, a lateribus alios *duos valentes*, qui unum
22. illum, aut eos duos *labare non ſinant*. Magis ſane quam in his qui puerum continent, in eo miniſtro prudentia requiritur, cujus manibus altera alteri impoſita mulieris venter premitur, ut infantis mortui caput ad os uteri compellatur. Neque tamen a Celſo inſequente cap. 29. aliis quam his, deſi-
492, gnatur verbis, *valens homo, non impe-*
10. *ritus*.

Aliæ autem ſunt Adnotationes, nec eæ paucæ, quibus non tam verba Celſi mutantur, ut in ſuperioribus, quam per cauſam gloſſematum omnino tollun-
19, tur, velut in ipſa Præfatione. *Nam ſa-*
20. *mem facilius fert adoleſcens, quam puer: facilius in denſo cœlo, quam in tenui; facilius hieme, quam æſtate: facilius uno cibo, quam prandio quoque aſſuetus: facilius inexercitatus, quam exercitatus*. Quid hic gloſſematis? Nempe in duabus illis vocibus *quoque aſſuetus*, quæ *gloſſema eſſe ineptum* dicuntur. Verum ſi tollantur, quæ membri illius ſententia erit? Sic etiam lib. 3. cap. 5. cum
126, oportere, ait Celſus, *cibum quam ma-*
19. *xime ſemper ab acceſſione futura reducere: &, hoc ſalvo, dare quam integerrimo corpore;* illud, *hoc ſalvo*, non dubitatur quin *ſuperfluum ſit, & gloſſema*. Eſt vero adeo neceſſarium, ut, ſi demas, Auctoris præceptum longe aliud appareat. Neque enim id vult, nec fieri poteſt, ut febricitanti cibum ſemper demus; cum eſt integerrimo corpore, verum ut integerrimo quidem demus, ſed tunc dumtaxat, cum integritas tot horas manſura eſt, quot omnino ad cibi diductionem requiruntur, antequam nova incipiat acceſſio. Hoc enim, ut ſuperiore capite adverſus Aſclepiadem, & Themiſonem conſtituit, non illud, Celſo præcipuum eſt: itaque, hoc ſalvo, illud tunc denique non recuſat. Poſt hæc, duo leviora videbuntur: ſed cum in eundem librum cadant; alia hic potius, quam ipſa, omittam. Alterum ad caput attinet 13; alterum ad 18. In primo legimus, *Si res inveteraverit*. In 143,
altero, *Si vero conſilium inſanientem* 13.
fallit. Ad primum hæc adnotantur, 155,
Abundat res. *Sic tamen loquebantur Plau-* 3.
ti tempore, ſed non Celſi. Ad alterum, *inſanientem* pronunciatur *gloſſema eſſe*. *Nam elegantiſſime dici*, (raro hoc fallit). Non eſt nobis quærendum in primo, num ſic amplius non loquerentur Celſi tempore, neque in ſecundo, an omiſſa voce *inſanientem*, hærerent lectores, pauliſper ſaltem. Celſus ipſe hoc eodem libro cap. 21. certe ſcripſit, *Neque eum res fefellit*; niſi huc quo- 161,
que, adverſus codicis, & editionum fi- 22.
dem in ſententia obfirmati, duo contendemus irrepſiſſe gloſſemata: ſicque alia in alios, qui produci poſſent, Cornelii noſtri locos, ut puta ubi ſub Operis fi- 557,
nem legitur, *cum jam vetus res eſt* pro 32.
vetus morbus eſt, aut alibi, *Ubi bene* 521,
res cedit, & *Balneum rarum res amat*, 8.
& *neque enim ſemper concoctionem res* 166,
expectat, &c. Sed quis tandem erit mo- 27.
dus? Si jam ſic in alienis ſcriptis ni- 79,
mis ingenioſi eſſe velimus; ad multo 29.
pauciora verba redibunt antiquorum libri, eorumque ſententiæ ex dilucidis ſæpe obſcuræ fient, & ex abſolutis aliquando imperfectæ.

Eſt viciſſim ubi Adnotationum Auctorem malles ingenium exercuiſſe ſuum, quam Celſum, quem aliqua tueri æqua interpretatione decebat, præpropera feſtinatione damnaviſſe, ut libro 4. capi- 220,
te 12. quod de morbo *ventriculi* ſcri- 6.
pſit, qui *κοιλιακὸς a Græcis nominatur*. Statim decurritur ad notam hanc apponendam: *Commiſcuit* colicum *cum κοιλιακῷ Celſus. Facilis enim eſt lapſus*. Quid? ſi proximo, quod ſequetur, capite diſerte non ſcripſiſſet, inteſtini plenioris morbum (de quo eſt caput 14.) 221,
κολικὸν nominari. Altera additur nota, 22.
Hallucinans hæc ſcripſit, quia cum alvum nihil reddere dicat in hoc morbo (quod falſum eſt, & videtur de colico intelligendum) tamen paulo poſt aſtringentia præſcribit. Ex quo apparet, medicum non fuiſſe Celſum. Ego vero medicum non fuiſſe, opinor, qui hoc ipſi objecerit. Vidiſſet enim, poſtquam ventrem

trem tandiu *liquaverat*, quandiu in *longo* morbo opus esset, debuisse tandem sub finem morbi justum robur ventri
220, ipsi reddere, idque *paulatim facto transitu*, non ad valida astringentia, sed
34. ad *assam carnem valentem*, & ad *pluviatilem aquam decoctam*, timentem videlicet, nisi ventrem denique confir-
226, maret, *ne vitium contrarium oriretur*, ut
26. loquitur capite 16. Cæterum quo magis omnibus manifestum est, & semper fuit, descriptum hic, & curatum a Celso morbum longe alium esse ac qui solet a Medicis Cœliaca passio nomina-
221, ri; eo æquius erat, exemplo adductos
20. quod insequens caput proponit, Ilei, primum inquirere, an forte qui ante Celsum de Medicina scripserant Græci non eundem quem posteriores, morbum eodem nomine designassent; aut si eundem, an interdum tamen alium quoque: deinde, si nunquam alium quam posteri, significassent; tum vero cogitare, an librarii, ut tot alia nomina, græca præsertim, in describendo vitiarunt, ita aliud a Celso fortasse scriptum, in κοιλιακὸς mutassent. Rubeus (1) est certe laudandus, qui cum alium omnino morbum ac quem alii hoc nomine solent, a Celso hic proponi, videret; tum quis esse posset, quæsivit, tum plerosque redarguit, qui *cum* hoc *non animadvertissent*, *injuria Celsum toto hoc fere capite reprehenderunt*. Sed Adnotationum quas misisti, plures non ea æquitate scriptæ sunt. Itaque ad locum lib. 2. cap. 4. quem studuerant Interpretes alii vel explicare, vel restituere, de quibusdam in urina *quasi filis*, hoc
52, adnotatur, *Falsum esse Celsum satius*
22. *est dicere*. Qua ratione cito quidem nodi inciduntur; non solvuntur.

Neque aliter cum Celso agitur ad caput 1. ejusdem libri. Nam quod scri-
44, pserit, *urinæ difficultas*, σφαγγουρίαν
6. *quam appellant*, non quæritur, num forte in codice vetustissimo cum græcæ vocis prima syllaba δυς, atramento diffugiente, intercidisset, sciolus aliquis longe aliam ac Celsus scripsisset, temere suffecerit. Continuo sic pronunciatur, *Fallitur Celsus in* σφαγγουρίας *interpretatione*, *quæ proprie Latinis* substillum, *non* stillicidium) adduntur que in hanc sententiam quæ apud Mercurialem (2), & Meursium (3) legeris ex Festo, & Catone, qui *omnium*, *qui nunc extant*, *antiquissimus linguæ Latinæ auctor* dicitur ab Adnotationis Scriptore. Quem ego potius oblitum credam addere *prosa oratione*, quam ignorare potuisse, Plautum, & Terentium extare, quorum uterque ante Catonem, & primus quidem lustris non ita paucis est mortuus; ut æquior in eum sim, quam ipse in Celsum fuit. Qui tametsi hic, & alibi illud fortasse magis spectasset, stranguriam quam ibi ex Hippocratis sententia memoraret, sine urinæ difficultate non fieri; quamobrem credo, quæ in Epidemiis (4) de stranguria posita sententia fuerat, eandem in Aphorismis (5) legi de dysuria; tametsi igitur Celsus id magis spectasset, quam ipsam vim, & naturam vocis; hanc tamen vim certe quidem ita expressit aliquando, & præsertim proximo capite septimo, Aphorismum ver-
tens 80. Sect. 4. ut σφαγγουρίην sic red- 61,
diderit, *si* urina *paulatim destillat*. Sed 8.
magnus Vir, & qui multa adeo ex græcis latina fecit, tam facile, in re quam ignorare haud poterat, non fuisset, opinor, damnatus; si qui damnavit, antea, ut bonum interpretem decet, ejus libros sæpe, attenteque perlegisset: quod non feciſſe, cum ex iis quæ subinde scripta sunt supra, tum magis ex his quæ sum additurus, intelliges.

Libro 3. cap. 6. *quando* æger *melior* 129,
sit, inquit Celsus. Hæc, inter cætera, 2.
adnotantur, *Cicero*, meliuscule mihi est. *Celsus diceret*, sum meliusculus. *Vid. cap. XX. p. 159. l. 9.* Ibi vero iterum legitur, *si* æger *melior est*. Qui magis Celsum versasset; non hunc locum, sed alterum indicasset ex cap. 22. 171,
Qui meliusculus esse cœpit. Libro 2. 33.
cap.

(1) *Annot. in hoc cap.* (2) *Prælect. Patav. l. 3. c. 32. & alibi.*
(3) *Not. in Caton. de Re Rust. c. 156.* (4) *l. 2. §. 6.* (5) *§. 6. Aph. 36.*

Digitized by Google

cap. 12. *si reprimendi causa, ex verbe-*
86. *nis*. Adnotatio sic habet. *Tallos her-*
12. *barum intelligit Celsus per* verbenas: *ut videbis postea variis locis*. Tu vero an bene, an satis Celsi mens ita explicetur, ex illo uno quidem, sed præ cæteris attendendo, loco scies, quem Litteris protuli superioribus (1).

Sic pariter ex alia Epistola (2) intelliges, num probare liceat conjecturam ad verba illa, quæ recte olim cap. 28.
329, lib. 5. legebantur, *si non labitur* specil-
22. lum, *sed æquali innititur*, sic adnotatam, *Vel* labitur sede quali *Conjectura est, quia sedem postea in eo significatu sumit*; quasi non continuo id Celsus opponeret, quod, ut lectionem antiquam confirmat, sic ejusmodi conjecturis refragatur, *si inæquale quoque & asperum subest*. Sed hoc ea Epistola satis explicavimus. Itaque præstat ad alteram Adnotationem transire. Inter alia quæ lib. 4. cap. 8. utilia hepaticis remedia
214, traduntur, *pini flos* legitur. *Pini flos*,
17. scribitur in Adnotatione, *i. e.* chamæpitys, *quia non audet dicere* pinum *simpliciter*, *ne intelligatur arbor*. *Propterea Virgilius*: Et semper florida pinus. *Ubi male P. Bembus* πιχρὶς *pro* pinus *correxerat in Culice in fine. Adde quod Dioscor. dicit* ἡπατικοῖς *prodesse chamæpityn.* Si alienas lites mihi facere placeret meas; quærerem, ut priusquam ita damnaretur Bembus, quocum modestius olim egerat Petrus Victorius (3), unde ista Virgilii interpretatio petita est; quærerem, inquam, ut chamæpityn semper florere, ostenderetur: nam Bembus quidem, Theophrasti (4), aut certe Plinii (5) testimonio, ostendere poterat, *toto anno florere* picridem suam. Sed tamen si ibi Virgilium, ut in versu quoque illo altero (6)

Ipse thymum, pinosque ferens de montibus altis,

si Virgilium, inquam, darem, pini vocabulo designasse chamæpityn; quod vel olim inter Viros doctissimos controversum, atque adeo a Salmasio (7) pernegatum esse, scio; non hinc profecto sequeretur, quam herbam Poeta vocasset pinum, eandem Celsum, non jam pinum, sed *pini florem* vocare potuisse. At enim Celsus non ausus est dicere pinum simpliciter, & humilis ista pinus hepaticis prodest. Audio. Sed mitto quærere, cur non dixerit potius pinum humilem, aut pinum florentem? Hoc unum quæro, cur non ausus sit dicere chamæpityn? Certe si Adnotationum Auctor diligentius Celsum versasset; novisset præclare, libro 5. cap. 4. non dubitasse scribere, 243,
pyrethrum, *chamæpitys*, *uva taminia*, 28.
quam vocem *chamæpitys*, sive eam latinis, sive græcis potius, ut tot alias, litteris scripserit Celsus, cum omnia habeant apud me exemplaria, ne illo quidem excepto, quod calamo descriptum est; suspicari non oportet, obscuro *pini floris* nomine hic eandem herbam, quam perspicuo poterat, significare voluisse. Nam quod hæc hepaticos juvet, ita verum est, ut tamen ipsa quoque major pinus iisdem utilis sit, auctore non solum Dioscoride (8), sed inter alios, hoc vetustiores, apud Cælium Aurelianum (9) Diocle ipso, *quem inter priscos maximosque medicos* Celsus (10) posuit. At hi, inquis, pini folia laudabant; non florem: quem neque laudare poterant, quippe cum pinus nullum ferat; ut propterea Constantinus hic legendum censuerit *lini flos*. Ego vero qui de lini store, aut foliis nihil ejusmodi invenire adhuc potui litterarum memoriæ mandatum; si quid hic esset mutandum, multo mallem *pini folia*, quam *lini flos*. Prius autem quam mutemus, cogitandum est, potuisse Celsum cum iis facere quos ex Theophrasto (11) commemorat Cæsalpinus (12), hæc scribens, *præter fructum, amentum fert* pinus *deciduum*, *quem aliqui florem putant*. Quin Cæsalpinus ipse

(1) *Epist. VII.* 4. (2) *VI.* (3) *Variar. Lect. l.* 25. *c.* 5. (4) *de Hist. Plant. l.* 7. *c.* 11. (5) *Nat. Hist. l.* 21. *c.* 17. (6) *Georg. l.* 4. *v.* 111. (7) *Plinian. Exercit. in Solin. c.* 23. (8) *de Med. Mat. l.* 1. *c.* 74. (9) *Morb. Chron. l.* 3. *c.* 4. (10) *l.* 7. *c.* 6. *p.* 418, 4. (11) *Vid. Hist. cit. l.* 3. *c.* 6. (12) *de Plant. l.* 3. *c.* 52.

Digitized by Google

ipſe florem amentaceum ferre, non negat: Cælius autem (1) cum veteres Medicos, generatim ait, *viridis pini decoctionem* hepaticis dediſſe; certe amenta iſta non excepit. Verum hæc tu videris. Interea ad aliquando graviora veniamus.

50, 13. Libro 2. cap. 3. *Pejor cita alvus eſt*, inquit Celſus. *ſed ne hæc quidem terrere protinus debet, ſi matutinis temporibus coacta magis eſt, aut ſi procedente tempore paulatim contrahitur, & rufa eſt, neque fœditate odoris ſimilem alvum ſani hominis excedit.* Nihil huc aliud adnotatur, niſi quod ad vocem *coacta* pertinet. *Coacta. Martialis: Nec* (ſic) *deſiderio coacta ventris, Gutta pallia non fefellit ulla.* Quid hæc de catella (2), deſiderio exonerandi ventris impulſa, attinent ad minus liquida alvi recrementa? Hic enim manifeſtum eſt, reſpexiſſe Celſum ad locum illum ex Coacis Prænotionibus haud ita procul a fine, *Alvi egeſtio optima eſt mollis, cohærens ac compacta, ſubfulva, non valde graveolens*, ſive etiam ad alterum conſimilem ex libro Prænotionum (3): nec dubitare quiſquam poteſt quem non pigeat quæ de juſta copia, horaque conſueta egeſtionis, & de lumbricis ſimul ejectis in utroque loco ſubſequuntur, cum iis conferre quæ propoſita Celſi verba proxime antecedunt, aut ſequuntur ad tres iſtas easdem res ſpectantia, & eadem quidem ſententia. Igitur a Celſo, nihil hic niſi quæ geruntur, attendente, *alvus coacta* opponitur *alvo liquidæ*.

229, 12, 27. Satiſque erat libri 4. caput 19. quod de ventris fluxu eſt, perlegiſſe, ut pateret, hic alvum coactam alvum minus liquidam ſignificare: quanquam hoc illis etiam verbis confirmatur quæ continuo ſequuntur, *aut ſi procedente tempore paulatim* alvus *contrahitur*: demonſtratur autem evidentiſſime loco altero

67, 27. ex capite 8. hujus libri 2. *Alvus in hac valetudine* (tabe adhuc ſanabili) *ea tuta eſt, quæ quotidie coacta, eaque convenientia his, quæ aſſumuntur, reddit.* Quod enim hic dicitur de ipſis recrementis, ibi, ut idem ſignificaretur, de alvo dictum eſt.

Hæc ſcripſeram, cum in aliam incidi Adnotationem, ex qua locum iſtum ultimum lectum quidem eſſe, nec melius tamen explicatum cognovi. Neque enim aliter exponitur ac primus ille, nempe ad hunc modum: Coacta *ergo* alvus *erit hic quæ* cogitur *excernere, ut infra* (eodem cap. 8.) *quæ vix excernit*: locus autem qui indicatur, revera de alvo eſt quæ cogitur excernere in iſchiadicis, *alvuſque niſi coacta non reddit, idque, quod excernitur, mucoſum eſt*. Sed quid hic ad priorem locum de tabeſcente? in quo alvus *coacta, eaque convenientia* reddere dicitur. Num *coacta* ad alvum referemus vi apertam? quando *convenientia* non niſi ad egeſta referri poſſunt; interjecta autem *eaque* prohibent alio *coacta* referre, quam quo *convenientia*. Verum quid verbis opus eſt? Utrumque locum ex libro 2. Prædictionum Celſum deſcripſiſſe, cætera oſtendunt. Is autem qui ad tabeſcentem attinet, ejuſmodi eſt (4), *Venter autem egerat quotidie, & id, quod egerit, ſit duram* (ἴσω σκληρὸν) *copiâ pro ratione ciborum ingeſtorum*. At qui de iſchiadicis eſt (5), *quibus alvus non egerit, niſi ad neceſſitatem coacta* (εἰ μὴ πρὸς ἀνάγκλω) *& prodit ipſis multus ſtercoraceus mucus*. Celſo igitur aliud in alio loco latine reddendo ſpectandum fuiſſe, intelligimus, ideoque alterum ex altero loco non eſſe explicandum. Multo autem minus ex loco qui ad iſchiadicos ſpectat, illum interpretari decet quem primum ex cap. 3. produximus, & ex Coacis Prænotionibus, aut ex Prænotionum libro acceptum diximus. Nam *coacta* ex ξωϛηκός, aut σωϛηκὸς videtur expreſſum, quod *cohærens* reddiderunt. Prætereaque manifeſtum eſt, Celſum de *cita* jugiter *alvo* loquentem, cum mane *coactam magis* dixit, minus quidem liquidam intelligere potuiſſe, adeo autem duram factam, ut cogi debeat ad egerendum, non potuiſſe.

50, 13.

Videamus porro, num alibi hæ Adnotationes Celſum felicius interpretentur: & primum in alio loco ubi ad Hippocratem pariter videtur reſpexiſſe.

(1) *cap. cit.* (2) *Vid. Martial. l. 1. Epigr. 110.* (3) *n. 9.* (4) *n. 12.* (5) *n. 45.*

Digitized by Google

29, 31. se. Libro 1. cap. 3. *Ubi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum sunt, ad hunc* (vomitum) *protinus confugiendum est.* Hæc adnotantur, *Amari ructus i. e. acidi, ὀξυρεγμίαν Græci vocant. Lucil. exhalans acidos e pectore ructus.* Nullum est dubium, quin ructus acidi a Græcis sic appellentur, imo *apud Hippocratem atque alios medicos nihil pene est notius*, ut vere ait Mercurialis (1), quam sic vocari. Illud dubium est, qua ratione quos Celsus *amaros* dixit, nos *acidos* intelligamus, præsertim si, ut eidem Mercuriali (2), & Almeloveenio visum est, spectaverit hîc Aphorismum 17. Sect. 4. quo Hippocrates vomitum præcipit *cordis morsum*, & *oris amaritudinem* patienti. Nec vero probabiliorem crediderim interpretationem alterius loci ex libro 3. cap. 20. Cum lethargicos alii excitare identidem studerent admotis iis quæ sternutamenta evocarent, aut fœdo moverent acrique odore; extiterat quidam Tharrias, insequenti etiam capite nominatus, qui contenderet, expectandum esse dum lethargus cum febrili accessione remitteret; tunc enim, nisi æger expergiscereturr, esse ob has causas excitandum, ut excerneret ali-
159, 3. quid, & sumeret: *Itaque eos, qui subinde excitant, sine usu male habere.* Huc ea adscribuntur, *Græcismus est ἀπείρως ἔχειν, imperitos esse.* Mihi vero magis congruens cum iis quæ sequuntur, & minus contumeliosa in cæteros Medicos placet interpretatio, ut intelligam, hoc Tharriam dixisse, qui identidem ægrum excitare conarentur, eos
159, 8. hunc sine utilitate vexare. *Neque enim*, ut ibidem mox legimus, *vigilando melior fit; sed per se, si melior est, vigilat.* Notius est autem, quam ut confirmari a me debeat, *usum* persæpe utilitatem significare: nam *male habere* quin idem hic valeat, ac molestia & incommodo afficere, dubitare nemo potest, cui vel Celsi unius non sit ignota consuetudo, tot aliis locis quos sciens prætereo, non aliter, quam libri ejusdem 3. capite 6. scribentis, *qua mole* (satis multæ vestis) *plerique ægros in* 130, *ipso impetu febris, potissimeque ubi ar-* 23, *dens ea est, male habent.*

Est etiam ubi Adnotationes aliquæ obscuræ mihi videantur, velut ea quæ ad vexatissimum illum Præfationis attinet locum (3), ubi, inter cætera, ab Anatomicis, spirante etiam tum animali, in hujus interioribus animadvertenda, occurrit vox illa *confractum*, si- 7,
ve, ut alii antea ediderant, *contactum*, 13.
sive, ut Schulzius sibi persuasit, *confrutum*, sive demum, ut in aliqua editione, & in Constantini erat codice, & in Veneto, & Forolivienſi, *contractum*: quæ vox cur Rubeo placeret, alias ad te scribens (4), commemoravi. Auctori quoque placet Adnotationum. Sed causam, id est explicationem haud satis intelligo. Sic enim habet, *Ruell.* contractum. *Συμπτωσιν vocat Hippoer. Aph. 3. lib. 1. compressum, contracturam:* contractum *ergo legendum.* Quid enim sibi vult per interiorum *compressum*, & *contracturam*, quod non satis complectantur duæ præcedentes, inter cæteras, voces *figuram*, *magnitudinem?* Reddunt quidem latine, ut nosti, plures Interpretes græcam illam aphorismi vocem *compressiones*, alii, ut Mercurialis, quem, ut civem, libenter nomino, *collapsiones*, sed omnes eadem quam aphorismus requirit, sententia, ut effectum videlicet institutæ a Medico evacuationis. Sed quid hæc ad Celsi propositum, de eo interiorum statu qui maxime secundum naturam sit, ibi sermonem habentis? Obscura igitur Adnotatio est. Quod si exemplum aliud aliquod quam concidentium ab evacuatione vasorum, produxisset; conarer fortasse rem ad eum modum explicare, qui mihi, istam vocem *contractum* in codicibus reperienti, in mentem venerat aliquando, nec forsitan præter rationem. Scilicet cum inter ista omnia quæ Celsus, sive potius apud Celsum Rationales Medici considerandæ esse, ajebant in vivi animalis interioribus, nihil de horum motibus inveniamus, cumque de eorundem Medicorum sen-

[1] *Prælect. in Aph. 1. S. 6.* (2) *in Aph. 17. S. 4.* (3) *Vid. Epist. III. & V.* (4) *Epist. III.*

Digitized by Google

tentia modo oſtenſum eſſet, quanti referat ſcire, an concoctio fiat quod *atteratur cibus in ventre*, ut docebat Eraſiſtratus, an aliter, ut alii; item quæ
6, ad *ſpiritum trahendum* attinent, *& emit-*
1. *tendum*, ad *venas modo ſubmittentes ſe*,
6, *modo attollentes*, ad alia ejuſcemodi; ob
5. has cauſas non improbabile videri poſſit, *contractum* inter cætera poſitum eſſe ea mente, non ut interiora collapſa, ſed ut alternam eorum contractionem ſignificet, per quam cor ſanguinem in vaſa impellit, ſeptum tranſverſum ad ducendum ſpiritum juvat, ventriculus denique, & inteſtina, dum periſtaltico motu cientur, ſive, ut loquitur M. Cicero (1), *tum adſtringuntur, tum relaxantur*, etiam *terendo* ſic *cibo*, faciunt, ut *omnia cocta* ſint *atque confecta*. Sed hæc obiter. Ad minus obſcuras Adnotationes redeamus.

Apertiſſimæ illæ ſunt, quibus aliquis redarguitur, ut ea quam venæ, paulo ante pro arteriis poſitæ, ad memoriam redegerunt. *Male Conſtantinus pro venæ reponit* arteriæ.) Nihil mutavit Conſtantinus, ut qui probe ſciret, priſcis, & in his Celſo in more fuiſſe, ut ſæpius pro arteriis dicerent venas. Explicat tantum. *Venæ hic, i. arteriæ.* Si æque paucis poſſem; inquirerem hic, jure, an injuria Celſum quoque ipſum modo in remediorum materia, modo in aliis quæ pariter ad Medicum ſpectant, libere aperteque aliæ Adnotationes reprehendant. Verum ſatis ſit tibi quod ſupra in aliqua attigi de eo genere. Sed minus tamen dedecuiſſet, in iis rebus tantum Auctorem ab eo notari qui in iiſdem longe excelleret. Quod ne hîc facile credamus, nonnullæ ex his faciunt Adnotationes. Libro 5. cap. 18, in Cteſiphontis malagmate partem Cel-
258, fus ponit *nitri quam ruberrimi*. Hoc ad-
20. notatur, *Mirum, qui dicat rubervimum eſſe nitrum, cum viride ſit, & in ollas indatur, ad caules viridiores efficiendos.* Non mihi opus eſt quærere, quo colore eſſet nitrum quocum olera coquebantur, ut *ſmaragdina* fierent, quemadmodum loquitur Apicius (2); & Columella (3), Plinius (4), Martialis (5) indicant: illud certe erat album, quod teneris etiamtum braſſicæ plantis, tritum deſuper ſpargebat Palladius (6), *ut ſpeciem pruinæ candentis imitaretur*; ſic enim poſtea, *virore ſervato*, coquebantur. Satis eſt; ut de Plinio (7) nihil dicam, qui nitrum in Ægypto, ſcripſit, *& rufum exire a colore terræ*, aphronitrum autem probari, ut ſit *colore pene purpureo*; ſatis, inquam, eſt quid de nitro ipſo tradiderint Medici tres, inter antiquos nobiliſſimi, & omnium manibus verſatiſſimi, commemorare. Hippocrates igitur libro de Internis Affectionibus (8) mentionem facit *nitri Ægyptii rubri torrefacti; nitri* item *rubri* libro de Natura Muliebri (9), & libro 2. de Morbis Muliebribus (10), &, ne alios perquiram locos, libro etiam de Fiſtulis (11), ubi *nitrum rubrum aſſari*, jubet. Dioſcorides de Medica Materia libro 5. cap. 89. non id modo quod Plinius, habet de optimi aphronitri *colore pene purpureo*; ſed quod ad nitrum ipſum attinet, *præferri* hoc, ait, *leve, roſeo colore, aut candido*. Galenus denique libris de Compoſitione Medicam. ſecund. loc. *nitrum rubrum* memorat in Compoſitionibus Ariſtarchi (12), Tryphonis Gortyniatæ (13), Critonis (14), & Andreæ (15). Nec plura quæro ex his tribus, aut ex aliis, qui poſtea floruerunt, Medicis: tametſi Oribaſium (16) memini de nitro eadem quæ Dioſcorides, ſcripſiſſe; Avicennam (17) *album, aut purpureum, aut roſeum*, prætuliſſe; Auctorem denique Hiſtoriæ Simplicium Medicamentorum (18), quæ ſub Serapionis nomine circumfertur, *alibi colore roſeo, rubrove, alibi candido, cineritioque* commemoraſſe: nec Recentiores (19) deeſſe, qui etiamnum in Ægypto

(1) *de Nat. Deor. l.2.* (2) *de Re Culin. l.3. c.1.* (3) *de Re Ruſt. lib.11. c.3.* (4) *Nat. Hiſt. l.31. c.10.* (5) *Epigr. l.13. 17.* (6) *de Re Ruſt. l.3. c.24.* (7) *Ibid.* (8) *n.29.* [9] *n.29.* [10] *n.120.* (11) *n.6.* (12) *l.5. c.1.* (13) *l.9. c.2.* (14) *Ibid. c.3.* (15) *l.10. c.2.* (16) *Medic. Coll. l.13.* (17) *Canon. l.2. tr.2. c.84.* (18) *l.6. c.53.* (19) *Vid. apud Ettmull. Not. ad Ludov. Diſſ.1. de Remed. &c.*

Digitized by Google

pto prope Nilum, quasdam nitri *ſtrias* efloreſcere, confirment, *nunc rubeſcentes*, *nunc blande cæruleſcentes*, & (1) *nitrum nativum Alexandrinum roſei coloris eſſe*, *ejuſdem Neapolitanum*. Mirum eſt igitur, non jam apud Celſum memorari nitrum quam ruberrimum; ſed mirari aliquem, quod memoretur. Neque minus admiratione dignum eſt quod adſcribitur ad initium capitis 21. libri 4. ubi occaſione captata ex *nimia*, de qua Celſus loquitur, *feminis profuſione*, ſive gonorrhœa proprie dicta, hoc de altera illa adnotatur, qua ex lue venerea non ſemen, ſed pus, aut aquoſa quædam emittuntur, *Ea vero me auctore*, *vocari poteſt fiſtula*. Scilicet efluxus, qui fiſtulæ effectus eſt, hoc auctore, fiſtula eſſet: ipſa autem fiſtula, quæ gonorrhœas illas graviores aut neglectas, aut male curatas demum conſequitur aliquando, in omnibus eſſet ex ea lue gonorrhœis vel leviſſimis, ac recentiſſimis.

Quæ omnia cum ita ſint; reſcribere ad illum poſſes qui deſcriptas ad te iſtas Adnotationes miſit, quaſi *a viro divino* profectas, bene actum fuiſſe cum Celſo, quod earum Auctori, quicunque is tandem ſit, alias ejusdemmodi addere non libuerit. Neque enim, iſta quidem ratione, *huic Augiæ ſtabulo expurgando* magis ipſe par fuiſſet, quam cæteri, qui huic operi, ut ſcribis, ſatis licenter pronunciantur *minime pares*. Duos illos dico, qui, ut ais, nominantur, doctos & acutos Viros, quos cum hoc præmium referre video diuturnæ operæ, ut profeſſi erant, in Celſo poſitæ; dicere non poſſim, quam gaudeam, me aliis ſemper occupationibus ab eadem ſuſcipienda provincia fuiſſe avocatum, & dies vix paucos flagitanti tibi tribuere potuiſſe, quibus curſim nonnulla, ut hic illic forte occurrebant inter ſcribendum, attingerem; non ex propoſito, Celſi libros emendarem. Quod ſi mihi propoſuiſſem; alia atque alia, optimorum codicum præſertim, ſubſidia comparaſſem: atque, ut cæteris caruiſſem; at certe diligentius aliquanto caviſſem, ne quæ mutanda non eſſent, mutarem; ne quæ demenda non eſſent, demerem; ne Celſum damnarem potius, quam interpretarer, aut ſaltem excuſarem; ne eorum quæ alibi ſcripſit, aut in ſcribendo ſpectavit, oblitus, aliud quam quod præclare ſenſit, ipſi tribuerem; ne quid mihi vellem, eſſet obſcurum; denique ne Celſum iis in rebus accuſarem, in quibus ipſe quaſi hoſpes videri poſſem: aut ſi forte in horum aliquod prolaberer: ut modeſte id, & dubitanti ſimilis facerem; non præfidenti feſtinatione pronunciarem. Quæ vitia, ut oſtenſum eſt, cum alia in alias, tum ultimum præſertim in omnes fere cadit, quas perpendimus, Adnotationes. Invenies fortaſſe & alias alia aliqua animadverſione dignas: quanquam mihi feſtinanter, & ne omnes quidem, percurrenti, plures, ut initio dixi, viſæ ſunt iſtarum diſſimiles adeo, ut facile poſſint ad longe alium Auctorem attinere, eumque Lindenio fortaſſe antiquiorem: certe alteruter ab altero videri poteſt quædam ſumpſiſſe; cum iidem interdum loci ad eundem modum legantur in illius editione recte emendati. Sunt etiam nonnulla in his Adnotationibus aliam ob cauſam ſupervacua, ſive quia res per ſe clara ſatis eſt, ſive quia ad alios Scriptores magis, quam ad Celſum, attinent quæ adnotantur. Vides igitur, quo delectu eſſet opus, ſi miſſis ad me Adnotationibus uti velles.

Cætera quæ ex me quæris, brevi poſſunt reſponſione expediri. Scire enim aves, num alia præſtet ad Celſum addere præter ea quæ multa de ſimilibus Auctorum locis, pauca autem de variantibus lectionibus, paginis ſubjecit Almeloveenius, aut ex ſuis, aliorumve adnotationibus conjecit in Scholia. Ego vero ſcire ex te aveo, quot, quantiſve ſit voluminibus Celſi editionem Bibliopola adornaturus. Neque enim uno aut altero vel majoris formæ ea omnia comprehenderet quæ addi poſſunt. Noli autem

[1] *apud eund. in Schrod. Mineralog. c.* 23.

tem credere; ut de similibus Auctorum locis primum dicam, quæ non indicari, sed fuse produci, velles; modico hæc posse volumine contineri. At ea saltem, dices, proferantur quæ ex libris Hippocratis, aut qui sub Hippocratis nomine extant, Celsus videtur accepisse. Cave existimes, non plura esse, quam quæ collegit Henricus Stephanus. Ne Aphorismos quidem omnes, huc attinentes, pervidit: itaque alii a Viris doctis additi sunt, quos ipse omiserat. Præter Aphorismos autem quot alios tandem excussit libros? istosque alios quam accurate? Quære, exempli causa, locos quos supra indicavi; num collegerit, facile intelliges.

De variantibus autem lectionibus sic habeto, vel codices optimos, non modo vetustissimas editiones, crebris, & sæpe manifestissimis scatere mendis: esse autem immensi laboris seligere in singulis exemplaribus quæ utilia proponas, cum in mendis ipsis indicia nonnunquam lateant verioris scripturae, ut si certa quædam menda omittas; doctos non satis adjuves: si nulla omittas; immani omnes inutilium verborum copia obruas.

Huc adde miras inter se varietates, & codicum numerum, & legendi, ob vetustam litterarum formam, & compendia vocum, difficultatem, & itinerum impendia ac molestias; nisi si velles alienis oculis, & diligentiæ credere, quæ in ipsarum quas in manibus habemus, editionum lectionibus ut sæpenumero fallat, periculo a nobis facto, compertum est. Crederes autem non modo in hoc, sed in delectu quoque illo ut plurimum oporteret, qui infirmissima sis valetudine.

Restat ut dicam de Scholiis. Jam nostri quæ ad Celsum explicandum, emendandumve olim scripserint Cæsarius, Thriverius, Pantinus, Lommius, Rorarius, Constantinus, Ronsseus, Rubeus, Paawius, Rhodius, alii. Si omnia omnium edantur; quæ libri moles? nam fusius aliqui scripserunt. Deinde quot inutilia admixta ex inanibus hypothesibus? Seligendum igitur. At quos omittes? Num qui prolixiores fuerunt? At in his quoque sunt sua bona: nec qui brevitatem secuti sunt, idcirco non plura habent prætermittenda, vel quia non bona, vel quia a Lindenio jam in contextum recepta. Itaque intelligis, aut ex omnibus eligenda utiliora, aut omnia quæ omnes ediderunt, esse recudenda. Quorum alterum est longi temporis, gravis laboris, peracris in primis judicii, quod sine assidua animi contentione adhiberi non potest; alterum inutile magna ex parte, & mole ipsa odiosum ac permolestum.

Quid ergo mei consilii est? Nempe quod initio fuit, ut typographo auctor sis eandem quam prius, Almeloveenii editionem repræsentandi, imo omnia, quæ ab Almeloveenio non sunt, omittendi. Num tuas etiam, inquis, Epistolas? Imo illas maxime, necui amplius ansam præbeant Patavinas mihi Almeloveenii editiones tribuendi. Satis, superque illæ Epistolæ hic, atque alibi e typographorum officinis prodiere, non ad id scriptæ, sed ut privatim postulationi satisfacerem tuæ. Neque aliud mihi fuit propositum has quoque alias fundenti potius, quam scribenti: aut siquando aliud fuit; tunc fuit, cum scirem necdum, quot in folia possent excreseere, nec spes deesset recognoscendi, quæ nunc vix est relegendi. De prolixitudine ipse quid sentiam, paulo ante dixi. Edentur alias separatim, si tanti esse videbuntur, nec tempus deerit recensendi, & ad pauciora redigendi; nosti enim, nulla re nos fieri in scribendo longiores, quam temporis angustiis. Peto igitur abs te, mi Vulpi, majoremque in modum contendo, ut has quinque Epistolas apud te premas. Quod si in Præfatione tamen dicendum censueris, & scriptas esse, & qua impellente justissima ratione sint scriptæ, aut si certo quopiam earum loco, speciminis causa, uti volueris; non repugnabo. Vale,

Patavii IV. Idus Jan. MDCCL.

IN

Digitized by Google

IN
Q. SERENUM SAMONICUM

EPISTOLA PRIMA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

QUoniam longiſſimas illas in Celſum litteras (*) quas ſuperioribus diebus ad te ſcripſimus, longas tibi videri, negas; multo etiam quam expectas, longiores in Samonicum nunc ſcribemus.

Quæremus autem, quænam ex hujus quas adhuc vidimus, editionibus dignior ſit quam potiſſimum ſequaris: aut ſi nullam ejuſmodi invenerimus; quid tibi faciendum cenſeamus, ſimpliciter candideque (quod & ſolemus ipſi, & tu flagitas, mi Vulpi) admonebimus. Qui Samonicum formis deſcripſerit ante Aldum majorem, vel potius; quoniam hic erat jampridem mortuus; ante Franciſcum Aſulanum, Andreæ ſoceri ejus filium, nec Keuchenius (1) invenit, nec ipſe vidi. Itaque mirandum non eſt, ſi ut in primis fere cunctis conatibus uſu venit, non pauca in illa editione deſiderentur. Neque vero hoc eo dico, quod aut illa omnium prima fuerit, aut ſex illi, & viginti verſus quos in calce exhibet, imponere amplius cuipiam poſſint. Nam hi in reliquis deinceps pleriſque editionibus, ut Samonico indigni, & jure quidem, notati ſunt; ab Humelbergio autem etiam omiſſi: & cum, ipſo confitente Aſulano, *in aliis impreſſis codicibus deſiderarentur*; apud alios igitur ante ipſum Typographos (qua de re videbimus poſtea) prodiiſſet Samonicus, neceſſe eſt. Sed tum eo dico, quod antea; ſi Egnatio (2) credimus, viro ſane peritiſſimo, & quem, ut in Celſo, ita in Sereno quoque emendando operam ſuam Aſulano commodaſſe, vix dubito quoties ejus in utrumque Auctorem ad Gonzagam Epiſtolam relego; uſque adeo negligenter editus fuerat Samonicus, ut *legi vix poſſet*; tum quod bene multa ab Aſulano in ipſo edendo facta eſſe, animadverti quæ aut nullos, aut paucos certe invenerunt imitatores. In ipſo enim Proœmio, Apollinis, atque Æſculapii invocationem ſuſcepti argumenti propoſitioni antepoſuit; in capite autem de *hydropiſi* pleroſque verſus longe alio dedit ordine diſpoſitos, ac paſſim habentur: quod & alibi, non tamen tot in verſibus, fecit, & nominatim, nec ſine cauſa, in cap. de *profluvio cujuſque ſanguinis*. Sed & verſus omiſit, aut certe non agnovit aliquot, ut in cap. de *hemitritæo*: *Coralium, atque* &c. & in cap. de *ſubitaneo dolore*: *Sic lacerat*, & duos qui continuo ſequuntur, verſus. Quibus quidem omnibus de rebus hic non judico; illud tantum animadverto, in hiſce verſibus ſine ulla admonitione omittendis ſocium, ut imitatorem (de extraneis nunc loquor; ſemper autem de iis ſolum quos ipſe viderim) ſocium, inquam, aut imitatorem nullum habuiſſe præter Cæſarium, niſi quod Humelbergius quoque

(*) *Epiſtolam videlicet I.* (1) *Prolegom. ad Samonic.*
(2) *Epiſt. Dedic. in illa ipſa editione A.* 1528.

Digitized by Google

que priorem illum verſum omiſit ; in iis autem tranſponendis , nullum pariter, ſi Humelbergium excipias, qui tamen non ſemper ad eundem prorſus modum tranſpoſuit . Sed neminem invenit præter Sororis eoſdemque Aldi majoris Filios qui (id ſemel hoc in loco dixiſſe ſatis ſit) Avunculi editionem ſunt omnino ſecuti , qui verſus quoſdam , ab ipſo agnitos , reciperet , ut in fine cap. de *fellis vomitu* , ubi cæteri longe alium habent verſum ,

Quæ capulas quoque producit medicina ſalubris ,

atque alterum in cap. de *vulneribus quibuſcunque* &c. cujus videlicet hoc dedit initium :

Cum magna humanæ ſint pondera conditionis :

Tam multæ innumeri ſpecies mihi vulneris adſunt .

Verum ut ad alia veniamus ; cum hunc verſum in cap. de *ſubitaneo dolore* , *febre* , &c. Aſulanus ſic ediderit :

Nec ſpernendus adeps , dederit quem beſtia Melus ;

quamnam , quæſo , beſtiam eſſe *Melum* , dicemus ? Melis quidem , vel Mæles quod animal ſit , ex Varronis (1) , Gratii (2), Pliniique (3) verbis conjici poteſt . Quibus & quendam locum M. Val. Martialis (4), cum Scriverio , Gronovio , & Schrevelio is facile addet qui Raderi (5) cenſuram , & Rutgerſii (6) , ac Salmaſii (7) obſervationes in eundem locum perpenderit . Nam indicata ab aliis Frontini verba , atque alterum Plinii locum de Mele invenire ſe , diſerte negavit Aldrovandus (8) , & ante ipſum Geſnerus (9) , qui *nec memini* , inquit , *authoris nomen , qui hæc tanquam ex illis citat* . Hic vero fuerat ille idem Pontifex Sypontinus (10), quem paulo ante (11) ſcripſerat , non primum , ut is Pontifex opinabatur , ſed poſt Aggregatorem (videlicet Jacobum de Dondis Patavinum) alioſque , docuiſſe , Melem id animal eſſe quod nunc *Taxum* vocant . Qua quidem in ſententia eſſe fere omnes eruditos homines , agnovit Salmaſius (12) ; quanquam ipſe ex verbis Varronis longe aliud cenſuit . Ego vero etſi animadverti , quid Salmaſio , cujus & nomen , & diſſenſionem modeſte diſſimulat , reſponderi poſſe , crediderit Janus Ulitius (13) , ac præterea quomodo alter ſcrupulus qui ab Jano ipſo ob Plinii verba injectus eſt , haud difficile eximi poſſit , ſi non modo cum Aldrovando (14) Natalis Comitis (15) , aliuſve Poëtæ verſiculos , ſed cum Geſnero eas quoque narrationes audiamus quibus Plinius , de quo agitur , potuit , ut tot aliis , ſive jure , ſive injuria fidem habere ; tamen ne a propoſito longius abeam , huc redibo ut affirmem : *Melis* quodnam ſit animal , ex antiquorum Auctorum verbis conjici poſſe ; eſſe autem animal , neminem qui aut illos , aut Caprum etiam Grammaticum (16) ; ne de Solino (17) quidquam dicam ; vel curſim legerit , ignorare . At *Melus* non modo quale ſit , ſed ne id quidem quod animal ſit , neminem ex idoneis latinæ linguæ Scriptoribus legiſſe memini qui doceret . Itaque cæteri in eo verſu habent *Melis* , atque adeo Humelbergius (18) Melis , ſive Taxi adipem in quodam medico libello ad eundem iſtum de quo Serenus loquitur , uſum commendari affirmat , quod etiam in libro Æſculapii neſcio cujus proditum eſſe , teſtatur Geſnerus (19). Atque ego iſtiuſmodi errorem , ut fortuitum Operarum lapſum , neglexiſſem , niſi

(1) *Rei Ruſt. l. 3. c. 12.* (2) *Cynegetic. verſ. 402. & fortaſſe etiam 340.*
(3) *Nat. Hiſt. l. 8. c. 38.* (4) *Vid. Epigr. 37. lib. 10. ex Muſeo P. Scriverii , item ex edit. Corn. Schrevelii , & Not. in idem .* (5) *Comment. in idem Epigr. quod ipſi eſt 35.*
(6) *in Not. in idem Epigr. Edit. Schrevel.* (7) *in iiſd. Notis , & in Plinian. Exercit. in Solini caput 52.* (8) *De Quadruped. digit. vivip. l. 2. c. 11.*
(9) *Hiſt. Animal. l. 1. ubi de Mele ad litt. E.* (10) *Comment. linguæ lat.*
(11) *loc. cit. ad litt. A.* (12) *loc. cit. in Solinum .* (13) *Comment. ad cit. Gratii verſum 402.* (14) *loc. cit.* (15) *Le Ven. l. 4.* (16) *De verbis dubiis .*
(17) *Polyhiſt. c. 52. ex Edit. Salmaſ.* (18) *Comment. in Sereni c. 47.*
(19) *loc. cit. ad litt. G.*

Digitized by Google

nisi animadvertissem, in Filiorum Aldi editione retentum esse, & præterea alio in loco ubi *Melis* erat scribendum, uti quidem a Cæsario, Constantino, Keuchenio scriptum est, & a postremo (1) etiam sic satis ostensum, esse ab Asulano, iisdemque Manutiis scriptum *pellis*, in cap. videlicet de *rejectione cibi* &c.

Ovorum cinis, aut cochlearum, aut denique pellis. Quid porro dicemus de Mithridatis Antidoto descripta in cap. de *venenis prohibendis*? Sic Asulanus:

Antidotus vero multis mithridatia fertur
Consociata modis: sed Magnus scrinia regis
Cum raperet victor, vilem deprehendit in illis
Syntheſim, & vulgata satis medicamina risit.
Bis denum rutæ folium, salis & breve granum,
Juglandesque duas, terno cum corpore ficus
Hæc oriente die parco conspersa lyæo
Sumebat, metuens dederat, quod pocula matri,

Mitto, ab Humelbergio scribi: *quæ pocula matri*; a cæteris: *quæ pocula mater*; in codice Constantini quod ipse, & H. Stephanus ad oram adnotarunt: *quæ pocula tutor*. Mitto, postremam hanc scripturam ab iis præsertim probari oportere qui meminerint, apud Justinum (2) (quod & ab eodem Constantino (3) indicatur) scriptum esse, Mithridatis pueri Tutores *veneno eum appetivisse*; idque ipsum *metuentem, antidota sæpius bibisse*. Illud tantummodo quod habet Asulanus: *terno cum corpore ficus*; congruere nego cum iis quæ alii de ista ipsa *Syntheſi* tradidere. Æmilius enim Macer (4), ubi de Rutæ virtutibus scribit:

Obstat, inquit, *pota, mero: vel, cruda comesta, venenis.*
Hoc Mithridates rex Ponti sæpe probavit,
Qui rutæ foliis viginti cum sale pauco,
Et magnis nucibus binis, caricisque duabus
Jejunus vesci consurgens mane solebat.

Hic vero nolim, existimes, his versibus, atque adeo ipsi de *Herbarum Virtutibus* Poëmati quod sub Æmilii Macri nomine circumfertur, plus forte a me tribui, quam par sit. Quinimo cum sæpe alias ex me quæsiveris, de hoc Macro, ejusque ætate quid sentiam; dabo hic operam, quando in ejus Poëmatis mentionem incidimus, ut percontationi tuæ cumulatissime satisfaciam.

Et primum cave existimes, ulla ex parte assentiri me posse Raphaeli Volaterrano (5), Georgio Pictorio (6), Thomæ Bartholino (7), qui Poëtæ illius esse crediderunt de quo Ovidius (8):

Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque nocet serpens: quæ juvat herba, Macer.

Nam *quod præsens opus non sit Macri illius Ovidiani, vel ex eo elucere, quod hic noster Plinium, multis sæculis Ovidio juniorem, plerisque in locis citat*, recte olim animadvertit Joannes Atrocianus (9); recte, inquam, si id unum excipias quod *multis sæculis* Ovidio juniorem credidit Plinium, qui anno ab Ovidii morte sexto, vel septimo natus est; majorem enim Plinium, non quem Valerianum vocant (nam hunc a Macro citari, ajunt Daumius (10), & Fabricius (11)) intellexisse, cum ex eo apparet quod reapse majoris Plinii scripta plerisque in locis hujus Poëmatis laudantur, quod L. Gr. Gyraldus (12), Andreas Tiraquellus (13), & Ger. Jo. Vossius (14) ex parte agnovere, sæpius autem ostendit Georgius Pictorius (15), tum hinc liquet maxime quod illo

(1) *Not. ad Samonic.* (2) *Histor. l. 37.* (3) *Adnot. margin. ad Samonic.* (4) *De Herbar. virtutib.*
(5) *Comment. urban. l. 17.* (6) *Epist. ad Lect. Macro ab ipso edito præfixa.*
(7) *Dissert. de Medicis Poetis apud Broukhus. in Tibull. l. 2. El. 6. vers. 1.*
(8) *Trist. l. 4. El. 10.* (9) *Præf. ad sua Comment. in Macrum.* (10) *Epistola ad Th. Reinesium, quæ est 4. inter Reinesii Epist.* (11) *Biblioth. Lat. l. 4. c. 12.*
(12) *De Poetar. Historia Dial. 4.* (13) *De Nobilit. c. 31. p. 230.* (14) *De Poet. Lat. c. 2.*
(15) *Scholiis in Macrum.*

Digitized by Google

ipso in loco Atrocianus contendit, non ab eo qui aliquot post seniorem Plinium sæculis, sed ab eo qui cum seniore ipso Plinio facile vixerit, hoc Poëma scriptum fuisse. Scilicet illius Macri esse, affirmat, ad quem minoris Plinii Epistola (1) extat, eo argumento permotus quod in hac Plinius *adhortatur illum ad simile quid elaborandum*. Qua rursus in re Atrociano adstipulari me posse, nego. Neque id eo dico quod eas Plinii litteras perlegens, *nihil tale*, ut Vossius (2), *invenerim*; nam clausulam quidem inveni, ab Atrociano ipso productam, in qua Plinius illas suas litteras sperat eum ad quem scribit, non tantum ad legendos libros Avunculi, *verum etiam ad simile aliquid elaborandum posse æmulationis stimulis excitare*: quod tamen infirmissimum esse argumentum, fateor; nec Vossius fortasse aliud voluit. Neque eo potissimum dico quod illa ipsa Epistola, ut plerique habent libri, non sit *Macro* inscripta, sed *Marco*, quem Antoninum fuisse, uti Catanæus (3) existimat, licet suspicari. Sed eo dico quod noster hic Macer non Palladium (4) modo, aut Galenum (5), verum etiam, quod vel olim a Tiraquello (6) adnotatum est, Oribasium (7) ipsum laudet, quem Juliani Cæsaris Medicum fuisse, constat. Quid? quod Strabi quem (ut Daumium (8) quoque observasse, video) diserte nominat (9), Strabi, inquam, de Ligustico sententiam ita memorat, ut cum manifestum sit de Monacho illo Strabo, Gallo, ut vocant; revera Germano (10), hoc est Walafrido Fuldensi verba fieri a quo ista ipsa proposita est in brevi eo Poëmate (11) quod inscribitur *Hortulus*; tum intelligatur facile, jam diu hunc Hortulum vulgatum fuisse, quando a nostro scriptum est:

nec me legisse recordor
Ullum, qui Strabi sermonibus adstipuletur.

Itaque ne iis quidem possum Eruditissimis Hominibus assentiri, qui Macrum hunc nostrum iis accensent Scriptoribus qui inter secundi, & quinti sæculi initium floruere, præsertim cum ipsi quoque cum Jo. Trithemio (12), Ger. Jo. Vossio (13), Olao Borrichio (14), & Jo. Alberto Fabricio (15), nono sæculo vixisse Strabum, & recte id quidem, agnoscant; Nam quod Atrocianus (16), & Pictorius (17) hunc vixisse ajunt *sub Ludovico Imperatore, anno* 1340. & quod hujus rei testem Atrocianus laudat Trithemium, nempe uterque in eo lapsus est ut pro Ludovico I. vel II. Ludovicum V. intelligeret; Trithemius certe etsi in eo est hallucinatus quod (18) Walafridum alium a Strabo esse, credidit; illum tamen circa A. 700. hunc vero alio in loco retulit ad A. 840, in alio autem ad 860. ut Vossius (19) animadvertit, qui cur malit ad A. 860. cum alibi (20) statuat decessisse A. 849. non satis video; illud contra video unde illa aut Trithemii, aut librariorum (eorum etiam dico quos secutus ipse est) inconstantia oriri facile potuerit, scribentium modo DCCCXL, alias autem DCCCLX, altera videlicet harum postremarum litterarum in alterius locum temere, ut fit, in describendo transposita. Utcunque hoc est; paulo minus dedecuisset Pictorium falli cum Wolfgango Justo (21) qui Strabum circa A. statuit 1163. quam cum Trithemio perperam intellecto, Anno 1340. viventem agnoscere eum Scriptorem quem ab suo isto Ovidiano; si Diis placet; Macro laudatum esse, perspiciebat. Errorem fane haud multo graviorem admisisset quam ubi (22) *Avicennam sequi*, & (23) *Avicennæ subscribere* hunc Macrum, docuit, quem

(1) *l. 3. Epist. 5.* (2) *loc. cit.* (3) *Comment. in eam Epist.*
(4) *ubi de Rosa.* (5) *ubi de Urtica, de Atriplice, de Coriandro, de Cepis, de Paonia.*
(6) *loc. cit.* (7) *ubi de Sabina, & de Aloe.* (8) *Epist. ad Reines. cit.*
(9) *ubi de Ligustico.* (10) *Vid. Trithem. loco mox citando.* (11) *c. 12.*
(12) *De Eccles. Script. c. 269.* (13) *De Poet. Lat. c. 6. De Histor. Lat. l. 2. c. 33*
(14) *De Poet. Lat. Diss. 2. n. 75.* (15) *Suppl. Bibliot. Lat. l. 4. c. 12.*
(16) *Comment. ad Macri caput de Ligustico.* (17) *Schol. in id. c. quod est 25.*
(18) *Vid. Voss. de Histor. Lat. loc. cit.* (19) *De Poet. Lat. loc. cit.* (20) *De Hist. Lat. loc. cit.*
(21) *Chronolog. Medic. apud Linden. de Script. Med.* (22) *Schol. in c. 3.* (23) *C. 46.*

Digitized by Google

quem mille ante Avicennam fuisse annis, affirmare ipse non dubitaverat.

Quod siquis forte ad hæc omnia idem respondeat quod Atrocianus (1). *posse hunc librum immutatum esse in aliquot locis*; ego vero idem ab eo petam quod æque libenter ab illis peterem qui cum Hadriano Junio (2), Antonio Morillono (3), Israële Spachio (4), aliisque, Trotulæ (sic enim inscribitur) *de Mulierum Passionibus* librum Erotis, Juliæ liberti medicique, opus esse, putant; tametsi non modo postremi capitis, quod unum videlicet ut novissime magna ex parte adjectum notavit Rhodius (5), ipse *stilus Juliæ ætate multo posteriorem demonstret*, sed vel in Prologo, primoque ipso capite laudatus Galenus, capite 20. Trotula ipsa laudata, capite 61. *nobiles* illæ *Salernitanæ*, imo cum earum fuco ex *bresilio fustasim inciso mulieres Sarracenæ* memoratæ, & denique; ne innumera, cum possim, transcribam; capite 62. *aquæ vitæ de vino meliore destillatæ* facta mentio longe aliam ætatem apertissime commonstrent; ut multo malim credere Thomæ Bartholino (6), qui libri Auctorem non Erotem illum, sed *Doctorem Salernitanum* fuisse, affirmat. Quem igitur ad modum ab illis veterem ut his omnibus in locis quos subdititios esse contendant, necesse est, alium revera atque in reliquo universo fere libro stylum ostenderent; sic in Macro quem quisque locum additum ajat, eum ut styli nota discrepare a cæteris, demonstret, rogabo. Quod si facere non possit; non igitur quæcunque aut ob ea quæ dicta sunt, aut ob ea quæ subjicere liceret de radicibus *Galangæ*, ac *Zedoar*, facile non ante Arabicæ Scholæ tempora medicamentorum numero adjectis, & ab nostro (7) tamen inter

——*species illas quas jam cunctis prope notas*
Usus medendi fecit,

nominatim propositis, aut ob rationem syllabarum male in carmine; idque non raro; servatam, ut hunc ne *sincerum* quidem *versificatorem* fuisse, J. C. Scaliger (8), cujus judicium probant Vossius (9), & Broukhusius (10), diserte pronunciaverit, aut denique ob ipsius barbaras, ab eodem etiam Scaligero (11) notatas, voces; non, inquam, omnia quæ ob hæc atque ejusmodi alia antiquiori cuipiam Macro tribuere nequeat, continuo supposita, aut adulterata esse, contendat. Sed cum mecum animadverterit id quod attendisse oportebat Pictorium (12) *phrasis quid donantem*, jactantemque, *neminem hactenus verborum lenocinio curatum* esse, cum, inquam, mecum animadverterit, primum illum celebrem Poetam Macrum *humilem* quidem, Fabio (13) judice, sed tamen *elegantem in sua materia* fuisse, tum ab iis qui in verborum certis ætatibus apud certos Populos usitatorum cognitione versati sunt, quo demum tempore, & quo etiam in loco vixisse hic Macer videatur, barbaris productis vocabulis quibus vulgo hanc, vel illam appellari ait modo herbam, modo ægrotationem; scisciteur. Et Daumius quidem in scripta ad Reinesium Epistola (14) *quando*, inquit, *Pseudomacer hic vixerit*, *doceat Catalogus Sigeberti Gemblacensis*. Ego vero (nisi forte iste Catalogus alius est a *libello de Illustribus Viris*, quod hujus ipsius libelli caput 171. haud facile credere me finit) nequaquam video qua ratione docere id possit. Caput enim 13. in quo nihil nisi hoc legimus: *Macer scripsit metrico stilo de viribus herbarum*, cum subjiciatur capiti duodecimo quod est de *Epiphanio Scholastico*, præponatur autem quartodecimo quod est de *Paulino Nolano*, quos tamen, contra, hunc (15) quidem A. 420; illum (16) vero circa A. 570, vel saltem 540. claruisse, accepimus; certe nihil magis ostendit, quam vere ani-

(1) *loc. cit.* (2) *Animadverf. l.* 6. *c.* 1. (3) *Ibid.* (4) *Vid. apud Linden. de Script. Medic. in Append. ubi de Genacior. libris editis Argentor.* 1597. (5) *in Scribonium pag.* 11.
(6) *Dissert.* 6. *de libris legend.* (7) *Vid. ubi de Pipere, de Galanga, de Zedoar.*
(8) *Hyperoritic. c.* 5. (9) *De Poet. lat. c.* 2. (10) *in Tibull. l.* 2. *El.* 6. *verf.* 2.
(11) *loc. cit.* (12) *Epist. cit. ad Lect.* (13) *Institut. Orat. lib.* 10. *c.* 1.
(14) *quæ* 4. *est inter Reinef. Epist. ad Daumium.* (15) *Vid. Trithem. de Scrip. Eccles. c.* 117.
(16) *Confer quæ ibi de hoc Epiphanio habet Sigebertus cum iis quæ de eod. scribebat Divin. Lect. c.* 17. *Cassiodorus, & quidem senex ut in Præf. prope fin.*

Digitized by Google

madverſum eſſe a Voſſio (1), *temporum ſeriem ſæpius ab Sigeberto neglectam eſſe in ordine quo Scriptores ſuos collocat*. Itaque ſi quid hac in re docet ille Catalogus, id unum docet quod paulo poſt indicabo. Porro Olaus Borrichius (2) poſt editam illam Daumii Epiſtolam, & poſt annum ſcribens 1675, hunc, inquit, Macrum *ante V. ſæcula vixiſſe, exiſtimant*. Quod ego temporis intervallum multo facilius augendum, quam minuendum eſſe puto ex quo hæc apud Voſſium (3) legi: *Hunc Macrum variis in locis ſequi amat Schola Salernitana: imo quandoque integros ex eo verſus exſcribit: uti ex iis videre eſt quæ utrique prodita de abſynthio, hyſſopo & aliis*. Equidem in ejus Scholæ opuſculo peculiare de abſinthio caput non invenio; re tamen vera non modo eadem hemiſtichia, integroſque adeo, & plures quidem ſæpe verſus in iis capitibus reperio quæ utroque in libello inſcripta ſunt de Hyſſopo, Malva, Ruta, Violis, Urtica, Enula, Naſturtio, verum inſuper in his quæ de Cepis, Cerefolio, Pulegio, Chelidonia, Porro inſcribuntur, ne unum quidem verſiculum ab Salernitana Schola editum video qui totidem fere verbis apud hunc Macrum non legatur; ut mirum ſit, nihil de re hac apud eos quos habeo, ſive Macri Enarratores Atrocianum, atque Pictorium (nam Cornarium non vidi, multoque minus quos Daumius (4), & Reineſius (5) memorant, Simonem de Loviz, & Guillermum Gueroaldum) ſive Salernitani opuſculi interpretes Arnoldum Villanovanum, Joannem Curionem, Jacobum Crellium, nihil, inquam, de re hac; quod meminerim; me legiſſe. At vero Zacharias Sylvius, in cujus denique ejuſdem opuſculi editione animadverſum id vidi (6), præclare docet (7), *Joannem de Mediolano* iſtud ipſum opuſculum, nomine atque auctoritate omnium Salernitanæ Scholæ Magiſtrorum ornatum, comprobatumque, non ante undecimi ſæculi poſtremos annos ſcripſiſſe. Veri autem ſimilius eſſe, intelliges, hunc ex Macro, quam ex hoc Macrum mutuatum eſſe quidquam, ſi utriuſque libellum, eaque potiſſimum quæ primo nominavimus, capita inter ſe comparaveris. Quod ſi illud præterea animadverteris, Macri librum in Sigeberti Catalogo non modo haud longe ab initio, ſed & iis tantummodo quæ paulo ante exſcripta ſunt, verbis; non ut recentiorem decebat; fuiſſe memoratum; Sigebertum autem, quod ejus Chronicon (8) indicat, & qui huic additamenta adſcripſit, confirmat, annis poſt undecimum ſæculum ſane paucis eſſe mortuum; multo proclivius tibi erit exiſtimare, libellum Macri non modo ex opuſculo quod eo ſæculo exeunte ſcriptum eſt, quidquam accipere non potuiſſe, ſed facile ante idem ſæculum undecimum prodiiſſe. Quæ cum ita ſint, cumque hic Macri liber ob ea quæ de Zedoaria, & Galanga, præſertim autem de Strabo qui nono ſæculo jam medio deceſſerat, ea quam propoſuimus, ratione memorato, ſupra a nobis dicta ſunt, ante finem ſæculi ejuſdem noni facile ſcribi non potuerit; relinquitur ſane ut decimo fere ſæculo conſcriptus eſſe videatur. Cæterum ejuſne Scriptori nomen *Macro Florido*, ut Gueroaldus (9) indicat, an potius fuerit *Odoni*, ut ſe *in codice quodam antiquiſſimo vidiſſe*, teſtatur Gaudentius Merula (10), quem ſequuntur Paulus Colomeſius (11), & Janus Broukhuſius (12), an vero *Odobono*, quemadmodum is qui paucis, ut ſolet, verbis plura de Macro collecta habet, indicavit Fabricius (13), alii viderint. Mihi certe; ut in viam aliquando e diverticulo redeam multo quam initio putabam, longiore, quanquam quod tibi ſatisfaciendi cauſa facio, nimium mihi videtur nunquam; quicunque tandem

Auctor

(1) *Vid. apud Blount Cenſur. Celebr. Authorum ubi de Sigeberto ex Baillet.*
(2) *De Poet. Lat. Diſſ. 2. n. 75.* (3) *De Poet. Lat. c. 2.* (4) *in Epiſtola ad Reineſ. quæ 9. eſt inter Reineſii Epiſt. ad Daumium.* (5) *Epiſt. 8. ad Daumium.*
(6) *Vid. ad cap. 58. & in marg. cap. 51. & ſeq.* (7) *Ibid. in Præfationis cap. 3.*
(8) *ad A. 1123.* (9) *Vid. Daumii Epiſt. cit. quæ 9. eſt &c.*
(10) *De Gallor. Ciſalpin. Antiquit. lib. 1. c. 11.*
(11) *Opuſcul. Κειμήλ. literar. c. 6. & Animadverſion. in Gyraldi Dialog. 4. de Poetar. Hiſtoria.*
(12) *in Tibull. l. 2. El. 4. verſ. 1.* (13) *Bibl. Lat. l. 4. c. 12.*

Digitized by Google

Auctor hic fuerit, & quacunque ætate scripserit; non is certe fuisse, neque eo videtur scripsisse tempore, ut ejus unius auctoritatem opponere deceat Asulano, qui Serenum in celebri Mithridatis Antidoto describenda edidit tres, non duas, caricas memorantem.

Itaque scire licet, Plinium quoque Valerianum (1) hæc habere: *Rutam venenis resistere, -- docuit & Rex Ponticus Mithridates, qui cum fratris sui timeret insidias, rutæ folia viginti cum duabus nucibus juglandibus, & totidem caricis, admixto salis grano, quotidie jejunus accepit.* Sed & alio in loco (2) scripserat: *Pompejus Magnus, Mithridate devicto, in scrinio ejus invenit ipsius manu scriptam compositionem, qua ipse præsumpta adversus omnia veneficia in totum diem tutum se incolumemque præstabat, in qua nuces juglandes duæ, ficus siccæ duæ, rutæ folia viginti, salis granum unum, in unum contunduntur, & devorantur a jejuno.* Verum præstat antiquioris Plinii (3) verba describere, ad quæ videtur ipse Samonicus in eo de quo agimus, loco respexisse: *In sanctuariis Mithridatis maximi regis devicti, Cn. Pompejus invenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti, e duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano: & qui hoc jejunus sumat, nullum venenum nociturum illo die.* Et sane in cæteris quos inspexi, Sereni exemplaribus pro *terno cum corpore ficus*, scriptum est, *totidem cum corpore ficus*: quam scripturam aliquis forte in eo minus probet quod præter *totidem ficus*, quod satis erat dixisse, illud quoque addat *cum corpore*, quod videtur redundare, atque adeo suspicetur, sic potius esse legendum: *gemino cum corpore ficus*; sed quid faciamus? illam ipsam scripturam in optimis etiam libris vidit Keuchenius. Ne nimius sim; unum, haud amplius, in Asulani libro notabo. In capite enim de *ventre molliendo* sic illi quatuor pene ultimi versus eduntur:

Quodque satis melius verbis dicemus Horati.

„ *Mitulus, & viles pellent obstantia conchæ:*

„ *Sed cochleas prius urtica, aut furfure pasci*

„ *Pulvior hinc gustus noxa sine moverit alvum.*

At vero in tertio versu post *prius*, vocula *est*, quam in cæteris libris vidi, melior tum carminis, tum sententiæ postulat ratio. Eidem autem, atque illi etiam qui consequitur, versui non video cur geminos istos semicirculos ad dextrum marginem, quasi & ii Horatii essent, apposuerit Asulanus. Sed illud contra & video, & probo, cur in vero Horatii versu ex optimorum hujus Poetæ exemplarium auctoritate (quorum quatuor indicat Cruquius (4), eandem sequens cum Vetere Horatii Interprete (5), Lambino (6), Chabotio (7), aliisque) scripserit *Mitulus*, quo in loco Cæsarius, Constantinus, Stephanus, atque alii præterea, habent *Mugilis*.

Neque vero hic unus est Samonici locus qui melius in Asulani quam in aliorum scriptus sit libris. Nam in cap. de *podagra depellenda*, ubi Cæsarius sine ulla dubitatione scribit:

Sunt quibus apposita siccatur hirundine sanguis,

Constantino, Stephano, aliisque nonnullis vix in libri ora alteram, quæ vera est, scripturam adnotantibus, Asulanus certe, quem hic postea imitatus est Humelbergius, & laudavit Keuchenius, scripsit *hirudine*: quod quidem verbum & sententia postulat, & Plinius (8) quem subinde Auctor sequitur, satis indicat, cum, hirudines, inquit, *multi podagris quoque admittendas censuere*. Sic & in cap. de *serpentium morsibus* &c. scribit Cæsarius:

Quem nocuit serpens, fertur caput illius apte

Vulneribus jungi, sanat quem sauciat ipsa.

Utque Sariſſæa curatus Telephus hasta.

Pro-

(1) *De Re Med. l.4. c.3.* (2) *lib.3. c.53.* (3) *Natural. Histor. l.23. c.8.*
(4) *Comment. in Horat. Satyr. l.2. Satyr.4. vers.28.* (5), (6),
(7) *In Horatium ad eund. vers.* (8) *Natur. Hist. l.32. c.10*

Digitized by Google

Proderit & caulem cum vino haurire ſabuci.

Atque illud quidem verbum *Sariſſæa* Conſtantinus, Stephanus, & Keuchenius eſſe corruptum, ſenſerunt; ſcripſerunt tamen, *Utque Lariſſæa*, quaſi vero aut alia antecelliſſet ſimilitudo, aut cum inſequenti verſu hic eſſet jungendus, aut denique id pati in iſtiuſmodi carminum genere natura ſyllabarum poſſet. Aſulanus autem, quem merito poſtea hic deſcripſit Humelbergius, optime ſcripſerat: *Ut Lariſſæa*. Sed cum alia plurima afferri poſſent, hæc ad diligentiam Aſulani demonſtrandam ſatis ſit attuliſſe.

Nunc de Joanne Cæſario verba faciam, ſi prius tamen oſtendero, cur ante hunc de Aſulano verba fecerim. Me quidem non fugit, Epiſtolam quam Cæſarius editis ab ſe Celſo, & Sereno præpoſuit, datam eſſe *pridie Calendas Aprilis* A.1527, videlicet anno ante quam eosdem illos Auctores edidiſſet Aſulanus, cujus nimirum editio *Menſe Martio* A.1528. abſoluta eſt. Attamen cum prima Cæſarii editio hunc ipſum, non priorem illum annum præ ſe ferat; non potui hanc illis accenſere quæ ante Aſulani editionem habitæ ſunt, quarum duas, & ambas quidem Venetas, memorat Eruditiſſimus Vir Jo. Alb. Fabricius (1), alteram A. 1488, alteram 1502. Sed & cauſa inſuper acceſſit, cur Aſulanum Cæſario hic anteponere maluerim. Cum enim & idem Fabricius (2), & Almeloveenius (3), & qui ante utrumque ſcripſit, Lindenius (4), & qui hunc emendavit, Mercklinus primam quæ *apud Aldum* habita eſt, Celſi editionem, & eam quidem *ex emendatione Bapt. Egnatii*, Anno ſtatuant 1524. *Venetiis in folio*; Epiſtola autem Egnatii emendato ab ſe Celſo præfixa, Serenum quoque, ut initio diximus, una cum Celſo eſſe editum ab Aſulano, hoc eſt apud Aldum, ſive in Ædibus Aldi, clariſſime oſtendat; alterutrum ſane fateamur, neceſſe eſt, vel Aſulanum eſſe Cæſario præponendum, vel Doctiſſimos illos Viros pro ea quam ſcripſerunt, alteram quam omiſerunt, Celſi editionem, & hanc quidem Anno 1524. *Venetiis in folio* habitam, videlicet apud Lucam Ant. Juntam, omnino ſcribere voluiſſe. Ego ſane, ut verum loquar, habitam iſto anno apud Aldum, non modo in hac litteratiſſima Civitate reperire ipſe non potui, ſed neque Venetiis potuit Medicus ſuo magno merito in primis Clarus Petrus Ant. Michelottus, neque Bononiæ Zanottus meus Philoſophiæ Profeſſor Elegantiſſimus, neque Florentiæ cum jampridem, Humaniſſimus Juvenis, optimis ſtudiis atque artibus inſtructus G. Joſephus Georgius, tum vero etiam nuper Eruditiſſimus Vir, idemque Conſultiſſimus Medicus Antonius Franc. Bertinus, neque Romæ Cæleſtinus Gallianus Abbas, & Profeſſor virtute, doctrinaque Ornatiſſimus, neque Neapoli per Amicos Jo. Bapt. Verna Eques Præclariſſimus, ſingulari in Medicina & facienda, & ornanda ſtudio, uſu, diligentia, neque Mediolani Vir Præſtantiſſimus, & in Re tum Medica, tum Hiſtorica apprime verſatus Bartholomæus Currius, neque demum Auguſtæ Taurinorum Jacobus Cicogninus illa in Aula Medicus, & Conſiliarius Spectatiſſimus. Quid? quod Eximium Par Zenorum Fratrum, D. Petrus Catharinus C. R. S; & Apoſtolus CAROLI VI. Invictiſſimi Cæſaris Hiſtoricus, ac Poeta, Viri cum omni litterarum genere præditi, tum in perraris librorum editionibus, & Manutiorum inprimis, pernoſcendis exercitatiſſimi, hanc ſibi unquam notam fuiſſe, mihi per litteras quærenti, ſine ulla dubitatione pariter negarunt. Sed & ſibi cognitam negarunt illam quoque alteram Celſi editionem quam, inter cæteros Antiquos Medicos, Aldi Filii habuiſſe ſcribuntur A.1549, cum eam tamen quam hi biennio ante habuerant, æque mecum facile agnoſcant: & tu præterea, mi Vulpi, in ea qua uteris, ejuſdem Auctoris Anno 1657, Anno, inquam, 1657. ab Lindenio procurata, Samonicum noſtrum deeſſe, vides. Quid ergo eſt? Num qui ſecus ſtatuunt, aliquid humani, in tam difficile præſertim, immenſoque Opere paſſos eſſe, exiſtimabimus? Quid vero, ſi

(1) *Bibl. Lat. lib.3. c.5. & in Supplem. ad idem caput.* (2) *l.2. c.4.*
(3) *in Indice Editionum Celſi, ſuæ Celſi editioni addito.* (4) *De Scriptis Medic.*

Digitized by Google

si forte illi in manibus habuissent, vel etiam haberent quæ nos invenire non possumus? Ego sane adhuc malui judicium sustinere. Itaque in præsentia, non me quidem, sed ipsis, quemadmodum ostendi, auctoribus „Asulano postpositum habes Cæsarium.

Qui si revera post Asulanum suam in edendo Samonico operam posuit; multo magis mirandum est, pluribus ipsum in locis, etiam ubi Asulanus egregie se gesserat, esse lapsum: quod cum ex his quæ hactenus dicta sunt intelligitur, tum magis ex iis quæ sequentur, intelligetur.

Sed & præter ea quæ cum Asulano omisisse, aut certe non agnovisse, supra diximus, alia insuper sine ulla admonitione omisit, ut in cap. de *hydropisi* versus quatuor, videlicet *Appositque* &c. *Qui subito* &c. *Aut hujus* &c. cum eo qui proxime consequitur. Neque tamen non plura habet digna profecto quæ laudentur.

Sed nos singula dumtaxat genera attingemus. Initium capitis de *uva faucibus* &c. sic edidit Asulanus:

Ægrescunt teneræ fauces, cum frigoris atri
Vis subiit: vel cum ventris agitabilis aer
Vertitur: atque ipsas flatus gravis inficit undas.

Quid ad fauces, si ventus gravis inficit undas? Cæsarius igitur pro *undas*, *undis*, proposuit: quem Humelbergius quadantenus secutus, scripsit *unda*, atque ita rem explicavit, ut primum a Poeta diceret indicari noxas quæ faucibus ab aquilonari aeris constitutione afferuntur, mox vero quæ ab austrina, ejusque verba ad hunc modum esse interpretanda: „ *Ipsas*.) „ Scilicet fauces & partes vicinas. *Flatus*.) Ventus „ addere poterat *gravis*, & interpretari *austrinus*, quando ab Horatio (1) *plumbeus auster* est dictus.) „ Inficit unda.) Hoc est, humiditate affi„ cit & humectat. „ Mihi vero longe simplicior interpretatio huc videtur posse convenire, videlicet ut significari intelligamus nocentem faucibus vim primum frigidioris aeris, deinde vero ejusdem in quoslibet vehementiores, & propterea noxios ventos compulsi, ut *flatus gravis* sit ipse vehemens, & noxius ventus qui fauces afficiat, lædatque suis *undis*, hoc est crebris, undarum in modum, percussionibus ac pulsibus, sive, ut Lucretius (2) loquitur, *impetibus crebris*, qui & ventos eodem in loco (3) cum fluminibus comparavit, atque alibi (4), *aeris magnum mare*, imo diserte (5) *aerias undas* dixit: quæ hic eo memoro, ne forte alicui mirum sit quod Poeta noster aeri undas tribuerit, quas Virgilius cæteroqui haud obscure & (6) fumo, & facile (7) Cytoro quoque monti tribuit, cum utrumque *undantem* dixit, quin diserte, salutantium turbæ, cum (8) *salutantum undam* scripsit, atque adeo M. etiam Tullius ipsis comitiis, cum (9), *illæ*, inquit, *undæ comitiorum, ut mare profundum, & immensum, sic efferveſcunt quodam quasi æstu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant.* Quid multis opus est? cum vel Medicorum Scriptorum vetustissimus, idemque gravissimus Hippocrates (10) jam olim Sereno præiverit, non minus diserte, quam vere docens, *ventum aeris fluctum, & undam existere*. Non ignoro, in libris Constantini, & Stephani pro *undas*, quod perperam habent, & pro *Vertitur*, substitui, in ora *auras*, & *Verritur*, atque hanc scripturam ut repertam in *libris chirographis*, laudare Keuchenium. Veruntamen hanc, & Cæsarii scripturam a doctis, & intelligentibus Viris tum inter se, tum pluribus cum libris antiquissimis conferri velim: utram maluerint, & ego probabo. Illud interea ignorare te, nolo, cum hæc, atque adeo totam epistolam scripsissem, in eo Sereni exemplari quod Venetiis A. 1488. supra diximus, esse vulgatum, omnium quæ descripta sunt typis, facile primo, cujus mihi nec opinanti copia a Cajetano Fratre tuo Viro humanissimo eruditissimoque facta est, me eandem quam Cæsarius repræsentavit, hujus loci scripturam invenisse. Quod si

que-

(1) *Satyr. l. 2. Sat. 6. vers. 18.* (2) *De Rer. Nat. l. 1. vers. 294.* (3) *vers. 281.* (4) *l. 5. v. 277.* (5) *l. 2. v. 151.* (6) *Æneid. l. 2. v. 609.* (7) *Georgic. l. 2. v. 437. in quem Vid. Servii Comment. & Not. Farnab.* (8) *Ibid. vers. 462.* (9) *Pro Plane.* (10) *De Flatib. num. 5. Vid. Edit. Marinell.*

Digitized by Google

quemadmodum pro *undas*, *undis*, ita etiam pro *inficit*, *afficit*, aut *impetit* inveniſſem; nihil præterea eſſet quod de propoſita a me interpretatione dubitarem. Cæterum illud quoque in Cæſarii libro dignum eſt laude quod notulæ hic illic adjectæ ſint, quarum certe aliquæ & optimæ ſunt, & illuſtrandis ſubobſcuris Poetæ locis admodum utiles. Præterea Vita Samonici addita eſt, breviſſima illa quidem, ſed quam tamen poſtea & Conſtantinus, & Stephanus ſuo quiſque libro adjunxerunt. In hac quid deſideretur; quoniam Humelbergius quidquid in ipſa ſcriptum eſt, in Epiſtolam tranſtulit quam Sereno a ſe Commentariis ornato præfixit; idcirco quando temporis ordo poſtulat, ut de Humelbergio ipſo jam dicam, protinus indicabo.

Igitur Humelbergius, & ii quos modo laudabam, Doctiſſimi Viri non dubitant, Q. hunc noſtrum Serenum Samonicum illum eruditiſſimum fuiſſe Scriptorem quem libro Saturnal. III. (1) (addere poterant & II. (2)) laudat Macrobius, & de quo hæc habet Spartianus in Caracallo: *Cædes deinde in omnibus locis, & balneis facta: occiſique nonnulli etiam cœnantes, inter quos etiam Sammonicus Serenus, cujus libri plurimi ad doctrinam extant.* Neque tamen cum hoc ponant, illud vident in controverſiam vocari poſſe quod pariter affirmant, eundem Gordiani Junioris, hoc eſt, Secundi præceptorem fuiſſe, de quo hæc ſcribit non Ælius quidem Spartianus, ut Humelbergius putat, ſed Julius Capitolinus (3): *Sereno Sammonico, qui patri ejus amiciſſimus, ſibi autem præceptor fuit, nimis acceptus, & charus uſque adeo ut omnes libros Sereni Sammonici patris ſui, qui cenſebantur ad LX. & duo millia, Gordiano minori moriens ille relinqueret: quod eum ad cælum tulit. Siquidem tantæ bibliothecæ copia & ſplendore donatus, in famam hominum, litterarum decore pervenit.* Quibus ex verbis ut conſtat, duos fuiſſe Serenos Samonicos, Patrem videlicet, ac Filium, quorum hic Gordiani Secundi præceptor fuit; ita illud dubium relinquitur, fueritne hic idem ac Scriptor Caracallæ juſſu interfectus. Siquidem qnin eſſe potuerit, ætas quidem Secundi Gordiani non repugnat, quem tunc annis plus viginti fuiſſe natum, ex hiſtoriarum monumentis ſubducta ratione haud difficile eſt demonſtrare. At tanta illa Bibliotheca, eruditiſſimo Scriptori conveniens, quæ ejus quidem patris fuiſſe dicitur, & quam ab homine inter cœnam repente occiſo cuipiam nominatim relictam eſſe, ita veriſimile non eſt, hæc vero an repugnent, eſt etiam atque etiam conſiderandum. Utcunque id eſt (nam quid ego de Samonico noſtro ſuſpicer, infra oſtendam) certe Iſ. Caſaubonus (4), Ger. Jo. Voſſius (5), Jo. Jacobus Hofmannus (6), Rob. Keuchenius (7), Ludov. Morerius (8), & Jo. Albertus Fabricius (9) non modo Samonicos; quod L. Greg. Gyraldus (10), Wolfg. Juſtus (11), Conr. Geſnerus (12), Ant. Riccobonus (13), Hermannus Conringius (14) non fecere; duos proponunt; ſed Filium præceptorem Gordiani, Patrem autem ut cæterorum quæ deperdita ſunt, Operum, ita hujus etiam Poematis auctorem fuiſſe, exiſtimant. Keuchenius inſuper (15) eos arguit qui Serenum Samonicum a Caracalla interemptum ab Sereno illo non diſtinguunt quem inter Poetas Lyricos haud obſcure poſuit D. Hieronymus (16), cum de Davide hæc ſcripſit: *David Simonides noſter, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, & Serenus, Chriſtum lyra perſonat.* Et vero non facile eſſent hallucinati, ſi quomodo Servius in Commentariis utrumque laudans, illum atque hunc aliter appellaverit, animadverteſſent; nam illum quidem *Samonicum*

(1) *cap.* 9. (2) *c.* 12. 13. (3) *in Gordianis.* (4) *Not. in Capitolini Gordianum Junior.* (5) *De Hiſtoric. Lat. l.* 2. *c.* 2. *De Poet. Lat. c.* 4. *De Philoſophia c.* 12. (6) *Lexic. Univerſ.* (7) *Prolegom. ad Samon.* [8] *Dictionaire Hiſtorique.* (9) *Biblioth. Lat. lib.* 3. *c.* 5. (10) *De Poetar. Hiſtoria Dial.* 4. (11) *Chronol. Medic. apud Linden. de Script. Medic.* (12) *Biblioth. Epitom.* (13) *In Fragm. Vet. Hiſtoric. auct. ubi Samonici Vita; Vid apud Voſſ. de Hiſtoric. Lat. loc. cit. & Fabric. Bibl. Lat. loc. cit.* (14) *Introd. in Art. Medic. c.* 3. *n.* 17. (15) *In Prolegom. citat.* (16) *In Epiſt. ad Paulinum quæ prima eſt in Tom.* 3. *Edit. A.* 1565.

Digitized by Google

cum (1), aut *Serenum Samonicum* (2), hunc vero *Serenum* (3), aut *Serenum Lyricum* (4), vocasse, video. Verum id non vidisse Humelbergium, mirandum non est, quando ne eos (5) quidem satis perspexisse invenio, qui Auctorum, quos Servius in Commentariis laudat, Indicem concinnarunt. Cæterum Humelbergius cum eundem illum Serenum Samonicum hunc Serenum pariter esse, putat, cujus, *opuscula citant pluribus in locis multi, ceu Nonius Marcellus, Martianus Capella* (6), *& alii*, videlicet præter Servium, Fortunatianus (7), Diomedes (8), atque is quem Humelbergius ipse diserte nominat, Terentianus (9); cum id, inquam, putat; certe aut eundem, aut ei persimilem errorem errat. Aut enim Septimium Afrum, & Lyricum hunc Serenum unum eundemque Poetam esse (qua de re mox dicam) suspicari possumus, aut secus. Si eundem; nempe error quoque idem est. Si alterum; errorem posse etiam esse non absimilem, ex eo intelligitur Sidonii loco (*), quem Doctissimus Fabricius (10) semel, atque iterum indicavit: *noverint, - sententiam meam - sine M. Varrone, sine Sereno, non Septimio, sed Sammonico, - non posse damnari.* Etsi enim me non fugit, hunc locum ita editum esse a Pio, vel certe ab Henrico Petro (11): - *sine Sereno, sine Septimi, sine Sammonico* -; video tamen, & Petrum Colvium (12), & Joannem Savaronem (13) priorem illam scripturam postea probasse, imo omnes Colvii libros eandem habuisse: quam Sirmondus (14) quoque secutus est.

Porro ut Joannes Savaro (15), Septimium istum Serenum, Septimium Afrum esse, non dubitat; quem Terentianus (16) laudat non uno loco, præsertim vero his versibus:

Dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper,

&

Septimius docuit quo ruris opuscula libro;

sic interdum suspicatum esse me, fateor, Serenum illum cujus verba producit Nonius (17), esse fortasse eundem posse propterea quod illa nonnunquam (18) ex Sereni *ruralibus*, alias (19), ex Sereni *opusculis* proferre se, dicit. Illud accedebat quod etsi Crinitus (20) singulas singulorum Vitas conscripsit; persimilia tamen de utroque prodidit. Hinc enim Aulum Serenum de veterum Grammaticorum sententia *inter Lyricos* referri; inde Septimium Afrum vel propter eos versus in Jani laudem, quos Terentianus (21) produxit, *imitatum esse Callimachum*, scripsit, qui videlicet Poëtæ Lyrici munus suscepit in *hymnis Deorum*: hinc rursus Aulum Serenum *Poëmata scripsisse vario, & multiplici carmine*; inde Septimium Afrum *vario, ac multiplici genere carminum usum esse*. Neque prænomen adversabatur, cum inter vetera *Epigrammata* (22), & *Poëmata* (23) nonnulla *A. Septimio Sereno* tribui, non ignorarem. Sed ne hæc nos a proposito res abducat; eam, Crinito, & cæteris adstipulantes, missam faciamus, ut illud pariter quod a L. Gregorio Gyraldo (24) scriptum est, qui cum præter Lyricum istum A. Serenum, ac Samonicum Serenum, Q. insuper Serenum agnosceret, hunc ipsum Q. Serenum (non Samonicum Serenum) hujus de Medicina Poëmatis statuebat Auctorem: qua in re qui

[1] *Comment. in Virg. Georg. l.1. vers.30.* [2] *Ibid. ad v.102. 103.*
[3] *Comm. in Æneid. l.4 v.291, l.9. v.762, l.12. v.923. &c.* (4) *Ibid. l.2. v.15.*
[5] *Vid. in Edit. Virgil. A. 1646. apud Abr. Commelinum hunc Indicem in* Serenus Sammonicus.
[6] *De Nupt. Philolog. & Mercur. l. 5. ubi de Elocutione.* [7] *Vid. apud Gyrald. Dial.cit. & Voss. de Poet. Lat. c. 8.* [8] *De Oratione l. 3.* [9] *De Literis &c. & Metris.*
[*] *In Epist. ad Polem. Carm. 13. subiecta.* [10] *Bibl. Lat. loc. cit. & Suppl. ad eund. locum.*
[11] *Vid. Edit. Basil. A. 1542.* [12] *Vid. Edit. Paris. A. 1598. & Not. ad hunc locum.*
[13] *Vid. hujus Edit. 2. Parisiensem A. 1609. & Comment. ad hunc locum.*
[14] *Vid. hujus Editionem 2. Sidonii A. 1652.* [15] *Vid. tum loc. cit tum Comment. ad Carm. 9. Sidonii.* [16] *in cit. Opere.* [17] *De Propriet. Sermon.*
[18] *ubi de Indiscr. Generib. ad vocem* Mercatus. [19] *Ibid. ad vocem* Labium, *& ubi de Contrar. Gener. ad vocem* Vagas. [20] *De Poet. Lat. c. 78. 82.* [21] *in Opere cit.*
[22], [23] *Vid. Fabricii Bibl. Lat. l. 4. c. 2.* [24] *De Poetar. Historia Dial. 4.*

Digitized by Google

Gyraldum ſequatur, invenio neminem.

Igitur; ut de Poëmate ipſo verba faciamus; in hoc edendo Humelbergius non modo cum Aſulano ea tranſpoſuit; atque omiſit de quibus ſupra dictum eſt; ſed præterea in cap. de *rejectione cibi &c.* verſus ſine ullo monito prætermiſit duos: *Ovorum cinis* &c. cum eo qui proxime conſequitur, & totidem in cap. de *quartanæ typo*, videlicet *Aut facilem* &c., ac inſequentem. Sed & in ſcriptura quam ſequeretur, eligenda ita eſt aliquando hallucinatus, ut in cap. de *ictibus ſcorpii* &c. adverſus cunctos morſus parvorum animalium, inter quæ araneos & ipſe enumerat, hæc ediderit:

Exiguo piperis cerebrum conſpergito melis,
Quo lita ſaneſcunt depulſo membra dolore;

cum tamen non modo ante ipſum & Aſulanus, & Cæſarius non *melis*, ſed *galli* ſcripſiſſent, a qua ſcriptura ne unus quidem; quantum ego vidi; receſſit eorum qui poſtea Serenum vulgarunt; verum & Plinius (1), quem nimirum Auctorem cum alibi non obſcure, tum multo hic apertius deſcripſit Samonicus, idem indicaret, nec; quod magis mirandum eſt; hoc ipſe ignoraret Humelbergius, ut qui Plinii verba profert in commentario ad hunc locum ſuo: *Contra omnium* (araneorum) *morſus remedium eſt gallinaceum cerebrum cum piperis exiguo potum in poſca.*

Melius tamen multis in locis ſe geſſit. Illi enim capiti cujus inſcriptionem Aſulanus ſic edidit: *Felli vomitu, vel phthiſi arcendis*, Cæſarius autem, quem cæteri quos vidi, ſequuntur, ſic: *Felli, vomitui, vel phthiſi arcendis;* ita hanc ille emendatam præpoſuit: *Fellis vomitui, & phthiſi arcendis*, & recte quidem; neque enim ibi vomitum, niſi uno in verſiculo Serenus imperat, quod Aſulanus non attendit, neque vomitum quemcumque curandum ſuſcipit, quod cæteros attendiſſe oportebat; ſed bilis redundantiam, ſæpius, ut notum eſt, ventriculum afficientem & ad vomendum concitantem, tum dejectoriis, tum vomitoriis etiam medicamentis tollere in animo habet. Cum hac autem Humelbergii inſcriptione congruere animadverti antiquum Keuchenii librum, in quo primus hujus capitis verſus ſatis bene, ut mihi quidem videtur, ita erat ſcriptus:

Lutea ſi creſcunt, & fundis noxia fella;

cum omnia quæ inſpexi, formis deſcripta exemplaria pro *fundis* habeant *cunctis:* quam communem ſcripturam ipſe etiam probat Keuchenius, quam bene, ii judicent qui & ea perpenderint quæ modo expoſuimus, & Poëtam in ſuperioris capitis fine, in hujuſque initio converſa ad Lectorem oratione hunc ipſum alloqui, animadverterint. Tres etiam capitis de *carbone* poſtremos verſus ita ſcriptos dederat Cæſarius, quem deinde omnes quos ego vidi, ſecuti ſunt:

Allia vel piperi parce commiſta linuntur
Pythagoræ cognata levi condita cumino.
Proderit & madida fermentum pollinе turgens.

Equidem Aſulanus qui diſtinctionis notam, non poſt *cumino* poſuerat, ſed poſt *Proderit*, facile hunc locum omni ex parte reſtituiſſet, ſi inter primum quoque, atque alterum verſum diſtinctionis notam ſtatuiſſet. Id autem ab Humelbergio, & jure quidem; ſi quid ego judico; factum eſt. Nam qui utrunque verſum conjungunt, Allia Pythagoræ cognata intelligant, neceſſe eſt, quod ultro confitetur Cæſarius, hac adſcripta notula: *cognata, id eſt, familiaria in cibo. Vide Laertium in Vita Pythagoræ.* Sed hi non videntur animadvertiſſe, Horatium ad quem hic reſpicit Poëta, cum facete ſcripſit (2):

O quando faba Pythagoræ cognata,

id, veteri ejus Interprete [3] confirmante, cui Chabotius [4], aliique Enarratores, quotquot memini conſuluiſſe, aſſentiuntur, id inquam, propterea dixiſſe quod Pythagoras; ut Bondii [5], atque adeo Lambini [6] verbis utar, *a faba abſtinuit, quaſi ſibi cum ea cognatio aliqua eſſet, veritus ne in fabam aliquam animus paternus im-*

(1) *Natur. Hiſt. l. 29. c. 4.* (2) *Satyr. l. 2. Sat. 6. verſ. 63.* (3), (4), (5), (6) *In Horat. ad eund. verſ.*

Digitized by Google

immigrasset. Non me latet, Aristotelem [1], M. Tullium [2], Plinium [3], Laërtium [4]; ut propiores nobis Scriptores [5] omittam; alias etiam causas istius Pythagoræ consuetudinis attulisse, imo a Gellio [6] contraria Aristoxeni verba producit tradentis, *nullo sæpius legumento Pythagoram esse usum, quam fabis, quoniam is cibus & subduceret sensim alvum, & levigaret*. Attamen aut hæc non efficiunt; ut certe non efficiunt; quominus Horatio Poetarum more liberum fuerit eorum potius sententiam sequi (quorum etiam ab eodem Plinio [7] est facta mentio) qui a Pythagora damnatam fabam tradiderunt, *quoniam mortuorum animæ sint in ea*; atque ita a Cæsario contra atque adnotavit, & ab reliquis ostendendum est, aliis quoque ipsis Pythagoram, & quidem ob eandem causam, abstinuisse: quo de cibo in tota ejus vita nihil quidquam habet Laërtius. Aut si Horatio magis placuisse, dicerent, ut sequeretur Aristoxenum, & propterea fabam Pythagoræ cognatam dixisse, quod ea plurimum vesceretur; quanquam hæc inelegans esset, ut verum fatear, & ab Horatii urbanitate abhorrens ejus verborum interpretatio; meam tamen, atque adeo Humelbergii sententiam æque ac suam probabilem esse, non confiteri non possent, qui eos de quibus agitur, Sereni versus ita distinguimus:

Allia vel piperi parce commixta linuntur.
Pythagoræ cognata levi condita cumino
Proderit, & madido fermentum polline turgens;

ut perinde sit *Pythagoræ cognata* dixisse, ac si dixisset: *Faba* proderit vel ad discutiendam, mitigandamve inflammationem, quæ Humelbergii interpretatio est, vel ad *reseranda*, ut paulo ante Serenus ipse ait, *adoperta*: quid multa? ut idem sit ac illud quod scribit in cap. sequenti:

Mollis oderato faba jungatur coriandro,
Proderit appositu, mollitque, aperitque tumorem.

Quod autem pro *faba* Serenus dixerit *Pythagoræ cognata*, minus ii mirabuntur qui ut fuerit Horatii studiosus, & quam libenter ejus verba in hunc suum librum transtulerit, animadvertent. Nam quod in cap. de *jecoris*, & *lateris* vitiis posuit;

Si latus immeritum morbo tentatur acuto,

ex illo videlicet Horatii [8] est:

Quod latus, aut renes morbo tententur acuto;

& quæ in cap. de *hydropisi*:

—— acerbus
Crescit hydrops. ——
Unguine quo frangit vires languoris aquosi,

ex illis [9]

Crescit indulgens sibi dirus hydrops.
—— & aquosus albo
Corpore languor.

In capite autem de *ventre molliendo*, præter id quod ultro, ut vidimus, confitetur, illud:

— Potibus & duris restricta morabitur alvus,

ex illo [10] est:

—— si dura morabitur alvus;

& denique quod in cap. de *ischia* &c.

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,

ex illis [11]:

Ennius ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma
Prosiluit dicenda. ——

& [12]

Sicoat inæquales calices:

Quæ duo postrema, ut tertium quoque, ante me Keuchenius animadverterat. Sed ad Humelbergium redeamus, qui in eo pariter laudandus est, quod primum versum capitis de *serpentium morsibus* cum Asulanus ita scripsisset:

(1) *Lib. de Fabis apud Laert. de Vita Philosoph. l. 8. in Pythagora.* (2) *De Divin. l. 2.*
(3) *Natur. Hist. l. 18. c. 12.* (4) *loc. cit.* (5) *Windet. de vita funct. §.*
(6) *Noct. Attic. l. 4. c. 11.* (7) *loc. cit.* (8) *Satyr. l. 2. Sat. 3. vers. 165.*
(9) *Carm. l. 2. Od. 2. vers. 13. 15. 16.* (10) *Satyr. l. 2. Sat. 4. vers. 27.*
(11) *Epist. l. 1. Epist. 19. vers. 7.* (12) *Sat. l. 2. Sat. 6. vers. 68.*

Digitized by Google

Cuſpide non quiſquam, longe neque cæde lariſſæ;

Cæſarius autem ſic reſcripſiſſet: *longæ neque cæde cariſſæ;* egregie ipſe pro *cariſſæ* (quod verbum qui ſciat cum Voſſio [1] quid Lucilio apud Feſtum [2], & quid in Philoxeni, & Iſidori Gloſſis ſignificet, nihil huc pertinere, ſciet) *fariſſæ* edidit. Sed multo etiam magis laudandus eſt, quod ſuboſcurum ſæpe Scriptorem Commentariis illuſtravit, quod ad rem medicam attinet, ut erat captus temporum illorum ſane eruditis, neque cætera indoctis, utinam haud raro non ſupervacaneis, aut minus prolixis; vel quando eſſe prolixa voluit variantes potius ſcripturas (quas, ut Aſulanus, ac Cæſarius, omiſit) quam dilucidi etiam cujuſque verbi interpretationem complectentibus.

Ab utroque hoc vitio longiſſime refugit Rob. Conſtantinus, qui & variantes ſcripturas, & breviſſimas ad plurimos locos notulas in ora editi ab ſe Samonici adſcripſit. In harum tamen nonnullis Vir alioqui Doctiſſimus eſt hallucinatus, ut cum ad eos verſus in cap. de *vulneribus ferro &c.*

Si vero infrenus manat de vulnere ſanguis,
Purpura torretur conchyli perlita fuco,
Hujus & atra cinis currentem detinet undam;

cum, inquam, ad tria poſtrema verba verſus poſtremi hæc adnotavit: *Hic affectus διαβήτης de quo Celſus lib. 4. cap. 20.* Perſpicuum namque ex ipſo primo verſu eſt per *currentem undam* nihil hic aliud a Poëta ſignificari quam quod paulo infra per *nimios reſerati vulneris amnes*, præſertim cum ea continuo ſequantur:

Vertuce quoque deſectæ frenare cruorem
Dicitur ambuſtus tyrio de vellere pulvis.

Nihil igitur ad hunc locum in quo de ſanguinis profluvio agitur, urinæ pertinebat profluvium. Sed neque opus erat urinam in altera notula memorare, quam appoſuit ad eum locum ex cap. de *ſerpentium morſibus:*

Carduus eſt nondum doctis fullonibus aptus,
Ex illo radix &c.

Nam poſtquam illud egregie adnotavit: *Carduus fullonum; labrum veneris, δίψακος*; haud bene hæc ſubjecit: pro nondum doctis, *leg. nondum tactis, nempe Podagra. Plin. lib. 28. cap. 6, Virilis urina podagris medetur, argumento fullonum, quos ideo tentari eo morbo negant;* ſiquidem *nondum* haud cum *doctis*, ſed cum *aptus* jungendum eſt, ut intelligamus, non perfecti, aut ſicci, quali videlicet fullones utuntur, immaturi adhuc, & viridis illius cardui radicem eſſe adhibendam: quod & Humelbergius ſine ulla dubitatione intellexit: & præterea cur fullones *docti* dicantur, exponere ſe ſatis poſſe, exiſtimavit. Non erat igitur cur enarratione præſertim tam longe petita vulgatam ſcripturam Conſtantinus ſolicitaret. Sed multo illud gravius, quod in totius voluminis calce octo & ſeptuaginta verſus, quorum primus eſt:

Quod natum Phœbus docuit, quod Chiron Achillem;

poſtremus autem:

Quotque hic ſunt verſus, tot agant tua tempora Ianos;

quod hos, inquam, verſus cæteris Samonici adjungendos eſſe, indicavit; hanc enim ipſis inſcriptionem præpoſuit: *Vindiciano attributum Carmen, videtur eſſe Sereni Peroratio, finiſque Poematis.* Verum; ut alia prætermittam; duo certe in hoc carmine decebat ipſum animadvertere quæ ipſius judicio vehementer repugnant. Alterum, Carmen hoc de libro eſſe in quo multo plura quam in Sereni Poemate, & nominatim peregrina ac pretioſa, remedia copioſe proponuntur;

Denique reperies iſthic quod lucis in ortu
Indus, Arabs, Syrus, Perſes, diveſque Sabæus
Vicino ſub ſole legunt, quod præbet Orontes,
Eximium ignoto mittit quod Nilus ab ortu,
Decerptum foliis, ramo, cute, cortice, virga,

Quod-

(1) *Etymologic. Ling. Lat. ad vocem* Cariſſa. (2) *De Verbor. Signific. l. 3.*

Digitized by Google

Quodque ab Edymis (leg. *ab Idumæis*) *vectum Seplasia vendunt ;*
Et quicquid confert medicis Lalagea cataplus ;

cum contra Samonicus, qui, ut vere ait Turnebus (1), *medicinam morborum parabilem versibus lepidis conscripsit*, nihil libentius, aut sæpius facere videatur quam ut remedia proponat, sicut Plinius (2) loquitur, *parata vulgo, inventu facilia, & ex quibus vivimus*, atque adeo quæ *quotidie pauperrimus quisque cœnat :* & judicium insuper hac de re, institutumque suum non uno in loco profiteatur, ut cap. de *ventre molliendo* :

Multos præterea Medici componere succos
Consuerunt ; pretiosa tamen cum veneris emptum,
Falleris, frustraque immensa nomismata fundes ;

& cap. de *jecoris, & lateris vitiis :*

Quid referam multis compostia Philenia rebus ?
Quid loquar antidotum variis ? quis ista requirat ?
At nos pauperibus præcepta feramus amica.

Alterum quod a Constantino animadversum esse oportebat, est, de vi carminum ad medendum quam dispar huic, atque illi Auctori sententia fuerit. Equidem non negaverim, vana haud raro, & risu excipienda remedia Serenum proposuisse, transversum videlicet actum ab ea quæ ejus temporibus invaluerat, credulitate ac superstitione, vel potius ne ignoravisse, aut omisisse videretur quæ tum maxime probabantur. Hoc etiam addam, me postquam ea legeram quæ ad pleraſque abigendas febres de collo suspendenda esse, docuerat, olim esse suspicatum, num hanc forte damnationis ipsius causam prætendisset Caracalla, a quo videlicet *damnatos esse & qui remedia quartanis, tertianisque collo annexa gestarent*, Spartianus (3) docuit ; quanquam hunc Historicum accuratius postea perlegenti, revera neque horum, illiusque damnationis tempora congruere, & tanquam Getæ fautor, Samonicus interemptus esse videatur - Attamen quid de vi carminum vere ipse censeret, satis in fine capitis de *Quotidiana* demonstravit :

Multaque præterea verborum monstra silebo.
Nam febrem vario depelli carmine posse,
Vana sup erstitio credit, tremulæque parentes.

Contra in iis versibus quos hujus ipsius Poëmatis perorationem esse, existimat Constantinus, quam fidenter, quam magnifice inania istiusmodi anilia remedia celebrantur !

Gramine seu malis ægro præstare medelam,
Carmine seu potius : namque est res certa saluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.

Quod si ex me quæras, cujusnam igitur Auctoris, & cujusnam libri sit ista peroratio ; non Vindiciani, sed ejus ipsius in cujus Operis calce legitur, Marcelli esse, respondebo, a quo videlicet illi suo de Medicamentis libro instar clausulæ additam fuisse, eo minus dubito, quo magis ob multa vel pretiosa, vel superstitiosa remedia, magna in ipso cum laude proposita, eidem video convenire. Alii autem quod Vindiciani Comitis Archiatrorum Epistolam, a Marcello ante suum librum positam, continuo Marcelli ipsius liber cum poëtica ista peroratione consequitur, hæc propterea fortasse Vindiciani esse, putaverint, cum tamen ex Marcelli Epistola ad Filios, loco Præfationis universo Operi præfixa, proclive esset cognoscere, & librum, & perorationem ipsam esse Marcelli, utpote qui apertissime hanc indicat, cum, *Versiculis*, inquit, *quoque lusimus migmatum & specierum digestione compositis. Non quod sit dignum aliquid in carmine, sed ut lectorem, scrutatoremque hujus operis & poema pellicat, & exoptatio blanda conciliet, quod opusculum in infima parte hujus codicis collocavi & ut sermone nostro opera hæc solertia nostra composita claudantur, & nugas nostras multiplex foliorum celet objectus.*

(1) *Adverſ. lib. 17. c. 18.* (2) *Natur. Hiſt. l. 24. c. 1.* (3) *In Caracalla.*

Digitized by Google

ctus. Hæc ideo pluribus verbis egi, quod animadverti, me hac de re non a Conſtantino ſolum diſſentire, verum etiam a Viro noſtræ ætatis eruditiſſimo, qui *Carmen*, inquit, *Sereni extrema parte truncum eſſe videtur, itaque pedibus eo in ſententiam Roberti Conſtantini, qui verſus in calce libri Marcelli Empirici de medicamentis, conjectura minime abſurda, ſed veriſimillima habet pro peroratione poematis Sereniani*. Ego vero ut de eo lubens Doctiſſimo Viro aſſentior, quod aliquid facile in extrema præſertim parte hujus Poëmatis deeſſe videatur; non propterea tamen video, cur hoc verſibus ſupplere debeamus quos Marcellus & ſuos eſſe, indicavit, & ita ſcripſit ut ſuo magis quam Sereni Operi conveniant. Sane quæ duo ab eodem quoque Celeberrimo Viro ante iſta verba ſunt poſita, alterum, *Sereni caramen Heroicum, præcepta de medicina parvo pretio parabili ad curandos præcipuos humani corporis morbos complecti*, alterum, quæ *in his ſuperſtitioſa nonnulla ex more illius ætatis* Serenus admiſcuit, ita admiſcuiſſe, ut *plura forte tranſcriberet, quam crederet*; hæc, inquam, duo num duobus cum locis conveniant quos ſupra ex ea Peroratione produxi, ipſe omnium optime pro eo quo pollet, acri judicio, & veri ſtudio exiſtimabit; ego quod ipſe exiſtimaverit, ſequar.

Verum etſi hoc, & quæ ſupra indicata ſunt, in Conſtantino minus probo; non ideo tamen egregiam quam in Sereno emendando, illuſtrandoque poſuit, operam meritis laudibus fraudabo. Certe in brevibus de quibus dictum eſt, notulis haud raro veram, Aſulano, Cæſario, Humelbergio incognitam, ſcripturam attigit, interdum etiam, iis qui vel Doctiſſimum Keuchenium fugere, Veterum locis eandem comprobavit, velut cum ad eos verſus ex cap. de *prurigine, papulis, & ſcabie*:

Ergo lutum prodeſt membris adhibere fricatis,
Quod facit ex aſino ſiccatus corporis humor;

hoc primum adnotavit: *ſiccatus*, Alii *ſaccatus*; egregie quidem, ut jam Turnebus (1) præſenſerat ex Arnobii (2), imo ex ipſius reſtitutis Lucretii (3) verbis, ubi de pueris in ſomniis lectum permingentibus:

Totius humorem ſaccatum ut corporis fundant.

Porro ab Sereno ſcriptum eſſe *ſaccatus*, cum alii indicant ipſius verſus in quibus vel Lucretii (4) verba libenter uſurpat, ut in cap. de *ſolutione ventris*:

Tam varii caſus mortalia ſæcla fatigant;

ut in cap. de *uva & faucibus*:

——clamor fracto cum forte ſonore
Planum radit iter, &c.

vel Lucretium ſtudioſe admodum laudat, ut in cap. de *conceptione*:

Hoc poterit quartus magni monſtrare Lucreti;

tum veteres & Keuchenii, & aliorum libri manifeſte confirmant. Deinde Conſtantinus hanc ita comprobavit, illuſtravitque ſcripturam: *Plinius lib. 28. c. 18. tradit, aſininam urinam cum ſuo luto illitam hominis ſcabiem ſanare*: qui Conſtantini, atque adeo Plinii locus Keucheniun fugerit, neceſſe eſt, nou facile alioqui ad hos Samonici verſus ſcripturum: *De aſinino lotio nihil tale, quod ſciam, apud medicos*: quanquam etiam apud Plinium Valerianum (5) hoc legitur: *Urina aſini cum ſuo luto impoſita* (ſcabiem) *ſedat*.

Verum de Keuchenio ipſo mox plura. Nam de Henrico Stephano, de quo jam ex ordine dicendum eſt, hoc tantum ſatis eſt indicare, ita ipſum Conſtantini editionem in Samonici verbis, & varian-tibus lectionibus ad eundem modum proponendis eſſe ſecutum, ut ſi cæteras etiam in ora notulas adjeciſſet, lac lacti ſimilius non eſſet. Certe quam pauciſſima omnino fuere in quibus diſcrepare, animadverti. Ex his unum quod ſententiam plurimum mutat, neque apud ullum alium adeo fidenter receptum comperi, adnotabo. Initium capitis de *podagra* ſic habent Aſulanus, & Humelbergius:

Quæ

(1) *Adverſar. l. 17. c. 28.* (2) *Adverſus Gent. l. 2.* (3) *De Rer. nat. l. 4. verſ. 1022.*
(4) *Vid. l. 1. verſ. 21. & alibi paſſim, tum ejuſd. lib. verſ. 645. & l. 4. verſ. 531. 532. 536. &c.*
(5) *De Re Medica l. 3. c. 38.*

Digitized by Google

Quædam sunt rabidæ medicamina summa podagræ ;

Cæsarius autem, & Constantinus haud magna, quod ad sententiam attinet, varietate *digna* scribunt pro *summa*. Illud sententiam omnino mutat quod ab eodem Constantino, ut varians scriptura, in margine adnotatum est : *Quædam haud sunt* pro *Quædam sunt*. Istam autem ipsam scripturam recipit Stephanus, scribitque unus ; quod viderim ; omnium :

Quædam haud sunt rabidæ medicamina digna podagræ ;

sive quod in libris calamo scriptis sic invenerit, sive quod aliter nullam esse Poëtæ sententiam, judicaverit ; nec fortasse injuria ; hæc enim continuo sequuntur :

Cui ter tricenas species Epidaurius ipse
Dixit ineſſe Deus, requiem tamen indere morbo
Fas erit, & triſtem ſaltem mulcere dolorem ;

nam si quædam esse, dixisset sive digna, sive summa podagræ medicamenta ; cur nihil aliud quam aliquam saltem doloris quietem, & mitigationem promitteret ? Quod sicui forte Stephani scriptura minus placet ; is igitur aut quomodo communem explicet, videat, aut aliam aliquam perquirat ; ut exempli causa, si Poëta non *Quædam*, sed *Quænam* scripsisset, atque ita quærendo, quænam vel digna, vel summa possint esse podagræ medicamenta, nulla videlicet istiusmodi esse, indicasset. Cæterum quæ sive in verbis, sive in Vita Sereni describendis tum in Stephano, tum in Constantino ipso desiderari possint, plura quæ cum de Asulano, Cæsario, & Humelbergio diceremus, exempla attulimus ad illos quoque pertinentia, satis superque præmonstraverint.

Unus de quo scribam, restat Keuchenius Vir multum ; ut verum fatear ; in græcorum, latinorumque cujusque generis Scriptorum lectione versatus, antiquo etiam Sereni exemplari, calamo exarato, instructus, necnon illo quod Gryphianis formis descriptum est, aliisque fortasse quibus nos caremus, nonnullis (hæc enim inter Sereni Editiones in Prolegomenis memorat) fere omnibus tamen eo tempore editis, ut videri a Constantino potuerint. Sed vicissim quæ Constantinus Stephanus, Aldique Filii procurarunt, eo in loco ne nominat quidem ; Humelbergii autem Commentarium se necdum videre potuisse, diserte fatetur : quinetiam quem primo loco memorat, apud Aldum, hoc est a Francisco Asulano, editum Samonici librum an viderit, aut certe an adhibuerit, non satis constat. Videtur enim vidisse ex iis quæ aliquando notat, ut ad caput de *vesica*, & *calculo* ; num vero adhibuerit, ii judicent qui nobiscum animadverterint, in Notis ad sextum versum ex cap. de *ictibus scorpii :*

Magna quod exiguis perimantur ſæpe venenis,

scribere ipsum, se *nescire cur eruditi viri non ausi fuerint* membra *pro* sæpe *reponere ;* vel in quarto versu ex cap. de *lumbis & renibus sanandis :*

Aut pice cum melli --

recte quidem pro *melli*, *molli* rescribendum esse, existimare ; sed de hac emendatione hæc subjicere : *Nihil verius ea lectione, quam nos primi reſtituimus ;* cum tamen Asulanus & in versu illo priore *membra*, & in hoc altero *molli* ad eundem prorsus modum ad quem Keuchenius emendat, revera scripsisset. Sed sive Asulani, aliorumque de quibus dictum est, librorum ope caruerit, sive contra, usus sit ; certe illis tot aliis eruditionis præsidiis ornatus Prolegomena ad Serenum copiosa scripsit, & bene docta, in quibus postquam superstitiosæ Medicinæ nugas, & deliramenta erudite detexit, atque exagitavit, tum de Sereni ipsius Vita longe melius quam cæteri, de quibus supra dictum est, loquitur ; nam eorum omnes quos indicavimus, errores declinat, & Veterum de Sereno testimonia accurate & collecta, & descripta proponit.

Nescio tamen cur de ipso dixerit : *Superſtitioſam* (medicinam) *paſſim, Tralliani, Aetii, Myrepſi, Marcelli, cæterorumque medicorum exemplo immiſcet ;* quasi vero qui aliis post ipsum sæculis extitere, horum Serenus promoveri exemplo potuisset : quod eram fortasse præteriturus, nisi etiam in Notis ad caput de *Splene* hæc inveniſſem : *Forte antidoton ex iis remediis variam a Nitolao Myrepſo mutuavit Serenus ;*

Digitized by Google

nus; ab homine videlicet qui cum Meſuen citet (1), ſeculo duodecimo florentem, novem ſaltem ab Sereni ætate interjectis ſæculis ſcripſerit, neceſſe eſt.

Neque item præclare video, quamobrem Keuchenius, non minus quam cæteri quos ſupra dixi, Sereni Vitam cum ejus Poëmate edidiſſe, illum omiſerit Lampridii locum in quo Alexandri Severi luculentum de Samonico apparet judicium: *Latina*, inquit Lampridius (2) (hic enim ſequor typis editorum exemplarium inſcriptionem; non ignarus alioqui eorum quæ hac de re Iſ. Caſaubonus (3), & Cl. Salmaſius (4) monuere) *Latina cum legeret* (Alexander) *non alia magis legebat quam De officiis Ciceronis, & De republica. Nonnunquam & oratores & poetas, in queis Serenum Sammonicum, quem ipſe noverat & dilexerat, & Horatium.* Quæ tamen verba cum ego diligenter perpendo, & cum iis confero quæ de eodem Alexandro aut ipſe habet Lampridius (5), *vixiſſe* videlicet *annis XXIX.*, aut etiam Herodianus (6), *tum duodecimum attigiſſe annum*, cum factus eſt Conſul cum Heliogabalo; ex his nimirum, aliiſque Hiſtoriæ monumentis comperio, quinquennem, aut etiam quadrimum fuiſſe Alexandrum, cum Geta, hujuſque partium ſtudioſus Samonicus a Caracalla interfecti ſunt. Num ergo id ætatis puerum, etiamſi conſtaret, in eodem loco ubi Samonicus, tum fuiſſe, jam tum eruditiſſimum illum Scriptorem & noviſſe, & dilexiſſe, credemus? An quando id minus veri ſimile eſt; conjiciemus potius, Poëtam iſtum Serenum Samonicum, de quo loquitur Lampridius, non Patrem; ut Iſ. Caſaubonus (7) videtur credere; ſed Filium fuiſſe, cum hunc annos aliquot paternæ cædi ſuperſtitem ponere, nihil vetet, & quæ Spartianus (8), Arnobius (9), Macrobius (10), Sidonius (11), Servius, (12) de libris Samonici, ut videtur, Patris aut memorant, aut proferunt; hæc quidem ſoluta oratione ſcripta ſint, illa vero ad doctum quidem atque eruditum Philologum, Hiſtoricum, aut etiam Mathematicum, non propterea tamen Poëtam, ſpectare videantur. Quod ut omni ex parte veri ſimile eſſe, intelligas; primum quæcunque Macrobius (13) ex Samonico & nominatim ex ejus libris Rerum Reconditarum produxit, ea cum verſibus comprehenſa non eſſe, conſtet; tum quod indicavit Arnobius (14), ad illos eoſdem libros pertinere, Voſſius (15) exiſtimat. Deinde cum ex cæterorum locis pleroſque in Prolegomenis Keuchenii, nonnullos in hac etiam Epiſtola habeas; ne ulli præterea ſuperſint quos ad perpendendum requiras, ex iis quos ille omiſit, duos inſuper, alterum Sidonii, quem Doctiſſimus Fabricius (16) indicat, Servii alterum quem nondum vidimus apud eos qui de Samonico locuti ſunt, adſcribemus. Et Sidonius quidem in Epiſtola (17) ad Leontium memorat *Julium Firmicum*, *Sammonicum*, *Saturninum in libris matheſeos peritiſſimos conditores*; quanquam Joannes Savaro (18) admonet, *MS. optimæ notæ hos non agnoſcere*, *ſed Julianum Vertacum*, *Follonium Saturninum*, qui quidem Mathematici quinam fuerint, & quomodo alterius nomen ſit emendandum, his, inquam, Savaro de rebus quid cenſeat, alibi (19) proponit. Servii (20) autem locus mihi quidem certior eſt: *Miracula*, inquit, *de hac inſula* (Thule) *feruntur, ſicut apud Græcos Cteſias, & Diogenes, apud Latinos Sammonicus dicit.* Quæ omnia cum ita ſe habeant; minus mirum eſt, ea quæ produximus, Lampridii verba a Keuchenio eſſe prætermiſſa, ut qui facile ad Samonicum non Patrem, ſed Filium pertinere, exiſtimaverit, quem Poëmatis de quo agebat, Auctorem non putabat.

(1) *De Compoſ. Medicam. Sect. 32. c. 17.* (2) *in Alex. Severo.* (3), (4) *in Notis ad hanc Vitam.* (5) *in ead. Vita.* (6) *Hiſtor. l. 5.* (7) *in Notis ad Spartiani Caracallum.* (8) *in Caracallo, & Geta.* (9) *Adverſ. Gent. l. 6.* (10) *Saturnal. l. 2. c. 12. 13, l. 3. c. 9.* (11) *in Epiſt. ad Polem. Carm. 13. ſubjecta &c.* (12) *Comment in Virgil. Georgic. l. 1. verſ. 102. 103. &c.* (13) *loc. cit.* (14) *loc. cit.* (15) *De Hiſtoric. Lat. l. 2. c. 2.* (16) *Bibl. Lat. l. 3. c. 5.* (17) *in qua eſt Carm. 22.* (18) *Comment. ad hunc Sidonii locum.* (19) *Comment. ad Sidonii Epiſt. 11. l. 8.* (20) *Comment. in Georgic. l. 1. verſ. 30.*

Digitized by Google

tabat. Qua utraque in ſententia diſerte oſtenderunt ſe eſſe Jo. Jac. Hofmannus (1), & hunc ſecutus Lud. Morerius (2), in primis autem Ger. Jo. Voſſius (3). Hic tamen de Samonico, Filio, *ecquid*, ſcripſerit, *haut*, inquit (4), *fat ſcio*. Sed Deſid. Eraſmus (5) Lyrica ſcripſiſſe, non dubitavit, atque adeo Serenum illum eſſe, cenſuit, quem inter Lyricos ab D. Hieronymo laudatum eſſe, ſupra dixi: cui ſententiæ ætatem quidem eorum a quibus Serenum Lyricum nominatum eſſe, ſcio, adverſari non opinor, quando Terentianus, quem eorum omnium antiquiſſimum eſſe, conſtaret, ſi Præfectus ille Syenes fuiſſet a M. Valerio Martiale (6) memoratus, iſne fuerit, an ille potius ad quem Longinus ſuum illum aureum librum (7) ſcripſit, vel apud Eruditiſſimum Fabricium (*) incertum eſt. Ego vero ut nihil in ejuſmodi re affirmáverim; ita ſuſpicor, quando Samonicum quidem Patrem fuiſſe Poëtam, non conſtat, Filium autem fuiſſe, ex producto Lampridii loco intelligi poteſt; ſuſpicor, inquam, hoc de Medicina Poëma Filii potius, quam Patris eſſe credendum. Non me præterit, ita ab aliis poſſe accipi Lampridii verba, ut *Serenum* referant non ad proximam vocem *poëtas*, ſed ad priorem illam *oratores*: neque tamen ignoro, L. Gr. Gyraldum, cum duobus in locis (8) iſtis ipſis Lampridii verbis uteretur, utrobique *orationes* (quam quidem vocem etiam in Pall. ambobus Codicibus vidit Gruterus (9)) *orationes*, inquam, non *oratores* legiſſe; ut non obſcure Ciceronis orationes intelligere, & ad hunc modum verba diſtinguere ſe, oſtenderit: *non alia magis legebat quam de officiis Ciceronis, & de republica, nonnunquam & orationes; & poetas in queis Serenum Sammonicum, quem ipſe noverat, & dilexerat, &c.* Verum hanc totam rem alii viderint; ego enim ita propono, ut judicium potius exquiram aliorum, quam interponam meum.

In Notis autem ſane eruditis quibus Samonicum ornavit, illuſtravitque Keuchenius, mallem aliquando ut minus ſuo tum ingenio, tum veteri exemplari indulſiſſet. Nam quod ad poſtremum verſum capitis de *fellis vomitu, & phthiſi:*

Carne aſinæ, ſevoque capræ medicina ſalubris;

hæc adnotavit: *Scribo;* Lacte aſinæ. Iarte *diſertim in avito. nec enim aſinæ caro, ſed lac phthiſicis ab antiquis medicis præſcribitur;* primum illud attendiſſet, oportebat, in cæteris vetuſtis libris in quibus id verbum *aſinæ* eſt; quantum etiam ex Conſtantini, & Stephani ſilentio agnoſcimus; conſtanter ſcribi *Carne:* tum vero Plinium Valerianum (10) docuiſſe: *Carnes aſini ex jure ſumptas phthiſicis prodeſſe:* & ante hunc, majorem Plinium (11) hæc tradidiſſe: *Phthiſicis medentur, jecur lupi ex vino, macræ ſuis fœminæ herbis paſtæ lardum, carnes aſininæ ex jure ſumptæ: hoc genere maxime in Achaja curant id malum;* quem locum Plinii ſpectaſſe Samonicum, oſtendit etiam adipis ſuilli mentio in proxime ſuperiore verſu facta, in hoc autem ipſo ſevi caprini, quod videlicet pauciſſimis interjectis verbis a Plinio adverſus phthiſin memoratur. Ad eos etiam verſus capitis de *ſolutione ventris:*

Proderit & pueris quos dentis origo fatigat,
Caſtaneas coxiſſe nuces, & ſorba vetuſta;

hæc notat: *Forte legendum:* quos ventris origo fatigat. ventris *integre ſcriptum invenio in veteri avito:* & infra: *Scribo -- ex avito libro:* -- ſorba peruſta. *id eſt, in ſole ſiccata.* Verum in aliis; quod ſciam; antiquis exemplaribus neutrum invenitur. *Vetuſta* autem ſorba pro ſiccatis & a Sereno hic accipi, & ſatis intelligi, ignorare Keuchenius non potuit qui ad illum alium hujus capitis verſum:

Aut ceraſi victum longo jam tempore pomum;

hæc ſcripſerat paulo ante: *Pomum ceraſi* longo tempore victum, *ille ſiccatum vocat,*

(1) *Lexic. Univerſal.* (2) *Dictionaire Hiſtor.* (3) *De Philoſophia c. 12.*
(4) *De Hiſtoric. Lat. l. 2. c. 2.* (5) *in Scholiis in Epiſt. ſupra cit. D. Hieron. ad Paulinum.*
(6) *Epigr. l. 1. 87, 86. Scriverio.* (7) *De Sublimi &c.* (*) *Biblioth. Lat. l. 4. c. 7.*
(8) *De Poetar. Hiſtoria Dial. 4. ubi de Sereno Samonico, & Dial. 5. ubi de Alexandro Mammææ.*
(9) *Not. in Lampridii Alex. Severum.* (10) *De Re Medica l. 1. c. 61.* (11) *Nat. Hiſt. l. 28. c. 17.*

Digitized by Google

cat, quod alvum adſtringat. Nam quod ad illam alteram lectionem attinet, ſcire luculentius vellem, quid ſit, aut quomodo ſit interpretanda *ventris origo*: niſi ipſe ultro ſubjeciſſet vulgatam ſcripturam *etiam poſſe defendi, nec debere immutari*: *quos dentis origo fatigat*; & ſic explicaſſet: *iis igitur, quibus jam primuli dentes ſuboriuntur, & quos dentium origo fatigat, præſcribuntur hic ad dyſenteriam & alvum ſiſtendam caſtaneæ cocta &c.* Non tamen ediſſerit, cur in hoc capite in quo alioqui agitur de alvi fluxu, dentientes pueri memorentur. Memorantur autem, quia in peculiaribus eorum morbis qui; ut Hippocratis (1) verbis loquar; *jam dentire incipiunt, alvi profluvia* potiſſimum numerantur. Laceſſitis (2) enim ob gingivarum pruriginem, atque dolorem vicinis ſalivæ canaliculis, ac glandulis, tanta hujus copia provenit, & a puerulis, ut pote exſpuere neſcientibus, in ventriculum, & inteſtina demittitur, ut his propterea laxatis, ſæpius non *dyſenteria*, ſed diarrhœa ſeroſa oboriatur: quæ etſi illud affert commodi ut ſic plurimis ſtimulantibus particulis una ejectis, nervorum diſtentiones, & comitialis morbus facilius arceantur ſecundum ea quæ ab ipſo etiam Hippocrate (3) obſervata ſunt: *quibus in dentitione alvus amplius ſubducit, minus convelluntur, quam quibus parum*; attamen ſi omnem denique modum tranſeat, non eſt dubitandum (quod tu minime ignoras, & Paulus (4) indicat) quin ſit tantum a Medico minuenda, & cohibenda, quantum ſatis ſit ne vires ita dejiciat, ut vitam ipſam in diſcrimen adducat. Denique; ne longior ſim; ad verſus ex cap. de *nervis inciſis, & dolentibus, atque contractis*:

Aut Baccho madefacta Ceres cum fronde cupreſſi,
Quo poteris potu recreare rigentia membra;

illud quidem recte adnotavit: *perperam ſunt, qui τό potu ad compoſitionem referunt*; ut enim in ſuperioribus ſeptem verſibus non de potandis, ſed de extrinſecus adhibendis remediis ſermonem fieri, oſtendunt aut voces quibus Poeta uſus eſt, aut ipſorum remediorum natura, & Medicorum qui iiſdem ſunt uſi, conſuetudo; ita in his quoque fieri, tum duo hæc, tum nexus, tum Poeta ipſe commonſtrat, qui eaſdem prorſus res cum etiam (præeunte utrobique Plinio (5)) in cap. de *podagra* laudet, ſic proponit:

Trita cupreſſus ibi Baccho jungetur acerbo,
Panibus & teneris, cohibebitque addita queſtus;

addita enim illic idem eſt atque *impoſita*, qua ratione in cap. de *lumbis* &c. dictum eſt de ſacculis:

Quos vix paſſuris urentes addito membris,

& in cap. de *fracturis*:

Conveniet cerebrum blandi canis addere fractis,

hoc eſt oſſibus. Quæ cum ita ſint; tantum abeſt ut in his de quibus agimus, verſibus non ſcribendum ſit *fotu* pro *potu*, quod contendit tamen Keuchenius, quamvis illud ſit *in ora Gryphiani codicis*, & alterius parvuli quem nos habemus, Lugdunenſis *impreſſum*; ut nihil aptius poſſe fieri appareat, quam ſi illam ſcripturam cum Humelbergio recipiamus, præſertim cum & ingratum concurſum vocum *poteris potu* ſic vitemus, & quarto ante hunc verſu Serenus ſine controverſia ſcripſerit:

-- tali recreabis languida fotu.

Nam in explicatione quidem quam ad retinendum *potu* profert Keuchenius: *non ea potu membra recreanda, ſed potu rigentia debere accipi, quod multos egit tranſverſos. ex potu enim rigor & vitium nervorum: nam nervis --- inimiciſſimum eſt vinum nimium potum*; magis ipſius ingenium laudo, quam Samonici genium, & veræ ſcripturæ ſpeciem agnoſco.

Neque hæc tamen ita accipias velim, quaſi in Keuchenii Notis plurima eſſe viciſſim bona atque egregia, & Eruditiſſimo Viro digna, negarem. Sunt enim: neque aliter pluribus in locis ſcripſiſſe Samonicum, credo, atque a Keuchenio conſti-

(1) *Aphoriſm. Sect.* 3. 25. (2) *Vid. etiam Ettmull. de Morb. Infant. Art.* 18.
(3) *De Dentitione n.* 2. (4) *De Re Medica l.* 1. *c.* 9. (5) *Natur. Hiſt. l.* 24. *c.* 5.

Digitized by Google

stituitur, velut in versu capitis de *lumbricis* secundo cum scribendum statuit:

-- *interno cum viscere tænia serpens*;

non ut omnes libri typis editi habent, *tinea serpens*. Movet enim me liber ejus vetustus cum iis in hoc conveniens quorum scripturam in ora adnotarunt Constantinus, ac Stephanus, movetque præterea lex carminis, quæ *tænia* requirit, *tinea* respuit; nam qui secus sentiunt, hoc certe ambiguæ, ut ostensum est, scripturæ loco antiquius non proferunt exemplum; quando constat, Horatium (1) contra scripsisse:

-- *aut tineas pasces taciturnus inertes*,

& (2)

Blattarum, ac tinearum epulæ. --

Vel cum ejus capitis quod inscribitur: *Ægris somno adscifcendo*, versum sextum a plerisque ita scriptum:

Proderit & magnum capiti substernere fulcrum;

sed cujus tamen aliæ quatuor circumferuntur lectiones, quarum unam sequitur Asulanus, reliquas in ora exhibet Constantinus, ipse, ultima harum selecta, sic restituit:

Proderit, ut Magi, capræ substernere fella;

cum & vetustus ejus liber magna ex parte hanc repræsentaret scripturam, & locus Plinii (3), a Constantino quoque indicatus, eandem mirifice comprobet: *Magi, felle capræ -- sub pulvino posito, somnum allici, dicunt*. Verum & has, & ejusmodi alias quas veras esse, agnoscit, scripturas, in quibus illæ quoque sunt de quibus supra ostensum est, *hirudine* pro *hirundine*: *faccatis* pro *siccatus*: *fariffæ* pro *cariffæ*, si in edito ab se Samonico nolebat exhibere; cum tamen certe aut in ora adscribere, aut aliquo inter ipsa verba posito signo suis quamque locis indicare debuisset, omnes ibi omnino prætermisit magno sane cum Lectorum incommodo, qui nisi cunctas non ita aut breves, aut paucas perlegerint Notas, post ipsum Poema, atque adeo Prolegomena, in ulteriore libri parte seorsum editas; quid Keuchenius in ea re egerit, aut senserit, prorsus ignorent, necesse est.

Hæc cum ita sint; vides profecto, mi Vulpi, Viros Doctissimos a quibus, hactenus a nobis recensitæ, Sereni Editiones sunt procuratæ, peculiaria singulos in singulis ut bona præstitisse, sic vitia quædam declinare non potuisse. Igitur, nisi forte aliam aliquam invenias ex iis quas nondum inspexisse me, fateor, & in his Basileensem cum brevioribus Pictorii commentariis, Lugdunensem a Molinio, Parisiensem a Pithœo, Lipsiensem ab Rivino, Lugduno-batavam ab Lindenio (minus enim nobiles, etsi novi, imo aliquas etiam vidi, hic tamen memorandas peculiariter, non putavi) aut alio præterea aliquo quem ignorem, Docto ejusmodi Viro accuratam, quæ; etsi tempus quo pleræque earum habitæ sunt, & Constantini de Moliniana ipsa judicium id facile sperare non sinat; ad illam tamen quam quærimus, & optamus, perfectionem propius accedat; nisi, inquam, talem ex reliquis invenias; necesse nimirum est, ut ex singulis aliqua, ex nulla omnia petendo, ista qua polles, tum solertia, tum diligentia non mediocrem operam ponas in Sereni Vita, Elogiis, Fragmentis, ac Poemate, itemque in Notulis quæ aut selectas variantes scripturas, aut necessarias interpretationes exhibeant, apparandis. Et Vitam quidem, Elogia, ac Fragmenta ex Keuchenii potissimum Prolegomenis, Notulas autem aliquas ex Cæsario, multo plures ex Humelbergio, & Keuchenio, non paucas tamen ex ipso etiam Constantino sumere poteris, a quo & variantes lectiones pleraque mutuaberis: hujusque brevitatem tibi ad imitandum proponens. Cujus quidem librum quem Almeloveenius (4) ait esse *rariffimum*, & propterea fortasse in Prolegomenis omisit Keuchenius, nisi in vestra ista lectissima Bibliotheca habeatis, ex mea sumes. Daboque insuper, si volueris, pleraque variantes Sereni lectiones, a me inter legendum, ex ipso Constantini, & cæteris quæ vidisse me, dixi, exemplaribus collectas.

[1] *Epist. lib.* 1. *Epist.* 20. *vers.* 12. (2) *Satyr. l.* 2. *Sat.* 3. *vers.* 123. (3) *Nat. Hist. l.* 28. *c.* 19. (4) *in Præfat. ad C. Celsum.*

Digitized by Google

Hæ tibi in ipso Poemate describendo, & notulis addendis non erunt inutiles; sed longe erit utilius singulos ex quibus collegi, libros inspicere.

Quod si præterea ex me quæras, de certis quibusdam Sereni locis ipse quid sentiam; illud primum admonebo quod & ex parte intelligitur ex iis quæ supra sunt, & Keuchenius (1) his verbis testatus est: *Quædam ejus capitula in membranis aliter comparent, ac editionibus; quædam ipso lemmate corrupta sunt, ut passim docuimus. Versus interdum omissi, vel amissi, ut ex aliis manuscriptis apparet, quibus olim excutiendis Pithœus, Barthius, cæterique doctissimi correctores præfuere. Voces etiam & syllabæ contra veterum auctoritatem contractæ, vel productæ.* Quinetiam paulo post subjicit, se *colligere, ex arbitrio describentium literionum Autorem hunc corruptum, aut emendatum fuisse; quod & primam ansam dedit tot innumerorum errorum & incredibilium lectionum.* Huc adde quæ similia memorat Doctissimus Fabricius (2): In Sereni Carmine, *quoniam pluries olim descriptum est & interpolatum, incredibilem lectionum varietatem offerunt MSti Codices, teste Rittershusio ad Oppianum, & Barthio XXVI. 27. Adversar.* Equidem pertinaciter (non contenderim, Samonicum, quamvis Eruditissimum Virum, aliquo in loco aut memoria labi, aut pati aliud humani potuisse, præsertim si ipse idem fuit qui in Fragmento de pisce acipensere quod nobis est a Macrobio (3) servatum, usque adeo prolapsus est, ut minorem Plinium cum majore apertissime confuderit, quod Jos. Scaliger (4) primus, quod sciam, notavit. At labi tamen in parvo hoc Poemate sæpe adeo, ac graviter potuisse ut ita hoc scripserit, quemadmodum nobis imperitissimi librarii scriptum dedere, quis credat? Cum igitur pessime ab his esse habitum, constet; experiri nos decet aliquanto etiam liberius quam in Celso, aut alioqui ad nos minus depravatus pervenerit, faceremus, an forte illi adjumenti aliquid afferre possimus. Et sane Franciscum quoque Asulanum, atque adeo ipsum, ut credibile est, Egnatium nonnullos omisisse versus, plures autem alios alium in locum transtulisse, supra vidimus. Ego vero qui & Egnatium, & me novi, etsi nunquam tantum mihi sumerem, id ut facerem; tamen ea in re quid suspicer communicare tecum non dubitabo. Et primum duos illos versus qui tum in cap. de *lumbricis* prius, tum etiam paulo post in cap. de *vesica*, *&c.* habentur.

Ergo cinis cornu cervini proderit haustus,
Vel nepetæ tritum ex vino, vel lacte capellæ,

alterutrum in locum esse suspicor ab oscitantibus librariis intrusos; neque enim solet Samonicus cum idem rursus proponit remedium, iisdem verbis, multoque minus iisdem versibus, sed longe aliis proponere, cujus rei nonnulla exempla supra sunt a nobis forte producta, cum de Humelbergii, Constantini, & Keuchenii Editionibus scriberemus. Hi autem duo versus primo certe in loco egregie sunt positi propterea quia quæcunque in ipsis laudantur, solida quidem ad pellendos, necandosve lumbricos ex Scribonii (5), Plinii (6), & Dioscoridis (7) auctoritate; fluida vero admixta, alterum ad necandos, alterum ad alliciendos ad necantia, lumbricos ex plerorumque Medicorum consuetudine (quorum de opinionibus, & auctoritatibus in hac Epistola non judico) in usum trahuntur. Veri ergo simile est, in alterum potius locum fuisse intrusos, idque eo credibilius est quod cum in priore constanter, ad eundemque modum a cunctis quos vidimus, libris exhibeantur; in altero sane aliter a Cæsario, aliter ab Asulano proponuntur sic tamen ut appareat magis emendandi conatus, quam emendatio; nam verba pleraque, & in his illud quod præcipue istuc convenire non videtur, retinent, hoc est *nepetæ*. Animadvertendum enim est, sermonem istic haberi de urinæ profluvio, & incontinentia curandis:

Quon-

(1) *in Prolegom. ad Samonicum.* (2) *Biblioth. Lat. l.3. c.5.* (3) *Saturnal. l.2. c.12.*
(4) *Animadversion. in Chronologico Eusebii ad MMCXXV.* (5) *Compositi. Med.Com.142.*
(6) *Nat. Hist. l.28. c.14.* [7] *de Mat. Med. l.3. c.36.*

Digitized by Google

Quondam etiam nimio præceps urina fluento
Irrigat exuvias, obscœnoque inficit hymbri;

Num igitur credibile est, continuo versus consequi in quibus nepeta proponatur, herba videlicet urinam ciens, ut ab ipso Dioscoride (1), quem Plinius Valerianus (2), aliique Rei Medicæ Auctores sequuntur, olim scriptum est; an potius, iis sublatis, hunc continuo sequi oportere:

Tum leporis cerebrum ex vino potare decebit;

certe cum de nepeta nihil ejusmodi ex priscis auctoribus produci, meminerim; hoc apud Plinium (3) legi potest: *urinæ incontinentiam cohibet — cerebrum leporis in vino.*

At versus aliquot auferre, fortasse aliquibus videatur audacius; num ergo & transferre? Quod si hoc etiam videtur; ipsi igitur nobis edisserant, cur in cap. de *phreneſi*, & *capite purgando*, illum versum:

Ceritum sæpe horrendi medicantur odores,

hic protinus subsequatur:

Atque ideo sanos etiam curarier est par;

quid enim sanis cum Ceritis? de quibus Nonius Marcellus [4]: *Ceriti, & larvati male sani.* Hæc minime cohærere, senserunt qui pro *sanos* reponendum esse *insanos*, censuere; sed ab his tamen erat animadvertendum, neminem dubitare quin curandi sint insani, neque adeo Samonicum ineptum esse potuisse, ut id sibi probandum esse, existimaret: præterea si insanos *etiam* curandos legamus, haud obscure consequi id ipsum quod vitare voluerunt, hoc est sanos quoque esse curandos. Hæc cum ita sint; illud ego attendendum censeo, caput hoc, ut inscriptio etiam ostendit, in duas divisum esse partes, quarum prima insanos curare, altera caput purgare, sive sanos ab insania defendere, hoc est, ut nunc vulgo loquuntur Medici, præservare docet; itaque illum de Ceritis versum ad primam partem, alterum in quo *sanos* secundum magis communem lectionem retinendum puto, ad alteram partem existimo pertinere, sic tamen ut duo versus qui caput hoc claudunt, inter utrumque collocentur, ut legamus videlicet:

Ceritum sæpe horrendi medicantur odores.
Non semper præsens dolor est sanabilis: ergo
Cura magis prodest venturis obvia morbis;
Atque ideo sanos etiam curarier est par.
Purgatur cerebrum mansa radice pyrethri, &c.

Vides ut omnia nunc cohæreant, ut nihil incongruum, absurdumve legatur. Sunt & alia in aliis capitibus, & nominatim in eo quod inscriptum est: de *profluvio cujusque sanguinis*, quæ in meliorem, ut puto, ordinem digeri postulant: sed quoniam postulant, non flagitant; idcirco iis missis, id unum monebo, plura esse capita quæ a suis sedibus avulsa alio temere esse translata videantur, & præsertim duo illa, inter se colligata, quorum primum inscribitur: *Ægris somno asciscendo*, alterum: *Lethargiæ expellendæ*; quæ videlicet, nullo interjecto, subjici oportuisse postremo eorum capitum in quibus de Febribus actum est, ideſt capiti de *hemitritæo*, ipsum primi initium indicare videtur:

Non solum miseros teterrima febris adurit,
Sed super, optato pergit viduare sopore.

Et de transferendis versibus satis.

Nunc duo vel tres ex his qui depravati sunt, locis quomodo legendi sint, conjiciamus. In cap. *de conceptione*, & *partu* locus est qui ut vitiatus sit, alia apud alios, neque ulla tamen satis aut perspicua, aut recta scriptura ostendet omnibus qui singulos consuluerint. Eum ita edidit Humelbergius:

Ut menses olim minus octo moratus in alvo
Irrumpat thalamos & nexus solvat inertes,
Pulegio admixto venit embryo nectus aceto.

Hunc

[1] *Ibid.* [2] *de Re Med. l. 4. c. 22.* [3] *Nat. Hist. l. 28. c. 15.*
[4] *De Propriet. Serm.*

Digitized by Google

Hunc autem locum ex Humelbergio potiſſimum deſcripſi, quod poſtremum verſum, ita apud reliquos non proſtantem, cum in ſuo veteri exemplari legi, doceat Keuchenius, & in ora a Gryphio, & Tornæſio adnotatum ſciam, & de promovendo ac faciliori reddendo fœtus exitu, qua de re in ſuperioribus, & conſequentibus verſibus ſermo eſt, diſerte agere, videam; non ita facile rejiciendum eſſe, arbitror. Sed ut hunc verſum ab Humelbergio accipiendum, ita priores duos ex aliorum librorum auctoritate, aliqua ex parte mutandos cenſeo; alioqui enim quæ tandem eſſet iſta ſententia: Ut veniat, venit? Cum ergo Cæſarii, ac Tornæſii libri in primo habeant: *At qui olim menſes*, & ad hanc proxime accedentem ſcripturam ſequantur Conſtantinus, Stephanus, Keuchenius, qui videlicet habent: *Aut qui olim menſes*; ſecundum autem verſum & hi omnes, & ipſe quoque Aſulanus ita ſcriptum exhibeant:

Irrumpit thalamos, & nexus ſolvit inertes:

cum hæc, inquam, ita ſint; cur non conjiciamus, totum iſtum locum ad hunc fere modum poſſe reſtitui:

At qui olim menſes minus octo moratus in alvo,
Dirupit thalamos, & nexus ſolvit inertes,
Pulegio admixto venit embryo nectus aceto.

Sic rationem ſuperioribus propoſitam verſibus qua vivi fœtus partus juvetur, conſequitur ratio qua & mortui: hæcque de veterum Auctorum ſcriptis, & nominatim Plinii, quem Samonicus, ut ſæpius diximus, ſectari ſolet, deprompta; Plinius (1) enim hæc de pulegio tradiderat: *ex melle & aceto, - defunctos partus ejicit.* Tota autem ſententia hæc eſt: eo medicamine expelli fœtum qui ante juſtum tempus dirupit quidem ſua clauſtra, & ligamina, membranas videlicet circumjectas, harumque per placentam cum utero nexum, quod hæc omnia inertia, hoc eſt minus valida forent; ipſe tamen ab invalida matre cum paulo poſt pelli non potuerit, ſic intra uterum mori coactus eſt. Quod ſicui forte minus placeat *Irrumpit* in *Dirupit* mutare; ad eundem tamen modum explicare ſententiam poterit, ſi quidem *irrumpo* proprie ſignificet *penitus frango*, ut ab nonnullis Doctiſſimis Viris traditum eſt qui in hanc rem Lactantii (2) verba protulerunt: *ſummum igitur inter ſe hominum vinculum eſt humanitas: quod qui irruperit, nefarius & parricida exiſtimandus eſt.* Sed cum ego non modo in meo Lactantii exemplari quod quidem ex vetuſtis illis eſt quorum editionem Romæ procuravit Epiſcopus Alerienſis (3), verum & in duobus aliis quorum alterum ibidem ſexennio, alterum Venetiis biennio ante meum illud editum fuerat, non *irruperit* eo in loco legerim, ſed *diſruperit*; idcirco minus veritus ſum conjicere, *Irrumpit* (cujus verbi alioqui ambiguam apud Serenum ſcripturam libri illi veteres oſtendunt ex quibus Conſtantinus, & Stephanus in ora adnotarunt, *Erumpit*) aut in *Dirupit*, aut ſi quis forte ita malit, in *Perrumpit* eſſe mutandum: quanquam & iſtud ipſum *Erumpit* retineri fortaſſe poteſt propter illud M. Catonis (4) de Braſſica: *Eadem tumida concoquit, eadem erumpit.* In poſtremo etiam Sereni capite quod eſt de *hæmorrhoidibus*, cum ad eundem omnes modum priores duos verſus conſtanter proponant:

Excruciant turpes anum ſi forte papillæ,
Agreſtis radix prodeſt ſuper addita porri;

in tertio vehementer diſcrepant; nam Cæſarius ſic habebat:

Ni violet, ſanat juglandis fragmine clauſa.

At vero Stephanus, & Conſtantinus ad oram ſcribunt:

Ni violent, ſanant juglandis fragmina clauſas;

imo Conſtantinus, ſic, inquit, *lege*. Contra Keuchenius hanc quidem etiam profert ſcripturam; ſed & illud continuo ſubjicit: *Nihil mutandum*. Aſulanus vero, & Humelbergius etſi inter ſe, & multo magis ab his omnibus diſſidentem ſcriptu-

[1] *Nat. Hiſt. l.* 20. *c.* 14. [2] *De Divin. Inſtit. l.* 6. *c.* 20.
[3] *A.* 1474. [4] *De Re Ruſt. c.* 157.

Digitized by Google

pturam olim dederant, ita mihi quidem ad veram acceſſiſſe videntur, ut ex utroque aliquid ſumendo, omnino fortaſſe reſtituere hunc locum poſſimus. Igitur ita ſcripſit Humelbergius:

Ne violet ſanum, juglandis fragmine clauſa;

ut melior quam ex ſuperioribus, ſententia exiſtat, ſcilicet agreſtis porri radicem adverſus cæcas hæmorrhoides, quas turpes papillas vocat Serenus, aperiendo, prodeſſe, ſi apponatur, excepta tamen dimidiato juglandis nucis putamine, eoque cohibita ne proximas temere rodat partes, ſive, ut noſtri loquuntur, excoriet; ad quod videlicet exemplum alii etiam Medici, & in his Sennertus (1), monent *cauſtica, - glandium calice, vel alia capſula, ne vicinæ partes ſimul ædurantur, hæmorroidibus apponi debere*. Neque aliam fere quam Humelbergius, ſententiam Aſulanus ipſe propoſuerat, niſi perperam diſtinguendo verba, ſic obſcuraſſet:

Ne violet, ſana, in juglandis fragmine clauſum.

Utroque igitur inſpecto, ita hunc verſum reſcribendum eſſe, conjicio:

Ne violet ſana, in juglandis fragmine clauſa;

ſic enim ab illo *ſanat*, aut *ſanant*, quod cæterorum libri habent, minus quam Humelbergius, recedemus, & viciſſim ab illo *clauſa*, vel *clauſas*, minus quam Aſulanus. Et fuit quidem aliquando cum quærerem, an iſtud *clauſum*, quod habet Aſulanus, jungendum forte eſſet cum eo quod continuo ſequitur:

Sal niveum ſumes, -

eaque tota quam expoſui, de radice agreſtis porri ſententia accipienda potius eſſet de ſale hoc candido, quod *Bethicum*, ut Serenus ſubjicit, appellabant. Sed cum de iſto ſale Bethico, ſive Bætico (nam ſecundum Turnebi (2) judicium, & obſervationem idem eſt) cum, inquam, de iſto ſale Bætico inquirerem; vix hæc apud Plinium (3) reperiebam: *Ad medicinæ uſus, antiqui Tarentinum* (ſalem) *maxime laudabant: ab hoc quemcunque e marinis, ex eo genere ſpumeum præcipue: jumentorum vero & boum oculis, Tragaſæum, & Bæticum*. Nam quod Humelbergius ad hunc ipſum ſalem pertinere, tradidit, quæ apud Plinium (4) de illo extant, qui *glebis pene translucentibus* - cæditur, videlicet ei *jampridem palmam a pleriſque Medicis inter omnia ſalis genera perhiberi*; nempe animadverſiſſe non videtur, ipſum vero *in Hiſpania citeriore Egelaſtæ cæſum* fuiſſe, ideoque eſſe Bæticum, hoc eſt qui ex ulteriore Hiſpania peteretur, non potuiſſe. Cum igitur in Bætico ſale exulcerandi facultatem non modo celebrari, ſed ne attingi quidem apud Auctores invenirem: contra autem, agreſte porram ea vi pollere, & notum ſit, & Galenus ipſe (5) tradiderit; *adeo* enim, inquit, *eſt cæſidum, ut illitum cataplaſmatis modo, exulceret*; quin Serenus id potius monitum de radice ejuſdem porri adſcripſiſſet, vix amplius dubitavi.

Denique etſi minus libri variant in his verſibus duobus ex cap. de *infantibus dentientibus*:

Aut teneris cerebrum gingivis illine poreti.
Aut leporis niveum bibitur cum lacte caprino;

ſic enim a Cæſario, Humelbergio, Conſtantino, Stephano, Tornæſio, Keuchenio conſtanter ſcribuntur; tamen, niſi ego vehementer fallor, minus eſt inelegans quod ſcripſerat Aſulanus:

Aut leporis niveo bibitur cum lacte caprino;

quid enim? an porci de quo in priore verſu dicitur, album non eſt cerebrum? Si tamen quæras, an cenſeam, lac caprinum vocari *niveum* a Samonico potuiſſe, & revera hoc in loco fuiſſe vocatum; vocari quidem potuiſſe, inficias non ibo; hic autem revera vocatum eſſe, haud ita facile affirmabo. Cum enim tertio ante hos verſu humanos dentes niveos dixerit, caprinum etiam lac niveum dicere potuiſſe, neque tamen fortaſſe;

[1] *Medic. Pract. l. 3. Part. 2. Sect. 2. c. 13.*
[2] *Adverſ. lib. 22. cap. 24.*
[3] *Natur. Hiſt. l. 31. c. 7.* [4] *Ibid.*
[5] *De Simplic. Medic. Faculc. l. 6. ad vocem* Ampelopraſon.

Digitized by Google

taſſis; ne ſummam verborum inopiam in re minime neceſſaria oſtenderet: dixiſſe, contendam. Quod ſi *cerebrum*, quod aliter dicere non licebat, potius iteraſſet, ſcripſiſſetque: *Aut leporis cerebrum*; id ſane multo æquius videtur ferri potuiſſe. Proxima etiam illa vox *bibitur* ejuſmodi eſt, ut de ipſa dubitare poſſimus. Haud equidem ignoro, Dioſcoridem (1), & hunc ſecutum Galenum (2) tradidiſſe, leporinum cerebrum *affricta*, *aut cibo facilem infantibus dentitionem præſtare*; quorum utrumque poſtea etiam ab Oribaſio (3), poſtremum vero tantum ab Aëtio (4) memoratum eſt. Plinius (5) tamen, quem ſæpius noſter ſolet Poëta deſcribere, & quem revera hic deſcripſiſſe videntur indicare cum laudati ab utroque *dentes qui equis primum cadunt*, *adalligati*, tum vero maxime, conjuncta lactis caprini mentio; nihil aliud, quod ſciam, de illius cerebri uſu ad dentitionem adjuvandam docuit, niſi *lacte caprino*, *aut cerebro leporum perunctas gingivas*, *faciles dentitiones facere:* quem ita Plinius Valerianus (6) ſecutus eſt, ut ad dentitionem dixerit, *lacte caprino*, *& leporis cerebro gingivas perfricari*. Sed nec Sextus ipſe Platonicus (7), quem fuiſſe, putant, Chæronenſem illum M. Antonini doctorem, nec Paulus [8], nec Actuarius [9], neque, ut plures alios ſciens prætercam, noſtris ipſis temporibus Ettmullerus [10] aliter in pueris dentientibus leporini cerebri uſum laudarunt, quam ut ipſum gingivis illineretur, atque adeo hic poſtremus vel ſic adhibiti nimiam vehementiam timuit, & propterea quando, & quomodo illinendum ſit, docuit. Verum utcunque hoc eſt; ob illum certe Plinii locum ſæpius ſuſpicatus ſum, non *bibitur*, ſed *linitur*, aut *linito* a Samonico ſcriptum eſſe. Sed quoniam neque ſine veterum exemplarium auctoritate meæ mihi placent conjecturæ, & ſi tibi ſorte pro eo quo me proſequeris, ſtudio placerent; ſatis tamen multa ſcripſiſſe, imo omnes juſtæ Epiſtolæ terminos jam diu mihi prætergreſſus eſſe videor; plures alios qui depravati ſunt, locos omittam, & verbis Adriani Turnebi [11], Viri de antiquis Scriptoribus, & nominatim de noſtro Samonico egregie meriti, finem denique ſcribendi faciam: *Nos Medicum male habitum his vel fomentis lenire, vel medicamentis ſanare conabamur: ſunt & in eo multa alia ulcera, quibus vel Pæon, vel Chiron manum admoveat; majorem enim opem, quam noſtram, deſiderant. Interim quædam a nobis in eo reduvia curata erit, ſi modo curata dici poſſit; nam ne id quidem affirmare auſim.* Vale.

Patavii Nonis Januar. MDCCXXI.

EPI-

[1] *De Mat. Med. lib. 2. c. 18.* [2] *De Simpl. Med. Fac. lib. 11. ad voc.* Cerebrum leporis.
[3] *De loc. aff. cur. l. 4. cap. 63.* [4] *Tetrab. 1. Serm. 4. c. 9.*
[5] *Nat. Hiſt. l. 28. c. 19.* [6] *De Re Med. l. 1. c. 42.*
[7] *De Medic. ex Animal. c. 2.* [8] *De Re Med. l. 1. c. 9.*
[9] *Medic. l. 6. c. 7.* [10] *In Schroder. de Animal. Claſſ. 1. & de Morb. Infant. Artic. 18.*
[11] *Adverſ. l. 17. c. 18.*

Digitized by Google

EPISTOLA ALTERA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

VIdi his diebus quæ undeviginti ab hinc annis ad Samonicum præfatus eſt, adnotavitque Vir præclara eruditione, & famæ celebritate ornatiſſimus Petrus Burmannus (1). Quæ utinam ſicuti ad me nunc miſiſti, ita mittere potuiſſes, cum is viveret; non tam ut perpaucis, in quibus a me diſſenſit, ſatisfacerem, quam ut gratias agerem de reliquis plurimis, in quibus pro ſua humanitate mihi voluit aſſentiri. Noſti enim, quam multa, quam varia non de poemate ſolum, ſed de vita etiam, ſtudiis, fatiſque Samonici, de ejuſque editionibus longa illa, quam vulgari voluiſti, Epiſtola complexus ſim. Cum totam ille perlegerit, & pene totam in ſuis cum Præfatione, tum Adnotationibus articulatim commemoraverit; accipe, ad quam pauca redeant illa de quibus ipſi aliter ac mihi viſum eſt.

Igitur in Præfatione cum ad Samonici editiones ordine recenſendas pervenit; ab illa orſus, qua antiquiorem nec ipſe vidit, Veneta nimirum A. 1488. cujus mihi copiam factam eſſe ab egregio Viro Fratre tuo, in Epiſtola (2) non reticui, poſtquam duas, treſve alias memoravit, hæc habet: *Juntinam deinde Celſi, majoris formæ A.* 1524. *Morgagnus in Epiſtol. pag.* 77. *perperam pro Aldina Viros doctos accepiſſe credit, quaſi & illa Serenum comprehenderet, cum biennio poſt Aldi ſocer Aſulanus Celſo demum adjecerit Serenum.* Non hæc deſcripſi, quod hic ille a me diſſentiat; ait enim, credidiſſe me, ab iis perperam acceptam eſſe: cui meæ ad ſic opinandum non obſcuriſſimæ propenſioni ne ipſe quidem refragatur. Sed, ut hæc planiſſime intelligas, Epiſtolæ paginam illam relege, quæ in Patavina editione (3) eſt 18.; nam Burmannus editionem tertiam indicat, qua utebatur, habitam apud ſuos Hagæ Comitum; illam igitur, & quæ proxima præcedit, & 2. quoque paginam relege (*): perſpicies continuo, nihil ea quæ Burmannus dicit, ab iis quæ ego dixeram, diſcrepare, niſi quod a me ſcriptum fuerat, non biennio poſt; ſed A. 1528. neque Aldi ſocerum; ſed Franciſcum Aſulanum, Andreæ *ſoceri ejus filium*, Serenum edidiſſe: neque me credere factum perperam a Viris illis doctis; ſed etſi ita videatur, me tamen an perperam factum ſit, *malle judicium ſuſtinere*. Quarum rerum neque eſt cur me pœniteat, neque ulla earum eſt quam impugnet Burmannus: quamvis caſu neſcio quo acciderit ipſi, ut cum ea vellet quæ ego ſenſeram, indicare, paulo aliter referret. Cur ergo, inquis, iſta ejus verba deſcripſiſti? Ob ea videlicet, quæ continuo ſubjecit: *Ibidem etiam contendit* Morgagnus, *Aldinam priorem Cæſarii Hagenoenſi editione debere haberi, cum tamen utramque in calce legas prodiiſſe A.* 1528. *menſe Martio. Joannis vero Cæſarii dedicatio, oblata Comiti a Stoelberg, notam temporis habet pridie Kal. Apriles A.* 1527 *ita ut certe Cæſarius hanc Colonia miſiſſe ad Typographum Hagenoenſem Johannem Soterium videatur, ante annum, quam per cunctationes Typographi exiret in lucem.* Ego vero neque iſta ignoravi; quin pagina illa 17. (**) diſerte protuli; ſed cum de editione, non de præpoſita epiſtola, ageretur, tempore ſtandum eſſe, credi-

[1] *in Edit. Poetar. Latin. Minor.* [2] *pag.* 267, 7.
[3] *illa quidem quæ ſimul cum Samonico prodiit; in præſenti enim, ideſt Edit. Patav. II. eſt pag.* 263. [*] *bis* 246. [**] *bis* 262.

Digitized by Google

di quo illa absoluta, non quo hæc scripta esset : neque tamen contendi, editionem Venetam esse priorem habendam Hagenoensi, nisi si Veneta, ut Viri illi docti affirmaverant, jam A. 1524. prodiisset : imo sic omnem ea de re sermonem concluſi [1] : *Itaque in præsentia, non me quidem, sed ipsis, quemadmodum ostendi, auctoribus, Asulano postpositum habes Cæsarium*. Quæ cum ita sint, cumque, ut paulo ante vidimus, ego a Viris illis doctis discedere Burmanno visus sim; haud satis scio, cur eidem adversus Cæsarium pro ipsis contendere videri potuerim.

Mox pergit ad alteram Cæsarii editionem. Primam *hanc editionem*, inquit, *deinde repetiit Jo. Soter Salingiaci A. 1538. quam male quosdam consuluisse, & pro ipsius Cæsarii editione habuisse, in notis ad cap. XLVI. v. 830. ostendi*. Ibi autem me, alioſque, ait, non hanc alteram, sed primam illam inspicere debuisse ; attendendas enim *illas* esse editiones, *quæ ab ipsis viris doctis sint curatæ, antequam illis aliquid vitii adscribamus*. Vera monet Vir præstantissimus. Sed tamen quomodo primam illam curare ipse potuit Cæsarius, quem fassus est Colonia ad Hagenoensem typographum misisse, tanto locorum intervallo disjunctum? Deinde quomodo primam illam, cujus hic inspiciendæ non est copia, potuissem ego consulere, aut credere, aliter habere, qui ex Cæsarii editione quidquid alii proferrent, in ea pariter quam ego versabam, ad eundem modum invenirem? Denique siqua gravioris momenti in editione hac notavi, non ejusmodi certe sunt, ut typographorum incuriæ facile imputanda esse videantur. Nec sane mihi aliud diserte objici a Burmanno, video, nisi quod, ut in aliis aliquot est editionibus, sic in hac quoque animadverterim scriptum esse *carissæ* pro *sariſſæ*, quod in prima, ait, legi editione. Crederes, hanc omni istiusmodi vitio carere, nisi, quæ verba eodem in capite post versus perpaucos notaveram [2], *Utque Sariſſæa*, hæc eadem Burmanni Adnotatio indicaret in prima ipsa Cæsarii editione retineri. *Ineptum vero est*, inquit, *Cæsarii & Pictorii*, utque sariſſæa, *quod non intelligo*. Sed tu, mi Vulpi, vel hinc intelligis, non esse igitur primam Cæsarii optimam illam, quam in Epistola quærebamus, editionem. Propositum enim hoc erat nostrum, quid boni, quid contra esset in singulis animadvertendo, dispicere, [3], *quænam dignior* esset *editio, quam potissimum sequereris*. Cujusmodi nullam cum invenerimus; consilium denique nostrum fuit [4], ut *ex singulis aliqua, ex nulla omnia petendo*, novam apparares: quod nisi angustiæ illæ temporis permitterent; at si vires & valetudo postea suppeterent, succedentibus annis faceres, & si rata fuissent hæc nostra vota, jam feciſſes.

Meum autem illud consilium hoc loco ideo commemoravi, quia Burmannus, qui Epistolam certe perlegerat meam, ejus rei prorsus oblitus videtur, ubi paulo infra ventum est ad Roberti Constantini, & Henrici Stephani editiones. *Certe*, inquit, *Constantini editionem* Henr. Stephanus *ita expressit, ut recte judicet Morgagnus, lac lacti similius non esse, si unum vel alterum excipias locum. Quod cum recte viderit, mirari subit idem institutum in sua editione, quam nuper Patavii prodidit, secutum, & Constantini vestigia tam diligenter servasse, ut ne quidem ab aberrationibus ejus sibi caverit, cujus exemplum cap. XXX. v. 577. videri poterit, ita ut hæc repetita modo Constantini editio jure vocari possit*. Novam hercle, & difficilem observationem ! quando tu, angustiis temporis exclusus, & notularum brevitate ac copia allectus, ex illa Patavinam editionem ita describi voluisti, ut aperte, & in fronte statim ipsa liqueret omnibus, esse *ex editione Lugdunensi A. 1566. Rob. Constantini, cum hujus Notis, variisque lectionibus*, non secus ac Celso conjunctim edito, præfigi jusseras, deberi ipsum *curæ, & studio Th. J. ab Almeloveen*. Tuque idem optime omnium nosti, num ullam ego editionis utriuslibet Auctoris Patavinæ lineolam, nedum pagellam antea, aut dum typographus excuderet,

[1] *pag.* 264, 35. [2] *pag.* 262, 5. [3] *pag.* 245, 8. [4] *pag.* 296, 20.

Digitized by Google

deret, non dico emendaverim, sed viderim. Quin etiam scis, annuisse me, ut Epistolas in illos Auctores simul ederes meas, ea conditione si reciperes, etsi tibi forte propositæ aliquæ a me emendationes necessariæ viderentur, tamen in eorum contextu ne litterulam quidem te esse propterea mutaturum: quam fidem non modo servasti, sed etiam a te mihi datam in præposita editioni Epistola omnibus prædixisti. Quam igitur meam somniant aut Celsi, aut Samonici editionem? Num quam procuraverat Constantinus, me daturum emendatam in ea Epistola promisi, in qua tibi ne ejus quidem repetendæ consilium dedi?

Satis etiam superque ostendit, ut opinor, Epistola eadem, in qua non semel indicandum a me fuit, quid carminum legibus repugnaret, ostendit, inquam, num tandem, licet inter poetas nomen non profitear meum, adeo iis in legibus hospes sim, ut quantum flagitii Constantini operæ commisissent in his duobus versibus, non sentirem,

Pulegiumve potens, & agreste jungatur anethum (1).

Græcos hyoscyamon propria scito dicere lingua (2);

nec statim rescriberem *jugatur*. *Græcus. scit;* præsertim cum, etsi duo posteriora membra in Henrici quoque Stephani, & Roberti Keuchenii editiones irrepsissent, primum autem etiam in plures, inter quas ipso indicante Burmanno, illa est, quam male! non consului, Cæsarii prima; aliæ tamen essent in manibus quæ tribus hisce vitiis carerent. Quæ quanto evidentiora sunt, tanto magis adducere ipsa Burmannum debebant ad suspicandum saltem, Patavinam editionem non esse meam; non ad scribendum in primo: *quam scabiem nec* me *depulisse, securum semper editionis Constantinianæ*, quasi in tot ejus locis, qui se in Epistola considerandos forte obtulere, nihil unquam reprehendissem: in duobus autem alteris: se *de Keuchenio non mirari, sed stupere, ipsum Constantinum*, & me, *qui eum exprimo semper, etiam in vitiosissimis locis*, hic *nec duplex vitium animadvertisse*. Relinquebatur, ut illa quoque objiceret mihi, quæ in Constantini editione cur minime notaverit, haud satis scio, nempe in versu (3)

Sal niveum sumes, Baticum quod nomine dicunt,

secundam tertii pedis syllabam omnino sine diphthongo scribendam fuisse: nam etsi, quocumque modo scribas, facile corripi non possit; certe si diphthongum habeat, jam nullum supereſſe disputationi locum, neminemque fore cui dubium sit, quin sic, oporteat produci: Versum autem (4)

Atque palato agitat retinensque, vomensque,

toto uno pede mutilum, evidentissime claudicare: quo quidem pede apud plerosque non careat, adverbium *pariter* inter *agitat*, & *retinensque* interjicientes, aut aliter, non mancum, edentes. Hæc certe, & si qua alia a Constantini typographis peccata sunt, eadem ratione, qua superiora, mihi poterat assignare Burmannus! Verum ut illa quæ immerito assignavit, hic mihi prætereunda non fuere, ne silentio agnoscere & probare viderer; sic id omne facile condonandum est Viro & meritissimo, & mortuo, &, quod caput est, erga me, ut cætera præclare ostendunt, egregie animato.

Nam quod in Præfatione reliqua, de me addit sive Keuchenii editioni in iis quæ bona habet, *laudem non exiguam* tribuente, sive in neglectis quibusdam necessariis subsidiis hominis *securam supinitatem* notante, in hoc mecum facit vel magis quam ipse vellem, qui multo, ut debebam, lenius id indicavi (5); in altero satis assentitur, cum bona illa Keuchenium ex avi schedis, qui spectatus Archiater fuerat, ait, descripsisse. In Adnotationibus autem, cum persæpe proferat quid ipse in Samonico legerim, explicaverim, differuerim; aut non improbat, aut diferte probat, aut lectores ad meam Epistolam rejicit: & siquid forte aliter, ut in rebus ejusmodi, aliquando

[1] *c.* 30, *v.* 15. *Burmanno autem* 577. [2] *c.* 20. *v.* 20. [3] *c. ult. v.* 4. [4] *c.* 9. *v.* 13. [5] *p.* 285, 29.

mavult; ea ratione mavult qua mox videbis. Locos enim omnes in quibus a me nominatim discrepat, huc adscribam. Qui cum pauci admodum sint; alios addam in quibus mihi viciſſim nonnulla haud satis placent quæ ipse proposuit. Sic modesta aut illius a me, aut mei ab illo dissensione Poeta noster fortasse illustrabitur. Cujus hic ordinem servare præstat, quam aut illum quo in Epistola usus sum, aut quo in his Litteris uti possem, si locos vellem in quibus aut a me Burmannus discrepat, aut ego ab illo, separare.

Igitur capitis VI. quod inscribitur *Prurigini, papulis, ac scabiei arcendis*, initium apud plerosque omnes ad hunc modum se habet,

Illotus sudor, vel copia nobilis escæ
Sæpe gravi scabie correptos asperat artus.

Producit Burmannus Constantinum, qui indicaverat, pro *copia*, legi posse *inopia: ubi una producta inter tot breves more Græco:* item esse alios, a quibus *copia* retinetur, pro *nobilis* legentes *inutilis*. Producit deinde Keuchenii locum, qui cum hisce ultimis faciebat. Denique Scaligerum, qui ad marginem codicis pro *nobilis* adleverat *noxilis*. Tum hæc subjicit: *Sed caret auctoritate vox illa* noxilis. *forte* nec copia nobilis escæ. *ut deficiente victu mundiore, ex vitioso alimento scabiem oriri dicat.* Mihi vox *nobilis* videtur omino expungenda; neque enim mundiorem dumtaxat victum significaret, sed etiam exquisitiorem, quomodo, exempli causa, a Plinio (1) dicitur *Turdus inter saxatiles* pisces *nobilis*, & *apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser.* Pauperibus autem, pro quibus scribebat Samonicus [2], neque copia est ciborum hujusmodi, nec quibus est, aut non est, idcirco scabies oritur; ut mihi æque *copia*, ac *inopia*, sive *nec copia nobilis escæ* aliena hic esse videatur. Contra vero *copia inutilis escæ;* quod non carere vidimus doctis approbatoribus, quibus Henricus Stephanus addendus est, ut qui de duabus Constantini notulis priore omissa, alteram in libri ora apposuit; huc quidem attinet, si eam vocis *inutilis* vim spectemus, qua apud idoneos latinos Scriptores haud raro invenitur. Neque enim tantummodo pro eo quod nulli usui est, posuerunt, sed etiam pro noxio, & pravo: idque ex iisdem constat exemplis quæ in iis ipsis Lexicis proferuntur, in quibus vis tamen hæc altera non traditur. Lege enim Plinium [3]; ut ejus complures alios omittam locos; ubi *stomacho* scripsit *inutilissimum*, aut Hirtium [4], ubi *inutiliter administrari*, aut Varronem [5], ubi *bibitur inutilius;* res ipsa ostendet, ita dici, ut ab eodem Varrone [6] apum reguli plures dicuntur *inutiles fieri propter seditiones*, &, ne ab nostris Medicis recedamus, ut a Cornelio Celso [7] *cum omnibus inutilis esse* dicitur *post cibum aut contentio, aut fatigatio animi, tum his præcipue, qui vel capitis, vel arteriæ dolores habere consueverunt*, itemque ubi remedium proponit [8], *si fungos inutiles quis assumpsit*. Copia igitur inutilis escæ copia erit ciborum pravorum, quales videlicet sunt *salsi, acres, & qui facile corrumpuntur;* utor enim Sennerti [9] verbis, quibus hæc continuo subjecta sunt: *hinc pauperes, qui pravis illis cibis utuntur, frequentius scabie infestantur.*

Ad proximum caput VII. de *Phreneſi*, ubi scriptum est versu quarto *Sive meri gustus*, cum adnotasset Burmannus hanc explicationem Pictorii, meri *hic pro stomacho accipitur;* non miror quod mox addidit: *Pictorii explicationem τῦ meri non intelligo. Meri* enim est nomen, quo Arabes, & qui diu secuti sunt Arabes barbaro, & semibarbaro sermone Medici stomachum, id est gulam, significabant. Alienum autem adeo est quod hic Pictorio venit in mentem, videlicet quod ab Samonico de vino dictum est, id de stomacho dictum esse, deinde vero si de stomacho dictum esset, Arabico nomine tunc dici aut potuisse, aut decuisse; ut excusandus sit Burmannus, si tam absurdam expli-

[1] *Nat. Hist. l. 32. c. ultim. & l. 9. c. 17.* [2] *Vid. Epist. l. p. 279, 29.* [3] *Hist. cit. l. 22. c. 24.* [4] *de Bello Alex. c. 65.* [5] *de Re Rust. l. 3 c. 5.* [6] *Ibid. c. 16.* [7] *De Medic. l. 1. c. 5.* [8] *Ibid. l. 5. c. 27. n. 17.* [9] *Medic. Pract. l. 5. P. 1. c. 27.*

Digitized by Google

explicationem non est assecutus.

Sed nec ego satis assequi possum, quid ipsum Burmannum cogeret, ut de addenda vocula cogitaret in versu tertio capitis XIIII. de *Dentium vitio*,

Cum Baccho violas decoxeris, ore teneto.

Adscribit en, *An* in, *vel* ex Baccho, *ut solent loqui Medici*. Certe autem Scribonius in *Medicis Compositionibus* (1) non aliter atque hic Serenus, locutus est: *omnia contusa cribrata, melle Attico decocta, & rosæ aridæ aqua decoctæ*: aut ne mihi ob ea quæ sequuntur, aut antecedunt, nodus ibi in scirpo quæratur; mittamus, obsecro, alios Medicos, &, quemadmodum alibi locutus sit hic ipse noster Poeta Medicus, videamus. Sic igitur capite de *Podagra* (2),

Aut nitidum ranæ decoctum viscus olivo,

capite autem, quod inscripserunt *Vulneribus ex re dubia curandis* (3), modo prorsus gemino, nedum consimili ejus in quo hæsitat Burmannus,

Aut hederam Baccho decoctam, & semen anethi.

Me quidem cui non animadversam credebat in aliis versibus multo evidentissimam inscitiam operarum, plus nimio offenderet una ex illis intrusa voculis, si legeremus *Cum in Baccho*, aut *Cum ex Baccho*. Utcunque enim versus constaret; aures tamen ferre non possent. At factum bene quod in versu illo de *Podagra* ne locus quidem sit quo contrudi possit alterutra.

Age nunc transeamus ad caput in quo paulo diutius moremur. Versus enim habet quos in Epistola (4) consideravi. Est proximum XV. cujus hoc initium est,

Ægrescunt tenera fauces, cum frigoris atri
Vis subiit, vel cum ventis agitabilis aer
Vertitur, atque ipsas flatus gravis inficit undas.

Burmanno primum illa displicent, *frigoris atri*. *Nescio*, inquit, *quo modo non placet illud epitheton: nec quis* atrum frigus *dixerit, scio:* artum *vocari, ut adstrictum, posse credo. sed rectius* acris, *quod penetrabile alii Poetæ dicunt, præferrem*. quum frigoris acris vis subiit. *ita Lucretius IV.* 261. acre ferit frigus.) Hanc ego partem non agitaveram: nec sane displicere ita poterat illud *atri*, appositum, si quod aliud, huic Poetæ persæpe usitatum, & frigori satis conveniens, sive ut infestum, noxiumque spectetur, sive ut eo acrius, quo cum atriore, latente videlicet sole, conjunctum est die, sive demum ut cutem livore inficit, quo intellectu *atrum* ab Horatio (5) dictum esse venenum, Viris doctis placet, sicut a Virgilio quoque, nec semel, cujus hemistichium (6), *membris agit atra venena* Samonicus transtulit in poema hoc suum (7). Servius certe, ejusdemmodi explicans Virgilii locos (8), sic dixisse *atrum*, itemque *nigrum* venenum, ait, *ut pallida mors* dicitur, *vel tristis senectus*, nimirum *quia nigri sunt homines post venenum*.

At enim quis frigus *atrum* dixerit, non succurrit. Sed neque, ut video, quis *artum*: quo de verbo hic quidem, nihil dico, ut neque de ingrato illo terminationis ejusdem in tribus continuatis vocibus sono, *frigoris acris vis*; quando Burmannus ipse alio videtur inclinare; hæc enim continuo addit: *forte tamen* Auctor *scripserit*, quum frigoris artus vis subiit, *cum vis frigoris subiit membra humana. ita cap. IX. & VI. sed judicet lector*. Utor permisso, & fauces quas frigidus aer subjecerit, hic aperte adeo significari, dico, ut non oporteat huc artus induci, quos frigus pervaserit, de quibus videlicet jam satis supra IX. illo capite actum erat. Nihil igitur hic muto.

Atque utinam ne in fine quidem tertii versus quidquam mihi visum esset in Asulani, & quorundam aliorum scriptura mutandum. Nam etsi quam præferebam, ea in aliis libris extabat; tamen diu est cum per me intellexi, longe melius esse cum primis *undas* legere, quam cum aliis, *undis*. Subpudet me; ut verum tibi fatear, tarditatis meæ, quæ in re apertissima adduxit.

[1] 120. & 230. [2] *XLII. v.* 16. [3] *LXIII. v.* 8. [4] *p.* 265, 15.
[5] *Carm. l.* 1. *Od.* 37. [6] *Georg. l.* 2. *v.* 130. [7] *c. XLVI. de serpent. morsu. v.* 15.
[8] *ad Æneid. l.* 2. *v.* 221. & *l.* 4. *v.* 514.

Digitized by Google

duxit ut quærerem, *quid ad fauces, ſi ventus gravis inficit undas?* Ut excuſari me, cupio; ſic libens excuſatum volo Burmannum, qui non ita abſimili, ſi finem ſpectes, interrogatione utitur: *denique licet jam ventus inficeret mare* (*ut ita Lucret;* ſcribere autem voluit *Lucan*; *V.* 564. niger inficit horror terga maris) *an inde*, inquit, *faucibus hominum ægritudo naſceretur?* Scilicet oblitus uterque noſtrum, Samonicum pro pauperibus ſcripſiſſe, haud animadvertit id quod ipſis præ cæteris frigida tempeſtate accidit, quippe ſimul magis ex corporis labore incaleſcentibus, ſimul caventibus minus, qualem ſtatim non modo aerem hauriant, ſed & potionem. Res omnibus notiſſimas placet eloqui Ettmulleri (1) verbis, qui inter cauſas externas, quibus fiunt vel ipſæ faucium inflammationes, *ſunt*, inquit, *in ſpecie ſubitaneum frigus inſpiratum, aut potus nimis frigidus poſt nimiam ac intenſam corporis incaleſcentiam*. Serenus igitur cum primam faucium ægritudinis cauſam, hauſtum ore præfrigidum aerem indicaſſet; tum alteram memorat, præfrigidum potum: quem *undarum* nomine, quo aquam perſæpe ſolet, pauperum potionem, deſignat, undarum autem, quas *flatus gravis*, id eſt ventus nimio frigore noxius, hoc ipſo vitiat, cum propemodum gelidas reddit. Vel nimis igitur apparet, quid ad fauces ægras faciendas undæ attineant, quas ejuſmodi ventus infecerit, & quam longe a Poetæ ſententia abeſſent undæ illæ aut aëris, quas ego comminiſcebar, aut maris, quod alter; ut pro *undas* retineret *auras;* commemorabat, flatum huc denique neſcio quem *peſtilentem* inducens quo auræ inficiantur. Quæ tamen interpretatio ſi a doctis Viris probabitur; non eam difficilius huic meæ ſecundæ anteponam, quam ſecundam hanc antepoſui primæ. Cæterum pluribus, quas, ut ſemper alibi, ita hic quoque Burmannus valde laudabili, & perutili diligentia producit, variantibus lectionibus una addenda eſt; quam prope ducentos ab hinc annos, tanquam *vetuſtiorem*, & *magis probatam*, Medicus doctiſſimus ſequebatur Jo. Philippus Ingraſſias (2). Legebat enim pro *undas*, *uvas*, id eſt uvulam. Animadvertit tamen, non modo Celſum, Scribonium, alioſve, ſed & paulo inferius, hoc ipſo capite, Samonicum eadem ſignificatione non *uvas*, ſed *uvam* ſcripſiſſe; ut mihi quidem minime appareat, cur aliter primo loco ſcribere, aut emphaſim illam adjungere in pronomine *ipſas* debuiſſet, quod pronomen, ſi *undas*, ut vel tunc alii, legas; habeat locum: ſi *uvas;* non habeat.

Tertiam, quam Samonicus profert, cauſam faucium ægritudinis, *rabidum clamorem*, ipſe illuſtrat Hortenſii exemplo;

ſic eſt Hortenſius olim
Abſumptus: cauſis etenim confectus agendis
Obticuit, cum vox domino vivente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua diſerti.

Hic Burmannus. *Erravit forte Serenus de verbis Ciceronis*, in libro videlicet qui inſcribitur Brutus, *ſic Hortenſii vox extincta fato ſuo eſt, noſtra publico*. Nam Cicero *de immaturo obitu ejus, quo eloquentiæ ejus finis eſt factus, potius agere videtur*, inquit; intempeſtivo autem dicere voluit, Rei nimirum Publicæ; neque enim *eſſe poteſt mors immatura ſeni;* Hortenſius autem *quarto & ſexageſimo anno* eſt mortuus, cum *perpaucis ante mortem diebus* Bruti *ſocerum defendiſſet Appium*: quæ omnia ex eodem M. Tullio (3) habemus. Hinc vero, ut laudatus a Burmanno indicaverat Baylius (4), ratio petitur qua coarguatur Serenus. Hortenſius enim, voce orbatus, quomodo *pro Appio Claudio dicere paulo ante mortem* (5) potuiſſet? Scilicet hæc quæ in uno eodemque Ciceronis libello ſunt, eruditus Vir Serenus non viderit! præſertim cum eorum quædam parvo intervallo ab iis verbis disjuncta ſint, quibus forte verbis ipſe deceptus exiſtimatur. Atqui non dixit, Hortenſium diu fuiſſe ſine voce: potuitque hic in ea ipſa Appii defenſione,

(1) *Prax. l. 1. S. 18. art. 2.* (2) *de Tumor. p. n. tr. 1. c. 1.* (3) *Philipp. 2. & in Bruto.*
(4) *Lexic. Critic. in Hortenſio.* (5) *Cic. in eod. Bruto.*

Digitized by Google

ne, non ſecus ac L. Craſſus in actione contra Philippum (1), morbum contrahere quo abſumptus eſt, & quem a vocis privatione inchoatum credere nihil vetat; ut dies aliquot ante mortem, quamvis cæteris vigeret facultatibus, loqui tamen, cauſaſque orare non poſſet. Qui dies ut perpauci fuerint, tot certe fuerint, neceſſe eſt, ut Appius poſtquam, in judicio etiam ambitus, abſolutus fuit, qua de re Tullius in duodecima ad ipſum Epiſtola (2) videndus eſt, potuerit, ut proxima docet Epiſtola, *non ſolum auctoritate orationis, ſententiaque ſua, ſed etiam opera, conſilio, domum veniendo, conveniendis* Amicis Tullii, *nullum onus officii cuiquam reliquum feciſſe*, cum de Supplicationibus eidem Tullio decernendis agi debuit, actumque eſt. Quas poſteaquam non ſine magna difficultate, & diligentibus prenſationibus decretas eſſe, Ciceroni ſcripſit M. Cœlius Epiſtola undecima (3), tum denique Epiſtola duodecima, *Hortenſium* tunc *animam agere*, ſignificavit. Quarum, & duarum, quas ad Appium miſſas diximus, Epiſtolarum non eſſe, ut aliarum alibi, pertubatum ordinem, attenta earum lectio oſtendit: quem contra perverſum eſſe in duabus agnoſcimus, ad Atticum ſcriptis (4). Cum enim ex ſeptima appareat, Ciceronem necdum Rhodum veniſſe, ex ſexta intelligitur, ei jam eſſe nunciatam Hortenſii mortem; de qua tamen ſibi, cum Rhodum veniſſet, allatum eſſe, initio ejus libri (5) ſcribit qui paulo ante citatus eſt. Sed hæc fortaſſe alias. Nunc enim ſatis eſt pro Sereno aliquid reſpondiſſe. Pro quo & illud addi licet, non tot demum ſæcula ab Hortenſii morte ad ipſum interceſſiſſe, ut veriſimile ſit, non potuiſſe etiam tum memoriam ſupereſſe inter Romanorum doctiſſimos, quo revera fato, & quomodo tantus Orator abſumptus eſſet.

Caput XIX. ut plura habet quæ in Epiſtola attigimus, ſic & plura obtulit Burmanno, quorum in aliis nobiſcum faciat, in aliis diſcrepet. Nobiſcum facit; ſi errorem operarum illius corrigas; in capitis inſcriptione ſic legenda, *Fellis vomitui, & phthiſi arcendis*.

In primo autem verſu diſcrepat: quem cum plerique ſic legerent,

Lutea ſi creſcunt, & cunctis noxia fella,

credidi, & credo ob eas cauſas quas tunc propoſui (6); longe melius fore, ſi ex libri antiqui fide pro *cunctis* reſcribamus *fundis*, id eſt rejicis. Non improbat hæc Burmannus. Addit hoc tantum: *mihi* præ cunctis noxia *non diſplicet*; ſic enim & aliqui legebant. Vides, hoc illi condonandum, qui Medicus non eſſet. Nam inter tot bilis genera, quorum viginti quatuor, & *famoſa*, quidem, numerat deſcribitque Sanctorius (7), luteam non eſſe præ cunctis noxiam, quis ex Medicis ignoret?

Sed ab initio capitis veniamus ad finem, qui ad phthiſim ſpectat, & pleriſque omnibus eſt ad hunc modum,

Proderit & veteris ſevi pila ſumpta ſuilli.
Carne aſinæ, ſevoque capræ medicina ſalubris.

Pro ultimo hoc verſu illum quem in Epiſtola (8) notavimus, unus ferme ediderat Aſulanus,

Quæ capulas quoque producit medicina ſalubri..

Quo in verſu cum libri calamo ſcripti (quorum inſpiciendorum nulla mihi, ut ſcis, copia fuerat) ſic variarent, ut alii *Quæ*, aut *Quas*, aut *Quo*, itemque alii *capulas*, aut *ſcapulas*, aut *ſcapulis*, aliique *producet*, aut *perducit*, alii denique *ſalubris*, *ſalubres*, *ſalutis* haberent; Burmannus ex conjectura a veri ſimilitudine non longius remota, adſcripſit, *forte* quæ ſcapulas quoque perducit medicina ſalubris: addiditque, *perducere* eſſe *ungere*, *tractare*, *fricare*. Sed cum Serenus (9) *corpus* quidem, *frontem*, *artus*, *locos*, ſæpe dixerit, *ſucco*, aliiſve eſſe *perducendos*, nonnunquam (10) & *lanam ſuccidam*, & ranæ *ſaniem*, aliudve *membris*, aut *corporibus*

(1) *Id. de Oratore l.*3. (2) *ad Familiar. l.*3. (3) *Ibid. l.*8. (4) *l.*6. (5) *Brut.* (6) *p.*273 27. (7) *Comment. in* 1. *Fen. l.*1. *Can. Avic. qu.* 82. (8) *p.*247, 18. (9) *c.* 5. 39. 34. 46. 49. 40. (10) *c.* 25. 35. 43. 60

ribus esse *perducendum*, nunquam tamen, quod nunc meminerim, succum ipsum, aliudve, dixerit, corpus, artusve perducere; fortasse melius quis rescriberet,

Quo scapulas quoque perduces, medicina salubris;

ut ad præcedentem versum duo ultima hæc verba referrentur.

Et sic quidem ubi hic versus retinendus videatur. Sin autem is potius quem proposuimus supra, ut pleræque habent editiones; tum vero non tam id quod Keuchenius reponendum crediderat; *Lacte asinæ*, quam ea quæ pro lectione hac Burmannus addidit, sunt a nobis considerandа. Hic enim primum fatetur quidem, perperam negavisse Keuchenium, asininam carnem phthisicis olim fuisse a Medicis datam, siquidem hoc in Epistola (1) demonstratum est: *non tamen extra veri speciem esse*, ait, *Keuchenii lectionem; nihil enim hodie familiarius est Medicis;* quo loco præstitisset testimonia proferre de priscorum consuetudine. Imo *quia*, inquit, *caro tam asini, quam asinæ prodest, hic vero* asinæ *legatur*, lac *præferendum videtur;* quasi vero censere non potuisset Samonicus, asinæ carnem magis, quam asini, convenire eadem ratione qua asinæ lac magis convenit, quam vaccæ. Certe libro 2. ex iis qui inter Hippocraticos inscripti sunt *de Victus Ratione*, postquam de plerorumque animalium, & in his, de asininis quoque carnibus, sigillatim (2) verba sunt facta, generatim traditur (3), animalia *mascula fœmineis* esse *sicciora:* & notius est quam ut hic debeat memorari, passim in Medicorum præscriptionibus inter hæc, atque illa discrimen attendi. Sed in Epistola (4) indicatum præterea a me fuisse, memineris, quare Samonicus hîc eum Plinii spectasse locum videatur in quo de asininis carnibus in phthisi proficuis, non de lacte, sermo est. Si tamen *lac* in hoc versu, vel *lacte* nominandi casu, ut vetustiores solebant, cum Burmanno legendum esset; alia insuper mutatione opus foret, quam ex conjectura quadam minus difficilem reddit, quasi cum *sevomque* antiquo more fuisset scriptum, librarii hinc fecissent *sevoque*. Ego, etsi has conjecturas laudo; tamen *scabri quid in constructione*, in quibusdam præsertim Auctoribus, malim, quam plura mutare.

Capita explicans duo, XXIV. & XXXIV. quorum alterum est de *Præcordiis sanandis*, alterum de *Profluvio cujusque sanguinis*, in singulis singulas aliorum interpretationes Burmannus offendit, quæ ipsi dubitationem afferant. Prima interpretatio Pictorii est, qui ad verba illa quarti versus (*) *nondumque tepentia*, adscripsit, laudante Keuchenio, *id est tepido calidiora*. Hoc vero *an possint significare*, *dubito*, inquit Burmannus, *cum* tepere *minus sit τῷ calere*. Quod exemplis confirmari posse, indicat, minime; aut ego fallor; necessariis. Comparate enim illa, non simpliciter, efferuntur; itaque in tempore ipso calor est, si cum frigore conferas. Sed hæc levia. Dubitatio autem altera ejusmodi est, quam Burmanno accidere posse, non crediderim; certe nollem accidisse. Serenus scripserat (5),

Menstruus immenso si profluit impete sanguis,
Succida lana malos remoratur subdita cursus.

Ad verbum hoc *subdita* adnotavit Constantinus, *in pesso*. Refert id Burmannus, & continuo hæc addit, *Nescio, an non pertineat ad v.* 655. (6) *ut sit pro* ex passo, *vel ad v. præced. pro* immenso. *certe non capio hanc notam.* Verum, ut Medicus non esset; qualem tamen esse decebat Sereni interpretem; at certe quotus quisque Philologus non perlegit Cornelium Celsum? qui toto eo, non brevissimo, capite (7) quod inscripserunt *de Pessis*, tum quid essent *ea*, docuit, *quæ fœminis subjiciunt. πεσσοὺς Græci vocant*, tum variis adjectis exemplis ostendit. Quin etiam Philologi ipsi hæc attigerunt: neque in *Variis* Mureti *Lectionibus* caput (8) deest,

(1) *p.* 291, 1. (2) *n.* 9. (3) *n.* 12. (4) *p.* 291, 17. (*) *c.* 24.
(5) *v.* 13. *in cap.* 34. (6) *id est* 23. *ibid.* (7) 21. *in l.* 5. (8) 9. *in l.* 11.

Digitized by Google

deeſt, quo ſententia confutatur Marcelli Virgilii, hinc *peſſulum* in Eunucho Terentiana (1) dictum putantis, quod Poeta ad hos reſpexiſſet, de quibus loquimur, peſſos. Cæterum quid magis humanum eſt, eoque facilius excuſandum, quam non omnium quæ legerimus, meminiſſe, præſertim ſi quis tot, & tam varia legerit, ut Vir longe eruditiſſimus, Burmannus: qui ex ſua multiplici, aſſiduaque lectione benigne nimis conjecturam faciens de mea, credidit in adnotatione ad caput XLII. ipſa quoque, ſi Superis placet, Juriſconſultorum volumina, vel quæ apud Batavos ſuos prodeunt, a me verſari potuiſſe: qui ne illa quidem, niſi tu mitteres, eram viſurus quæ de mea in Samonicum Epiſtola ab hinc annos undeviginti ibi ediderat ipſe Burmannus. Sed adnotationem illam videamus.

Jam noſti, ut capitis modo memorati verſus primos quatuor perpendens,

Quædam ſunt rabidæ medicamina digna podagræ,
Cui ter tricenas ſpecies Epidaurius ipſe
Dixit ineſſe deus; requiem tamen indere morbo
Fas erit, & triſtem ſaltem mulcere dolorem;

noſti, inquam, ut primum verſum cum ultimis non cohærere, exiſtimaverim (2), neque immerito factum eſſe ab iis qui propterea legendum cenſuerunt, *Quedam haud ſunt*. Noſti etiam, ut ſicuti forte ſic legere minus placeret, huic alterutrum faciendum dixerim, ut aut priſtinam ſcripturam commode explicaret, aut novam aliam perquireret, *ut, exempli cauſa, ſi Poeta non* Quædam, *ſed* Quænam *ſcripſiſſet, atque ita quærendo, quænam vel digna, vel* (quod alii legebant) *ſumma poſſint eſſe podagræ medicamenta, nulla videlicet iſtiuſmodi eſſe, indicaſſet*. Burmannus quid ſuper exemplo hoc ſcripſerit, mox dicam: prius autem, quomodo ſcripturam priſtinam maluerit explicare. Primum igitur ait, *Serenum non videri ſibi negare, tolli poſſe omnem podagram, ſed tantum*, rabidæ (*id eſt* quæ ad ſummum venit) *eſſe quædam medicamina apta, quæ ſi non tollant, mulceant tamen &c.* Sed ipſius *rabidæ* cum remedia, Serenus, ajat, eſſe *digna*, ſive, ut codex, & Vetus editio, aliæque a me laudatæ habent, *ſumma*; quonam modo illuc ſtatim deſcendat, ut *tamen* (*tamen*, inquam) dicat, quietem *ſaltem*, & mitigationem, ſperari poſſe? Hæc erant nimirum quæ videbantur, & adhuc videntur non cohærere. Senſit hoc, credo, ipſe Burmannus. Itaque *elegantiorem*, &, *ut putat, veriorem lectionem* ſubjicit, *qua omnes æſtus de hoc loco componantur*. Levi & ipſe mutatione legit, *Quædam ſint*, tumque interpretationem hanc eſſe poſſe, non dubitat, ut *dicat Poeta, licet quidam jactent circumforanei agyrtæ, eſſe quædam medicamina, quæ rabidam podagram tollere poſſint, putem ego, illa minime univerſum depellere poſſe morbum, nec tamen ideo deſtituere pedibus laborantem fas eſſe cenſeo, ſed poſſe quibuſdam remediis mulceri & leniri dolorem*. Nunc poſtquam hanc tibi, in qua ipſe nihil hæſitat, interpretationem deſcripſi, miraberis fortaſſe magis, ſi dixero, cur hæc maluerit quam ea quæ, exempli dumtaxat cauſa, indicaveram. Ea, inquit, *aliquantulum coacta & dura mihi apparent*.

Quod dictum multo etiam magis miraberis, ubi non me, ſed Scaligerum, Virumque alium eximium ſpectaſſe dixero, ut auctores exempli illius. Hæc enim modo ante judicium id ſuum ſcripſerat: *Scaliger olim in ora Codicis Voſſiani correxerat*, Quænam ſint. *Etiam Morgagnus in Epiſtola conjicit*, Quænam ſunt? *Quod neſcio, an deheat monitori alii: certe potuit videre Ampl. Bynkershoekii Obſervationes juris, in quarum libro III. cap. 1. vir Ampliſſ. legit per interrogationem, quæ negantis vim habet*, Quænam ſunt rabidæ medicamina digna podagræ? *Id eſt nullæ ſunt*. Quam gaudeo, in eadem me, in quæ duo ejuſmodi Viri inciderant antea, forte incidiſſe; tam ægre fero, id cum ſcriberem, ignoraſſe: neque enim tantummodo, ut ſolitum me eſſe, omnes ſcitis, acceptum illis retuliſſem; ſed præterea non dubitanter, nec exempli cauſa, ut

(1) *Act.* 3. *Sc.* 5. (2) *pag.* 284, 22.

feci, attigiſſem, imo ut eorum auctoritate confirmatum & amplexus ipſe quidem eſſem, & tibi fidenti animo propoſuiſſem. Cæterum eidem monitori, cui debuit Scaliger, & poſt Scaligerum Bynkershoekius, ego quoque, id quidquid eſt, debeo, nimirum attentæ propoſitorum verſuum conſiderationi: nec video, cum ſecundus quidquam debere non dicatur primo, cur ego ſuſpicione aſpergar, quaſi illud deberem ſecundo: cujus a me libros, perſancte jurare poſſem, nunquam eſſe viſos, ſi id tanti eſſet, aut me ipſe non probe noſſes.

Quod vero id quod illis verum, mihi non improbabile viſum eſt, id, inquam, coactum, & durum Burmanno videatur, haud aliter levem reprehenſionem hanc feram, quam cum legi ante annos aliquot in egregio Eruditiſſimi Gunzii de vulgo dicto Plinio Valeriano Libello inſcriptionem capitis IX. in eaque hæc, *De Macro error Barthii, Daumii, Fabricii, & Morgagnii*. Gratiam enim habui Gunzio, quod *in* ejus *me* erroris *ſocietatem, tanquam in equum Trojanum includere cum principibus*, ut Cicero (1) ait, voluiſſet: quanquam perlecto eo capite, magis quidem agnovi ejus erga me humanitatem: ſed quis meus fuiſſet error, ſatis cognoſcere non potui. Res ad eandem Epiſtolam attinet, de qua Burmannus, & expediri verbis poteſt non ita multis, quæ hic tibi deſcribam, Gunzii primum, deinde meis. Ille ſic: Daumius reſcripſit Reineſio, *citatum hunc auctorem* (Plinium Valerianum) *ſub Plinii nomine fuiſſe a ſpurio Macro, quod, licet non nominet, videtur tamen accepiſſe a Barthio, idem prodente, ſed, quod audacter dicam, ſine ulla veriſimilitudine. Quoties enim Plinium citat poeta* (ſpurius ille Macer) *utut quæſiveris, nihil, ſpondeo, ſimile in toto noſtri auctoris* (Plinii Valeriani) *opere inveneris. Mirum igitur eſt, Daumii, ut videtur, auctoritate imponi ſibi paſſos eſſe Fabricium, & Morgagnium Epiſt. in Celſ. & Seren. Samon. p. 67. Hag. Com.* quæ pagina 7. eſt in Patavina editione (*). Ego vero, ut ibi oſtenderem, quo de Plinio locutus eſſet Atrocianus, cum a Macro illo Plinium *pleriſque in locis* citari, dixit; hæc ſcripſeram, *majorem enim Plinium, non quem Valerianum vocant* (*nam hunc a Macro citari, ajunt Daumius, & Fabricius*) *intellexiſſe* Atrocianum, *ex eo appareret quod reapſe majoris Plinii ſcripta pleriſque in locis hujus Poematis* ſpurii Macri *laudantur*. Num igitur quod ait Daumius, ſecutus ſum? an potius evidenter ivi in alia omnia? Scilicet ne forte Plinii nomine falli crederer; quod Daumius, & Fabricius tradiderant, non erat mihi reticendum. Ne vero a propoſito aberrarem; ab eorum ſententia mihi erat diſcedendum: quod & feci, commemoraturus libenter vel iſtam ipſam, ſi tunc facta eſſet, Gunzii ſponſionem, ut quæ propoſitum non modo non infirmare, ſed & confirmare poſſet meum. Neque enim Atrocianus, & ego cum diximus *pleriſque in locis*, ad alia reſpeximus, in quibus forte Plinium Valerianum laudaret Macer: imo haud aliud dicere voluiſſe Atrocianum, &, quod conſequitur, me quoque ejuſdem verbis utentem, quam *multis in locis*, ex ipſo illius propoſito, quod mox in Epiſtola explicavi, tam planum eſt, quam quod planiſſimum. Quod vero ea vox *pleraque* non majorem ſemper partem, ſed & multa dumtaxat, aut non pauca ſignificet; oſtendi, ſi quis dubitaret, non uno liceret exemplo, illo præſertim Cornelii Nepotis (2), quem idoneum in primis fuiſſe latinitatis auctorem, nemo inficiabitur: *Timothai autem moderatæ ſapientiſque vitæ cum pleraque poſſimus proferre teſtimonia, uno erimus contenti*. Sed jam ad Burmannum revertamur.

Qui ex eodem capite de *podagra* hæc interpretans, (3)

Semineciſve hirci reſerato pectore calces
Inſere,

cum explicationes indicaſſet recte docentium, hoc velle Samonicum, ut in apertum hirci pectus ſtatim podagricus pedes immitat; hujuſmodi ſuſpicionem propoſuit. Sed, inquit, *ſuſpicionem movet Plin. Valer. III. 14. qui* pellibus vituli marini calceandos pedes *cenſet, cui conſentit Mar-*

cel-

(1) *Philipp.* 2. (*) *in illa alia quidem; in hac enim eſt p.* 251. (2) *Vit. exc. Imp.* 1. (3) *v. p.*

Digitized by Google

cellus, aut non & hic de pedibus non in ipsam pectoris hircini aperturam immittendis, sed de calceandis posse capi. sed tunc potius indue, *quam* infere *dixisset*. Imo non dixisset *feminecis*, cujus vocis oblitus videtur Burmannus, cum locum dare cœpit istiusmodi suspicioni. Non tamen hic quidquam propter eam oblivionem mutavit.

Sed capite XLIX. quod est de *Quartana*, miraberis & viciniorum vocum oblitum, & ea de causa, magis communem, magisque veram, ut opinor, lectionem facile mutantem. Versus hi erant, (1)

Sume tribus digitis apprensum semen anethi,
Tantundem marathri, mulsum nec desit aceti,
In cujus cyatho prædicta salubriter hauris.

ipse autem ultimi versus initium sic edidit, ut extabat apud pauciores, *Uno sed cyatho*, hæc addens, *quod confirmat Plinii Valer. d. l.* (*id est III.* 5.) *certe illud* cujus *quo referas, non video*. At nos referimus ad istas ipsas proximas voces *mulsum aceti*, quemadmodum & rei natura, & ipse præmonstrat Samonicus, cum aut capite de *fellis vomitu* (2) quædam alia bibenda dicit *cyatho diluta gari*, aut capite de *hydropisi* (3)

In geminis calidi cyathis potanda Lyæi.

Quid? quod indicatus Plinii Valeriani liber capite, non 5. quod ad Tertianam febrem spectat, sed 6. quod ad Quartanam, non magis repositam a Burmanno, quam illam quæ antea apud plerosque erat, scripturam confirmat. In extremo enim eo capite hæc leges, quæ cum propositis Samonici versibus prorsus conveniunt, *Semen anethi tribus digitis comprehensum, & fœniculi tantumdem, & aceti mulsi cyathus unus potui datur*. Sumpta autem sunt indidem, unde ista Sereni, ex Tlepolemo, aut ex libro XX. majoris Plinii, capite 17. pariter extremo. *Tlepolemus ad quartanas trinis digitis seminis anisi & fœniculi usus est, in aceto & mellis cyatho uno:* quæ verba etsi ut Kuchenius protulerat, ita refero, neque dubito, quin alterutro in libro sit aliquid emendandum; tamen eodem quo dixi, spectare, satis intelliges, eoque magis, si quod ad Plinium adnotavit Harduinus, attendas, Sereni *vetustiores libros omnes manu exaratos* hic habere *ameſi*, ex quo fortasse amanuenses fecerint *anethi*; facilius autem hoc credes, si animadvertas, in Kuchenii codice fuisse *aniſi*. Unde igitur factum dicemus, ut lectionem potissimum illam emphaticam *Uno sed cyatho* a Plinio Valeriano confirmari, Burmannus crediderit? Certe quod ille scripsit *cyathus unus*, haud plus, minusve scripsit quam Celsus (4), exempli causa, cum ait, *vini austeri cyathus*; itaque satis apud Samonicum idem intelligebatur a legentibus *In cujus cyatho*.

Denique ad octavum versum capitis LIII. quod de *fracturis* inscribitur,

Aut veteri Bacco capræ fimus inde petulcæ,

cum hæreat Burmannus, & *fimus neutro genere quis dixerit, se nescire*, fateatur, imo sic corruptum fuisse, agnoscat, versum quoque vigesimum secundum capite XXXII; mirari subit, cur non Scaligerum secutus sit, a quo ita emendatum fuisse, ait, *fimum inde*. Nam quod ipse addit, *sed primæ syllabæ modus repugnat*, nihil est, nec Scaliger poterat ignorare. Neque id eo dico quod Samonicum meminerim *fimi primam syllabam alibi produxisse*, ut ad caput XXXII. adnotavit Keuchenius, quod nec meminisse Burmannum, credo, ibi hanc Keuchenii, quam profert, adnotationem neque laudantem, neque rejicientem. Sed eo dico, quod non mutato illius syllabæ modo, Scaliger potuit rescribere *fimum inde*, neglecta ecthlipsi, facile arbitratus, non dedecere in Sereno, qui Lucretii adeo, ut in Epistola (5) vidimus, studiosus fuit, quod hic, neque semel, post Ennium, & Lucilium, fecisset, ut cum scripsit (6),

Nam quod fluvidum est, e lævibus atque rotundis.

(7) *Sed dum abest, quod avemus, id exsuperare videtur.*

(1)

(1) *v.10.* (2) *cap.XIX. v.3.* (3) *cap.XXVII. v.7.* (4) *De Medic. l.4. c.4. p.201, 25.* (5) *p.283, 14.* (6) *de Rer. Nat. l.2. v.465.* (7) *ibid. l.3. v.1095.*

Digitized by Google

(1) *Semina, ſeque ſimul cum eo commiſcuit igni.*

Sed in re pervulgata opus non eſt exemplis pluribus.

Pauca hæc ſunt illa in quæ forte incidi, cum alia quærerem, id eſt locos omnes, in quibus a me Burmannus diſſentiret. Si tantum fuiſſet temporis, ut Adnotationes ſingulas poſſem attente perlegere; fortaſſe & alia animadvertiſſem, nec dubito, quin longe plura alterius generis, nempe non approbatione ſolum, ſed & ſumma laude digniſſima. Sereni in primis contextum univerſum, & quid in eo, & cur mutatum, perlibenter alias conſideraſſem. Nunc vero a cæteris, quibus diſtringor, ſtudiis gravioribus vix nactus pauxillum hoc laxamenti quod ſatis eſſet ad ea curſim adnotanda, & ſcribenda quæ hactenus legiſti, ſentio, mi Vulpi, animo me potius, quam opera, ſatisfacere potuiſſe voluntati tuæ. Habes igitur Epiſtolam in Samonicum earum non diſſimilem, quas in Celſum non ita pridem accepiſti. Quamobrem ſi de hac feceris quod de illis rogavi ut faceres; erit id mihi quam gratiſſimum. Vale.

Patavi XIIII. Kal. Februar. MDCCL.

[1] *Ibid. l.6. v.275.*

PARTIS PRIMÆ FINIS.

Digitized by Google

JO. BAPTISTÆ
MORGAGNI
P. P. P. P.

OPUSCULORUM
MISCELLANEORUM
PARS ALTERA.



NEAPOLI MDCCLXIII.
EXPENSIS DOMINICI TERRES,
TYPIS JOSEPHI RAYMUNDI,
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRI VIRO

FRANCISCO MARIÆ ZANOTTO

IN BONONIENSI GYMNASIO
PROFESSORI DOCTISSIMO ET ELOQUENTISSIMO
INSTITUTO SCIENTIARUM A SECRETIS
FACULTATIBUS OMNIBUS QUAS TANTUM MUNUS POSTULAT
ORNATISSIMO

PROPTER IMMORTALIA IN EAS FACULTATES ET IN SE
MERITA

GRATO OBSEQUIOSOQUE ANIMO

D. D.

JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS,

Digitized by Google

Digitized by Google

PARTE HAC SECUNDA CONTINENTUR.

De Proſpero Alpino Epiſtolæ duæ: pag. 1.
De Philologo Ravennate, & de Angelo Bolognino Epiſtola. pag. 4.
De Vita, & Scriptis Dominici Gulielmini Commentariolum. pag. 11.
De Vita, & Scriptis Antonii Mariæ Valſalvæ Commentariolum. pag. 14.
De genere mortis Cleopatræ Epiſtolæ duæ: pag. 28.
De Ordinario Frontini Conſulatu Epiſtolæ duæ. pag. 32.
De quadam librorum M. Varronis particula, ut legitur in Veteri Codice, Epiſtola. pag. 42.
In Vitruvii locum, ad tempus quo is ſcripſit, attinentem, & in

Digitized by Google

& in alterum Veteris Auctoris Compendii Architecturæ Epistola. pag. 50.

Laudationes habitæ olim a Morgagno, cum Gymnasiarchas, aliosque Doctoris Insignibus exornaret. pag. 51.

In Scriptores Rei Rusticæ Epistolæ quatuor. pag. 56.

DE PROS-

Digitized by Google

DE PROSPERO ALPINO
EPISTOLÆ DUÆ.

EPISTOLA I.

CLARISSIMO VIRO

D. HIERONYMO DAVIDI GAUBIO

In Academia Lugd. Bat. Chemiæ Prælectori Doctissimo

Joannes Baptista Morgagnus S. P. D.



Multorum ego Præstantissimorum Virorum qui cum in aliis, tum præsertim in hoc Gymnasio, scriptorum fama claruerunt, imagines mihi comparavi, quæ *non solum pictorum artificio*, ut ait M. Tullius (1), *delectent, sed etiam commemoratione hominum, & cognitione formarum*. Et vero satis explicare verbis nequeo; ut me tibi indicem; quantum ad labores studiorum inflammer, cum Jacobi Sylvii, Julii Cæsaris Arantii, Constantii Varolii, Caspari Bauhini, Joannis Riolani, Marcelli Malpighii, &, ne ab Decessoribus meis longe abeam, cum Andreæ Vesalii, Realdi Columbi, Gabrielis Falloppii, Hieronymi Fabricii ab Aquapendente, Julii Casserii, Adriani Spigelii, Joannis Veslingii, Antonii Molinetti, Dominici de Marchettis oculos, ora, vultusque intueor, aut cum Hieronymum Mercurialem, Hieronymum Capivaccium, Joannem Thomam Minadoum, Bernardinum Tomitanum, atque alios, aliis etiam Litterarum studiis illustres Viros lineamentis quemque suis, & coloribus expressos, quasi vivos, & præsentes, circumspicio.

Sed tot inter tabulas quibus museum hoc ornatur meum, imago, quam requiris,

(1) In Verrem l. 4.

Digitized by Google

Prosperi Alpini desideratur : nec mirum, quando is qui duodetriginta haud amplius annis a Prosperi obitu Vitam ejus inter *Illustrium Virorum Elogia* (1) Patavii edidit, Tomasinus, nusquam videtur eximii Professoris imaginem invenisse, aliter inter cæteras quas plerorumque proposuit, non omissurus. Haud me fugit, Paulum Freherum (2), cum Alpini Vitam ex Tomasino, unde & Mercklinus (3), & novissime Vir Cl. Papadopolus noster (4), aliique, repeteret, effigiem illius quandam protulisse; verum unde hanc tanto post tempore petierit, ignoramus.

Has mihi ob causas propemodum desperanti, & Tuæ tamen honestissimæ voluntati inservire máxime cupienti, fors fortuna hic tandem apud Sculptorem quendam obtulit quod sedulo per Amicos in aliis etiam vicinis Urbibus inquirebam. Pictor nobilis Leander Bassanus, ut non minus amicitia erat, quam vicinitate, cum Prospero conjunctus, hunc ex Ægypto ad suos tunc primum revertentem, ad vivum pinxerat tanta quidem arte, & elegantia, quanta summo Artifici, summoque Amico summi Viri imaginem posteris relicturo conveniebat. Hanc ipsam tabulam feliciter nactus, continuo ejus exemplum per Jo. Baptistam Cromer, quo ego diligentissimo Pictore in Anatomicis quoque Iconibus hic sum usus, fideliter describendum curavi. Id cum his litteris accipies. Sed ne forte quæras, unde sciam quæ de tabulæ Auctore, & de eo quo picta est, tempore supra affirmavi; en tibi quæ in tabulæ tergo majoribus litteris olim scripta, adhuc leguntur.

AN. A VIRGINIS PARTU MDLXXXVI.
MEN. FEBRUARIO
LEANDER BASSANUS PROSPERI
ALPINO MEDICO QUUM STATIM
EX ÆGYPTO BASSANUM
VENERIT GRATO ANIMO
EFFIGIEM ITA EGREGIE
GALIDAM OB AMICITIAM
PINXIT
AN. SUÆ ÆTATIS
XXXXI.

Descripta hæc habes cum ipsis, quæ inveni, mendis, & lituris, quos inter illa est attentione digna, quod cum Anno CIↃ D. LXXXVI. M. Februario ætás Prospero tributa esset annorum XXXXI; merito primum illud X. deletum est, quando inter omnes constat, die 23. Novembris A. CIↃ D LIII. fuisse natum, & quod consequitur, annum tunc vix compleviſſe 32. Verum ut a tergo quædam, ut diximus, deletæ, ita in ipsa tabula post illud tempus quædam litteræ additæ sunt, videlicet inscriptiones appictorum librorum, nisi forte illo jam tempore magna ex parte scriptos habuisse, credamus, quos aliquot certe post annis emisit.

Et quoniam ut Alpini imaginem scio, sic quoque de ejus Vita aliquid te edicturum esse, credo; perpauca quæ in eam rem animadversa habeo, subjiciam. An Mater ejus etiamtum viveret, cum de vitæ genere deliberavit, an Medicinam ipse fecerit Melphis, an e vita excesserit die 5. Februarii A. CIↃ IↃC XVII. quorum alia ab aliis tradita video, non modo vehementer dubito; sed unde horum pleraque per errorem accepta sint, scio. Tomasinus certe qui mortuum scripserat A. superiore, eodem quo natus fuerat, die, cum deinde in librum manu exaratum, quem & ego vidi, forte incidisset, quo in libro ponitur insequenti anno mortuus eo quo dixi, Februarii die; sive eorum oblitus quæ antea tradiderat, sive ei libro, unde quamplurima sumpsit, magis credens, hunc, cum de Gymnasio Patavino (5) scriberet, secutus est. Utri Tomasini loco major fides habenda esset, cum dubitarem, neque aliter facile liqueret; in mentem venit, ut volumina inspicerentur, in quibus publice in hac Urbe quis quo die, qua ætate, quo morbo decesserit, ex ordine perscribitur, si forte id institutum ab initio usque sæculi XVII. receptum fuisset. Receptum fuerat. Inventum est igitur quod primum scripserat Tomasinus, Prosperum Alpinum, Rei Herbariæ Doctorem, die 23. Novembris A. CIↃ IↃCXVI. annos natum tres & sexaginta, post semestrem ægrotationem obiisse. Itaque obortus

(1) Tom. 2. (2) Theatr. Viror. erudit. Cl. P. 3. (3) Linden. Renov.
(4) Hist. Gymn. Patav. Tom. 1. L. 3. S. 2. c. 23. n. 108. (5) L. 4.

Digitized by Google

tus in re graviſſima quod ad Alpini Vitam attinet, error, aut certe dubitatio omnis ſublata eſt. Cæterum Tomaſinus quæ in Elogiis omiſerat, poſteriore illo Scripto (1) ſupplevit, ut A. CIↃ IↃ LXXXXIII. Proſperum hic publice docere cœpiſſe, & noviſſime annuo præmio florenorum DCCL. docuiſſe, perhiberet.

Hæc habui quæ de Alpino Patre curſim ad Te ſcriberem, Vir Clariſſime, ſi forte hinc aliquid ſubſervire tibi poſſet novam laudatiſſimi ejus Operis editionem pro ſingulari tua ſolertia, eruditione, diligentia apparanti. Tu meam Tibi quem æque humanitas, ac doctrina commendat, inſerviendi voluntatem æqui bonique facies, & Viro Summo Hermanno Boerhaavio, cujus a Te benignam ſalutationem accepi, etiamſi proximis ipſe diebus reſcripſi, tamen meis verbis ſalutem plurimam dices. Vale.

D. Patavii Kalendis Octobris CIↃ IↃCC XXXII.

EPISTOLA II.

Eidem.

CUM Tuæ mihi Litteræ, ad quas noviſſime reſpondi, redditæ ſunt, Alpini imaginem requirentes; continuo Tomaſini Elogia in manus ſumpſi, ſperans fore, ut in quibus Alpini Vitam a me lectam eſſe, meminiſſem, in iis effigiem quoque invenirem. Cum hæc nuſquam eſſet, nullumque ejus appareret indicium; protinus Freheri Theatrum inſpexi, cumque in eo rudem quidem, ſed tamen quandam reperiſſem; vehementer mirabar, undenam illam, niſi ex Tomaſini Elogiis ex quibus Alpini Vitam excerpſerat, petiiſſet. Itaque eadem iterum Elogia a capite ad calcem pervolutavi, nec prius quærendi finem feci, quam mihi ſum viſus intelligere, in iis non modo non eſſe, ſed ne eſſe quidem poſſe. Cum enim imagines cæteræ in ipſis eſſent paginis impreſſæ, in quibus Elogia deſcripta ſunt, paginarum autem, nuſquam abruptus, conſtaret numerus; nulla profecto imago potuiſſe excidere videbatur. Igitur Alpini effigiem a Tomaſino inventam non eſſe, cum ego, & Amici crederemus; quæſivi ipſe, & tandem aliquando repertam alibi, cum ſuperiore epiſtola ad te miſi.

Vix miſeram: ecce Vir Doctus, familiaris meus, qui menſes aliquot hinc abfuerat, ex itinere ſalutatum me venit, cumque ex aliis, ut fit, ſermonibus in alios, & in eum denique incidiſſemus, ut inventam nuper Baſſani tabulam qua Alpinum ſibi amiciſſimum præclare pinxerat, commemorarem; quæſivit ille, num alia eſſet ab ea imagine quam propoſuiſſet Tomaſinus. Ubinam? inquam. Ille vero, in Elogiis. Tum ego meum horum exemplum, pro perfecto mihi a peritiſſimo Bibliopola venditum, nitidum adhuc, & pene novum, proferri juſſi, in quo cum ille neque inveniret, neque inveniri poſſe, cerneret; nihil unquam ſibi fuiſſe longius, dicere, quam ut domum rediret, ac in exemplo ſuo quæreret. Redit, quærit, invenit, ad me mittit. Exemplum, ut libri qui ſemel, haud amplius, editus ſit, prorſus, cætera quidem, mei ſimile, in eo autem diſſimile, quod imagines aliquot, ſerius, ut opinor, ab Auctore inventas, habet extra inſtitutum paginarum ordinem aſſutas. Ex iis effigies Alpini eſt, non, ut a me miſſa, ætate florentis, ſed ſenis, quam Freheri Sculptores deſcribentes, incredibilem in modum, ut alias pluriſimas, depravarunt in meo quidem Theatri exemplo; ſic enim loquar, neceſſe eſt, nequa iterum Bibliopolæ fraus, & fallacia eo me forte inducat, unde animus abhorret maxime, ut aut negligens, aut mendax fuiſſe videar. Quæ me cauſa impulit, ut ſtatim has alteras litteras ad Te da-

(1) l. 1. c. 34. & l. 3. c. 14.

Digitized by Google

darem, Vir Clariſſime, teſtes apud Te futuras meæ fidei, meæque, Tuo fortaſſe propoſito non inutilis, ſedulitatis. Vale, & hominem qui ſuos ultro agnoſcit, indicatque errores, vel hoc ipſo nomine amare perge.

D. Patavii Pridie Nonas Octobr. CIↃ IↃCC XXXII.

DE PHILOLOGO RAVENNATE ET DE ANGELO BOLOGNINO EPISTOLA.

ORNATISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

D. D. JOANNI ASTRUC

Medico, & Profeſſori Regio

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

LItteras Tuas, Vir Præſtantiſſime, die 14. Februarii ad me datas, quis apud ſe diu retinuerit, pervolutaverit, novoque addito, italice inſcripto, integumento ad me demum miſerit, neſcio: illud ſcio, ante hos paucos dies mihi redditas, gratiſſimaſque fuiſſe; quippe datas a Medico, & Scriptore Nobiliſſimo, eodemque, quod vel ipſæ oſtendunt, longe humaniſſimo. Atque utinam is eſſem quem pro Tua iſta credis humanitate, & ſicuti Tractatus Tui de Morbis Venereis præclare laudes ad nos pervenerunt, ſic etiam ipſe Tractatus perveniſſet; tunc ſane ita uti ego non minus quam Tu, vellem, Tua omnia perſequi, & conficere Mandata poſſem. Nunc vix de Philologo quidem Ravennate quæ requiris, pleraque, de Angelo autem Bolognino perpauca licet ſignificare; nam de Jo. Antonio Roverello, & de Jacobo Cataneo non plura mihi ſunt nota, quam Tibi.

Philologi igitur illius de lue venerea Opuſculum, quod fruſtra a te adhuc quæſitum ſcribis, in Bibliotheca mea eſt, ita inſcriptum, ut ex *Lindenio Renovato* tu, & Cl. Mangetus (1) deſcripſiſtis, niſi quod pro *Hyſan*, *Hetechen*, *Caravalgii alter*, Philologus edidit *Huyſan*, *Hetechen*, *Caravalgii alvar*. Eſt autem editio hæc mea quæ apud Lindenium noviſſima indicatur, *Venetiis apud Petrum de Franciſciis, Tertia Impreſſio. MDLXXV.* in 8.° conſtatque ex foliis octo, & chartis duabus. Quam ab Auctore ipſo curatam non ſolum integumentum libri oſtendit, in quo aureis litteris ſignificatur, dono, ab eodem miſſum fuiſſe, ſed & ex Epiſtolis duabus, libro præfixis, altera commonſtrat, qua *Comiti Guidoni Rangonio* cujus ſe *Alumnum* profitetur, hanc *Impreſſionem Tertiam . . . . . cognominis gratia, reconſecrare voluit.*

Huic eidem Rangonio Dialogum olim dicaverat, quem ab nemine adhuc vidi inter Philologi libros commemoratum, *de optuma hominum felicitate contra Ariſtotelem, & Averoim, ceteros necnon philoſophos;* ipſe autem habeo *impreſſum Mutinæ per Antonium Rocociolum Anno Dominicæ Incarnationis M. D. XXI. Die XXXI. Octobris* in 4.° libellum ex tribus foliis cum dimidio. Huic quoque Dialogo Epiſtolæ præfixæ ſunt duæ, ad Rangonium prima, ad *munificentiſſimum Senatum* altera, *generoſum Collegium viginti quatuor, & duodecim viros urbis Ravennæ:* ex quibus, ut mandatis ſatisfaciam tuis, nonnulla juvabit adnotaviſſe. In altera *cariſſimam ſui genitricem antiquam Ravennam* fatetur, ſeque ab ipſa ad capeſſenda præclara ſtudia, auro adjutum videtur ſignifica-

(1) Biblioth. Scriptor. Medic.

Digitized by Google

ficare. In prima autem Rangonium in caſtra ſecutum ſe, indicat. *Me præſente*, inquit, ... *Firmum*, *& Reate Piceni nobiliſſimas urbes a gravi Iberorum obſidione non pluribus mille peditibus, equitibuſque trecentis, imo Reate ſolum quinquaginta equitibus liberaſti*. Hoc etiam addit: *Tu denique aſtrologiam, reliquaſque diſciplinas ita calles, ut nemini ſecundus locus admittatur*. Quibus ſi illud adjunxeris, quod cum huic Dialogo ita ſuum nomen præſcripſiſſet, *Thomæ philologi Janothi Ravennatis*; in quibuſdam poſtea emiſſis libellis, velut in eo qui inſcribitur *De Vita Principis, & Venetorum commoda ſemper, Conſilium*, ad hunc modum, quem infra vel poſt ejus mortem ſervatum oſtendam, ſe nominavit *Thomam Philologum Rangonum Ravennatem*; ex his videlicet proclive erit intelligere tum quod ipſi patrium cognomen fuerit, tum quod a Rangonio, ut videtur, acceperit, tum quare ejus ſe, ut diximus, *Alumnum*, & *cognominis gratia* Opuſculum ipſi de lue venerea *reconſecrare* profiteretur.

Quod cum fecit, jam Comes Rangonius perſenex erat, ut qui a Petro Bembo ſub initium libri XII. *Rerum Venet. Hiſtor.* ſtrenuum ejus A. 1511. militare facinus recenſente, *magni animi adoleſcens* vocatur. Ipſe autem Philologus qua ætate tunc eſſet, in prima quam eidem Opuſculo præponi, dixi, Epiſtola aperte docet. Auguſtino enim Gadaldino, cui latinam tot Galenicorum librorum interpretationem debemus, id ab eo Scriptum petenti, mittere ſe, ait, quæ *longo ſuo fere octogenario ſecundo rerum uſu percepta* habebat. Quos ſi annos ex illius tertiæ editionis anno 1575. ſubducas; invenies natum annis circiter ſeptem ante finem ſæculi XV. Nec vero Opuſculum de quo loquimur (ſic anno illo iis certe auctum quæ in extremo ſunt, & Epiſtola ad Gadaldinum, alibique indicantur) Philologo ultimum fuit. Nam *Conſilium* quod paulo ante memoratum eſt, habeo *excuſſum Venetiis MDLXXVII. Die Martis XI. Junii*. Quam editionem ne forte poſt Auctoris mortem iteratam ſuſpiceris ſecundum eam quam apud Lindenium unam vides A. 1558; ſcire licet *Sereniſſimo* Venetorum *Principi D. D. Sebaſtiano Venerio* a Philologo ipſo oblatam, qui & *Auream Sacratiſſimam Roſam* commemorat, munus Gregorii XIII. Pont. Max. ad Venetum principatus initio delatum: quæ nempe in eum annum incidiſſe 1577. poſtquam III. Nonas Junii Mocenicus Princeps deceſſerat, confirmat Andreas Maurocenus libro XII. *Hiſtoriar. Venetar.*

Equidem hæc ſcio cum *Hiſtoriâ Gymnaſii* noſtri, ante hos tredecim annos edita (1) & apud Mangetum (2) exſcripta, non conſentire. Nam poſtquam annos circiter viginti Medicinam Venetiis feciſſet Philologus, Patavii ab A. 1496. ad belli uſque Cameracenſis initia, hoc eſt ad A. 1509. ſcribitur docuiſſe: ab A. autem 1520. (ſive potius, ſi Tomaſinum (3) ſequimur, 1521.) ſuffecto ipſi in tradenda publice Aſtrologia Friderico Delphino, quod reliquum vitæ fuit, exercendæ Patavii Medicinæ dediſſe, ubi octogenario major obiiſſe dicatur A. 1559. ſed verius eſſe, eum ſuperſtitem fuiſſe ad A. 1556. neque ante annum ſequentem prope nonagenarium deceſſiſſe. Quæ tamen an iis quæ a nobis producta ſunt, argumentis certiſſimis, apertiſſimiſque ſatis infirmentur, ipſe judicabis. Ego præterea ex ejus libris, non Patavii, ſed Venetiis ſenem Medicinam feciſſe, intelligere mihi videor, ubi & ſacram Ædem in celeberrimo loco, non *D. Julianæ*, ut nonnulli ſcribunt, *ædificavit an.* 1554; ſed D. Juliani, (4) conlata pecunia inſtauravit, nobili uſus Architecto Jacobo Sanſovinio, quod ad Ædis frontem attinet, in qua Philologi ſtatua ex ære viſitur, & hæc leguntur: *Thomas Philologus Ravennas Phyſicus; ære honeſtis laboribus parto, ædes primum Paduæ virtuti, poſt has, Senatus permiſſu, pietati erigi fecit. Illas animi, has etiam corporis monumentum. An. Mundi VI. MDCCLIIII. Non. Octobr. Jeſu Chriſti MDLIIII. Urbis MCXXXIIII.* Ex his liquet, ante eum annum 1554. ædificaviſſe ædes Patavii, de quibus non uno loco meminit Tomaſinus (1), ad

(1) Tom. I. l. 3. 52. c. 10. (2) Bibliot. cit. (3) De Gymnaſ. Patav. l. 3. c. 39.
(4) Sanſovin. Venetia deſcr. l. 1.

Digitized by Google

(1), ad ſtudioſorum Juvenum uſum.

Ex aliis autem quæ in eodem illo Templo leguntur, ante finem certe ſæculi XVI. obiiſſe, intelligimus; ſed quo anno, haud apparet. Deſcribam tibi, ut apud Franciſcum Sanſovinium (2) ſive diligenter, ſive, ut videtur, oſcitanter Typographi repræſentarunt. A dextris quidem Aræ majoris ſic: *D. O. M. Thomæ Philolog. Rang. Raven. Phyſ. Eccleſ. & Fab. Proc. Opt. merito* Bt. *Commentarii.* A ſiniſtris autem ſic: *MDIIC. In ſpem reſurr. futuræ, & immort. gloriæ perpetuum monumentum ex teſt. P.*

Cæteris tamen quæ de Philologo in eadem *Hiſteria* leges *Gymnaſii Patavini*, his minime repugnantia, non eſt cur ipſe in præſentia repugnem. Hæc tantum addo: Numiſmata circumferri ejuſdem imagine ſignata (3), ipſumque Equitis ornamentis auctum fuiſſe; *Eques* enim in ejus quod ſemel atque iterum memoravimus, *Conſilii*, itemque in *Microcoſmi*, & Opuſculi de quo agimus, inſcriptionibus appellatur.

Nunc, quando ad ejus Vitam quæ attinebant, ut tu præoptabas, meaque ad præſens memoria tulit, ſatis attigimus; ad ipſum Opuſculum redeamus. Id decem primum habet Capita.

Primum eſt *de mali Galleci* (ſic enim ſemper, & in fronte quoque libri ſcribit, quod deſcribentes non attenderunt, *a Gallaicis, ſeu Gallecis Hiſpania populis* nomen repetens.) *ortu, & nomine.* Quo in Capite credit, hujus morbi deſcriptionem apud Veteres etiam Medicos inveniri. Tempus autem quo Capita hæc ſcripſit, aperte ſignificat, non poſt annum fuiſſe 1547. nec ante 1515. his verbis: *Chriſtianiſſimus autem nunc vivens Franciſcus primus.*

Capite II. *Mali Galleci Eſſentia, Cauſa, & Diffinitio* proponitur, quæ eſt ejuſmodi, *Gallecus morbus eſt compoſitus ſeu Diabolicus varia humorum corruptione:* qui cum per contagium communicatur, non ſolum concubitu, ſed & veſtibus, cibo, potu, oſculo, lacte, aeris ab infecto coinquinati inſpiratione contrahitur.

III. *Gallecæ Luis Signa.* Hæc ponuntur *quinque, ipſum ſemper, ſed non inſimul*, ſequentia, dolores videlicet, tubera, puſtulæ, ulcera, macies cum pallore quodam.

IV. *Prognoſticon.*

V. *Sanandi modi, aut cura*, & primum Diæta, & Chirurgia.

VI. *Primus Sanandi Modus, Evacuatio:* ubi Pharmacia, in qua improbat eos qui hunc morbum *vehementibus primo curant, quoniam*, ut modo dixerat, *Morbus hic perpaucos interimit.*

VII. *De ligno ſancto, ac Regio, an autem a Priſcis cognitum quæritur*, & Ebeni ſpeciem eſſe, ſtatuitur.

VIII. *De ligno India* eodem, ubi ejus deſcriptio, ſelectus, vires, & variæ ex eo formulæ, & præparationes.

VIIII. *Aqua Ligni ſit hoc modo*, traditurque ratio conficiendi ejus Decoctum primum, & ſecundum.

X. *Præparatio ante Aquæ* modo dictæ *Potum*, ubi & regimen in ſumenda, multo ſeverius, quod ad alimenta attinet, quam ætate hac noſtra: nec ſolum tamen vere, & autumno, ſed & aliis anni temporibus *infinitos* a Philologo hac ratione fuiſſe curatos, legimus.

Hactenus in prima editione. Cum autem *ſuperveniſſet poſtea Galleci . . . ſignum 6. . . anno*, ut ait, *a Chriſto* 1538. *vel circa*, & *clariſſ. medicus* Veronenſis Gajonus *diminutum* Auctorem cenſuiſſet, *quod nihil dicere voluiſſet de caſu pilorum contingente in morbo iſto*, eorum *tempeſtate, propter ulteriorem aduſtionem acquiſitam in materia a qua Lues ipſa cauſatur, quod accidens tunc fere omnes infeſtare videbatur;* ideo Philologus 2. *impreſſione . . . librum perfecit* ſuum. Ac primum agens de *Depilativa*, linimentum, lixivium, unguentumque deſcripſit, tunc a Medicis ad præcavendum pilorum defluvium in uſum adducta, tum ubi pili cecidiſſent, quid faciendum, indicavit.

Quoniam vero *ſeptimum demum etiam* tunc *comparuerit ſignum, . . . dentium caſus* (ut *alia deinceps, ſi vixerimus diu nos ipſi*, inquit, *ſed rationabilius poſteri viſuri ſunt ſimpthomata*) idcirco *de Dentati-*

(1) Oper. cit. l. 1. c. 61. & l. 4. ad A. 1527. (2) l. cit.
(3) Monument. Viror. Illuſtr. Galliæ Togatæ l. 2. c. 4.

Digitized by Google

tativa etiam addidit quod ſibi eſt viſum : & quia *dentes in adultis deperditi* non *renaſcuntur amplius ;* attigit quæ ſunt facienda, ne cadant : ut illa quoque, *An vocis ſempiterna ac perpetua amiſſio octavum eſſe poſſit Galleci morbi ſignum : An Unguium caſus in pluribus Romæ contingens, Venetiis, ac ubique locorum multis, 9. valeat eſſe ſignum.* Denique An *Ulcera Meri*, hoc eſt Pharyngis, *Amigdalarum, Epiglottidiſque decimum.* Mirum eſt, quod Bubones vix ſemel, idque obiter cap. XIX Gonorrhœam autem nuſquam, quod animadverterim, ne anno quidem 1575. hunc tertio, ut diximus, libellum edens, memoraverit. Certe Falloppius duodecim ante annis librum conſcribens *de Morbo Gallico* (1), indicavit, hanc obſervari cœptam circa A. 1549. defluvium autem pilorum A. 1533., ut neque in hoc cum Philologo conveniat. *Agitur jam*, inquit Falloppius, 30. *annus quo hoc* pilorum *defluvium incepit, non ſunt* 15. *anni quibus obſervata eſt Gonorrhœa gallica ;* nam Bubones quidem etſi a primis illis hujuſce Luis Scriptoribus commemoratos non memini, a pluribus qui ante Falloppium ſcripſerunt, propoſitos legi. Sed hæc, atque alia tu melius.

Secundum illa, Philologus *de Cina* ſermonem inſtituit, natale ſolum, delectum, vires, aliaque ejuſmodi proponens, & denique ejus aquæ, ſive decocti conficiendi modos plures, & regimen. Interjicit autem inventum, ut ait, ſuum tertiæ conficiendæ aquæ ſive ex China, ſive ex Sarſa, ſive ex ligno Indiæ, ſi poſtquam ſecunda parata eſt, tantundem aquæ, quantum in ſuperioribus, addatur, & ad quartæ dumtaxat partis conſumptionem decoquatur, eaque ad membrorum potiſſimum ablutionem ſervetur. Nec reticet alias formulas, & præparationes, interque has, ut in ligno Indico fecerat, docet, quibus, & quomodo pro aqua vinum ſit ad decoctionem adhibendum, aut addendum, aut China contuſis uvis adjicienda, aut denique ex decocto, aqua, aut vino parato, humor ſit per deſtillationem eliciendus. Hunc autem *Sublimatum* vocat. Ex his intelliges, quod cupiebas, quid ſibi illis velit, quæ in Opuſculi inſcriptione poſuit, verbis *aquæ, vini, ſublimati.*

Quibus abſolutis, hæc ſubjicit, unde cognoſcas, cur, & quando de China, deque Sarſa quæ ipſi nota erant, addiderit Opuſculo huic ſuo. *Accedit modo Clariſſ. Doctorum modeſta repetitio, qui labore inſigni authorum quorumcunque galleci morbi ſex & 40. Scripta impreſſa ſimul recollecta, cum Jordane typographo ornatiſſimo, aliiſque pluribus ingenioſiſſimis viris, Aloyſioque Luiſino rogantibus, ne quid egregio & magno huic volumini deeſſet : De* (ſic) *cina, ſparta parilla, duarum ſtirpium, ultimo, præſenti tempore a medicis cognitarum hiſtoriam, vires, & operationes. . . . ederem, & ſententiam meam proderem. A quibuſdam licet viris doctiſſimis nonnulla de his fuerint ſcripta, & ultimo Falloppii eximii, & eminentiſſimi Fracanciani, ut ajunt, abſolutiſſima in lucem impreſſioni data, quibus plurimum tenetur ætas noſtra . . . . Verum enim cum ſeneſcentes addiſcamus, ſcientiæ & artes additione compleantur, & juniores ſemper ſint perſpicaciores, cumque præfatos lectione, & experimentis multis præceſſerim annis, quicquid ſenſerim ſcriptis meis jamdiu impreſſis De galleco morbo, ligno vel indico, cynna, & ſarſa pardiglia. Poſtea Hetechen. Ultimo, de caravalgio alvar, novis mirabilium virtutum planta* (ſic) *expromere, & lumini dare decrevi.*

Et continuo de Sarſa eadem, proportione, tradit quæ de ligno Indiæ, Chinaque tradiderat, niſi quod in aqua fere, hoc eſt confecto in aqua decocto, ſubſiſtit.

Tum *de Huyſan beata radice* hæc habet. *Species duæ. Aſſumuntur ambæ a graviſſimis diſpoſitionibus præter naturam, inſignique languore correptis. Infunditur horis viginti quatuor Huyſan libra una, ſeu duæ. Eaque, humiditate virtutum plurimarum ſufficienter acquiſita, contundatur, & exprimatur ſuccus velut ſpuma alba ; expreſſus vaſculi parvi* (ſic) *aurora, calidus, ac ſero potatus. Ex quibuſdam cum ſaccharo. Ex aliis cum melle. Ex quibuſdam ſolus ad placitum, ac pro temperie ca-*

(1) c. 23.

captus, *ventrem bis*, *vel ter in die commovet*, *humoremque requisitum educit*. Hinc decocta Huysan proponit tria, scilicet ad *medietatis*, ad *tertiæ partis*, ad nullam consumptionem. Cæterum de hac radice in extremo libro illud indicat, *ab insulis Indiæ occidentalibus*, *ab Hispanis nuper compertis*, afferri. Habes quod cupiebas de *Huysan*. De reliquis, cum ad libri finem pervenerimus, accipies.

Nam postquam Auctor scriptis, ut videtur, ab initio Capitibus ea omnia interjecit quæ memoravimus, continuo redit ad Capita reliqua.

XI. Est *Tertius sanandi modus*, *unctio*, videlicet *ex argento vivo*, *saliva hominis* extincto. Quæ melius, aut secus addantur, aliaque persequitur.

XII. *Quartus sanandi modus*, *Cerotum*, scilicet ex eodem argento.

XIII. *De Unctionis*, *ac Cerati accidentibus*, quibus qua ratione occurrendum, docet.

XIV. *Quintus sanandi modus Suffumigium* ex cinnabari, quod in quibus non tentandum, & quomodo interdum mane illo; sero, in unctione uti conveniat, ostendit.

XV. *Sextus sanandi modus*, *præcipitatum*, cum priora inutilia fuerint, exhibendum.

XVI. *Reliqui sanandi modi*, *inventi*, *ac futuri*, quorum neutros commonstrat.

XVII. *De doloribus*, idest qua ratione in his succurrendum.

XVIII. *Pustularum cura*.

XIX. *Tubera*, *apostemata dura*, *vulgo gummas*, *resolvemus*, *maturabimus*, *& aperiemus*.

XX. *Ulcerum cura*, in qua tamen Auctor monet, se *rectius antiquissima quoque Ulcera*, *ac nullo diutius medicamento curata*, *solo Mollitivo melle liquefacto roseo*, imo etiam *absque melle eo*, *tantum petiis cooperta cicatrizavisse*, *ac perfectæ saluti* per decocta exhibita *restituisse magno cum decore*.

XXI. *Delentur Maculæ*, quæ nimirum *Pustulis*, *ac Tuberibus*, *Ulceribusque cicatrizatis*, *remanent*.

XXII. *Modus vivendi post curationem sani.*

Ad extremum addit *Empiricum illustre novum* 1575. *mense Februarii acceptum*. Est autem decoctum corticis ligni sancti in vino paratum, & sine severiori regimine exhibitum. Denique, ut pollicitus fuerat, *de Caravalgio Alvar*, *Planta quidem nova e Portugalia nuper allata*; cujus scobs unguento ex mercurio addenda sit secundum formulam quam latine redditam proponit, verbum potius, quam verba facit. Sic etiam de *Semine Indo*, *Hetechenque decocto*, indidem unde Huysan diximus, nuper advectis cum *Radice Mechoacan*, & *Yervæ planta escuerzonera*. Nam de illo Semine hoc tantum habet: *Semen Indum Anno* 1754. *Adeo laboriosum*, *ut vomitum simul ac ventris profluvium timorosum ingenti cum vitæ discrimine promoveat*, *pluresque enecaverit*, *corpusque totum adeo perturbet*, *ut qui solum granum unum voraverint*, *ferme perierint*. De Hetechen autem hæc: Est lignum, *quod quidem spinosum est*, *mediocriter crassum*, *phenicei coloris*, *quo Afri utuntur*, *ea Joanne Aphricano*, *suis in historiis*, *velut scribit Fracantianus medicus cl.* (cujus videlicet verba ex libro *de morbo Gallico* (1), tum præcedentia, tum insequentia, sine ulla fere, aut levi mutatione, sua facit.) *Cum autem ad nos medicamenti usus*, *aliorum velut superiorum*, *non justius pervenerit*, *idcirco dum certi nihil afferre possim*, *sicut nec de radicibus quibusdam*, *quibus in Galleco*, *simili vel morbo utuntur mulieres in insula sancti Thomæ*; de his, aliisque pluribus, inquit, si vixero, eadem methodo qua de ligno Indiæ, China, Sarsa, *Antimonio etiam prætermisso sui insigni discrimine*, *explicabo*; ut quod in libri fronte de Antimonio promittitur, non fuisse præstitum, appareat.

Habes, Vir Clarissime, si non accuratam illam Opusculi analysim quam requirebas, at certe unde obscura, & tibi, ut scribis, plane ignota ejus vocabula declarentur. Nunc de Angelo Bolognino perpauca, ut promisimus, subjiciemus magis ut veram ejus patriam, quam ut primam editionem cognoscas ejus librorum *De Cura Ulcerum exteriorum*, & *De Unguentis*, *quæ communis habet usus practicantium hodier-*

(1) C. 10.

Digitized by Google

diernus in ſolutæ continuitatis medela. Nam etſi alii aliud tum de ejus origine, atque adeo de ipſo cognomine, tum de anno quo primum iſta vulgavit, litteris mandaverunt; non ita mihi adhuc facile de hoc eſt, ut de illis utique eſt, certi aliquid conſtituere.

Wolfgangus Juſtus, quantum intelligo ex *Lindenio Renovato*, hæc olim de eo ſcripſerat A. 1556: *Angelus Boligninus Bononienſis. Docuit Chirurgiam ex Avicenna Bononiæ Anno Chriſti* 1506. Lindenium ſequitur, ut fere ſolet, Cl. Mangetus (1), niſi quod *Boligninus*, an *Bologninus* fuerit, incertus eſt, quemadmodum & in *Hiſtoria Chirurgiæ Antiqua* (2) incertus fuerat Vir Doctiſſimus Andreas Ottom. Goelickius. Sed Jo. Nicolaus Paſqualis Alidoſius in italico libro A. 1623. Bononiæ edito, inſcriptoque *I Dottori Bologneſi di Teologia, Filoſofia, Medicina &c.* hæc de illo habet: *Angelo Bolognini* 1508. *Fù lettore di Chirurgia fin' al* 1517. *Scriſſe* de cura ulcerum, & de unguentis communibus in ſolutione contin. Et de lue venerea *del* 1516. Bernardinus autem Scardeonius in eximio Opere *de Antiquitate Urbis Patavinæ* (3) ſicuti, quod ad cognomen attinet, idem quod Alidoſius, ita, quod ad Angeli Patriam, longe aliud quam ille, & cæteri quos laudavimus, jam docuerat, quippe anno ſcribens 1559. *Claruit*, inquit, *in hac ipſa arte Chirurgica & Angelus Bologninus ex Plebe Sacci municipio Patavino, vir magni ingenii, & in ea parte rei medicæ, quam ab opere manuum Chirurgiam Græco vocabulo appellamus, peritiſſimus. Is aliquandiu artem hanc publice Bononiæ docuit: ſed parvo contentus, & ocio patrio delectatus, in patriam ſe recipiens, intra municipii ſui fines poſtmodum ſe ſe continuit: & quamvis dignis ſtipendiis, & honoribus a multis civitatibus vocaretur, patrium tamen ſolum, quamvis tenue, cum quacumque nobili civitate commutare neglexit*. Non eſt dubium, quin graviſſimus Hiſtoricus vera ſcripſerit, præſertim eum Patavii (4) natus A. 1478. denatus autem A. 1574. eodem quo Angelus in propinquo oppidulo vivebat, tempore & ipſe vixerit; ut in his nec fallere, nec falli potuerit.

Quamobrem merito cæteri Scardeonio aſtipulati deinceps ſunt Patavini Scriptores, & in his Angelus Portinarius, cujus volumen *de Felicitate Patavii* (5) eadem lingua, eodemque anno vulgatum eſt quo librum ſuum Alidoſius emiſit, deceptus, opinor, ut plerique alii, *Bolognini* cognomine, quod Gentis nimirum eſt Bononiæ in primis nobilis, & pervetuſtæ. Quod ſiquis propterea Angeli Majores inde olim profectos, in his regionibus conſediſſe, ſuſpicetur; fortaſſe vera illa conjiciet: ſin Angelum Bononiæ natum eſſe contendat; ne initium quidem libri ejus de Unguentis ſatis attendiſſe videatur. *Cum in florentiſſimo Bononienſi Studio*, inquit, *a Senatu Bononienſium ſtipendio adductus fuerim*: quæ ſane verba Bononienſis civis non videntur; hic enim in patrio Gymnaſio patrii Senatus juſſu profiteri, neque eo *adductum* ſe, dixiſſet. Angeli autem noſtri, an conſanguinei potius alicujus ſoboles fuerit is Angelus J. C. qui Patavii quidem ſibi, & poſteris, in oppido autem ipſo Plebis Sacci Avo Sepulchrum ſic inſcribendum curavit, illud (6) *Futura conſiderans Angelus Bologninus Legum Doctor ex q. Evangeliſta Art. Doct. P. M. D. LXXV. ſibi & poſteris*, hoc vero (7) *Joan. avo Evang. fil. D. Bologninis Medic. Dotto. Angelus Bolog. Ju. Vt. Dot. poſuit* 1588. alii viderint: ego ob eam dumtaxat cauſam hæc protuli, ut quo ex municipio noſter fuiſſe a Scardeonio ſcriptus eſt, ex eodem poſtea videas alium extitiſſe Angelum *Bologninum*, non *Boligninum*. De noſtri igitur & cognomine, & Patria non ſolum, verum etiam quod in hac ante A. 1559. deceſſiſſe, & quo primum anno Bononiæ fuiſſe, quo ad ſuos rediiſſe videatur, ſi Scardeonio qui illa, & ſi Alidoſio qui hæc optime omnium noviſſe poterant, fidem habeamus, ſatis conſtat.

(1) Biblioth. cit. Script. Med. (2) n. 141. (3) l. 2. Claſſ. 9.
(4) Vid. Papadopol. Hiſt. Gymn. Patav. Tom. 2. l. 2. c. 25. n. 113. (5) l. 7. c. 6.
(6) Vid. Salomonii Urbis Patav. Inſcript. pag. 331. n. 37.
(7) Vid. ejuſd. Agri Patav. Inſcript. pag. 299. n. 32.

Digitized by Google

Utinam de primo etiam anno quo libros illos ſuos edidit, conſtaret. Verum Scardeonius, qui *edidiſſe opus non aſpernandum*, ſcripſit, eadem videlicet quæ ex Alidoſio commemoravimus, nominans, non aliud addidit, niſi ea *omnia primo Venetiis, poſtmodum & Baſileæ impreſſa fuiſſe anno Domini MDXXXVI.* In *Hiſtoria Gymnaſii* noſtri (1), ex qua alia malim accipias, velut Angelum *Medicæ artis adoream* in hoc *promeruiſſe*, & *annum ejus emortualem ignorari*, verba illa Scardeonii ita accipi videntur, ut ſi dixiſſet *Vivo ipſo edita ſunt an. MDXXXVI. non ſemel hæc opera*. Mihi autem ſecus videntur intelligenda. Nam neque eo anno aliam, quam Baſileenſem illam editionem invenio, quæ apud Lindenium commemoratur, & mihi alia in manibus eſt, de qua ab iis qui de Bolognino loquuntur, nullam mentionem factam memini, Venetiis anno ſuperiore habita per Jo. Patavinum, & Venturam de Ruffinellis in 8° Leoniceni quoque, Matthioli, Friſii, Hutteni, Almenarii Opuſcula complectens, quæ ad Luem Veneream attinent, ad ejuſve curationem. Sed hæc præter libros *de Cura Ulcerum*, & *de Unguentis*, peculiarem Bolognini librum non continet de ea Lue; niſi forte ejus nomine intelligunt caput illud extremum, cæterorum ſane multo longiſſimum, in quo de *mercurialibus* unguentis ſcripſit: neque alia contineri video iis editionibus quæ ab Lindenio, & qui eum ſequuntur, ſive propoſitæ ſunt, ſive omiſſæ: nam & illam ubi de Bolognini quidem ſcriptis verba faciunt, prætermiſerunt, quæ in *Theſauro Chirurgiæ*, collecto a Petro Uffenbachio, Francofurti habita eſt A. 1610. typis Nicolai Hoffmanni in fol.

Verum ut ad vetuſtiſſimas editiones redeamus; vidiſti ſupra, Vir Clariſſime, quandam ab Alidoſio indicari perfectam A. 1516. quæ eadem atque illa videtur eſſe quæ apud Lindenium primo loco ponitur, *Papiæ apud Bernhardinum de Garaldis 1516. in fol. cum diverſis varii argumenti Auctoribus*. Hanc tamen primam omnium fuiſſe, facilius crederem, ſi Bolognini unius ſcripta, ut fere in primis fit editionibus, non aliorum quoque, protuliſſet, neque indicia præterea quædam eſſent, illa antea, & ſeorſum quidem, prodiiſſe. Laudatum utique Goelickium (2) tradidiſſe, video, Bologninum *in Academia Bononienſi* Chirurgiam *publice docuiſſe, atque adeo circa annum 1506. ſcriptis ſuis innotuiſſe eruditis*. Libellus tamen *de Unguentis* poſtea exierit, neceſſe eſt, quando Auctor inter ejus initia oſtendit, ſe in illa Academia Chirurgiam profitentem, ſtudioſorum, ac Doctorum *ingeminatis in dies precibus* adductum, eum libellum conſcripſiſſe, hoc eſt poſt annum 1508. quo ipſum Bononiæ docere cœpiſſe, Alidoſius, ut vidimus, indicavit. Accedit, miſſum eſſe librum ad Franciſcum Caballum, qui, ut in præfixa Epiſtola cæteris laudibus eſt ornatus, ita Rem Medicam Patavii ex prima ſede tum exponere dictus eſſet, ſi fuiſſet ſcripta Epiſtola ante annum 1509. ex quo Brixiam in Patriam ſe recepiſſe Caballum, accepimus (3). Videtur igitur poſt initia Cameracenſis belli vulgatus, & ſeparatim quidem, atque adeo poſt editionem libri de Ulceribus, quippe carminibus peculiaribus illi adjectis, quibus id Angeli de *medicaminibus ſecundum opus* commendatur.

Libro autem de Ulceribus in editione eadem quam mihi in manibus eſſe, dixi, præpoſita Epiſtola eſt ad Franciſcum Gonzagam Mantuæ Principem, qua ex Epiſtola intelligitur, Auctorem, cum *ſuperioribus annis in maritima Venetorum claſſe primum, deinceps, in Epidauri urbe degeret, chirurgum publico ſtipendio gerens*, hunc librum inchoaſſe horis ſubſecivis, eumque eundem *nuper Venetiis abſolviſſet, & emittere deſtinaſſet*, Franciſcum ſibi *Principem invictiſſimum occurriſſe, cui illum .... dedicaret*. Hinc conſtat, prodiiſſe eum librum antequam Angelus in Bononienſem Academiam vocaretur, quippe unde, ut ex Scardeonio didicimus, in patriæ perpetuum otium ſeceſſit. Prodiit igitur ante annum 1508. Sed quo tandem anno, & quo in loco, mihi quidem adhuc incompertum eſt.

Ha-

(1) L. cit. 2. c. 15. n. 64. (2) loco ſupra cit.
(3) Vid. cit. Hiſt. Gymnaſ. Patav. Tom. 1. l. 3. S. 2. c. 20. n. 48.

Digitized by Google

Habes, Vir Doctiſſime, quæ de Thoma Philologo, & de Angelo Bologuino confeſtim potui reſcribere, gaviſurus plurimum, ſi non ex rebus, quæ paucæ, & tenues ſunt, ſed ex mea ad Tibi inſerviendum promptitudine, atque alacritate quanti Te merito faciam, quantumque me Tibi debere, ſentiam, pro Tua ſumma rei Medicæ Peritia, ac Doctrina, pro Tuaque perbenigna de me opinione, exiſtimaveris. Vale, & Facultatem noſtram utiliſſimis, iiſdemque eruditiſſimis ſcriptis ornare perge.

D. Patavii Poſtridie Kal. Quinctiles
CIↃ IↃCC XXXVIIII.

DE VITA ET SCRIPTIS DOMINICI GULIELMINI COMMENTARIOLUM JOAN. BAPT. MORGAGNI.

MAjores Dominici Gulielmini Novariæ orti, Cravineam, quod in Valle Antigorii eſt oppidum, migraſſe perhibentur. Hinc certe Avum centum circiter annis ante tranſiiſſe Bononiam, conſtat, & in ea Urbe conſediſſe.

Bononiæ Dominicus natus eſt V. Kal. Octobr. A. D. MDCLV. Principio plura genera Doctrinarum attigit; tum vero ad quæ magis ſe ferri natura intellexit, ad illa duo totum ſe contulit, Mathematicam Scientiam, & Medicinam Artem, uſus in utraque nobiliſſimis Præceptoribus Geminiano Montanario, & Marcello Malpighio.

Annum agens XXI. Mathematica illuſtrare cœpit editis duabus *Volantis Flammæ Epitropeiis*. Quibus porro *de Cometarum Natura, & Ortu Diſſertationem*, ac *Obſervationem* addidit *Solaris Eclipſis*. Has duo ſunt conſecuta Volumina de *Aquarum Fluentium Menſura*, totidemque *Epiſtolæ Hydroſtaticæ*: quibus nunc tertia adjungenda eſt ex Berolinenſibus Miſcellaneis; & is demum quem Italice ſcripſit, *de Natura Fluminum* liber.

Quam vero iis ſcriptis de ſua in Mathematicis præſtantia opinionem excitaverat, opere (quod difficilius eſt) confirmavit. Joanni Dominico Caſſino, Aſtronomorum hujus ætatis facile Principi, in Bononienſi illa celebratiſſima Meridiana Linea inſtauranda comes fuit. Padum autem flumen (ut de reliquis ejus Operibus ſileamus) a Placentiæ Mœnibus, quibus magis magiſque imminebat in dies, objectis Molibus repulit.

Nec vero tanto Mathematico præmia, atque honores defuere. Nam Patria XXX. annos natum procurationi Fluminum, & totius Provinciæ aquariæ præfecit, pauciſque interjectis annis in Publicos Mathematum Profeſſores retulit. Ipſum Kalendarium, ut ibi poſitum eſt in more, conficere, ipſum Hydrometriam primum omnium docere, in his denique cunctis, aliiſque præterea Muneribus ipſius abſentis rationem haberi, & conſervari perpetuo voluit, ex quo ſcilicet ab Ampliſſimo Venetorum Senatu Patavium honeſtiſſimis conditionibus evocatus, in Stephani Angeli Mathematici Perillaſtris locum ſuffectus eſt A. D. MDCXCVIII.

Itaque jam nulla in Italia fere tota paulo difficilior Mathematica Conſultatio accidebat, quin ejus ſententia a Magiſtratibus, Viriſque Principibus expeteretur. Hinc Mantuam, hinc Cremonam, hinc Mutinam, hinc alio ſæpe accerſebatur. Parmenſium autem Dux præſertim poſt illud, de quo antea dictum eſt, ad Placentiam Opus feliciter abſolutum, & plurimi fecit, & propria auro, gemmiſque exornata imagine donavit. Cum vero Ferdinandus de Abdua, & Franciſcus Barberinus Cardinales ab Innocentio XII. Pont. Max. legati eſſent, ut de illis cognoſcerent, quæ inter Bononienſes, & Ferrarienſes

Digitized by Google

jam diu sunt, controversiis circa Rheni in Padum derivationem; Dominicus non modo suorum apud illos causam egit, sed ab utroque vehementer probatus, jussus est pro sua peritia, & fide de Aquis etiam Ferrarienſis Agri, & Ravennatis referre. Nec dubium est, quin ea quæ sunt ab illo proposita perplacuerint, quamquam ob gravissimas quas his referre non attinet, causas illæ quidem nondum compositæ sunt lites. Ab sapientissima autem Venetorum Republica alias in Illyricum missus est ad Castri Novi munitiones instaurandas, alias in Forojulienſem Provinciam ut rapidum amnem, Palmæ proximum, & quasi impendentem, a munitissimo oppido arceret. Quam sæpe vero de rebus hujusmodi consuleretur, quamque item carus haberetur, dici facile non potest, nec Venetis quidem solum, quamquam his plurimum, sed & Reipublicæ Lucenſi, & Hetruscis Principibus, & optimo Ingeniorum Æstimatori, ac Patrono Clementi XI. Pont. Max. ut a quibus omnibus, & præterea a suis Civibus magnis eodem tempore propositis præmiis, & honoribus paulo antequam e vita discederet, est vocatus.

Neque in eo Mathematicæ tantum Scientiæ, sed & Medica Doctrina spectabatur. Emiserat namque Italice scriptas *Considerationes ex Figuris Salium erutas*. Latine autem, *de Sanguinis Natura & Constitutione Exercitationem*, *pro Theoria Medica adversus Empiricam Sectam Prælectionem*, *de Salibus Dissertationem & de Idearum vitiis*, *correctione*, *& usu ad statuendam*, *& inquirendam Morborum naturam Exercitationem*: qui fere omnes Libri rursus Batavorum Typis descripti sunt. Annumerari his possent Epistolæ sex ad *G. Desnoues* Italico scriptæ sermone, sed Gallico tantum editæ. Annumerari autem omnino debet *Sympoſium Medicum*, *ſive Quæſtio Convivalis de uſu Mathematum in Arte Medica*; nam etsi *Josephum Donzelinum Antonii Filium Cossentinum* auctorem præfert, ego tamen certum compertumque habeo, tam illam esse Gulielmini; qui sub ficto nomine latere tum voluit, quam quod maxime. His ut fere Contemplatricem Medicinæ Partem ornavit, sic aliis vicissim libris Activam erat ornaturus. Huc enim priores illi tendebant, nimirum ut viam quasi munirent accessuris ad Libros *de Febribus*, & *de Methodo Medendi*, quos quidem affectos reliquit. Perfectæ autem plures supersunt Dissertationes, apud Filium aliæ, aliæ apud Alexandrum *Bonis* Medicum Venetum, optimis cum scientiis, tum moribus ornatissimum, hisque nominibus Gulielmino carissimum, & in iis *de Materiæ Affectionibus* duæ. De *Principio* autem *Sulphureo* novem, & *de Æthere* unica, quas vivens adhuc emitti jusserat, post ejus mortem prodiere, eodem Alexandro *Bonis* curante & se atque earum Scriptore dignam Præfationem addente.

Annum agens XXII. a præclarissimis Philosophorum, Medicorumque Bononiensium Collegiis Doctor renunciatus, Medicinam domi, foriſque cum laude fecit, eoque etiam nomine in comitatu Virorum Principum fuit.

In Anatomico Scholæ Bononiensis Theatro solemnem humani Corporis dissectionem adolescens non sine honore administraverat. Postea in custodiendo præclaro Ulyssis Aldrovandi Museo Ovidio Montalbano successor est datus; Librorum quoque cum philosophicorum, tum Medicorum factus est Censor. In Patavino autem Gymnasio primarium Medici Theorici locum ab A. MDCCII. post discessum Pompeii Sacci Parmensis Medici clarissimi pro sua, & illius Gymnasii dignitate, quæ est amplissima, tenuit.

Porro ejus consilium sæpe in Morbis difficillimis requirebatur: constatque, a Magno Hetruriæ Principe amplis, ut sibi Medicus esset, fuisse præmiis, & honoribus invitatum.

Tanti autem Mathematici, & Medici famam non Italiæ modo, sed Europæ universæ fines peragrasse, ex eo præsertim agnosci potest, quod non in Patrium tantum, sed & in externos Cœtus Doctorum Hominum celeberrimos est lectus, Cæsareum N. C. Germanicum, Regiosque item Parisiensem, Londinensem, & Berolinensem.

Acerrimo fuisse ingenio, & non deteriore judicio, etsi scripta satis ostendunt; non alienum tamen est addere, qualem in

Digitized by Google

in ſcriptis, talem quoque in omni ſermone ſe præbuiſſe. Negare ſolebat Montanarius, præclariore, aut promptiore ingenio noviſſe quenquam; Alter vero Præceptor Malpighius quanti ipſius judicium faceret, cum ſæpe alias, tum præſertim vita excedens oſtendit, Poſthumi Operis editione illi, & Sylveſtro Bonfiliolo Viro clariſſimo commendata.

Ad hæc, atque alia quæ Natura dederat, animi bona ſingularis induſtria, & labor aſſiduus acceſſerunt. Nunquam non illum inveniſſes aut legentem aliquid, aut commentantem, aut ſcribentem, aut domi, & in Publico docentem, idque ea diligentia, & copia, & acumine, & quod ſemper eſt caput, ordine, ut ex ejus Diſcipulis nominare poſſem plures, nihil a tanto Præceptore degenerantes, niſi cum plures nominaſſem, plures tamen ſuperfuturos eſſe, intelligerem. A publico docendi officio non illum poterat affecta valetudo, non ex recenti itinere languor avertere. Sed neque in graviſſimo, quo confectus eſt, morbo Amicorum monitis, precibuſve potuit adduci, ut Libros ſeponeret, quos pulvino ſubditos, illis diſcedentibus ſumebat in manus.

Cæterum in Amicos officioſus, in Præceptores pius, in bene de ſe meritos quoſque gratus, modeſtus præterea, æquus, unoque verbo moribus optimis, & honeſtiſſimis fuit, ut hac etiam de cauſa fieret, ut qui illo familiariter uterentur, hi longe cariſſimum haberent, quo ex numero, Patricii Veneti duo non ſunt nobis prætermittendi, Sebaſtianus Fuſcarenus Eques, ac ædis D. Marci Procurator, dum viveret, Ampliſſimus, Meritiſſimuſque, & Chriſtinus Martinellius Vir Doctiſſimus, & Bonorum omnium Fautor ſummus.

Statura fuit procera, amplo corpore, atque robuſto, ſed noviſſime, credo ob aſſiduas lucubrationes, nonnihil incurvo; Nigros habuit, vegetoſque oculos, nigra, denſa, magna, & contracta ſupercilia, colorem ſublividum, vultum vero natura adductum, & tamquam ad ſeveritatem compoſitum, ut primo aſpectu longe aliter atque erat, aſper auſteruſque putaretur. Valetudine uſus eſt proſpera, niſi quod adoleſcens pulmone ſanguinem rejecit, conſequente neque brevi, neque periculo vacua ægrotatione, ſupremis quoque annis lumborum, inprimiſque faucium rheumate frequenter laboravit.

Cauſamque adeo noviſſimæ ægrotationis ex gravedine contraxit, quæ poſtquam tribus interjectis menſibus remiſerat, iterum ineunte Majo recruduit. Huic cum febris non ſine quibuſdam Mentis alienationibus, aliiſque gravioribus ſymptomatibus acceſſiſſet, viſus tamen æger rurſus levari, & fortaſſe erat convaliturus. Sed vires a ſævo, longoque morbo infirmatas ſanguis e naribus eodem die ſemel, atque iterum profluens ſic dejecit, ut dum ad excipiendum ſanguinem pelvim poſceret, & ſe in cubitum reponere niteretur, extemplo deficeret IV. Idus Jul. A. D. MDCCX. ætatis LIV. ſuper menſes IX. ac dies XV.

Aliquot ante illum diebus quæcunque ex noſtris ritibus, quos ſemper caſte religioſeque ſervaverat, impendente morte fieri ſolent, ea omnia ſancte perfecerat. Nec vero ſupremum boni prudentiſque Patris familias neglexit officium, ſcripto herede Joſepho, quem ex Conſtantia Joannetta Cive Bononienſi Uxore obſequentiſſima tulerat, filio, eoque cum ipſa Uxore, communique altera Filiola & Matre, quam grandævam admodum reliquit, Viris graviſſimis, amiciſſimiſque commendato; nam duæ quas ex eadem Conſtantia tulerat, majores Filiæ inter ſacras Virgines ſe receperant.

Patavii, qua in urbe deceſſit, in Ædæ S. Maximi humatus fuit, quadrato impoſito lapide in quo inſcriptum eſt.

HIC JACET
DOMINICVS GVGLIELMINI
BONONIENSIS
IN PATAVINO GYMNASIO
PVBLICVS THEORICÆ MEDICINÆ
PROFESSOR PRIMARIUS.
OBIIT DIE XII. IVLII. ANNO MDCC.X.
ÆTATIS SUÆ LIV.

Felix autem Abbas VIALE VIR doctiſſimus, atque integerrimo, & quo erat Patavii cum Gulielmino conjunctior nemo, juſtum ex albo Marmore Monumentum in celeberrimo loco ſtatuit ad S. Antonii Templum, qua hoc fere Meridiem ſpectat.

DE

Digitized by Google

DE VITA, ET SCRIPTIS ANTONII MARIÆ VALSALVÆ

COMMENTARIOLUM

JO: BAPT. MORGAGNI.

ANtonius Maria Valſalva ; ſi magnos Anatomicos Inventis metimur ; nemini ſua ætate ſecundus fuit : ſi ſolertia, ſtudio , labore , eximiaque humani corporis ſcientia ; vix aliquos ſibi habuit pares. Nam quicunque in ejuſmodi judiciis, non, ut vulgus , fortunam , ſed induſtriam potiſſimum , & hac partam rerum doctrinam ſpectare ſolent, hi ſi Valſalvæ vitam cognoſcant , & ad ea quæ natura tribuerat, quot , quantaque a pueritia ad extremum tempus adjumenta addiderit aſſiduæ exercitationis ſciant, & quæ ſive meditando , ſive Medici, Chirurgique partes ſuſtinendo , præclara ediderit ſigna excellentis cujuſdam in Re Anatomica facultatis , non ignorent ; ſane illa tempeſtate anteferendum ipſi neminem , perpaucos comparandos putabunt . Sed ab initio eſt ordiendum .

Forum Cornelii, quod ſequioribus ſæculis *Imola* cœptum eſt nominari, in eo Ciſpadanæ Galliæ tractu quem nunc *Romandiolam* vocant , urbs eſt , impoſita Æmiliæ viæ : qua ex urbe tum ſuperioribus, tum noſtris temporibus Viri extitere generis nobilitate , virtute, doctrina ornatiſſimi . In ea Antonius eſt natus anno Æræ Chriſtianæ CIↃ IↃC LXVI. XV. Kal. Februarii , patre Pompejo Valſalva , matre Catharina Toſia . Familia Toſia , inter Forocornelienſes nobilis , in ea Matrona finem habuit . Paternæ autem ſtirpis initium olim , & agnomen fuerat ex Valſalva , quod ſupra Forum Cornelii erat caſtrum ad ſiniſtram Vatreni fluminis. Nam verum quidem ejus ſtirpis nomen eſt Finia . Certe cum Tuſſignani eſſet , quod propter eundem amnem , ſed aliquanto inferius , eſt oppidum , id nomen geſſiſſe, apparet ex diplomate , in membrana ſcripto , quo ſtrenuus Miles Joannes Baptiſta Finius (is ex majoribus Pompeji fuerat) Alidoſiæ gentis ſtemmate donatus eſt . Id ſtemma , ſiquod aliud , Forocornelienſibus notum propterea quia his Alidoſii centum annis amplius imperitaverant , in vetuſto apud ipſos Valſalvæ proavorum ſepulchro inſculptum viſitur . Quibus, poſteriſque eorum ſtirpis nomen , ut fit , obſolevit ; agnomen ſervatum eſt .

Antonii Parentes qua ipſi erant in Deum pietate , in homines comitate , eadem filium imbuerunt . Acceſſit cura & diligentia Virorum , ſimul in conformandis primæ ætatis moribus , ſimul in litteris præmonſtrandis excellentium , Patrum e Societate Jeſu , quorum beneficium , tanto pluris æſtimandum, quanto illi a gravioribus in quibus ſumma cum laude verſantur , ſtudiis ad id officii ſe demittunt, cum pauci admodum , poſtquam ex ephebis exceſſerunt , videantur agnoſcere ; memori ipſe quoad vixit, & grato animo eſt pro-

Digitized by Google

profecutus . Erat in puero ingenium docile, acutum, aptum ad quaslibet artes optimas ſic tamen , ut ad quam potiſſimum ferretur, non obſcure ſignificaret . Gaudebat enim avicularum , aliorumque animalculorum diſſectionibus , eorumque exta curioſius , quam pro illa ætate , rimabatur : quam ego præſignificationem , non in Veſalio (1) tantum , ſed in aliis quoque pueris fuiſſe , ſcio , qui , cum adoleviſſent , Anatomiæ penitus ſe dediderunt.

Quibus rebus fiebat , ut de eo Parentes , Amicique bene ſperarent, atque adeo talem futurum confiderent , ubi Magiſtrorum acceſſiſſent præcepta , qualem & noſtrates , & externæ Scholæ ſuſpexerunt . Hac mente Bononiam eſt miſſus . Quod in Gymnaſium ut venit, non magis vetuſtate , & fama illuſtre , quam Doctoribus nobile ; haud diutius quærendum fuit adoleſcentulo, mirabili diſcendi cupiditate flagranti , quibus ſe traderet erudiendum . Longe enim præſtabat omnes in philoſophicis diſputationibus, in herbarumque cognitione Vir probitate antiqua præditus Lælius Trionfetti . Ab hoc utraſque doctus eſt . Ea autem quæ de Matheſi attigit , a Petro Mengolo, acutiſſimo & ſubtiliſſimo homine , itemque ab Geminiano Rondellio , qui faciliore fuit ingenio , & ad obſcura quæque Euclidis dilucide tradenda facto . At Rei Medicæ , &, quod præcipue quærebat , Anatomicæ præceptorem habuit qui iis temporibus principatum hujus ſcientiæ tenebat , Marcellum Malpighium . Ad hunc quoniam ob graviſſimas quibus diſtinebatur , ſtudiorum occupationes , & diuturnos , quos eæ requirebant , receſſus, non ſemper aditus patebat; aliis etiam doctoribus utebatur , in hiſque Paulo Salano Medico , præſertim vero Joanne Galeatio Manzio Medico & Chirurgo experientiſſimo , nec non cæteris qui in magnis illis Valetudinariis ſive medicaminibus , ſive manu , ſive etiam utriſque medicinam faciebant.

His omnibus operam dabat aſſiduus, impiger, laborioſus . Idem ubi de ſuperiore loco a majoribus natu de iis quas memoravi , Facultatibus ſermo haberetur , aut in contrarias partes diſputaretur , audiendi ſtudioſiſſimus . Idem in diſputationibus quæ inter æquales haberentur , alias reſpondendo , alias contra ea quæ propoſita eſſent, dicendo , exercitatiſſimus . Itaque tantum in illis omnibus progreſſum fecit , ut magna cum laude anno CIↃ IↃC LXXXVII. ab Ampliſſimis Bononienſium tum Philoſophorum , tum Medicorum Collegiis in albo Doctorum conſcriptus fuerit.

Sed poſteaquam iſtam quam expoſui , ſtudiorum rationem animadvertit magna ex parte magis ad veri ſimilitudinem, quam ad verum perdiſcendum valere ; ſe ipſe reprehendit, & obſervationibus potius, ut Malpighius monuerat , quam diſputationibus , quærere abdita Naturæ conſtituit . Igitur ad eam exercitationem qua in ægrotantibus morborum notas , progreſſum , exitum , & remediorum vires diligenter attenteque adnotabat , alteram adjunxit , ut in iiſdem mortuis quæ partes quod vitium haberent , accuratiſſime perſcrutaretur . Quoniam autem hæ quid ab recte ſe habentibus diſcreparent, intelligere non poterat , niſi qua ratione ſint eædem ſecundum naturam conſtitutæ , cognitum penitus & perſpectum haberet ; perſecare , & rimari quæcunque viſcera , & membra cœpit , quæ ſana quidem eſſe conſtaret ; neque hominum modo , ſed & cæterorum quæ noſtra terra fert , animalium, ſiquod forte , ut haud raro uſu venit , occurreret in quo clarior aliqua , & apertior ſtructura eſſet. Ex ſtructura enim actiones Partium , atque utilitates , ex his autem ſignificationes eorum quæ in ægrotantibus videmus , intelligi non dubitabat. Quamobrem ut facilius aſſequi illas poſſet ; vivas quoque ſibi diſſecandas eſſe beſtias , & multa ac varia in iis capienda experimenta , animadvertebat . Hæ fuerunt cauſæ cur iis potiſſimum ſtudiis ſe daret , ad quæ natura etiam , ut ſupra docui , propenſus erat.

Quanta autem induſtria , aſſiduitate , contentione ſe dederit , hæc ſunt teſtimonia . Illo ipſo anno CIↃ IↃC LXXXVII. jam renem cani exſecare ſciebat ſic ut hic viveret . Quot autem ſive in canibus , ſive in aliis animantibus , cum viverent , pericula fecerit , aut quæ in occiſis adnotaverit:

(1) Vid. Freher Theatr. Viror. erud. clar. Part. 3.

Digitized by Google

rit, quot hominum cadavera inciderit, quot in Partibus aut quæ ſecundum naturam ſunt; aut quæ contra ſe habent, ſit rimatus, cum prope innumeris in chartis ſcripſerit, non minorem tamen numerum conſciis videtur prætermiſiſſe, perſæpe medicis occupationibus impeditus, nonnunquam morbis prohibitus: quos neque paucos, neque leves ex iſtis ipſis graveolentium corporum diſſectionibus eo facilius contrahebat, quod cum reliquis vigeret ſenſibus, ob incredibilem teterrimi odoris patientiam naribus tandem captus fuerat. Sed ea erat cupiditate eoque ſtudio per anatomen proficiendi, ut quamvis acutis propterea conflictatus ægrotationibus, extremo in diſcrimine fuerit primum anno CIↃ IↃC LXXXXII. iterum circa annum CIↃ IↃCC. quamvis antea ad tantam maciem, gracilis per ſe juvenis, redactus eſſet, ut accedente tuſſicula, & ſalſi ad fauces humoris defluxu, nemo eſſet Medicorum qui non tabidum mox fore, metueret, nemo Amicorum qui non rogaret, ſibi ut tandem parceret, inſtitutumque periculoſum dimitteret; tamen ne poſt hæc quidem diſſectionum finem fecerit: imo quotieſcumque occaſio data eſt, quo annis ſuperioribus, eodem & inſequentibus incredibili mentis ardore ad verum inquirendum actus, dies noctesque inter cadavera eſt verſatus.

Atque hoc loco non eſt prætereundum quod vel tum fecerat, cum olfaciendi ſenſu apprime uteretur. Eſt enim ejuſmodi, ut ex eo uno conjici poſſint cætera quæ perpeti non dubitabat, ut ſuo ille ſtudio indulgeret. Ex ſummo cadaveris femore exſecuerat quidquid longi dirique morbi fuerat ſedes, exſectumque domum miſerat, ut fere ſolebat, quo diligentius examinaret. Cum totus in eo eſſet, pleriſque jam ſatis inſpectis, ſubito in proximam urbem ad Viri primarii curationem accerſitus, quod reliquum erat in aquam, ſubinde mutandam, conjicere, & in reditum differre cogitur. Serius quam ſperaverat, Bononiam reverſus, nihiloſecius quæ reliquerat in manus ſumpſit: neque antea poſuit quam plane intelligeret, fruſtra ſibi operam eſſe ſumptam, niſi is nervus qui omnium eſt craſſiſſimus, quomodo ſupra infraque exſectam partem ſe haberet, pro certo cognoſceret. Quid faceret? Erat æſtas ſumma, tempeſtas ſervidiſſima, dies autem jam decimus tertius poſtquam cadaver ſepultum fuerat. Auſus eſt tamen de eo eruendo veſpillones appellare. Negantibus cæteris, vix unum blandis precibus, magnoque præſertim pretio exorat. Protrahitur luridum, informe, taboque diffluens cadaver. Graveolentia abſterritus intoleranda recedit veſpillo. Sed intrepidus accedit Valſalva: quæ vult inquirit ac perſequitur, nec abſiſtit prius, quam ſatis ſibi ſuperque faciat. Multa ego audivi, multa legi de Veſalio (1), de Ruyſchio (2), de aliis qui ſupra quam credi poſſit, Anatomen adamarunt. Incredibilia, cum eſſent juvenes, auſos illos, & perpeſſos, non nego. Hoc nego aut unquam, aut certe cum viri eſſent facti, nactique jam magnam in Anatomicis rebus, & Medicis, ac Chirurgicis ſcientiam, auctoritatemque, pertuliſſe.

Sic enim Valſalva diſſectionum fuerat ſtudio incenſus, ut cætera non omitteret quæ egregio in Medico, Chirurgove requiruntur. Quorum pleraque ſupra ſunt a nobis commemorata. Ad ea acceſſerat ſingularis cura in remediorum materia, eorumque natura, & facultatibus cognoſcendis: ob eamque cauſam quæ cautiores prodiderunt Chymici, non neglexerat. Quibus in rebus ut facile, multumque proficeret, intima amicitia fecerat, quam adoleſcens cum aliquanto adultiore conjunxerat Petro Molinellio, quem multo doctiſſimum fuiſſe rerum illarum, vere videor poſſe contendere, neque minus experientem Medicum, & in optimi cujuſque Medicinæ Scriptoris voluminibus noſcendis æque ac perlegendis verſatum. Utebatur etiam intime Hippolyto Franciſco Albertino, qui in medendo ut ſagax, diligens, cautuſque fuerit, cum ejus Opuſcula (3), quamvis perpaucula, ſatis oſtendant; hic nihil attinet docere. Hi, ſiqui alii, inter ſe, & cum Valſalva conjuncti, ut pleriſque hujus intererant diſſectionibus, ſic viciſſim ſuas

(1) Vid. ejus Epiſtolam de Rad. Chyn. (2) Vid. ejus Adverſ. Anat. Dec. 2. in fin.
(3) Vid. cum Bonon. Inſt. Sc. Acad. Commentar.

Digitized by Google

ſuas cum eo animadverſiones, obſervationeſque communicabant; vel potius tres una eaſdem, iis quidem annis, inſtituebant, ſimul in Valetudinariis, ſimul domi illud omne tempus tribuentes ſtudiis optimis, quod alii plerique juvenes in pravis, aut inutilibus conſumebant.

Etſi hæc, ut diximus, ita ſe habebant; tamen cum inter cæteras Valſalvæ exercitationes illa præcipue emineret, qua jam pleriſque præſtabat Medicis, Anatomia; effugere non potuit, primis illis temporibus, nonnullorum miſtas cum laudibus obtrectationes, ut præclaris Viris perſæpe accidit, qui aut Philologiæ, aut Matheſis, aut Rei Chymicæ, aut Herbariæ excellentem ſcientiam cum Medicina conjunxerunt, ſed Anatomes in primis: quod uſu evenit vel illi quem paulo ante nominavimus, Andreæ Veſalio, ad hunc modum deſcribenti *peſſimum*, ut loquitur Corn. Tacitus (1), *inimicorum genus*, *laudantes*. „ Si quem, inquit (2), aliqua ab „ ipſis ignorata cognoſcere animadvertant; „ illum quidem eorum peritum fatentur „ eſſe: cæterum (quod ipſi nomine tantum „ ſunt) medicum eſſe negant; quaſi is demum medicus foret, qui nihil „ minus quam medicus vere cenſendus „ ſit: & perinde ac ſi abſolutior in aliqua medicinæ ſubſervientium diſciplinarum diligentia, ad reliquam medicinæ „ cognitionem obeſſet. „ Quorum vocula, non minus quid ipſi ignorent, quam in quo alii excellant, prodentes, cum parum cæteris, tum nihil Valſalvæ offecerunt: quin e contrario effecerunt, ut fama ejus magis in dies magiſque creſceret, diſſectionum autem accuratiſſimarum utilitas in Medico, Chirurgoque clarius eluceret.

Illis enim fretus, primus, Bononiæ, in membrorum amputationibus, ad ſanguinem compeſcendum, atrociſſimum ignis auxilium rejecit; arterias obligavit; primus ſurditatem poſſe interdum manu curari, oſtendit: primus chirurgica plura inſtrumenta, pluribuſque ex partibus conſtantia, ad multo pauciora, & ſimpliciora contraxit. Cumque non tam ex aliorum commentariis, quam ex proprio, in re præſenti, judicio Chirurgiam exerceret; hanc in ægrotantibus propemodum ſingulis, non ad certam quandam & immutabilem normam, ſed ad peculiarem cujuſque caſum accomodabat: atque, ut maximi erat tum conſilii, tum animi; celeriter quæ opus erant, & excogitabat, & perficiebat, manu æque promptus atque ingenio. Hinc illa quæ ſæpe alii, & præſtantes quidem Viri, fruſtra conati, in deſperatis reliquerant, nova ipſe arte, nec, poſtquam vidiſſes difficili, confecit ex ſententia; ut veriſſimum ei teſtimonium dederint Noſocomii Incurabilium Conſervatores, cum mortuo poſuerunt monumentum in quo ſcriptum eſt, apud eos quoque fuiſſe, & quidem *per V. luſtra*, *Chirurgum miris curationibus beneficentiſſimum*.

Magnus itaque in Re Chirurgica Valſalva fuit: nec minor in Medica. In hac ab illa; in utraque ab Anatomica ſummopere adjuvabatur. Quæ enim Medicus latentia curat, ſubinde haud aliæ ſunt, quam, quæ Chirurgus ante oculos poſita, tumores, inflammationes, abſceſſus, alia iſtiuſmodi. Vidiſſe perſæpe aperta juvat ad abdita melius intelligenda. Sedem vero, & ſiqua indicia abſtruſiora ſunt, quid certius doceat, quam Anatome, quæ in qua parte quod viſcus ſit, & poſt certa ſigna quod vitium inveniri ſoleat, oſtendit? Huic acceptum referre decet quod Valſalva de præſentibus veriſſime judicaret; de futuris non minus vere conjiceret. Nam quo in viſcere, quave in hujus parte quæ eſſet labes, ſæpius, ægro etiam tum vivo, pronunciavit; neque ea res illum fefellit. Sæpe etiam accidit, ut cum mortis cauſam in cadavere quæſituri, aperire pectus inſtituiſſent, ipſe intervenjens, cum quæ in vivente fuiſſent notæ, acopiſſet, afferri ſerram continuo juſſerit, atque intra calvariam id oſtenderit, quod pectore includi, exiſtimaverant: contra, alias ut cum illam ſecare vellent, recludendum eſſe pectus, moneret; in hoc enim, ut reapſe mox invenerunt, ſuis ex receptaculis ſanguinem erupiſſe. Quarum prædictionum etſi Bononiæ illæ maximæ pervulgatæ ſunt quæ in ſummorum Virorum diſſectionibus contigere; complures tamen

(1) Vit. Agric. (2) Epiſt. cit.

men plerosque fugerunt, olim inter discipulos in Valetudinariis habitæ eadem scientia, minori gloria.

Quod si vera est, ut sane in morbis sanabilibus plerumque est, Hippocratis (1), aut certe vetustissimi Auctoris sententia, *Medicum* qui *sufficerit ad cognoscendum, sufficere etiam ad sanandum*; post ea quæ exposui, non necesse habeo referre, quot illi fuerint quorum cum jam nulla spes salutis relinqueretur, Valsalva in tempore vocatus, partim in pristinum restituerit; partim si ab interitu prorsus retrahere non potuit, at hoc certe retardato, quoad licuit, servarit; partim instanti periculo sæpius depulso, longe plures quam speravesant, annos in vivorum numero sic retinuerit, ut quam minime multa vestigia gravissimorum morborum manerent.

Dederat autem præcipuam operam, uti in chirurgicis, sic in medicis (quod utinam omnes imitaremur) ut qui morbi vulgo insanabiles habentur, eorum attentius primordia vel per anatomen observaret, si forte aliquos inveniret quorum aut initiis occurrere, aut augmenta intercipere, aut impetus tardare posset. Eaque in re quid præstiterit, neque illustrius, neque felicius profari a me posse exemplum credo, quam quod, ineunte sæculo, princeps instituit, dilatationes intimarum arteriarum (ἀνευρύσματα vocitant) priusquam majores fiant, curare ea ratione, quam Albertinus (2), ejus, ut ante dictum est, studiorum conscius, tandem proposuit annis superioribus, ipseque, & alii apud Bononienses Medici suis deinceps ad eundem modum respondentibus experimentis comprobarunt.

Talis cum esset; suis Valsalva dignam meritis famam est adeptus in doctissima Civitate. Jam tum juveni se, suorumque salutem crediderant Viri summi, alii litteris, alii dignitate, omnes genere, prudentiaque illustres. Ut crevit ætas, atque auctoritas; idem fecerunt multo plures, prioribus pares, nonnulli & majores, in his Thomas Ruffus, & Jacobus Boncompagnus S. R. E. Cardinales, quorum hic sacris, ille etiam cæteris præerat Bononiæ rebus. Nobile erat Valsalvæ nomen, laus maxima: eaque erat omnium, Medicorum quoque, de illo opinio, ut magni ejus consilium, magni ejus opera in rebus difficillimis æstimaretur, nec solum inter Bononienses, sed etiam inter omnes quæ ejus opem expertæ sunt, Civitates, Mantuam, Parmam, Placentiam, Ravennam, Forum Cornelii, & Livii, Faventiam, Ariminum, Fanum Fortunæ, Urbinum, atque alias, quo ad primarios viros, fœminasque, ad Dynastas, ad Præsules, ad S. R. E. Cardinales, gravioribus implicitos morbis accersebatur. Nam qui, atque unde consultum venirent, aut sibi per litteras auxilium peterent, nec facile, & post ea quæ retuli, supervacaneum est memorare.

Quas ob res, ob editumque de Aure Humana librum, quo de libro post dicemus, quam Bononiensibus charus, quam Exteris notus, quam utrisque admirabilis fuerit, indicio esse possunt quæ utrique & privatim, & publice in hunc contulerunt. Nihil ei detraxit inter illos viventi quod alienæ erat civitatis. Nam non modo, ut supra indicatum est, amplo Incurabilium Nosocomio Chirurgum præfecerunt, non modo Inclytæ Scientiarum Instituti Academiæ Præsidem iterum, ac tertium præposuerunt; sed & multo antea alio in Cœtu ad aliud Munus admitti posse, magno omnes consensu censuerunt, non quod civis esset, ut lex jubebat, sed quod scientia, & fama illustris esset, ut lex sinebat: esse enim illud fortunæ; hoc virtutis.

Quod vero non ad privatam, sed ad publicam rem pertinebat; Civitatis salutem, & annonam ejus potissimum spectatæ fidei, peritiæque Senatus Amplissimus commendavit, illam sub initium ferme sæculi, cum litteræ, & merces ex regionibus afferrentur nomine pestilentiæ suspectis, ne nisi rite perpugatæ acciperentur; hanc duodecim post annis, quo tempore necessarium, siquod aliud, ad colendos agros animalium genus, boves communibus, & contagiosis morbis absumebantur, ne latius horum vis serperet, & quoad ejus fieri posset, infringeretur. Neque tunc solum, quid de Valsalva sentiret Summus Civitatis Ordo præclare ostendit, cum utrique illum rei præfecit, aut cum Honorarium

(1) De Arte n. 20. (2) Vid. Opus. cit.

Digitized by Google

rium Anatomes Professorem declaravit; sed tunc præsertim cum anno CIↃ IↃC XCVII. tantum illi honorem habuit, ut unum ex omnibus delegerit qui in celeberrimo Gymnasio & humanum corpus incideret, quod a plurimis antea quidem, & ab ipso quoque, sed nec quotannis, neque ex publico decreto factum, & singulas incisas partes, cum vellet, ex peculiari officio ostenderet, additis apud Theatrum Anatomicum, illique attributis ædibus ad id officium aptissimis; quæ ante ipsum concessa fuerant nemini.

Hæc Bononienses. Cuncta autem Italia, atque adeo Europa quanti eum faceret, inde apparebat, quod ex eruditis Medicis Bononiam venientibus nemo erat qui ipsum videre, adire, alloqui prætermitteret, nemo qui cum vidisset, non id in præcipuis suæ peregrinationis fructibus poneret. Ex cæteris qui ire illuc non poterant, ut quisque erat ingenii, & studiorum fama clarior, ita alii epistolis saltem colere, alii missis quos vulgaverant, libris, alii cum inter docendum, aut scribendum de ejus inventis sermo incideret, honestissima commemoratione præclarum de eo judicium patefacere non omittebant. Itaque etsi Bononia nunquam ille pedem extulerat, nisi aut eo quo diximus, medendi causa profectus, aut cum semel Patavium venit, idque anno CIↃ IↃC XCVI. cognoscendi cupidus, qua hic ratione eo tempore traderetur Anatomia, aut cum insequenti anno Florentiam, anno autem CIↃ IↃCC XXI. Venetias se contulit, utroque Patriciorum Bononiensium gratia, quos ægrotantes consiliis adjuvaret suis; nihilo tamen secius nulla erat usquam docta Civitas, Gymnasium nullum, in quo non æque ac Bononiensibus, esset notus, in quo sine dubio magnus intelligentium omnium sententia non haberetur. Qua constanti fama, & suo ipsa judicio, quod maxime facit auctoritatem, permota Regia Societas Londinensis dignum se, & præceptore Malpighio Anatomicum in suum numerum adlegit:

Cum cæteri, cum etiam tam procul a nobis disjuncti hæc in Valsalvam conferrent; fieri non poterat, ut ipsum negligerent Forocornelienses sui. Nam etsi est hoc fere commune vitium in multis civitatibus, ut magna invidia magnæ gloriæ comes sit; tamen quædam sunt, & certe illæ nostræ sunt, fautrices suorum, seque eorum laude ornari, dignitate augeri, nec falso, arbitrantur. Talem se Valsalvæ Patria præbuit, summa ipsum omni tempore existimatione, summoque amore complexa. Itaque præcipuum ei honorem detulit, ut ex iis esset, qui nobili præsunt Magistratui Pacificorum. Neque hoc contenta, majora obtulit, & super hæc, honorarium, publice dandum in annos singulos, si quidem ad suos remigraret. Ille etsi pius erat in Patriam, ut qui maxime, etsi talem de se opinionem civium suorum, benevolentiamque habebat charissimam; tamen, gratiis actis, eo beneficio uti noluit, non tam ne sibi non constare videretur qui majoribus, & plura pollicentibus civitatibus negaverat, quam ne parum gratus adversus illam, a qua & doctrinam, & famam acceperat, & multis in se collatis honoribus ante fuerat occupatus. Credo etiam magis illud spectasse; ut sapientem decebat Virum, & longe in posterum prospicientem; se charitati in Patriam inservire melius posse, si in eo quidem morem Patriæ non gereret. Nam si paruisset; cives fortasse aliquos ex iis qui tum vivebant, servasset, paulo postea nihilominus interituros. Sed contra ea, si remaneret Bononiæ; se suæ videbat universæ Civitatis gloriam aucturum laude nominis, quoad ipsa, & litteræ essent, nunquam intermoritura. Idem majores, idem æquales Clarissimos Viros intuitos esse, & consecutos. Neque enim Joannem illum quem *ab Imola* vocitant Juris Consulti, neque Alexandrum Tartagnum, neque post hos M. Antonium Flaminium, neque eum qui memoria nostra floruit, Jo. Bapt. Zappium in Patria aut patronos, aut poetas agendo, sed Patavii, sed Bononiæ, sed Romæ in magnis Gymnasiis, magnisque in Urbibus docendo, scribendoque, illos in summis Legum Doctoribus, hos in eximiis Poetis, utrosque in maximis Fori Cornelii ornamentis esse habitos, atque haberi.

Itaque domicilium quod sibi ad adolescentia Bononiæ constituerat, ad extre-

mum usque tempus servavit, cum eoque facultatem studiis obsequendi suis, quam in litteratissima, & frequentissima Civitate sibi magnam dari, expertus fuerat. Bibliothecam quidem instructam habebat libris neque paucis, & selectis, qui præsertim ad Philosophicam, ad Medicam, ad Chirurgicam, ad Anatomicam Rem attinerent. Tamen siqui forte essent præterea sibi opus aliquando; erat ubi aut pretio, aut prece confestim, & facile compararet. Erant ibidem Amici & doctissimi, & conjunctissimi: quanquam juvenis amiserat duos, Valerium Zanium, Comitem, & Patricium, eruditione, prudentiaque, sua tempestate, cum paucis, & Marcellum Malpighium, Anatomicum, ut ante dictum est, cum nemine comparandum.

Zanius eum non secus dilexerat, ac filium: quod grato ipse animo prædicabat, referens interdum pro re nata quæ a Sene gravissimo acceperat, cum de Deo religiose, de historia erudite, de moribus sapienter, identidem secum pro intima familiaritate verba faceret. Malpighius autem, cujus persæpe præcepta, & monita eodem animo commemorabat, alacritatem addiderat ornandi spartam medicam, atque anatomicam solertia illa, ac diligentia, quam in adolescentulo jam tum admiratus, quoad superfuit, vel Romæ laudare nunquam destitit: quod ex ejus, & Pacchioni ad Valsalvam litteris perspectum habemus. Sed illuc redeamus. Erant Valsalvæ apud Bononienses, præter omne genus librorum, Amici plures eruditissimi, atque experientissimi. Erat magnus, ut in urbe ampla, & tribus præsertim non mediocribus Valetudinariis instructa, ægrotantium, & cadaverum numerus; ut & novas instituere, & inchoatas posset observationes perficere. Cujus rei nullam unquam occasionem prætermittebat, semper aliquid ejusmodi mente agitans, nec obvia tamen despiciens; velut cum in Valetudinariis ambulans, quasi aliud agens, jacentium decubitum aspectumque adnotabat, ex hisque tantummodo, eorum periculum, atque exitum conjiciens, mox interrogando, & cætera tum, & deinceps animadvertendo experiebatur, falsam, an veram (id quod sæpius) conjecturam fecisset. Qua facili, siqua alia, & in medio posita, exercitatione se multum olim profeciisse, confirmabat, ut sæpe vel in iis de quibus Medici securi fuissent, suspicari primus, nonnunquam & prædicere potuisset quæ minime fuerant expectata. Ad hanc, atque ad alias discipulos hortabatur exemplo suo; quorum copia, a longinquis etiam civitatibus, nullo ipsi tempore Bononiæ defuit: quæ haud scio an una ex præcipuis ibi permanendi causis fuerit Viro, quamplurimos posset juvandi, & præclara studia propagandi cupidissimo.

Et sane ex ejus Schola, tanquam ex equo Trojano, complures prodierunt illustres Viri, quos nominare singulos & longum est, &, siquem forte invitus præteream, odiosum. Illud satis fuerit dixisse; eorum alios floruisse, & florere in Medicina facienda, alios etiam in tradenda, alios Archiatros, alios Publicos Professores, alios munere utroque nobiles, nonnullos denique editis scriptis, si non illustres, at certe non ignotos. Neque hos solum, & quos itidem Bononiam, tanquam ad mercaturam optimarum artium, profectos, aut Amici, aut primarii Viri commendaverant, libenti animo erudiebat; verum etiam siquos cum paupertas premeret, ingenium, & docilitas sublevabant.

Nec vero hoc semel fecit, sed sæpius; maxime in adolescentibus duobus, quos laudatum in Fabricio ab Aquapendente exemplum (1) referens, cum famulos accepisset, Chirurgos, nec vulgares, dimisit. Sed & aliquot Obstetrices iis præceptionibus informavit, quibus faciles partus ex difficilibus redderent, in qua ipse facultate excellebat, nulla alia re impulsus, nisi ut per eas complures matres, filiosque servaret, utrosque corpore, hos etiam animo summum alioqui detrimentum facturos.

Magna quoque capiebatur miseratione eorum qui morbis simul, & inopia conflictarentur, præsertim si honesto essent loco nati. Hos, medicinæ causa accersitus, quibus rebus indigebant, ex sua re familiari, non modo ex sua arte, adjuvabat, solitus alioquin & apud ditiores hanc eo, quo utinam omnes, ingenuo animo & libera-

(1) Vid. Tomasin. Elog. illustr. Viror. Tom. 1. in Cæsarii Elogio.

Digitized by Google

berali exercere. Neque enim lucrum, sed suam existimationem spectabat, qua nihil, secundum Deum, habebat charius.

Hanc in eo agi arbitrabatur, si quem morbum plane insanabilem esse sciret, ejus ut sanabilis curationem susciperet; item si in quo aliquid a remediis speraret, his nequicquam usus, porro pergeret: quorum utrumque semper est abominatus; sed ægris, vel potius quorum intererat, admonitis, se quidem, cum per eas licuit, continuo subduxit. Erat utique in Valsalva cum summa humanitas, tum mira comitas: at polliceri quod præstare non posset, id vero non liberalis, sed levis, atque adeo perfidiosi hominis existimabat.

Idem in nitendo quod semel non sine magna ratione admisisset, tanta erat cura, atque constantia, nulli ut diligentiæ, & studio parceret, nihilque intentatum relinqueret. Nam etsi, ut cautum Medicum decebat, semper illud, sicuti in ejus quadam ad Principem Virum epistola est, Hippocraticum (1) spectabat, *ne quid noceret*, eoque simplicioribus, cum poterat, & tutioribus, & usitatis, neque multis adeo remediis uti consueverat; & plura tamen, & validiora auxilia non ignorabat, & in chirurgicis præsertim operibus magno, ut antea dictum est, erat animo, atque intrepido, nunquam tamen præcipite, aut incauto, ut qui omnia quæ incidere possent, ante prospexerat: quanquam, etiam adversus nec opinata quo animo esset, tunc satis ostendit, cum in suis ædibus commentantem fulmen propemodum perstrinxit. Tantum enim ab eo abfuit, ut animo caderet; continuo numquid forte alicui domesticorum fulmen nocuisset, numquod incendii initium usquam reliquisset, superiores, inferiores, omnes partes ædium adeundo, sic quæsivit, ut si ipse, qui prope ambustus erat, nullo periculo fuisset, magis postea consideratione discriminum quibus vita nostra obnoxia est, quam re præsenti perturbatus.

Hæc Valsalvæ studia, hunc animum facies commendabat, alta amplaque fronte, nigris oculis ac vividis, decenti naso, ore parvo, labris rubentibus, cætera colore inter candidum, & rubicundum; sereno vultu, sed non sine gravitate; ad hæc, congruentibus membris omnibus, statura non magna, sed figura venusta: satis firmæ ad laborem ferendum vires; stabiles manus, eædemque, cum opus esset, promptæ atque expeditæ: corpus agile; nisi quod extremis sex septemve annis prægravante pinguedine tardabatur. Nam qui gracilis, ut supra indicatum est, ad virilem ætatem pervenerat, sensim deinde pinguescens, honestam primum dignitatem, sed postremo ultra modum obesus, molestiam, morbos, ipsamque adeo, quam & prævideraat, & prædixerat, mortem est nactus.

Principio, tussis qua annis quoque superioribus, sed remissius, vexatus fuerat, augeri, & cum tanta faucium siccitate ac siti conjungi, ut noctu præsertim, magnam aquæ vim absumere cogeretur: hinc noctu vigiliis urgeri, interdiu dormitatione: ad hoc, qui non multi cibi, vini autem vel minus multi fuisset, jam illum pene sine modo appetere, aquam autem, ut dixi, vel præter modum. Ex his, ut morbus morbum parere solet, aut augere, pinguedo crescebat; stomachus infirmabatur; itaque anno ante quam decederet, ad cætera incommoda ciborum vomitus a prandio accessit, noctu autem vehemens nonnunquam dolor laxioris intestini quod κόλον nominant; ut noctibus quatuor continentibus quaternas horas torqueretur. Hoc tamen morbo & alias fuerat olim cruciatus: quare magis, quam difficultate ejus ab renum dolore internoscendi, factum censeo, ut ex his semel laborans, ex eodem se intestino laborare crediderit, donec arenosa urina alium esse morbum ostendit, sed inter initia persæpe adeo similem prioris, ut Galenus (2) quoque cum altero tentaretur, alterum esse, existimaverit, quoad usque dejectio humoris quem vitreum dixerat Praxagoras, errorem sustulit. Quo magis præceptum illud omnibus a Medicis servari debet; id quod Valsalvæ nocte intempesta non licuit; ne suorum ipsi morborum sint judices, cum duo summi Anatomici

(1) De Morbis Vulgar. l. 1. Sect. 2. Vid. & Galeni Comment. 2. in eund. l.
(2) De Loc. aff. l. 2. c. 5.

Digitized by Google

mici & Medici ſic cavere non potuerint, ne alter in alterum errorem incideret; cujus ſimplicem confeſſionem ſibi uterque credidit convenire ſive Hippocratis more (2), aliorumque, ut Celſus (1) ait, *magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium*, ſive etiam, quæ mea omni tempore ſententia fuit, quod longe majori laude ingenuitas digna ſit, quam hallucinatio, præſertim ejuſmodi, reprehenſione. Sed ad poſtremos Valſalvæ morbos revertamur.

Hi quorſum eſſent evaſuri, jam plura antea indicia fuerant. Nam etiam inter conſulendum Medici animadverterant ſomniculoſum, nonnunquam & ſtertentem, ſic tamen, ut cum reſponderet, non videretur dormiviſſe. Mihi vero non tam id diſplicuit, cum forte anno eodem CIↃ IↃCC XXI. conſilia pro Fœminis primariis conferremus Venetiis primum, Faventiæ iterum, quam linguæ difficultas quædam in explicando ſermone, levis illa quidem, ſed mihi tamen, longo intervallo audienti, ſatis manifeſta; ut ex eo tempore & veneri ipſe, & Amicis prænunciare, quantumvis fruſtra, non deſtiterim quod anno accidit CIↃ IↃCC XXIII. poſtridie Kal. Februarias. Nam cœnato, ſecumque, ut ſolebat, commurmuranti, & quaſi aliquid commentanti repente os diſtortum quid immineret, domeſticis præmonſtravit.

Admonitus, tantum adhuc aberat a mentis læſione, ut eos qui aderant, ne animo deficerent, neu perturbarentur, ſed ſibi ut quam quiſque poſſent, opem ferrent, hortatus, accerſitis Medicis, & Sacerdotibus, illis quidem ut ſanguinis non una detractione contenti, rurſus mitterent, ſi videretur, ſignificaverit; his vero, Sacra miniſtrantibus, ea omnia religionis & pietatis ſigna dederit, quæ vitam anteactam decerent, donec graviore morbi vi, quem ἀποπληξίαν vocant, ingruente, eadem nocte vivere deſiit.

Sic Valſalva vix major ſeptem & quinquaginta annis natus, quo morbo liberaverat plures, & quo de morbo præclara animadverterat, eo ipſe morbo ereptus fuit.

Elatus eſt, pro dignitate hominis, honeſto funere, condituſque in ſacra Æde quæ ab Divo Joanne in Monte Bononienſibus appellatur. Quanta omnium de vivo opinio, quantumque mortui deſiderium fuerit, vel ex monumentis cognoſci potuit, quæ ipſi intra eum quo deceſſit, annum, aut certe non poſt multo, raro exemplo quinque ſunt poſita, ab aliis aliud, aliiſque verbis, ſed eadem omnia & laudis, & voluntatis ſignificatione: unum ſepulchro proximum, idque ab Æditimis, Canonicis Regul. Lateran., alterum, de quo ſupra commemoravi, in Noſocomio Incurabilium ab hujus Conſervatoribus; tertium, & quartum, adjecto ejus e nobili marmore ſimulacro, ſingulari opera atque arte perfecto, illud, Senatoribus auctoritate, & ſapientia præſtantibus quibus Inſtituti Scientiarum procuratio demandata eſt, id jubentibus, in magnificis ædibus eidem Inſtituto aſſignatis; hoc in celeberrimo Gymnaſii loco ab utraque Alma Univerſitate *Artiſtar.* quod potiſſimum, quoniam ita factum atque exornatum eſt, ut quatuor de quibus in hac Vita expoſuimus, Valſalvæ præcipua ſtudia non minus inſcriptis verbis, quam circum addita haud ineleganti pictura repræſentet; idcirco ære deſcribendum, & cum hoc noſtro Commentariolo conjungendum curavimus (*). Noviſſimum, nec ſine ſimulacro id quoque, Forocornelii in eo loco ſtatutum eſt, quem in locum, ſi quid ſibi in Patria accideret, Valſalva ſuum inferri corpus deſtinaverat, in Divi Dominici Templo, recens inſtaurato. Poſitum eſt autem ab uxore, Fœmina lectiſſima, Helena Livia, pene una ſuperſtite Familiæ ſuæ, apud Bononienſes veteris, & Senatoriæ.

Quæ quantum viro, dum hic viveret, obſequens fuerit, cura patefecit ejus voluntati vel poſt obitum ſatisfaciendi. Cum enim hoc illum ſciret in animo habuiſſe, ut, ſe mortuo, ſua chirurgica inſtrumenta omnia, quæ nec ita pauca erant, nec vulgari induſtria atque artificio fabrefacta, Noſocomio cederent Incurabilium; Academiæ autem Inſtituti Scientiarum ſuum Anatomicum Muſeum, cum ob alia, tum maxime ob admirabilem illam, pri-

(1) De Morbis Vulgar. l. 5. n. 14. (2) De Medicina l. 8. c. 4.
(*) Vid. in Veneta Operum Valſalvæ Editione.

Digitized by Google

primamque omnium, universi auditus organi una in aure præparationem, a Viris etiam Principibus expetitum; cum igitur id sciret; nec prece, nec gratia, nec præmio adduci potuit, ut aliis quam quibus vir indicaverat; non jusserat; cuncta illa traderentur: tanti apud eam, viri quoquo modo cognita voluntas fuit.

Hanc anno duxerat CIↃ IↃCC x. ex eaque liberos sex procreaverat, mares duos, fœminas quatuor. Sed virilem sexum non reliquit; in prima enim pueritia utrumque amiserat filium. Filiarum quoque ultima non diu patri superstes fuit. Vivunt reliquæ. Quarum priorem nuptum dedit mater Ludovico M. Montefanio Capraræ J. C. nobili civi Bononiensi: altera, & tertia solemniter vovere Deo virginitatem maluerunt. Has omnes Valsalva habuit hæredes non tam magni patrimonii, quam maximæ gloriæ. Illi enim augendo; etsi indiligens paterfamilias non fuit; multo minus operam dederat, quam scientiæ, & virtuti, &, quæ harum comes est, laudi nominis amplificandæ.

Inter omnes constat, qui ejus & mentem, & consuetudinem probe cognitam habuerunt, multo eum maximam vitæ partem, ut verum inquireret, ac publica commoda promoveret, in dissectionibus consumpsisse. Namque in auris dumtaxat anatomia sedecim ipsos annos fuit, dissectis ejus rei causa humanis capitibus amplius mille. Hinc *Tractatus* extitit *de Aure Humana*, qui unus maxime apud Philosophos, Medicos, atque Anatomicos Valsalvam illustravit, post Bononiensem editionem A. CIↃ IↃCCIV. apud Constantinum Pisarium, Trajecti ad Rhenum iterum A. CIↃ IↃCCVII. in officina Guilelmi Vandevvater, Genevæ autem tertium A. CIↃ IↃCC XVI. sumptibus Crameri, & Perachonii, a typographis descriptus, & tamen a multis jam annis in tabernis librariis prostans raro adeo ut nunc quartum prodire debuerit, cum tres posthumæ Anatomicæ Dissertationes, novum assidui Valsalvæ laboris, atque industriæ specimen, primum ederentur. De quibus, & de eo Tractatu cum illa huc addidero, quæ nulla ratione omitti possunt; finem statim scribendi faciam.

Dissertationes Valsalva recitaverat in ea quam sæpius memoravi, Instituti Scientiarum Academia, primam quidem anno CIↃ IↃCC XV. XVI. Kal. Jun. alteram vero anno CIↃ IↃCC XVII. circiter Idus Decembris; tertiam denique anno CIↃ IↃCC XIX. item pridie Idus Decembris. In prima sermonem habuit de laxioris intestini Vinculis, de Sinibus arteriæ Magnæ, de nervis ab Spinæ Medulla ad par Vagum accedentibus, deque Annulis tum Visoris, tum Motoris oculi nervi moderatoribus. In altera de quibusdam oculorum affectionibus, & secundum, & præter naturam, inque his posterioribus de Suffusione. In novissima de excretoriis Ductibus, atque usu Renum Succenturiatorum. Gratia erat in plerisque his rebus cum novitatis, tum vero etiam utilitatis. Itaque magno assensu, & laude ab iis qui aderant, auditæ, mox fama apud cæteras Academias pervulgatæ summam omnibus editionis expectationem commoverunt.

Nec abnuebat Valsalva: sed illis valetudinis tardabatur incommodis, quibus, ut supra demonstratum est, iis ipsis annis tentari cœperat. Icones erant conficiendæ, quæ cum prima Dissertatione proponerentur. Neque enim tertiam scripserat, quæ curam eandem requirebat, cum de edendis observationibus illis suis cogitationem suscepit, nonnunquam animi pendens, an adjectis ad eas aliis, longe alio pertinentibus, omnia rescriberet, decemque in capita digereret: quæ res ipsa quoque asferebat moram. Sed tertia addita Dissertatione, hoc consilium prorsus abjecit: & Dissertationes ut recitaverat, ita cum Academiæ, cui tradiderat, Commentariis edendas statuit. Dum horum editio necessariis de causis diutius extrahitur; utrumque accidit eorum quæ in iisdem sunt a Viro Clarissimo Francisco M. Zanotto diserte, ut solet, commemorata (1), ut suas Valsalva Dissertationes, aliquid in his expoliendi, & perficiendi causa, ab Academia repeteret, utque antequam redderet, supremum obiret diem. Secuta sunt illa quæ ab Zanotto protinus subjiciuntur, vere, cum narrat; perhumaniter, cum existimat, omnia scribente, judicium de me & Hæ-

(1) Vid. Titul. Anatomie.

Digitized by Google

& Hæredum Valſalvæ amicum, & tantæ Academiæ, honeſtiſſimum : miſſio ad me non modo earum Diſſertationum, ſed & chartarum Valſalvæ omnium, quæcunque ad ejus ſtudia attinerent, poſtquam & cunctæ ita ut ipſe omnino volui, nuneratæ fuerant, & ſingulæ obſignatæ ; ſic autem volui ob illas cauſas quæ in earum chartarum reſtitutione afferentur, nunc facile intelliguntur : deniqde confectio Epitomes Diſſertationum illarum, a me neque ita multo poſt, ad Academiam miſsæ, quæ cum ejus Commentariis (1) edita eſt.

Quoniam vero in ea ad Zanottum Epiſtola qua illam ſum quanta maxima potui, brevitate Epitomen complexus, eſſe cauſas ſcripſi, cur Diſſertationum editio mihi neceſſario eſſet in longinquum tempus differenda ; quo in judicio utinam deceptus eſſem ; hic fuſius exponendum eſt, quæ mihi, & quot difficultates obſtiterint non tam in re perficienda, quam in conſilio capiendo qua eam potiſſimum ratione perficerem. Chartæ fuerant ad me allatæ maximo numero, quædam inter ſe nexæ, fere omnes ſolutæ, aliæ ad aliam rem attinentes, pleræque autem ita ſcriptæ, ut ſibi ſcribere occupati homines, memoriæ dumtaxat cauſa, ſolent, imperfectis ſententiis, interdum & verbis, nec ſine compendiariis notis ; nonnullæ etiam, diffugiente atramento, vix legendæ. Perlegi omnes labore improbo, quem tamen nota Valſalvæ manus & conſuetudo ſublevabat. Inter legendum, quæ prorſus inutiles viderentur, ſepoſui : cæteras, quæcunque aliquid haberent quod ad Diſſertationes, ad Tractatum, aut denique ad Anatomen quoquo modo attinere poſſet, certo ſingulas adſcripto numero mihi notatas, iterum ac ſæpius relegi donec quaſi indice ſeorſum confecto, quid in qua charta extaret, facile, cum vellem, & ſcire liceret, & reperire. Feci idem in Virorum Doctorum litteris, quæ erant plurimæ, ad Valſalvam ſcriptis, ſiquam vidi ad ejus aut obſervationes, aut vitam illuſtrandam ex parte aliqua eſſe utilem. Sic tandem etſi plurima inveni quæ ad eorum diſſectiones pertinent, qui ex vulneribus, aut ex certis aliis quibuſve morbis interierunt complures etiam obſervationes, & quædam experimenta, longe alio, magnam partem, quam quo voluiſſem, ſpectantia, quarum rerum omnium eæ quæ nunc uſum nullum habuerunt (nam multæ habuerunt) ut alias habeant, ſi vita ſuppetet, operam dabo ; tamen quæ potiſſimum quærebam, ea multo fuerunt mea ſpe, & voluntate pauciora.

Illud magis miratus ſum, vel quædam deſuiſſe quæ olim mihi, atque aliis palam Valſalva dixerat ab ſe animadverſa, aut obſervata, ſive, quod malim credere, multa chartis committere prætermiſerat, ſive etiam interciderunt ; ut certe exemplum intercidit ejus Tractatus ampliſſimis oris conſpicuum, in quibus videlicet poſſet, ſiquid addendum, detrahendum, aut mutandum videretur, commode adnotare. Cujus ego exempli hoc magis recordor, quod cum duo, haud amplius, ad eum modum facienda curaſſet, ſibi alterum ſervavit, mihi alterum continuo dedit ; rogans ut idem in meo facerem, quod in ſuo ipſe eſſet facturus. Tale igitur ejus exemplum ut ſumma conquiri diligentia juberet, etiam atque etiam petere non deſtiti ab illius ſororis filio Fauſto Stagnio J. C. & Canonico Forocornelienſi, ſpectata in avunculum pietate Viro, qui & chartas ejus omnes magna eum cura ipſe collegit, & quæcunque de ejus vita minus cognita mihi erant, miſſo bene longo, italice ſcripto, commentario me docuit. Cum in Stagnio, ea de re viciſſim a me admonito, non minor eſset, quam in me, cupiditas exempli illius inveniendi : cum ſæpius non per alios modo, ſed per ſe ipſe quæſiviſſet, neque ullum pene quærendi finem feciſſet ; illud nuſquam extitit. Qua de re hic commemorandum putavi, ut ſi unquam forte aliunde id prodeat, facile ab omnibus agnoſcatur, meuſque hic labor, Valſalvæ voluntate cognita, felicius ab aliquo ſuppleatur.

Nam voluiſse Valſalvam, ut in Diſſertationibus, ita etiam in Tractatu quædam mutare, alia tueri, vel ex ſchedis ipſius conſtat ; quæ vero potiſſimum, & qua ratione, vix uſquam omnino conſtat. Una enim, haud amplius, charta eſt, in qua diſſer-

(1) Vid. Opuſcula.

Digitized by Google

diserte adnotaverat, quid & quemadmodum in prioribus duntaxat paginis Dissertationis tertiæ sibi mutandum constituisset. Itaque magnum mihi onus laboris, atque officii suscipiendum putavi, ut quibus de rebus in ejus Tractatu, & Dissertationibus verba fiunt, iis de rebus primum quid alii, & ante, & post ipsum in eandem, aut in contrariam sententiam prodidissent, deinde quid ipse, quid ego observassemus, attento animo, & libero ab omni partium studio considerarem, ut sic denique conjicerem, quæ ipse sibi, si viveret; atque utinam viveret; tuenda, quæ mutanda posset existimare. Quæ omnia etsi neque brevis temporis fuerint, neque modicæ difficultatis; nihil tamen difficilius mihi accidisse, fateor, quam aut postrema illa conjicere, aut cum conjecissem; quod tandem mihi consilium capiendum, quidve faciendum, constituere. Nam cum alia essent, eaque plurima, quæ jure mihi laudari, & defendi posse; alia vero quæ aliquanto secus se habere viderentur: num propterea constare satis, crederem, illa eadem futura fuisse quæ Valsalva servaret; hæc eadem quæ deleret? Quid? si me aliquid fugeret; multa autem posse, confiteor. Quid? si observationes, quantumvis sæpe a me iteratæ, non ad eundem semper modum respondérent: id quod in aliis, neque ita raro, accidisse animadverti. Nam mihi nihilosecius tantum sumerem, ut quasi ipse Valsalva essem, quasi omnia quæ ille, perspecta haberem, quasi aliter atque a me, res nunquam ab eo potuissent, aut ab aliis possent inveniri; in ejus Scriptis non omnia conservarem; sed alia mutarem, alia tollerem?

Contra ea, hæ subibant animum cogitationes. Quid? si ut mihi, ita forte aliis & videatur, & deprehendatur in his rebus. Quid? si has ipsas Valsalva fuerat mutaturus. Num his conservatis, officio ipsi debito? num veri studio? num publicæ utilitati satisfaciam? Simul veniebat in mentem, quam ipse fuisset veri diligens, ut verum semper consuesset rebus aliis omnibus anteponere, quantum esset veritus quidquam quoque modo confirmare, quod, non dico num verum esset, dubitaret, sed tantummodo non per se sciret. Cujus animi specimen non unum dedit; sed hoc maxime, neque a me, neque hoc loco prætereundum. Censor fuerat ab Academia anno CIↃ IↃCC VI. constitutus cum Viro Clarissimo Joanne Antonio Stancario, ut mea Prima *Adversaria* Anatomica uterque ante editionem, quæ certis de causis differri non poterat, examinarent, &, si videretur, approbarent. Cum Eustachius Manfredius, in cujus acerbo obitu magnam nuper Italia, non modo Academia, fecit jacturam, huic præesset, eumque Censores convenissent; hæc Valsalvæ sententia fuit: se quidem non dubitare, quin meas observationes qua consuessem, diligentia, & fide in perfectis Adversariis scripsissem; sed illud tamen non intelligere, qui sibi eas liceret approbatione sua confirmare, nisi ante, singulas per anatomen, ad Partes ipsas exegisset, veraque esse, comperisset; quæ res nec modici esset temporis, nec exigui laboris. Mirari hic Stancarius, obstupescere Manfredius. Ille vero sic sum, inquit, ut videtis. Morgagnum diligo; sed verum magis. Itaque mihi stat non approbare, nisi spatium detur per dissectiones recognoscendi. Quid verbis opus est? Vix cessit, vix dedit tandem permotus manus postquam ab utroque factus est certior, non illud a Censoribus leges Academiæ postulare; sed hoc tantum, quod ultro fatebatur, non videri sibi quidquam esse in eo libro quod aut falsum esse, sciret, aut alienum ab Academiæ institutis. Atque hoc Valsalvæ factum, Stancarii, ut oportuit, & Manfredii manu testatum, sicut eo tempore prope subiratus, juvenili animo, tacite quidem, sed non leviissime tuli; ita nunc senex & probo, & laudibus effero: mentem enim unice ostendit Viri, nihil, si opus fuisset, amicitiæ daturi, sed huic verum, ut par est, constantissime antelaturi.

Cum hæc ita essent, dinque animum modo in hanc, modo in illam partem distraherent; vix tandem me ab ea ancipiti cogitandi cura expedivi ea ratione ut patti utrique satisfacerem; sed magnum ipse suscíperem scribendi onus: quod, etsi me annos jam multos pressit, leve tamen existimabo, si ab æquis & intelligentibus Viris

ris meum hoc consilium non improbatum esse, cognovero. Est autem hujusmodi.

Primo loco *Tractatum de Aure Humana* non modo iisdem archetypis Tabulis; quibus duæ posteriores editiones carnerunt; ornatum; sed talem omnino damus, qualis a Valsalva editus fuerat; nisi quod voculas aliquas, salva sententia, interdum mutavimus, quæ contra ejus voluntatem, nobis longo usu hac in parte probe cognitam, irrepserant, quasque adeo per se ipse fuerat mutaturus. Sic etiam in contextum accepimus adnotatiunculam quandam ad num. VIII. Cap. V. jam tunc postquam hoc caput a typographis descriptum fuerat, sub asteriſco, quando aliter non poterat, ipso jubente, in ora additam. Sic denique siquid præterea ab iisdem operis manifesto peccatum fuerat, emendare non omisimus.

Tractatui posthumas *Dissertationes* subjecimus. In his sententiam nunquam, at verba sæpius, nec raro verborum quoque circuitum ea ratione commutavimus, quam vel olim Valsalvæ ipsi maxime placere in conficiendo Tractatu, cognoveramus (1); perspicuam magis, quam cultam, orationem, nec tamen omnino incultam, probanti. Nihil addidimus, nihil prætermisimus; si quiddam excipias sub finem tertiæ Dissertationis, idque non de nostra tantum, sed etiam de utriusque Amicorum, hominum doctissimorum, sententia: erat enim cogitatum inexplicabile, &, quod consequitur, plane inutile. Contra, in Dissertatione eadem quosdam locos ita restituimus, quemadmodum ipsum cognovimus ex charta de qua ante dictum est, per se facere decrevisse. Insuper unamquamque Dissertationem in plures quasi articulos distribuimus, singulisque articulis & suum numerum præscripsimus, & ad oras summulam adscripsimus eorum quæ in quoque articulo traduntur: non quod harum rerum in ejus chartis ulla nobis inventa sit; sed quod in Tractatu illas omnes voluisse, memineramus; ut non videatur in Dissertationum editione fuisse omissurus.

Denique cura accessit conficiendarum Tabularum, earumque Explicationum. Reliquerat ille quidem Figuras novem, omnes ad Dissertationem primam attinentes; sed aliam fere in alia charta, non collectas in Tabulas, non adscriptis litteris distinctas, non adjectis Explicationibus illustratas. In uno dumtaxat folio quid in illarum quibusdam pingendum curasset, presse & continuata oratione, quasi memoriæ causa, adnotaverat. Nos igitur in tres, quas Dissertationibus interjectas edimus, novas Tabulas distribuimus, numeris, & litteris distinximus, hisque respondentibus Explicationibus ad ejus mentem declaravimus. Atque ut ille ab eodem quo ad Tractatus Figuras usus fuerat, egregio Pictore Angelo Michaele Cavazzono pari & hujus, & sua diligentia atque industria has quoque delineandas curaverat; ita & nos ut ab eodem a quo primæ, laudato Scalptore Francisco M. Francia in ære insculperentur anno CIↃ IↃↃ XXV. curavimus, nullis neque sumptibus, neque precibus, neque monitis parcentes, ut scalptura omni ex parte, summaque cum fide picturam sequeretur: cujus certe voti, excepto uno aut altero, de quo in Explicationibus admonemus, loco, compotes fuimus.

Hactenus quo consilio satis a nobis factum sit primis illis rationibus, expositum est: nunc, quomodo alteris, indicabimus. Duodeviginti Epistolas scripsimus, quarum undecim ad Tractatum attinent; reliquæ ad Dissertationes. In utrasque autem conjecimus tum quidquid ad singula ex ordine capita, & rerum argumenta, in Valsalvæ chartis spectare, deprehendimus, quod bono in lumine collocavimus; tum quidquid ex anatomicorum inventorum historia ad easdem res pertinere, intellexiimus; tum quidquid de his iisdem rebus aut ad eundem modum, aut secus ab Doctissimis Viris non modo olim, sed ad hæc usque ultima tempora scriptum esse, cognovimus. His omnibus nostras, quales eæ cumque sunt, non paucas certe, neque indiligenter habitas, observationes, & animadversiones adjecimus. Secundum has, ubicunque id facere, & quatenus facere licitum fuit, simul verum, simul Valsalvam defendimus. Siquando autem credidimus, utrumque simul defendi non posse; idem

(1) Vid. ejusd. Tractat. cap. 4. num. 8.

Digitized by Google

idem quod ipſe ibi facturus fuiſſet, ingenue eſt a nobis factum, ut Valſalva excuſato, & quoad potuimus, laudato, verum tueremur.

Has autem Epiſtolas etſi una cum Valſalvæ Scriptis emittimus; non omnibus tamen ſcriptas volumus. Sunt enim ita cum iis conjunctæ, ut facile a Bibliopola ſejungi queant. Itaque ſiqui eam de Valſalva opinionem habent, quam ſi ullo de homine habere liceret, de ipſo in primis habendam faterer, nulla ut defenſione egere, nulli ut ſuſpicioni erroris obnoxium credant; ii poterunt in ejus Scriptis acquieſcere, ſecuri cæterorum. Qui autem illa eo ſunt animo in manus ſumpturi, ut ſiquid forte minus placeat, id reprehendant; hos vero etiam atque etiam rogatos volo, ut ſe tantiſper ab eo judicio ſuſtineant, dum illi Valſalvæ loco reſpondentem in meis Epiſtolis locum perlegant. Sæpius enim aut ita defenſum, aut ita excuſatum invenient, ut aut nulla reprehenſione opus eſſe, intelligant, aut ſi qua forte; ea certe quæ cum aliqua tamen ſit laudatione conjuncta. Sicubi autem viderint, vero cogente, me ire in alia omnia; non continuo Valſalvam arguant; ſed ſic exiſtiment potius, idem illum facturum fuiſſe, ſi diutius vixiſſet, ſi ſpatio dato, plura obſervare, plura animadvertere, plura etiam legere potuiſſet; nam quamvis magnus illa tempeſtate Anatomicus fuerit; non ei tamen licebat quid a poſteris inveniendum eſſet, divinare. Simul eorum quæ ſupra dicta ſunt, veniat in mentem, fuiſſe ipſi in animo mutare quædam in Scriptis ſuis, fortaſſe illos eoſdem locos. Ad extremum, quidquid diſpliceat; me potius, & conſilium meum; non animum; reprehendant. Siquid autem forte a me felicius alicubi aut obſervatum, aut animadverſum, aut conſtitutum eſſe, crediderint; non mihi illud, ſed Valſalvæ ipſi acceptum referant: qui niſi me olim adoleſcentulum ad hæc ſtudia inſtituiſſet, niſi quærendo præviſet, obſervando præluxiſſet; nihil a me horum ſuſceptum eſſet.

DE GENERE MORTIS CLEOPATRÆ EPISTOLÆ DUÆ.

EPISTOLA I.

ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO VIRO

D. D. JOANNI MARIÆ LANCISIO

Ab intimo Cubiculo Pont. Max. & Archiatrorum Comiti Meritiſſimo

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

QUod ſæpe alias ab Deo Opt. Max. ſum precatus, ut Sanctiſſimo Pontifici tempora aliquando feliciora concederet, idem ſuperioribus diebus etiam, atque etiam optavi, cum Michaelis Mercati Volumen abs Te mihi redditum eſt. Nam quid Ipſe in ſecundo rerum omnium curſu ad bonarum artium incrementum, earumque cultorum commoda non conferret, qui in difficillimis, graviſſimiſque temporibus tantum conferat? Vix enim Euſtachii Tabulis exoptatiſſimis Anatomicos donaverat, cum de vulganda Mercati Metallotheca conſilium cepit non minus ab omnibus rerum naturæ ſtudioſis deſiderata. Quod etſi per ſe donum erat eximium, mirum tamen in modum auxit, cum a Te, Vir Doctiſſime, recenſeri, adnotationibus illuſtrari, ſupplementis inſtrui, cum elegantiſſimis typis deſcribi, cum & amiſſas, & novas etiam Tabulas a peritiſſimis Artificibus addi juſſit. Quas inter, ut plures ſunt, quibus Statuarii, Pictoreſque juvari poſſunt, ſic aliqua etiam eſt, quæ ab eruditis Hiſtoriæ cultoribus haud inutiliter aſpicietur, illudque cum primis Cleopatræ morientis ſimulacrum antiquo opere, & ſummo artificio perfectum, quod nominatim juſſu Principis, earum quoque artium, totiuſque eruditionis Patroni, cæteris eſſe interjectum mones. In ea enim ſtatua Aſpis eſt, non pectori admota (qua in re Pictores ſcilicet noſtri peccant, hiſtoriæ veritatem, ut Petrus Victorius animadvertit, deſerentes) ſed ita brachio alligata, ut ipſius vinculi conſtrictione irritari, & ad mordendum provocari videatur. Accedit in ſimulacro is corporis habitus, ut non tam morientem, quam placide dormientem ſpectare credas; quod pulchre nimirum cum iis conſentit, quæ a Plutarcho in Antonio traduntur: aſpidis morſum grato ſomno inducto ſine ullo dolore interimere; idque Cleopatram, facto in capite damnatis periculo, cognoviſſe, illudque propterea mortis genus potiſſimum elegiſſe. Quinimo Florus, ipſam *admotis ad venas ſerpentibus, ſic morte quaſi ſomno ſolutam* ſcribit. Neque alio habitu illam quoque Cleopatræ imaginem fuiſſe, crediderim, quam in Auguſti Triumpho geſtari Propertius vidit: *Brachia*, inquit, *ſpectavi ſacris* (Beroaldus autem legebat *fixis*) *admorſa colubris*,

Et trahere occultum membra ſoporis iter.

Non ignoro, quod Franciſcus Redius de ima-

Digitized by Google

imagine in triumpho geſtata, id de iſto quoque ſimulacro eos poſſe dicere, qui, ut Tu refers, non aſpidis ictu, ſed epoto veneno Reginam mortuam eſſe, contenderent, nimirum aſpidem a Sculptoribus additam, quod nulla alia ratione ſignificare melius poſſent, quo illa ſe mortis genere interemiſſet. Sed præterquam quod nullus antiqui Scriptoris locus mihi in præſentia ſuccurrit, quo illi ſuam de epoto veneno ſententiam poſſint tueri, & ſerpentis præſertim, cujus venenum *non guſtu, ſed in vulnere nocere*, vel ipſe olim Celſus docuerat; certe adverſatur iis Plutarchus tum alia ſcribens, quæ prætermitto, tum illud adjiciens: *brachium Cleopatræ ajunt duas notas habuiſſe leviter impreſſas, & humidas;* neque video, ſi locus ictus non apparuiſſet, quomodo Auguſtus, ut Dion, & Suetonius tradunt, admovere Pſyllos potuiſſet, qui *venenum, ac virus exſugerent*. Itaque Redius non hanc ſententiam, ſed aliam quandam ſecutus eſt Auctoris libri de Theriaca ad Piſonem, & ejus, quem ſupra memoravimus, Dionis narrationibus conſentientem: brachium ipſam ſibi momordiſſe, aut pupugiſſe, & venenum vulneri inſtillaſſe. Verum quas affert hujus ſententiæ rationes non ita difficile ſolvi poſſunt. Nam quod primum ait, unius aſpidis morſu non potuiſſe Cleopatram ſecundum ea, quæ ipſe in viperis expertus eſt, duas primum ancillas, tum poſtea ſe quoque ipſam interficere; ut mittam, ex Plutarchi narratione apparere, Reginam primum, deinde ancillas, harum quoque alteram non ita celeriter occubuiſſe, illud quæram modo, qua illi ratione unam, eadem cur plures aſpides habere non licuerit? Addit, quod Plutarchus idem fatetur, aſpidem, ipſam ab nemine conſpectam eſſe. Sed omittit quod ille continuo ſubjicit: *tractus dumtaxat quoſdam in littore, qua domus ad mare ſpectabat, eſſe viſos*, indicio ſerpentes poſt ictus illatos, ab Ancillis projectos, ſe ſe illac ſubduxiſſe. Noviſſime pavidum natura fœminarum omnium animum memorat, ut ſerpentes ſine incredibili horrore non modo tractare, ſed ne aſpicere, quidem poſſint. Verum ſive ob eam, quæ, ut ab Ælíano ſcriptum eſt, Egyptiis erat cum aſpidibus familiaritatem, habuit Cleopatra, cur minus expaveſceret, ſive potius atroci alioquin animo fœminæ deſperatione accedente, non magis ſerpentes horruit, quam paulo ante ferrum, quod ipſa ſibi, dum caperetur, intentaverat, horruiſſet; profecto ob hunc ipſum impavidum animum ab æquali fere Hiſtorico Vellejo commendata eſt, ubi *illatæ*, inquit, *aſpide, morſu ejus, ſane expers muliebris metus, ſpiritum reddidit*. Narrationibus autem Dionis, & Auctoris libri de Theriaca, eorumque omnium, qui aſpidis morſum in dubium traxere, teſtimonium oppono, quo neminem, quod ſciam, eſſe adhuc uſum, plurimum miror; nam Scriptoris eſt & omnium manibus tritiſſimi, & Auguſto perfamiliaris, & qui illud protulit iisdem pene diebus, quibus Cleopatra mortua eſt, ut nec verum ignoraviſſe, neque Sculptorum licentiæ, aut aliorum ſcriptorum auctoritati ſervire potuiſſe credendus ſit. Is ergo eſt Horatius Flaccus, qui in eo ipſo Carmine (1) quod ut ejus initium apertiſſime indicat, ſtatim ab allato de iis rebus nuncio lætabundus ſcripſit, hæc primus omnium de morte Cleopatræ poſteris tradidit:

Quæ generoſius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit enſem, nec latentes
Claſſe cita reparavit oras;
Auſa & jacentem viſere Regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior &c.

Neminis ergo narrationes, multoque minus dubitationes, & conjecturas ejuſmodi teſtimonio, quod perantiqua etiam ſimulacra, iſtudque in primis Vaticanum confirmant, facile præferendas eſſe, crediderim. Sed ut tandem aliquando eo redeam, unde me iſta ipſa ſtatua abduxerat; plurimum omnes, quicunque bonas artes colimus, Pontificis Optimi liberalitati, & Munificentiæ, multumque etiam Tibi, qui hæc nobis munera tum conſiliis Tuis impetras, tum doctrina, atque eruditione adauges, Illuſtriſſime Lanciſi, debemus; ego

(1) Carmin. l. 1. Ode 37.

ego autem præ cæteris, qui ut aliis pridem ornamentis, ita ut hujus etiam Voluminis Dono a Maximo omnium Principe honestarer, curavisti. Ad cujus ego sanctissimos Pedes provolutus, dum Ipsi, atque adeo nobis, & Litteris fausta omnia precor, illud prætermittere nullo pacto possum, ut Tu, qui Ejus valetudinem servas, recte, & diutissime valeas.

D. Patavii XVI. Kal. Majas MDCC XVII.

EPISTOLA II.

Ad Eundem.

CUm Tuæ mihi Litteræ gratæ, jucundæque semper fuerint, tum hæ, quas Tibure nuper scripsisti, jucundissimæ fuerunt, ut quæ Te convaluisse, non nunciarunt modo, sed & certissime comprobarunt. In his enim docte, ut soles, copioseque ostendis, quid Tibi de veneni genere, quo sibi Cleopatra mortem conscivit, videatur. Qua in re etsi longe aliter, atque ego, sentis; id tamen mihi ingratum esse non potest, primum quod a Te est; deinde quod veri studio dissentis; novissime quod tuam ita sententiam proponis, ut mihi meæ retinendæ locum relinquas: quanquam neque eo animo scripsi, ut vehementer tuerer, & id, quod Tibi, Vir Summe, non probari intelligo, nonnisi remisse, & dubitanter tueri possum.

Aspidis morsu periisse Reginam, scripsi, non quod ignorarem, id Dioni quidem, & Plutarcho incertum videri; sed quod in Romana Historia plus latinis; quam Græcis; & in re antiqua plus æqualibus, quam posteris credendum existimavi. At enim Horatius, qui, ut æqualis, Poeta tamen esset, veri tantum similitudinem summa cum libertate est secutus. Qui credam, quando in reliquis, quæ de Cleopatra eodem loco tradit, summa cum fide verum sequitur? Quid quod Vellejus & fere æqualis, & historicus idem confirmat? At Suetonius pro certo non tradit. Fateor. Sed Vellejo posterior. Sed eo teste non de morsu aspidis, sed de Psyllis admotis, non ad probandum, sed ad conficiendum sum usus: ut neque ad illud probandum, sed ad indicium, quale idcirco est, dissimulatum a Redio, commemorandum, Plutarchi locum adduxi de tractibus in littore animadversis. Horatio igitur, & Vellejo testibus potissimum usus sum. His Florum, & statuas vetustissimas addidi. Quibus adductus, si non certum, at minus sane incertum esse credidi, Cleopatram morsu aspidis, quam alia ratione extinctam esse.

Id vero est, quod Tibi, Vir Amplissime, ne verisimile quidem videtur. Nam plures, inquis, aspides præsto fuissent, necesse foret. Ego vero, etsi ei dubitationi in priore Epistola etiam alia videor ratione satisfeciisse, hic quæram, cujusnam experimentis constet, aspidem uno morsu omne exhaurire venenum oportere? Redius enim, qui hæc in viperis expertus est, contingere interdum vidit, ut non nisi tertio, alias non nisi quarto, aut sexto morsu venenum omne exprimeretur. At enim a moribundis Ancillis occultari aspides non potuissent. A moribundis fateor; a morsu statim, quid prohibuit? Nam argumentis quidem a tenero, mollique fœminarum animo ductis jam pridem respondi. Quod autem addis: ictos a serpentibus neque statim mori, neque sine indiciis veneni, & in saucia parte, & in toto corpore manifestis; Aetius sane aliud aspidis genus intra horas ad summum tres, aliud præsentissima morte conficere tradit; maculas autem, vel alia istiusmodi inter signa ejus veneni, quæ alioqui diligenter enumerat, minime ponit. Sed neque hæc ponit Actuarius. Ponit vero, *Aspidis morsum* esse *acus punctura similem, omnino exiguum sine tumore;* quod quidem signum, atque adeo istam cum *punctura acus* simi-

litu-

Digitized by Google

litudinem ipſe olim Dioſcorides, quem Cleopatræ familiarem fuiſſe accepimus; litteris mandavit, Paulus deinde Ægineta, Avicennas, & quoſcunque de ictu aſpidis legiſſe memini, ad unum omnes inculcavere, præcipue autem idem Aetius, cujus in libris, quod Tu minime ignoras, plurimæ nobis Veterum nobilium Medicorum, eorumque etiam, quorum ſcripta interciderunt, obſervationes ſervatæ ſunt. Hic igitur *in iis, quos aſpides momorderunt*, non illud modo tradidit, *vulnera in demorſo loco, veluti ab acu puncta inveniri*; ſed hoc præterea ſubjecit, *bina quidem ex maſculi morſu, a quibus nihil effluit, niſi violentum animal ſit, quod morſum inſixit*: quæ omnia pulchre nimirum conveniunt cum duabus illis notis, quas Plutarchus memorat, exilibus videlicet, & ſubobſcuris; jam enim juvat Tuam potius, & Eruditiſſimi Aſſalti, quam Leonardi Aretini verſionem ſequi, præſertim quando græca Plutarchi exemplaria ad manum non habeo. Cæterum eundem Aretinum animadverto, unam Charmium inventam eſſe vivam, dicere: cui quare Pſylli non ſint admoti, & ſi ſint admoti, cur id hiſtorici litteris mandare neglexerint, etſi non difficile poteſt intelligi; mihi tamen ſatis eſt, ex Suetonii, & Dionis teſtimonio conſtare, Cleopatræ quidem fuiſſe Pſyllos admotos; hinc enim conſequitur, locum ictus apparuiſſe. Dabis ergo veniam, Humaniſſime Lanciſi, quod Cleopatram morſu aſpidis occiſam eſſe, non modo a veri ſimilitudine non alienum, ſed veriſimilius adhuc cenſeam. Nam quod potius veneno quodam præſentiſſimo deguſtato mortem obierit, ut Tu erudite, ingenioſeque adſtruis, tute ipſe confiteris, nullo veteris ſcriptoris loco confirmari facile poſſe, quando Plutarchi verba producis, quæ de veneno inflictum in vulnus inſtillando explicari æque, ne dicam credibilius, poſſunt, cum id in novacula geſtatum fuerit, & cum præterea apud Auctorem libri de Theriaca, & apud Dionem hujus generis venenum a Cleopatra ſervatum eſſe inveniamus; ejus autem generis, cujus Tu exiſtimas, non inveniamus. At vero epoti veneni narcotici, & in Regina, & in Ancillis indicia fuerunt. Non nego. Sed Tu viciſſim pro tua eximia eruditione, & candore non negabis, iſta ipſa indicia aſpidis etiam morſum conſequi, ut non modo Plutarchus, ſed celeberrimi quique, de quibus ſupra dictum eſt, Medici, in primiſque Aetius, luculentiſſime docuere.

Cum ergo ambigua ſigna habeamus, cur ab epoto a Cleopatra veneno, de quo apud Veteres Auctores nihil habemus, ea derivabimus; ab aſpidis autem morſu, quem contra tot habemus non modo memorantes, ut dubium, ſed affirmantes, ut certum, antiquos Scriptores, non derivabimus?

Hæc habui, Vir Doctiſſime, quæ ſtatim reſcriberem, cum & multis occupationibus diſtinerer, & corpore languerem, non ut ſententiam tuerer meam, multoque minus, ut Tuæ adverſarer, ſed ne nihil viderer reſpondiſſe. Meæ enim ſententiæ arbitrium tuum eſto. Tua certe magno ſemper apud me in pretio erit; nam quod argumentis utcunque opponerem Tuis, invenire fortaſſe potui; quod auctoritati opponam Tuæ, quæ cum apud omnes, tum vero apud me ſumma eſt, atque ampliſſima, invenire profecto non poſſum. Vale.

Patavii IV. Nonas Junii MDCCXVII.

Ad Epiſtolas haſce duas plura alia nuper addita ſunt Epiſtola Anatomico-Medica LIX. ab artic. 37. ad finem uſque.

DE

DE ORDINARIO FRONTINI CONSULATU EPISTOLÆ DUÆ.

EPISTOLA L

JO. BAPTISTA MORGAGNUS

DOCTISSIMO ORNATISSIMOQUE VIRO

JOANNI POLENO

Rei Mathematicæ professori Celeberrimo

S. P. D.

ETsi tuæ me litteræ invenerunt nihil minus, quam Fastos cogitantem; morem tamen gessi: Falloppium, & Eustachium deposui; Norisium, & Pagium in manus sumpsi. Ille in Epistola Consulari (1), ubi quærit, anno *Æræ Christ.* 100. Fronto, an Frontinus Trajani III. Consulis Collega fuerit ordinarius, cum plura quæ infra memorabuntur, erudite, ut solet, in medium affert, cum vero ut ad Frontinum potius inclinem, duabus efficit rationibus. Quarum altera a Fastorum auctoritate, altera autem est a veterum Scriptorum testimoniis petita. Primum videlicet ut fatetur, Prosperi Fastos, sed omnium vitiosissimos, itemque Cassiodori, sed Prosperum describentis, habere *Frontonem*; ita ostendit, Fastos Anonymi apud Cuspinianum, qui omnium quidem procul dubio sunt optimi, habere *Frontinum*. Deinde etsi paullo ante agnoverat, Prosperi suffragatorem videri Dionem (2), eum de Frontone Consule, rerum potiente Nerva, mentionem faciat; propterea quia is quo de quærimus, Consul, Plinio in Panegyrico (3) auctore, *nuper consulatum alterum gesserat* a Nerva *datum*; vicissim tamen producit qui vel clarius illi Cuspiniani Anonymo suffragetur, Martialem scilicet; de cujus quidem testimonii vi mox videbimus.

Pagius autem in *Crit. Baron.* (4) & Frontonem ipse retinet, & docet, *Norisium nuper ad se scripsisse, M. Julium Frontonem probabilius Collegam Trajani poni*. Vir omnino fuit Norisius non modo dignitate, atque eruditione, verum etiam moribus eminentissimus, quod intelligere plane licet vel ex ista ingenua mutatione sententiæ. Attamen quod ne ipse quidem fecit, ut majorem sui, quam veri rationem haberet, non puto ab reliquis esse faciendum; sed novæ ipsius sententiæ rationes eo animo esse excutiendas, ut

(1) pag. 59. & seq. (2) in Nerva. (3) cap. 61.
(4) Tom. I. ad Ann. Chr. 100. n. 1.

Digitized by Google

ut si firmæ sint, hæc probetur; sin contra, prior illa retineatur. Excutiendi autem labor ipse quidem meus; firmæ vero, an infirmæ sint, tuum, Vir Doctissime, erit judicium, præsertim quando Scriptores nobilissimi Pagius (1), & Tillemontius (2) firmas jam videntur existimasse.

Principio illud est animadvertendum, priôris sententiæ rationem primam non modo a Norisio, ut par erat, infirmatam non esse, sed ne memoratam quidem; credo, quia facilius confirmari poterat, quam infirmari. Nam ut in Fastis Idatianis (quod Norisius (3) minime ignoravit) scriptum legimus: *Trajano III. & Pontino*; ita proclive admodum est aliis ex Fastis suspicari, istud *Pontini* nomen forte esse mendosum, ac legendum esse *Frontino*. Id enim scripturæ vitium an facilius in *Frontino*, quam in *Frontone* scribendo oriri potuerit, etsi Tillemontius (4) in medio relinquit, haud tamen difficile est existimare.

Sed quam Norisius rationem non attigit, hanc, si tibi videtur, in præsentia seponamus: quas vero ad Pagium scripsit, eas omnes ex ordine attendamus. *Dio*, inquit, *in Nerva Frontonem tunc consulem nominat*. Non modo hoc Norisius cum scripsit Epistolam Consularem (5), ut supra ostendimus, non ignorabat, sed ne illud quidem, Cuspinianum vero *Frontinum* in Dione legendum putasse. Et sane in Italorum nominibus persæpe, & facile a Græcis Auctoribus, vel certe librariis peccatum esse, cum alii animadverterunt; tum præsertim Robortellus (6) admonuit, Plutarchum in Poplicola Λαίρτιν (Κλάυδιον potius, vel Λάυρον ut notavit Sigonius (7)) scripsisse pro *Lartem*; in Cicerone autem Clodiam illam *Quadrantariam* vocasse Κυαδραντίαν: a Dionysio (8) quoque A. Verginium appellatum esse Μουτάριον quem Latini dicebant *Cœlimontanum*. Quid multis opus est? In ipsis de quibus loquimur, *Frontini*, & *Frontonis* nominibus permutandis lapsos esse librarios Æliani Tactica describentes, facile est ex Sixti Arcerii in hæc Notis (9) intelligere. Cum enim primum, idque recte, scripsissent παρὰ Φροντίνῳ, alio deinde in loco perperam scripsere καὶ Φρόντωνι: quos ille cum reprehendere debuisset, in alium se errorem abripere passus est, ut unum atque eundem esse Virum, crederet, quem Ælianus, Martialis, Dio modo Frontinum, alias Frontonem vocassent. Sed facilior nimirum fuit Arcerius in iis quos distinguere oportebat, confundendis, velut ibidem cum illum quoque Frontinum, qui in Galeni libro ultimo Remediorum κατὰ τόπους semel, atque iterum nominatur, eundem ac nostrum esse, censuit, haud animadvertens, Heram Medicum, cujus verba de Frontino ischiadico profert Galenus (10), *natum esse ante Andromachum*, quod Galenus supra in VI. libro (11) testatur: qui quidem Andromachus, si dubites, ille senior fuerit, *inter Neronis*, ut idem Galenus alibi (12) docet, *Medicos primus*, an ejus filius; id unum præstiterit attendisse, Cornelium quoque Celsum (13) Heræ medicamenta bis memorasse.

Verum nos Frontonem ponamus in Dione quidem esse legendum, & quando Norisius illi hujus testimonio plus ponderis inesse, postea credidit; quale demum sit, videamus. Etsi totus is locus ejusmodi est, ut nonnulla habeat quæ aliter ab aliis intelligi possint; id tamen perspicuum est, Frontonem consulem inter ea memorari, quæ, ut Plinius (14) ad Quadratum scribit, *primis diebus redditæ libertatis* acciderunt, & prius certe, quam Nerva ipse cum Virginio Rufo consul narretur; ut permirum omnino esset, Panvinium in Commentariis in Fastos (15) suis, scripsisse, Frontonem a Dione consulem *anno post occisum Domitianum fuisse referri*, nisi & id, & alia quæ ibidem peccat, facile essent in tanto & Scriptore, & Opere excusanda. De ea re nullum certe verbum apud Dionem, multoque minus quod ille (16) Frontonis Consulatus *ex Kal. Jul.* ince-

(1) Ibid. (2) Hist. des Empereurs & cæt. Tom. II. Trajan. Art. 10. (3) pag. 59.
(4) Tom cit. Not. 8. sur Trajan. (5) pag. 61. (6) De Romanor. Nominib.
(7) De Nominib. Romanor. (8) Antiquit. Romanar. l. 6. (9) ad pag. 93. 94. 98.
(10) lib. cit. c. 2. (11) c. 4. (12) De Antidot. l. 1. c. 1.
(13) De Medicina l. 5. c. 22. 3. & c. 28. 4. (14) l. 9. Epist. 13.
(15) l. 2. ad Ann. U. 850. (16) Panvin. Fast. l. 2, ad Ann. cit.

Digitized by Google

inceperit ejus de quo modo dictum est, anni : qui quidem dies illuxit præterlapso jam medio dominationis Nervæ tempore; non inter hujus initia ; inter quæ initia, video Tillemontium (1) quoque ipsum agnoscere, Frontonem consulem a Dione memorari. Quorsum hæc? inquies. Nondum eo dico, quod velim, Cassiodori *Chronicon*, alioqui, ut dictum est, vitiosissimum, in eo verum esse, quod Domitianum occisum tradit Frontone consule sic, ut hic consulatum sub Nerva quidem potuerit gerere; non tamen a Nerva *datum*. Sed eo dico, ut illud certe alterum intelligatur : qui inter initia dominatus Nervæ consul fuerit, de illo accipienda minus videri, quæ de eo, de quo quærimus, Trajani Collega Plinius pariter in Paneg. (2) indicavit : ita *nuper* consulatum a Nerva datum gessisse, ut *adhuc oculis paulo ante dimissi fasces oberrarent &c.* itemque illa : *modo prætextam exuerat, modo lictores abire jusserat, modo gratulantes amici recesserant :* qui enim convenit *modo*, & *paulo ante*, si interceserat plane triennium?

Et rationem quidem primam satis excussimus petitam ex testimonio Dionis, vel potius (ut verum loquamur) Joannis Xiphilini, qui sæculo XI. in epitomen contraxit Dionem. Nunc alteram videamus. Fronto, inquit, *erat Consul II.* Hoc vero aut demonstrandum, aut non attingendum omnino fuerat. Quantum enim ex sæpius laudato Panegyrico (3) certum est, eum quo de quæritur, Collegam Trajani, *consulatum alterum* antea gessisse; tantum inter omnes liquet, neminem adhuc id ostendere potuisse de Frontone; posse autem omnes de Frontino, & verbis quidem Auctoris, non uno, imo non decem fere post sæculis scribentis, sed illis ipsis temporibus Romæ viventis, scribentisque, Martialis. Nam hic diserte *bis Frontinum consulem*, neque ita pridem fuisse, latissime indicat in eo Libro (4) cujus nonnulla Epigrammata, anno 98. scripta esse, constat; ut hinc Norisius in Epistola Consulari (5) illud quoque alterum erui posse, crediderit, Frontinum Consulem II. fuisse sub Nerva. Verum ego quod, ob alias causas, non sine controversia inferri, ostendique posset, remitto; illud autem quod negari non potest, urgeo: Frontonem bis Consulem fuisse, nullius veteris Auctoris fide probari; Frontinum bis Consulem fuisse, æqualis Scriptoris testimonio præclarissimo demonstrari.

Jam vero tertiam Norisii rationem examinemus. Fronto, inquit, *erat vir togatus, non vero militaris, qualis Frontinus fuit*. Nimirum hic quoque ad Panegyricum Plinii respexit, qui de utroque in hunc annum Collega Trajani verba faciens, sic ipsum alloquitur (6) : Tertii Consulatus decus *bellorum sociis olim, periculorum consortibus, parce tamen tribuebatur, quod tu singularibus viris, ac de te quidem bene ac fortiter præstitisti, sed in toga meritis : utriusque cura, utriusque vigilantia obstrictus es, Cæsar :* itemque infra : (7) *nempe enim hi sunt, quos Senatus cum publicis sumptibus minuendis optimum quemque præficeret, elegit quidem primos*. Ego tamen non video, quid tandem ex his omnibus non conveniat Frontino. Nam quod bellica laude plurimis ante annis floruerat, & Silurum gentem subegerat; num propterea insequentibus, suos inter cives pacis artibus vicissim excellere, & postremis denique annis, cura, ac vigilantia sua bene, ac fortiter de Trajano mereri non potuit in toga? Non opinor, cum Plinius ad Severum (8) scripsit, se in Curiani causa *adhibuisse in consilium duos quos tunc civitas spectatissimos habuit, Corellium, & Frontinum*, & ex eorum sententia judicasse; vel cum ad Arrianum (9), *successisse* se in Auguratu *Julio Frontino, principi viro;* non, inquam, opinor, tunc spectatissimum, & principem virum in sago dixit, sed in toga. Quid verbis opus est? Procuratio Aquarum (10), res *administrata per principes semper civitatis viros*, Officiumne erat, quod non a togato, sed a militari omnino homine gereretur? Non contra vel ipsa Curatorum Tabula (11), a te, Vir Eruditissime, ut tot aliæ in tua ista eximia Frontini editione, & dili-

(1) Tom. & Not. cit. (2) cap. cit. (3) eod. cap. 61. (4) l. 10. Epigr. 58.
(5) pag. 62. (6) cap. 60. (7) cap. 62. (8) l. 5. Epist. 1. (9) lib. 4. Epist. 8.
(10) Vid. Frontin. de Aquæd. Art. 1. (11) Tab. Q. Vid. etiam Not. Polen. ad Art. Frontin. 102.

Digitized by Google

diligenter concinnata, & docte illustrata, inter Curatores fuisse, ostendit, qui Legum peritia, studiisque civilibus principem in civitate locum erant assecuti? Hanc autem Aquarum (1) Procurationem *ad usum, tum ad salubritatem, atque etiam securitatem Urbis pertinentem*, certe Frontinus, utpote sibi a Nerva (2) injunctam, jam fere biennium gesserat sub Imperatore Trajano, eaque fide, ac solicitudine gesserat, qua ex ipsius Commentario intelligitur, ut cum innumeras fraudes (3) vel *per offensas* retexisset, magnoque cum Reipublicæ emolumento sustulisset, videatur, si quis alius, tunc dignus fuisse, ut & a Senatu publicis sumptibus minuendis in primis præficeretur, & cura ac vigilantia sua bene ac fortiter in toga de Trajano meritus diceretur. Certe Trajano tantundem a Frontone tunc præstitum fuisse in toga, non constat.

Quod si istud Plinii elogium Frontino ob eam causam non conveniret, quod olim militari munere functus esset; fortasse ne Frontoni quidem posset ob eandem causam convenire. Neque enim hic, pro quo disputant, Fronto ille est M. Cornelius Fronto, Rhetor nobilissimus, quem haud semel Gellius (4), Capitolinus (5), Xiphilinus (6), nonnunquam etiam Eumenius (7), Macrobius (8), Ausonius (9), Hieronymus (10), aliique laudarunt, ut Catanæus (11), Panvinius (12), atque alii passim existimabant, quorum opinionem ab Norisio (13) & Tillemontio (14) firmissimis argumentis convulsam video. Neque item est Fronto Catius, Orator in Epistolis Plinii (15) laudatus, quem Catanæus (16), & Panvinius (17) eundem ac priorem credebant? Tillemontius (18) autem ne consularem quidem ejusmodi virum, sed celebrem dumtaxat causarum patronum existimat; ego vero non eum certe, quem quærimus, Consulem fuisse, puto propterea quia cum in Senatu pro Mario Prisco causam dixit, eo ipso tempore Consul fuisset, ut ex alia Plinii Epistola ad Arrianum (19) proclive est intelligere, non fuisse tamen, ex Plinii silentio apparet, qui in ea Epistola cum Julium Ferocem, & Cornutum Tertullum ita nominet, ut *Consulis designati* titulum singulorum nomini adjungat, multo minus videtur fuisse in Frontone Catio nominando Consulis titulum præteriturus. Est ergo is pro quo propugnant adversus hominem clarissimum, a Tacito, Plinio, Martiale, Æliano celebratum, ac inter principes civitatis viros per ea tempora nemini ignotum, Frontinum, Fronto quidam, a Plinio in nulla, quod sciam, ex tot Epistolis nominatus, a Martiale autem, & Tacito (nam de Æliano dictum est supra) vel non memoratus; quod vix de summo Viro, & III. ut contendunt, Consule credibile est; vel ita memoratus, ut militarem hominem contra atque ponitur, fuisse, constet. Nam Martialis in Libri I. Epigrammate 56. ad Frontonem scripto, sic ipsum, laudans alloquitur:

Clarum militiæ, Fronto, togæque decus:

quem quidem hunc ipsum esse posse quo de agitur, M. Julium Frontonem, in sæpius laudata Epistola (20) suspicatur Norisius. Cornelius autem Tacitus in I. Histor. (21) hæc scribit: *Exauctorati per eos dies* (Galbæ scilicet extremos) *Tribuni, e prætorio Antonius Taurus, & Antonius Naso: ex urbanis cohortibus Æmylius Pacensis: e vigiliis Julius Fronto:* itemque in proximo Libro (22): *Vinctus* (a Vitellianis) *præfectus castrorum Julius Gratus, tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret, cum fratrem ejus Julium Frontonem tribunum Othoniani sub eodem crimine vinxissent.* Et Raderus (23) quidem, a quo primus de duobus hisce locis producitur, non dubitavit, illum ipsum

(1) Frontin. Art. 1. (2) Ibid. & Art. 102. (3) Art. 76. & alibi.
(4) Noct. Attic. l. 2. c. 26. l. 19. c. 8. & 10. (5) in M Antonin. & in Vero.
(6) Adriano, & in M. Antonino. (7) Paneg. Constantii. c. 14.
(8) Saturnal. l. 5. c. 1. (9) Paneg. c. 14. (10) ad Ann. 163.
(11) in Plin. l. 2. Epist. 11. (12) Comment. in l. 2. Fast. ad A. V. 850. & 853.
(13) Epist. Consul. pag. 59. & seq. (14) Not. VIII. sur. Trajan. (15) l. 6 Epist. ii.
(16) loc. cit. (17) Ibid. ad A. V. 853. (18) in ead. Not. (19) l. 2. Epist. ii.
(20) pag. 61. (21) cap. 20. (22) l. 2. Hist. c. 26.
(23) Comment. in cit. Epigr. Martial.

Digitized by Google

pſum Julium Frontonem, & eum ad quem ſcripſit Martialis, & hunc III. ut putant, Conſulem, unum eundemque fuiſſe,: ſed & Juvenalem in I. Satyra (1) de hoc eodem locutum eſſe, cenſuit: quibus fere omnibus in rebus & præeuntem habuit Calderinum (2), & adſtipulantes Farnabium (3), atque Schrevelium (4). Quid? quod non alium eſſe illum quoque credidit, quem Joſephus libro VII. de Bello Judaico inter Titi Duces, Conſiliarios, Amicos bis memoravit, Frontonem. Verum ego, ut Titi Libertum (ſic enim idem Joſephus altero in loco vocat) ad conſulatum provectum eſſe, animum inducere non poſſum ut credam; ita ſuperiora illa reliqua ſatis eſſe puto, ut intelligatur, iſtum quo de ajunt, Frontonem vel obſcurum apud æquales fere omnes Scriptores fuiſſe, vel in militaribus etiam officiis contra atque urgent, fuiſſe verſatum.

Qua in re oſtendenda eam ob cauſam longior fui, quod quidquid deinde Pagius ait, ad ſe ſcripſiſſe Noriſium, non eo pertinet, ut Frontonem illo præſertim ipſo, quo quærimus, tempore fuiſſe Conſulem, ſed ut togatum fuiſſe virum, non militarem, credamus. *In Lib.* inquit 48. *Digeſt. L.* 5. *De pœnis recitatur reſcriptum Trajani ad Julium Frontonem. Ejus filius fuit Præfectus claſſis ſub Hadriano*, *Gruteri pag.* 573. Ad quæ ne illud quidem dicam, Catanæum (5), qui jam olim verba illa legis animadverterat, ſic legiſſe: *Divus Adrianus Julio Erontoni reſcripſit*, quod ego quoque in nonnullis vidi editionibus, cum aliæ tamen, eæque (ut verum fatear) laudatiores habeant, *Divus Trajanus*. Neque item dicam, cautius Tillemontium (6) facere, qui Julium Frontonem claſſis præfectum, prioris filium non affirmat fuiſſe, ſed tantummodo eſſe potuiſſe. Hæc, inquam, atque alia præterea omittam. Nam quanquam id, quod minime planum faciunt, ultro concederem, Frontonem, de quo ſermo eſt, ſic ſemper in toga floruiſſe, ut nullam unquam militaris officii partem attigiſſet; non tamen propterea ſequeretur, in Frontinum quoque non cadere laudes iſtas, quæ in Plinii Panegyrico illi, de quo quærimus, Conſuli tribuuntur, velut antea probatum eſt.

Quam ob cauſam de illa pariter Inſcriptione apud Gruterum (7), a Tillemontio (8) (ſed tamen poſt Noriſium in Conſulari Epiſtola (9)) animadverſa nihil adjiciam, niſi hoc unum: non apparere ex eo lapide, M. Julium Frontonem IIII. Virum viis curandis fuiſſe anno 103. quod Tillemontius (10) affirmat. Quod enim Trajanus ibi COS. V. ſcribatur, hinc illud tantum effici poteſt, non ante annum 103. Inſcriptionem inciſam eſſe: in quo tamen repugnat adſcripta TRIBUNIC. POTEST. V. quæ annum deſignat 102. vel etiam duos menſes ultimos anni 101. Itaque mirum non eſt, Reineſium legiſſe TRIBUNIC. POTEST. VIII. i. e. A. V. 858. ut in altera Gruteri Editione indicatur, vel potius, ut in Syntagmate (11) illius invenio, TRIB. POT. VIIII. A. V. 855. Veruntamen ut hoc in anno 855. apertiſſimum Typographi errorem omittam; reſpondet enim A. Chr. 102. cum reſpondere debeat A. 105. vel 106., certe ſi exemplari ſtandum eſt, quod emendatum ex Gudii, qui bis contulerat, codice in memorata Gruteri Editione habemus; non poſt numerum V. qui extremum ſiniſtrum occupat marginem, ſed potius ante, cum juſto aliquanto majus intervallum inter POTEST. & V. relinquatur, videtur eſſe ſupplendi locus. Accedit cognomen PARTHICI, quod in hoc etiam lapide adſcribi, non animadvertit Reineſius, mox (12) docens, Trajano haud ante Tribun. Poteſtatem XII. tributum eſſe, in hoc quoque a Fabretto (13) reprehenſus, negante (14), *in ullo vel marmore*, *vel nummo non ſuſpecto titulum* PARTHICI *ante* XIX. *Trib.* (Trajani) *Pot. reperiri*. Quam ego litem hic quidem non faciam meam, ut neque illam alteram, V. Trajani Conſulatum non in 103. (quod Tillemontio, & pleriſque aliis paulo ante negare nolui) ſed

(1) verſ. 12. (2), (3), (4) in id. Martial. Epigr. (5) loc. cit.
(6) Tom. cit. Trajan. Art. 10. (7) pag. 299. [8] Not. 8. ſur. Trajan.
[9] pag. 61. (10) Ibid. [11] Claſſ. II. 80. (12) Ibid.
(13) De Columana Trajan. c. 9. pag. 294. C. (14) Ibid. p. 292. D.

Digitized by Google

ſed in annum, ut Fabrettus [1] contendit, 104. incidiſſe. Hæc eo tantummodo attigi, ut intelligeretur, quænam aut ſuſpiciones in iſtum lapidem, aut dubitationes in iſtum annum poſſint cadere 103. qui illo dicitur indicari; præſertim cum ipſe Tillemontius alio in loco (2) ponat, anno primum 107. Parthici cognomen Trajanum mereri potuiſſe, quod ſibi anno demum 115. magis magiſque confirmavit. Quid? quod idem Tillemontius alibi (3) cenſuit, ad annum uſque 111. iſtius lapidis tempus poſſe produci. Et mihi quidem omnia, quæ hic memoravimus, reputanti ſic omnino viſum eſt, aut PARTHICI cognomen eſſe inducendum, augendumque numerum Tribun. Poteſt. aut ſi retinere illud liceat ſic tamen, ut hic maxime augeatur; neque Gruteri exemplar, ut oſtenſum eſt, neque notam COS. V. ullo modo pati ut ultra XV. augere poſſimus: quod ſi fiat; non annus 103. ſed poſtremi duo menſes anni 111. indicabuntur. Poſt quorum; non amplius; duorum menſium intervallum cum Trajanus Conſulatum inierit VI. hinc eſt, ut minus illa me moveant, quæ Virum Eruditiſſimum Joannem Maſſonium (4) permoverunt, ut hoc in lapide non modo Trib. Poteſtatis, quam ipſe quoque XV. legendam exiſtimat, ſed etiam Conſulatus numerum cenſeret eſſe mutandum, & pro V. legendum VI. Verum hæc ἐν παρόδῳ.

Jam enim ſupra ſatis mihi præſtitiſſe videor, quod receperam, ut Noriſii rationes excuterem. Quæ tamen firmæ, an infirmæ ſint, tu Vir Doctiſſime, pro eo quo polles, acri judicio exiſtimabis; ego vel firmiſſimas exiſtimanti pro eo, quo unice moveor, veri ſtudio facile aſſentiar. Hoc enim veri ſtudium ita mihi animos addidit ad Summorum Virorum huic tertio Frontini Conſulatui adverſantium rationes agitandas, ut tamen ipſe qui eſſem, & qui contra illi, non obliviſcerer. Idem veri ſtudium ne illud quidem diſſimulare me, ſinit, quod altera ex parte nunc demum venit in mentem, videlicet tertio iſti Frontini Conſulatui obſtare facile poſſe illud idem Martialis Epigramma (5), quo demonſtratur ſecundus. Verſus enim extremi quatuor haud obſcure videntur oſtendere, Epigramma nondum reddita libertate, ideſt Domitiano adhuc rerum potiente, ſcriptum fuiſſe, & quod conſequitur, alterum Frontino Conſulatum ab Nerva quidem, ut oporteret, datum non eſſe. *Accedent*, inquit Martialis,

Accedent ſine felle joci, nec mane timenda
Libertas: & nil quod tacuiſſe velis.
De Praſino conviva meus, Venetoque loquatur,
Nec facient quemquam pocula noſtra reum.

Permirum eſt, in hac controverſia neminem, quod ſciam, verſus hoſce attendiſſe, qui illam videlicet de altero Frontini Conſulatu mentionem, & continuo quidem, ſequuntur; niſi forte in aliam omnino partem accipiendos crediderunt, ut Poeta hoc diceret: ſub civili, mitique Nervarum imperio jam non eſſe timendam, ut ſuperiore tempore ſub Domitiano, ſermonum ac jocorum libertatem vel in ipſam Venetam, Praſinamve Factionem. Huc autem pertinet, quod *de Factionibus aurigatorum, & ſtudiis Principis* in hunc locum adnotavit Farnabius: *periculoſum erat ſub Nerone, Vitellio, & Domitiano iis favere, a quibus alieni Principes. Praſinæ autem, & Venetæ maxime favebant.* Eodemque trahere fortaſſe quis malit ultima verba explicationis Raderi: *nullus erit, qui noſtros jocos inſidioſe excipiat, & deferat ad Cæſarem, noſque reos faciat, ut Domitiani temporibus contingebat.* Sed quanquam in priorem illam interpretationem propenſiorem eſſe me, fateor; tu tamen, Vir Præſtantiſſime, hoc etiam diſpicies, & quid ſit veri ſimilius, conſtitues. Vale, & me, quod facis, redama.

Patavii XIII. Kalend. Quinctiles. CIↃIↃCCXII.

DE

(1) Ibid. p. 282. B. C. & cæt. (2) Trajan. Art. 20. (3) Ibid. Art. 18.
(4) Not. in calce Gruter. pag. 324. (5) l. 10. Epigr. 48.

Digitized by Google

DE ORDINARIO FRONTINI CONSULATU EPISTOLA II.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

PETRO PLUVENIO

E SOCIETATE JESU

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

MIrabar quid eſſet, quod quæ de Ordinario Frontini Conſulatu, Anatomicus ad Mathematicum, fuderam potius, quam ſcripſeram, ea Doctiſſimo Viro Joanni Poleno, Collegæ meo, editione, Sapientiſſimis *Actorum Eruditorum* Scriptoribus laude, Tibi denique, Vir Clariſſime, atque Eruditiſſime, Tua, neque illa brevi, conſideratione in tam gravi perſertim, illuſtrique Opere, non indigna viderentur. Sed cum hanc in ipſo Volumine (1), quo me liberaliter donaviſti, perlegerem; quod de illis ſuſpicabar, de Te perſpicue cognovi, hæc me omnia veſtræ debere humanitati, quæ non uno loco ex Tuis erga me perbenignis verbis elucet. Quod enim ad rem ipſam attinet; pro veri ſtudio, & publicæ utilitatis amore non obſcure a meis opinionibus, inſtitutoque diſsentis. Quæ utinam in mea illa Epiſtola ſatis exponere potuiſsem; fortaſse Tibi Æquiſſimo Viro aliquanto aliter viſum eſset.

Nam principio ſic habeas velim, optaſſe me ſemper primum ne opinione ab ullo, ſi fieri poſset, homine diſcreparem, deinde ne diſsenſum nominatim proferre cogerer. Sed Amicus ſummus tum rogando omnino cogebat, tum omnia, quæcunque rei declinandæ cauſa dicerem, vel tollendo, vel infirmando.

Dicebam, ſi mea Epiſtola vulgaretur; me pluribus viſum iri Noriſii ſententiæ adverſantem. At ſimul, reſpondebat ille, pro altera Noriſii ſententia ſtantem. Sed pro ſententia, ajebam, ab ipſo deſerta, & pro qua nihil facile mihi venire in mentem potuerit, quod ipſi non venerit, idemque inane viſum fuerit. Ille vero negabat, poſteriores curas neceſsario ſemper eſse ſapientiores: confirmabat, non Pictoriam modo, atque Poeticam Protogenes, & Torquatos, ſed cæteras Facultates omnes, excellentes interdum homines habuiſſe *quibus nimia diligentia nocuerit* (2), & quorum poſterior labor ad prioris laudem non pervenerit: nonnulla præterea a me certe fuiſse interjecta, quæ Noriſius non illa quidem ignoraviſse, ſed non ſatis fortaſse animadvertiſse videretur. Cum autem me, meæ tenuitatis conſcius, abjicerem, & quod in Epiſtola diſerte ſcripſeram, qui eſsem ipſe, & qui contra Noriſius, inculcarem; tum vero is graviter referre Tulliana illa (3) *non tam auctores in diſputando, quam, rationis momenta quærenda eſſe: quin etiam obeſſe plerumque iis qui diſcere volunt, auctoritatem eorum qui ſe docere profitentur; deſinere enim ſuum judi-*

(1) I Ceſari raccolti nel Muſeo Farneſe Tom. X. Tav. 3. Medagl. 8.
(2) Plin. Nat. Hiſt. l. 35. c. 10. (3) De Nat. Deor. l. 1.

judicium adhibere, id habentes ratum quod ab eo quem probant, judicatum vident; ad hæc illud addere, quantam bonis Artibus, & quam diuturnam calamitatem tunc *opinio præjudicata* attulerit, *cum etiam ſine ratione valebat auctoritas* (1).

Etſi hæc me, atque alia id genus urgebant; tamen ſimpliciter illud fatebor, unde plane quo revera animo ſim, Vir Clariſſime, cognoſcas. Si Noriſius mutationem ſententiæ ſuæ, nullâ addita ratione, propoſuiſſet; fortaſſe multo apud me magis tanti Viri auctoritas, quam quas produxit, rationes, valuiſſet. Tunc enim novum aliquid, magnique momenti inveniſſe hominem, exiſtimare potuiſſem, quo ad ſententiæ mutationem compulſus eſſet. Nunc vero cum ſuam ne ipſe quidem auctoritatem a nobis ſuſcipi, ſed rationes attendi, voluerit, quibus in ſententiam hanc novam traductus ſit; quid aliud facere potui quam quod in Epiſtola feci, ut novas haſce rationes; non antiquas; ex ordine perpenderem, aut ſi etiam antiquas; ut cum his novas compararem? Nec ſane quidquam erat cauſæ, cur primam ſuam ab Noriſio ſententiam deſertam eſſe, ægre ferrem, aut cur pro ipſa propugnator ſubirem, aut denique cur rem jam ſatis definitam in controverſiam revocarem, qui nunquam antea pro ſententia prima ſtetiſſem, qui novam quandam adverſus eandem, dubitationem in extrema Epiſtola pro veri ſtudio proponerem, qui tandem nulla ſatis certa momenta rationum animadverterem, quibus aliquis rem obſcuram adhuc, & incompertam extra omnem juſtæ dubitationis aleam revera ponere, & pro certo conſtituere potuiſſet; quando ne ipſe quidem Noriſius aliud denique pronunciavit, *quam Frontonem probabilius Collegam Trajani poni*. Hoc mihi igitur in ea Epiſtola propoſitum, hoc inſtitutum fuit, non ut quidquam ego de re hac, imo nec de novis ipſis Noriſii rationibus ſtatuerem; ſed has ut tantum perpenderem; judicium aliorum facerem.

In iis rationibus nulla erat ex Faſtis petita, nec vero eſſe poterat, quando Noriſius non vulgares, qui Frontonem habent, ſed illos Anonymi cenſebat eſſe *omnium optimos*, qui habent Frontinum. Erat autem hæc, *Conſulem II.* jam fuiſſe Frontonem. Verum id cum nullius veteris Scriptoris fide probetur, de Frontino autem conſtet; hinc mihi illud conſequi viſum eſt, non jam Frontonem non fuiſſe, aut omnino eſſe non potuiſſe, ſed precario dictum eſſe a Noriſio fuiſſe Conſulem II. qui Frontinum quidem fuiſſe Conſulem II. non precario in priore ſententia affirmaverat: eaque de cauſa quanto firmior eſſet ejuſmodi ratio ad illam ſententiam, tanto infirmiorem eſſe ad hanc novam.

At enim in Faſtis, a Goltzio, & Panvinio compoſitis, tempus adnotari videmus alterius Conſulatus Frontonis. Nihil hic mihi neceſſe eſt, quod ad Goltzium attinet, quam ſuſpecta ſæpe ejus ſive fides, ſive diligentia fuerit, commemorare. Malo tibi credere, Vir Doctiſſime, qui non uno in loco adverſus aliorum ſuſpiciones hominis exiſtimationem tueris. Sed tamen Goltzius, & Panvinius jure, an precario id ſuis in Faſtis ſcripſerunt? Si precario; cur attenderem? Sin jure; quibus ipſi ex fontibus hauſiſſent, videndum erat. Et Panvinius quidem (nam Goltzius nullo prorſus ſui facti laudato Auctore, nihil ibi aliud agit, niſi ut Panvinium deſcribat) Panvinius, inquam, unde ſumpſerit, confitetur, quod in Faſtis anno poſt interfectum Domitianum *ex Kal. Jul. M. Cornelium Frontonem II.* Conſulem ſcripſit. *Domitii*, inquit, *Apollinaris, Fabricii Vejentonis &. cæt. conſulum hoc anno ſuffectorum Plinius junior l. 9. Epiſt. ad Quadratum; M. vero Cornelii Frontonis Dio in Nerva, & Hadriano, & Julius Capitolinus in Marco meminerunt. Quos anno poſt occiſum Domitianum fuiſſe referunt.* Quinam? obſecro. Non Capitolinus certe in Marco, non Dio in Hadriano, quibus in locis nihil de Frontone hoc noſtro, nihil de his rebus. Unus igitur relinquitur Dionis, ſive, ut verius loquamur, Xiphilini locus in Nerva, is ſcilicet locus quem ſemel atque iterum perpendit Noriſius, & quem ego quoque ex inſtituto in Epiſtola examinavi. Num vero eo loco *referat* Dio, Frontonem *anno poſt occiſum Domitianum fuiſſe* conſulem, & fuiſſe *ex Kal. Jul.* tu ipſe

(1) Ibid.

ipse, Vir Eruditissime, satis ostendis, qui cum eundem istum producas locum, non id referri ab Dione scribis; sed pro Panvinii *assertione aliquam* dumtaxat *congruentiam* trahi ex eo loco *posse*, credis. Quod si concessero; hinc illud quidem consequetur, Frontonem ex Kal. Jul. Consulem esse potuisse: certe autem fuisse sic ut in Fastis ex Dionis auctoritate sine ulla dubitatione *ex Kal. Jul.* Consul scribendus fuerit, & statuendus, non consequetur. Id autem est quod mea in Panvinio ita notabat, ut tamen simul excusaret, Epistola.

Et vero aliud est ad certissimam historiæ normam Fastos conscribere, aliud est eorum quæ ita esse, ut non esse, potuerint, conjecturas proferre. Quid enim prohibet quo minus Frontonem Consulem ex Kal. Sept. fuisse, credamus non tam dico anno post occisum Domitianum (quod nunc quibusdam placere sic video, ut in Fastos retulerint) quam eo ipso anno quo Domitianus occisus est? Num forte ille Dionis locus? Quid, si non modo non prohibeat; sed plurimum faveat? Decet autem, atque adeo oportet quæ istum de Frontone locum proxime antecedunt, & subsequuntur, diligenter attendere. Postquam igitur narravit Historicus, post cædem Domitiani Nervam esse Imperatorem designatum, & Decessoris statuas sublatas, triumphales arcus disturbatos, post hæc, nquam, quæ statim ab audita cæde Domitiani Romæ esse facta, de Suetonio (1) intelligimus; continuo illa subjicit, *Nerva autem eos qui rei facti erant impietatis, absolvit, exulesque restituit. Servos vero, ac libertos, qui insidias dominis, patroniſve suis fecerant, omnes interfici, jussit, cavitque, ne iis liceret crimen ullius facinoris dominis inferre: neminem quoque impietatis, aut ritus Judaici accusari permisit. Tam multi enim per calumniam damnati fuerant, in quorum numero Seras philosophus fuit, ob eamque rem ingens tumultus concitatus erat (omnes enim accusabantur ab omnibus) ut ferant, Frontonem consulem dixisse, malum quidem esse Imperatorem habere, sub quo nemini licet quicquam facere: sed multo pejus esse, cum omnia licent omnibus. Quibus cognitis rebus, Nerva talia fieri in reliquum tempus vetuit. Erat Nerva senectute, & languenti stomacho imbecillior*, aliisque interjectis, tum demum hoc subdidit, *Virginium* Rufum, qui *sæpe Imperator appellatus fuerat, non est gravatus collegam in consulatu assumere* ex Kal. videlicet Januariis ejus qui Domitiani mortem insecutus est, anni. Sed hæc, atque alia etiam quæ sequuntur, in præsentia mittamus; illa quæ præcedunt, spectemus, & cum iis quæ Plinius is qui primis dominationis Nervæ diebus interfuit, de illis ipsis ad Quadratum scripsit (2), comparemus.

Primum quidem, *occiso Domitiano*, cur Publicium Certum sibi accusandum statuisset, ostendit; tum vero cur non continuo fecisset, hanc causam subjicit. *Ac primis quidem*, inquit, *diebus redditæ libertatis pro se quisque inimicos suos, dumtaxat minores, incondito turbidoque clamore postulaverat simul, & oppresserat. Ego & modestius, & constantius arbitratus immanissimum reum non communi temporum invidia, sed proprio crimine urgere, cum jam satis ille primus impetus deferbuisset, & languidior in dies ira ad justitiam rediisset, & cæt.* Quæ ergo Historicus dicit, *multos per calumniam damnatos fuisse, ob eamque rem ingentem tumultum concitatum esse*, cum *omnes accusarentur ab omnibus*, eadem Plinius quoque his verbis indicat, *pro se quisque inimicos suos --- incondito turbidoque clamore postulaverat simul, & oppresserat --- communi temporum invidia.* At hæc, ait *illo primo impetu*, & *primis diebus redditæ libertatis* contigisse; Historicus autem, cum ea contigerunt, *Frontonem consulem* fuisse significat. Igitur aut ego quidem plurimum fallor, aut Scriptore hoc utroque collato, intelligitur, primis illis diebus quibus per ipsam Domitiani mortem libertas reddita est, Consulem fuisse Frontonem.

Sed videamus, quæso, num Vir Doctissimus Jo. M. Catanæus rem aliter atque ego, perceperit? Sane ad ista Plinii verba hæc *commentarii* loco apposuit. *Dion scri-*

(1) in Domitiano c. 23. (2) l. 9. Epist. 13.

ſcribit ingentem tumultum exortum, quod Nerva principe facto ſtatim omnes ſuos inimicos accuſarunt, unde ferunt, Frontinum (ſic enim ipſe, non Frontonem, legebat) *dixiſſe, quod malum eſſet habere Imperatorem ſub quo nulli liceret aliquid facere, Domitianum ſane demonſtrans: ſed pejus ſub quo omnibus omnia.* Nec vero Tillemontius [1], Vir in Auctorum ſenſibus, rerumque temporibus inquirendis, ſi quis alius, diligentiſſimus, unquam aliter hos Dionis, Pliniique locos intellexit. Quin imo diſerte ſcripſit, ab Dione *inter initia* dominationis Nervæ Frontonem Conſulem memorari, a Plinio autem turbulentam illam communemque accuſationem accidiſſe narrari *primis diebus ex quo mors Domitiani* (*& electio Nervæ*) *libertatem reddiderant.*

Cum igitur ex Suetonio (2) conſtet, Domitianum *XIII. Kal. Octobris*, hoc eſt XVIII. Septembris die occiſum fuiſſe, neque dubium ſit, mox ei Nervam ſucceſſiſſe; ſi quis Frontonem ex Kal. Septembr. ejus anni, & quod conſequitur, tunc cum Domitianus cæſus eſt, & cum mox omnes primis redditæ libertatis diebus tumultuoſius accuſabantur ab omnibus, ſi quis, inquam, tunc Frontonem Conſulatum (num tamen II? certe autem ab Nerva non datum) geſſiſſe, poſuerit; is Dionem non modo non adverſantem, verum etiam plurimum facientem habebit.

Atque hæc non ad defenſionem, ſed ad ampliorem eorum expoſitionem ſcripta ſunto, quæ preſſius in Epiſtola attigi, cum aliquam ex novis Noriſii rationibus perpenderem. Nam quæ de reliquis adjeceram, ſatis ibi expoſita credo; certe a te, Vir Clariſſime, præterita video. Quod ſi nihilominus ea tibi ſententia fuerit, ſiquid a Noriſio, aut a Panvinio precario de Frontone traditum ſit, de illo amplius non eſſe quærendum: eo me animo eſſe, confirmo, ut facile poſſim exiſtimare, ea in re vidiſſe aliquid tantos Viros, quod mihi videre non licuerit. Sed cum id ſiluerint ipſi; in eam partem meas dubitationes accipias velim, quaſi alios, & te in primis, cujus Ingenium, & Eruditionem ſuſpicio, & colo, etiam atque etiam rogem, ut quod illi reticuerunt, vos me, hominem veri ſtudioſiſſimum, & per illorum, veſtroſque labores, miſſis controverſiis omnibus, proficiendi cupidiſſimum, doceatis. Cum enim vos alibi animadvertam, ubi iidem non ſatis firma propoſuerint, aperte diſſentire; neceſſe eſt ſuſpicer, hac una in re de qua ipſe dubitavi, ſubeſſe aliquid fortaſſe quod me quidem fugiat, a cæteris autem non ignoretur. Vale, Vir Doctiſſime, & mihi, quod facis, favere perge.

D. Patavii IV. Kal. Septembr. CIↃ IↃCC XXVIII.

(1) Tom. 2. P. 3. Not. 8. ſur Trajan, & Tom. 2. P. 1. (2) l. cit. c. 17.

Digitized by Google

DE QUADAM LIBRORUM M. VARRONIS PARTICULA UT LEGITUR IN VETERI CODICE EPISTOLA.

ERUDITISSIMO AC PRÆSTANTISSIMO VIRO

JOANNI POLENO

Marchioni, Matheſeos Profeſſori Celeberrimo

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

QUæ in vetuſto Codice Bibliothecæ Caſſinenſis, Frontini Commentario de Aquæductibus, continuo, nulloque præfixo titulo, quaſi ejuſdem Auctoris eſſent, ſubjiciuntur, ut paulo attentius cœpi legere, ſtatim particulam eſſe agnovi libri IV. M. Varronis de Lingua Latina. Qua in particula ut loca Urbis plurima, ducto a Capitolio initio, diligenter indicantur, ſic mirum non eſt, hanc illi Frontini Opuſculo ſubjunctam eſſe, quod cum ad alia, tum vero *ad locorum Urbis notitiam valet*, ut vere Joannes quoque Ludovicus Vives (1) animadvertit. Neque enim aliud ſpectaſſe qui iſtud additamentum adſcripſit, hinc poteſt intelligi, quod illa, quæ proxime a Varrone ſunt tradita, ut pote alio pertinentia, omiſit, atque adeo in iſtis ipſis quæ deſcripſit, ob eandem, opinor, cauſam, de induſtria prætermiſit nomina Junii, Nævii, Lucilii, Volumnii, quos ibi Varro laudat Auctores. Etſi vero & hæc nomina conſulto, & perpauca alia fortuito omiſſa ſunt, neque deſunt, ut in pleriſque omnibus calamo ſcriptis exemplaribus quæ diligentius deſcripta velles; tamen cum particula iſta, illa ipſa tum ſatis antiqua, tum in Frontino præ cæteris fideli a te, Vir Doctiſſime, agnita manu, ſcripta ſit; non erit (credo) inutile iis, qui de nobiliſſimi Scriptoris, & præſtantiſſimi Operis emendatione ſoliciti ſunt, hoc etiam exemplar inſpexiſſe. Quod quidem intelliges vel ex iis dumtaxat locis, quæ mihi licuit, homini (ut noſti) longe alia agenti, neque multis editionibus Varronis inſtructo, his ſubſecivis horis ſeligere.

Antiqui Oppidi Saturniæ tertium illud (inquit Varro) etiam nunc manet veſtigium, *quod poſt ædem Saturni in ædificiorum legibus parietes poſtici muri ſunt ſcripti.*

De iſtis Legibus ædificiorum non modo ſilent Varronis Interpretes, quotquot memini legiſſe, verum ne in eo quidem Indice quem Henricus Stephanus addidit Scriptorum, & Legum quoque in his Varronianis libris memoratarum ulla mentio eſt, ut neque de lege prædiorum urbanorum, cujus verba paulo ſupra poſita ſunt. Credibile eſt, illas ad eundem fere modum fuiſſe, ad quem ex tabula marmorea P. Rutilio, Cn. Manlio Coſſ. ſcripta legitur apud Gruterum (2) *Operum. Lex. II. Parieti. Faciundo. in. Area. Quæ. eſt. ante. Ædem. Serapj. & cæt.* niſi quod leges quas Varro commemorat, non publicæ erant ſed privatæ, ſi Codici Caſſinenſi credimus, in quo ita ſcriptum eſt: *in ædificiorum legibus privatis*. Quod quidem ultimum

(1) De trad. diſcipl. l. 5. (2) pag. 208.

Digitized by Google

mum verbum etsi in meis editis libris deest ; non deerat tamen in iis pervetustis membranis quibus utebatur Turnebus (1).

Aventinum Montem olim paludibus fuisse ab reliquis disclusum sic, ut ratibus adiri debuerit, ex iis quæ Tibullus (2), Propertius, (3), Ovidius (4) scribunt, intelligi ex parte licet. Ejus rei Varro hæc ait esse vestigia, *quod qua tum itur Velabrum, & unde ascendebant ad Rumam nova via locus sacellum Labrum*. Sic Manutii. Henricus autem Stephanus, & qui Stephanum in iis quoque locis omnibus sequitur, qui post proferentur, Dionysius Gothofredus ad hunc modum : *quod ea, qua tum itur Velabrum, & unde ascendebant ad Rumam nova via locus est, & sacellum Larum*. Verum Josephus Scaliger (5) ita hunc locum legendum esse censuit, nulla pene (quod ipse ait) licentia : *quod qua nunc itur, Velabrum : & unde ascendebant ad Rumiam, Nova Via : ubi lucus & sacellum Larum*. Quem ita secutus est Ausonius Popma, ut in hunc ipsum fere modum ediderit. Non negaverim, sic planam atque perspicuam reddi Varronis sententiam iis præsertim, qui horum Virorum interpretationem simul attenderint. Attamen cum in exemplari nostro lego : *quod ea qua tum dicitur Velabrum, & unde ascendebant ad fimam novam viam, locus est qui dicitur Sacellum Labrum ;* cumque animadverto in veteri etiam Turnebi (6) libro hanc fuisse scripturam : *quod ea qua tum dicitur Velabrum :* & mox *ad infimam novam viam locus Sacellus Labrum*, & huc illam quoque pertinere scripturam, quam Henr. Stephanus in ora adnotavit : *descendebant ad imam novam viam*, cum, inquam, hæc omnia attendo, ut in hisce antiquis exemplaribus menda esse non nego, ita proposita emendatio an undique probanda sit, dubito. Equidem Rumiam, seu Ruminam, ut Varro noster (7) alibi vocat, apud Romanos Deam fuisse cui facientes mulieres ; non vino, sed lacte hostias spargerent, de Plutarcho (8), & Nonio (9) didici, imo ex ipso Varrone (10) scio huic Deæ sacellum fuisse, apud quod *a Pastoribus sata ficus*. Num tamen id sacellum in Urbe fuerit, vel si in Urbe, eo in loco, me adhuc fateor ignorare. Nam quod Ædicula Matris Rumæ in Regione VIII. a Panvinio (11), atque adeo ab Sexto Rufo (12) secundum exemplar a Panvinio editum collocatur ; nempe hic exemplar id sequitur, cujus de auctoritate quid habendum sit, non obscure docet Nardinus (13) : nec fortasse a vero longissime absit, qui ex hoc uno, cujus de vera scriptura quærimus, Varronis loco istam Matris Rumæ Ædiculam in illud exemplar irrepsisse, suspicetur. Contra si *infimam novam viam* legamus ; quin hæc certus esset Urbis locus, & in ea quidem vicinia agnoscendus, dubitare nemo possit. Nam vel noster Varro in divinarum libris ut testatur Gellius (14), *Ajus*, inquit, *Deus appellatur, atque ei statuta est in infima nova via, quod eo in loco divinitus vox edita erat*. Hanc autem vocem de qua Livius (15) quoque ter meminit, *exauditam esse a luco Vestæ, qui a Palatii radice in novam viam devexus erat:* aramque propterea Ajo loquenti, *adversus eum locum consecratam esse*, testem locupletem habemus Tullium (16). Atque utinam ut ex his cognoscimus, ubi esset infima nova via, ita etiam ubi summa nova via fuerit, sic intelligere possemus, ut locum illum Solini (17), *Habitavit ... Tarquinius Priscus ad Mugoniam Portam supra summam novam viam* ab aliis veterum Scriptorum locis non ita fortassis discrepare, confiteremur. Sed hoc alii viderint ; nos ad Varronem revertamur.

Reliqua, inquit, *Urbis loca olim discreta, cum argeorum Sacraria in septem & XX. partes urbis loca sint dispositæ*. Sic Manutii. Henr. Stephanus, *ut Argeorum Sacraria in septem & viginti partes urbis sunt dispositæ*. Auson. Popma, *sint dispositæ ;* cætera ut Stephanus, nisi quod in

(1) Advers. l. 20. c. 30. (2) l. 2. Eleg. 5. (3) l. 4. Eleg. 9. (4) Fast. l. 6.
(5) Conjectan. in hos libr. Varron. (6) loc. cit.
(7) apud Nonium de Propr. Serm. c. 2 in *Rumam*. (8) Quæst. Rom. 57. (9) loc. cit.
(10) De Re Rust. l. 2. (11) Reip. Rom. Comm. l. 1. (12) De Regionib. Urbis.
(13) Rom. Ant. l. 2. c. 5. (14) Noct. Attic. l. 16. c. 17.
(15) Histor. l. 5. c. 32. 50. & 52. (16) De Divin. lib. 1. (17) Polyhist. c. 2.

Digitized by Google

Notis, *partes urbis ſint* eſſe cenſet *gloſſema*, eoque inducendum. Turnebi (1) vetus liber, *tum Argeorum Sacraria, in ſeptem & viginti partes, ubi ſunt diſpoſita.* Codex autem Caſſinenſis; *Reliqua Urbis loca olim diſcreta cum Argeorum Sacraria in ſeptem & viginti partes Urbis ſunt diſpoſita* ſinceriore (ut opinor) certe faciliore, & planiore Scriptura, ut videlicet intelligamus tunc loca illa diſcreta fuiſſe, cum Sacraria hæc fuere diſpoſita.

In Regione Eſquilina, *lucus fagutatalis, & larium. Querquetulanum Sacellum & lucum Martis, & Junonis Lucinæ, quorum anguſti fines: non mirum. Jamdiu enim late avaritia nunc eſt.* Sic editiones Manutiorum. At Stephanus, *lucus fagutalis, & lucus Mephitis, & lucus Junonis Lucinæ: quorum anguſti fines: non mirum. Jamdiu enim late avaritia una eſt. Item lucus Larum. Querquetulanum Sacellum.* Popma, *lucus Fagutalis, & Lanum* (leg. *Larum*; imo ex *Notis* in quibus Joſ. Scaligerum innominatum, ut ſæpe ſolet, ſequitur, *Virarum*) *Querquetulanum Sacellum, & lucus Martis, & Junonis Lucinæ: quorum anguſti fines non mirum: jamdiu enim late avaritia una eſt.* Turnebus (2) legit, *lucus dicitur fagutalis, & larum Querquetulanum Sacellum, & lucus Mephitis, & mox: jamdiu enim latæ avaritiæ eſt;* verum in hac emendatione non ſuam ſed antiqui libri fidem obſtrictam eſſe, vult. Illud etiam alibi (3) monet, libros veteres *meficis* habere, at ſe *Mephitis*, rectum putare, ut ante emendaverat Auguſtinus, & agnoverat Scaliger (4).

Nunc Scripturam Caſſinenſem producamus: *lacus dicitur Facutalis, & Larum querquetulanum eſt, Sacellum & lucus Meſitis, & Junonis Lucinæ, quorum anguſti fines, non mirum, jamdiu enim late avaritia eſt.* Non eſt negandum, menda hic quoque, & quidem apertiſſima, occurrere. Sunt tamen & quædam fortaſſe probanda. in quibus *Sacellum* illud, *& lucus Meſitis*. Nam qui *lucus Martis* edidere, non facile proferent antiquorum Scriptorum locos, quibus iſtam ſuam lectionem confirment. Publius quidem Victor (5) inter cæteros Romæ Lucos *Lucum* etiam *Mavortis* proponit, ſed in recentiori Epilogi additamento, quod primum editum eſt a Panvinio, de cujus editionis additamentis non aliter habendum eſſe, ac de ipſius Sex. Rufo indicatum eſt, haud immerito monet Nardinus (6). Quod ſi etiam utrique illorum credamus; tamen neque Victor, qua in regione is lucus eſſet, oſtendit, & Rufus in longe alia Regione, videlicet IX. *Lucum Mavortianum* conſtituit; non in V. in qua *Ædiculam* quidem *Martis* memorat, ſed ita, ut ignores, in Eſquiliis, an in Colle Viminali ſtatuat, ut apud ipſum ibi conjunctis, ſic a Varrone in hoc loco omnino ſejunctis. De Sacello autem Mephitis, quod in Eſquilina Regione, atque adeo qua in hujus parte eſſet, luculentum in promptu eſt Sex. Pompeii (7) teſtimonium. *Eam*, inquit, *partem, Eſquiliarum, quæ jacet ad vicum Patricium verſus, in qua regione eſt ædis Mefitis*, Ciſpius Anaguinus *tuitus eſt.* Quod ſi aliquid hac in parte tribuendum eſt illi Urbis topographiæ, quam majori in tabula edidit Marlianus (8); huic certe lateri Eſquiliarum, de quo Sextus loquitur, magis e directo reſpondebat, propiorque erat Eſquilinus Campus, ſive (ut Varro ſupra vocat) Puticulæ. *Extra, oppida*, inquit, *a puteis Puticulæ, quod ibi in Puteis obruebantur homines: niſi potius, ut Ælius ſcribit, Puticulæ, quod puteſcebant ibi cadavera projecta: qui locus publicus ultra Eſquilias:* cui idem Feſtus (9), & Porphyrio Horatii interpres (10) adſtipulantur. Quamobrem proclive eſt cum Alexandro Donato (11) intelligere eo potiſſimum in loco fuiſſe cultam Mephitim, *Deam*, ut Servius (12) ait, *odoris graviſſimi*, ne ex tetrio illo, & exitiali cadaverum puteſcentium odore homines detrimentum caperent: itaque alio translato *communi* iſto (ut Horatii (13) verbis loquar)

(1) l. cit. c. 35. (2) loc. cit. (3) Comment. in hos libr. Varr.
(4) Conjectan. cit. (5) De Regionib. Urb. (6) loc. cit.
(7) De Verb. Signif. l. 17. in *Septimontio*. (8) Topogr. Urb. Rom. c. 7.
(9) Oper. cit. l. 14. in *Puticulos*. (10) In od. 5. Epod. (11) Rom. Veter. l. 3. c. 10.
(12) in l. 7. Æneid. v. 84. (13) l. 1. Sat. 8. v. 10.

Digitized by Google

quat) *miseræ plebis sepulchro*, tum licuit, ut idem ait,

Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

Non me fugit, Nardinum (1), quem ut noviſſe hæc omnia video, ſic verbi illius Horatiani *modo* vim ſatis attendiſſe, nonnihil dubito, tum de tempore, quo id ſepulchrum tranſlatum eſt, tum de ejus loco aliter ac cæteri, exiſtimare: cui nos aſſentiri in præſentia nihil vetat, cum ipſe (2) quoque Donato in eo quod diximus, nihilominus aſſentiatur. Neque aliam fortaſſe ob cauſam Cremonenſe illud *Mephitis templum* de quo narrat Tacitus in III. libro Hiſtoriarum *ante mœnia* erat conſtitutum, niſi quod haud longe (*extra oppidum* videlicet, ut ait Varro) Cremonenſium erant Puticulæ. Quod ad Templum, vel ad ejus potius viciniam fieri poteſt, ut pertinuerit baſis illa marmorea, his verbis inſcripta.

MEFITI.
L. CAESIVS
ASIATICVS
VI. VIR. FLAVIALIS
ARAM. ET. MENSAM.
DEDIT. L. D. D. D.

Laude enim Pompeii, urbe nimirum Cremonæ vicina baſim hanc inſpectam fuiſſe, a Grutero (3) traditum eſt: quem ad locum Gruteri quicunque hæc adſcripſit; *Mephitis templum ante mœnia Cremeræ Tacit. 13. Hiſt.* ille, vel (ut credere par eſt (ipſius potius Amanuenſes, atque Typographi & in urbis nomine, & in libro Taciti indicando, manifeſtiſſime a vero aberrarunt. Sed neque prætermiſſionis culpa vacat Jo: Gulielmus Stuckius, qui *univerſæ* ſuperſtitionis ethnicæ ritus ceremoniaſque complectens in ſua *Sacrorum Sacrificiorumque Deſcriptione*, cum multo etiam ignobiliores Deos, eorumque cultum commemoret, de Mephiti ne verbum quidem facit, quam templa araſque habuiſſe, conſtat, & cui præterea peculiare fuiſſe alicubi litationis genus, haud difficile intelligitur ab iis qui cum Plinium (4) legerint memorantem *in Hirpinis Amſancti ad Mephitis Ædem lacum*, (vel, ut legunt alii, *locum*) *quem qui intravere, moriuntur*, tum animadvertunt, Servium (5) de eodem Amſancti in Hirpinis loco, *aquas ſulphureas* habente, hæc tradere, *gravis odor juxta accedentes necat, adeo ut victimæ circa hunc locum non immolarentur, ſed odore perirent ad aquam applicatæ: & hoc erat litationis genus*. Num autem hæc Servii verba (ut Medicus eruditiſſimus, qui nonnulla iſtorum ante nos attigit, Leonardus a Capua (6) videtur exiſtimare) id ſignificent ut victimas *intra lacum ſinerent ſuffocari*, aquis nimirum ſubmerſas, alii diſpiciant; ergo jam redeo ad Varronem.

Hæc paulo infra ex Sacris Argeorum adſcribit, *Septimus mons quinticepſos lucum Pœtilium*. Ita Manutii. Stephanus, *Septimus mons quinticepſos lucum Pœtilium*; in libri ora *Petillium*. Popma, *Septimus mons quinticeps lucum Poetilium*, Caſſinenſis codex, *Sceptius mons quinticeps lacum poetelium*. Equidem non *lacum*, ut ſolet in hoc Codice, ſcribendum fuiſſe, ſed *lucum*, non eſt cur dubitem; ſic enim Pub. Victoris vel antiquiora illa Panviniano exemplaria in hac V. Regione habent, *Lucus Petilinus*; imo Livii quoque liber ſextus (7), *in Petelinum lucum extra Portam Flumentanam* (Nardinus (8), mavult *Nomentanam*) *unde conſpectus in Capitolium non eſſet*; item liber ſeptimus (9) *in luco Petelino*. An tamen *Septimius mons quinticepſos* ſcribendum fuerit, non *Sceptius mons quinticeps*, dubitari etiam atque etiam poteſt, nam primum Turnebus (10) quoque ad hunc locum hæc adnotarat, *Vetus liber* Sceptius mons: *quod verius puto*. Deinde Joſephus Scaliger (11), *frequens mendum hic inolevit. Nam male* quinticepſos, ſexticepſos *ſcriptum eſt* pro quin-

(1) Oper. cit. l. 4. c. 3. (2) l. cit. c. 4. (3) pag. 96. 10.
(4) Nat. Hiſt. l. 1. c. 93. (5) in l. 7. Æneid. v. 563.
(6) Lez. 1. intorno alla nat. delle Mofete. (7) c. 20. (8) Rom. Ant. l. 4. c. 4.
(9) c. 41. (10) Comment. cit. (11) Conjectan. cit.

Digitized by Google

quinticeps, sexticeps, etcæt. *Neque enim* primicepsos *dixit*; *sed* primiceps. Igitur cum utroque codex hic facit in hoc quidem loco; nam & alicubi intelligitur cum illo Turnebi (1) codice antiquissimo convenire, in quo pro *Quarticeps*, vel *Quarticepsis* scriptum erat *Quarticepseis*.

Sed non sic tamen in plerisque eorum, quæ non multis interjectis, rursus ex Argeorum Sacrificiis habet, in hunc modum, *Collis Quirinalis Salutaris Quariceps adversum est pilonarvis ædem Salutis. Collis Muccialis Quinticeps*, & mox; *sexticeps in Vico in Stegano Summo apud Auradum etc.* Longum esset quæ singuli pro his ediderunt, aut edenda censuerunt, proferre, atque contendere. Non tamen reticebo, verbum *Quirinalis* ab omnibus quos ego viderim, omitti: etiam paulo ante, si excipias Manutios. Pro *Mucialis* vel *Mutialis* Scaligerum (2) ex Libro IX. (3) Dionysii legendum censere *Martialis*, & sic editum a Popma. Pro *vico in Stegano* Manutios *in stellario* (quod vetus etiam Turnebi (4) codex habebat) Stephanum autem, & Popmam, post Augustinum, *Mustellario* edidisse. Denique pro *Auradum* Manutios, & Stephanum scripsisse *Turaculum*, Popmam *Auguraculum* ex Scaligeri (5) videlicet, ac Turnebi (6) conjectura, quorum ille in antiquitus excusis, hic vero in calamo exaratis libris *Auraculum* legerat, quam ferme lectionem cum accuratissimum exemplum scripturæ attendo Cassinensis Codicis, a te, vir Doctissime, editum (7), in hoc pariter fortasse agnosci posse, non nego. Hæ tamen omnes varietates ab emendatoribus Varronis eo diligentius sunt pensitandæ, quod *Auguraculum*, exempli causa, a Publio quidem Victore illo antiquo in Regione X., idest in Palatio sub *Auguratorii* nomine collocatur; non tamen aut hujus, aut alius veteris Auctoris locum produci video, a quo in Quirinalis montis parte, seu, ut Argeorum Sacra vocant, in Latiari Colle ponatur: imo ne in Capitolio quidem a Victore (quod Turnebus (8) pariter affirmat) statui invenio. Ad eundemque modum de *Vico Mustellario* testimonia Veterum proferri, non video; quamvis Panvinius (9) in Regione hac VI. addiderit, ut *Pilam* etiam *Honoris*. Quam ut ex *pilonoris* (verbo in hoc, quo de agimus, Varronis loco a Popma; non modo a Manutiis, edito) nonnulli fecerant, velut Scaligero (10), & Stephano (11) adnotatum est; ita cæteri quod precario factum videbant, abjecerunt, & meliora quæsiverunt. Itaque cum esset quibusdam in libris *Pila navis*, ut diserte Popma (12) testatur, ac Stephanus edidit, non defuerunt qui sic legi posse crederent (13), Pilamque, Naris fluvii Statua ornatam intelligerent, precario hi quoque, non sic tamen, ut convinci tam possent, quam conjectura illa a Turnebo (14) aliquando commodior existimata, ut videlicet legeretur, *Pilam Horatiam;* hanc enim cum in foro fuisse sciret, non erat cur crederet, *potuisse e regione esse Montis Salutaris*. Fuit etiam cum idem (15) legendum putaret *ædem Honoris;* quamquam denique (16) illam cæteris conjecturam prætulit, ut rescriberetur *Apollinaris*, & *Apollinaris collis intelligeretur in quo Apollinis ædes erat*. Hanc conjecturam Turnebi non secutus quidem est Josepus Scaliger (17), quod scribit Gothofredus (18) (quî enim sequi potuisset illos Adversariorum libros, qui post sua edita Conjectanea prodiere?) sed ita ipsam antevertit, ut tamen maluerit legere *Apolineris* antiquo declinatu pro *Apollinis:* quo in loco idem verbum intulit etiam in carmen Martii Vatis, non dubitans quin *hexametro in versu vix facile locum habere possit nomen Apollinis*, & quin Livius (19) in eo carmine referendo *alienis verbis* usus fuerit, *detorto illo situ, & squallore vetustatis, ne simplex illa rusticitas versuum inquinaret delicias illas & lumen orationis suæ*. Quod quidem si Livio visum esset faciendum; longe aliter (opinor)

(1) Adversar. l. 20. c. 35. (2) loc. cit. (3) Antiqui Rom. ad An. 288.
(4) Comment. cit. (5) [6] loc. cit. [7] in Frontin. Tabula T.
[8] Adversar. loc. cit. [9] Reip. Rom. Comment. l. 1. [10] loc. cit.
[11] in marg. [12] in Notis cit. [13] Nardin. cit. l. 4. c. 6. [14] Comment. tit.
[15] Ibid. [16] & Adversar. l. cit. [17] Conjectan. cit. [18] Not. in Varron.
[19] Histor. l. 25. c. 12.

Digitized by Google

nor) id carmen propoſuiſſet, non ad illud horridulum ut verum loquamur, & hiulcum exemplum, ad quod ferme etiam apud Macrobium (1) propoſitum eſt. Verum ut Scaliger in hoc divinaſset; certe cum in Varrone *Apolineris ædem* legendum cenſuit, non animadvertit, quod ipſe contra aliorum *ædem Honoris* objecerat, id contra ſuam *Apolineris ædem* multo magis objici poſſe. Sic enim ſcripſerat. *Subſtituerunt hic — alii* Pila Honoris, *alii* Honoris ædem *majore imprudentia. Non enim, niſi fallor, antiquior fuit Honoris ædes, ea quæ vota eſt a Cl. Marcello bello Gallico ad Claſtidium. Alia autem a C. Mario ex Cimbricis manubiis dedicata fuit. Tantum vero abeſt, ut utravis harum hic intelligatur ut Libri Argeorum non minus* 300. *annis præcedant Cl. Marcellum.* Fugit revera eruditiſſimum alioquin hominem locus M. Tullii, quem locum eo quoque omnes fugiſſe miror, quos ſive de Romanis Honoris Templis, ſive de M. Cl. Marcello, ſive de Q. Fabio Maximo Verruc ſo ſcribentes, ad hunc diem memini legiſſe. *Vides* (inquit Cicero in II. de naura Deorum) *Virtutis Templum, vides Honoris a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Liguſtico a Quinto Maximo dedicatum.* Hic tamen mitto locum hunc urgere Tullii adverſus Scaligerum. Multo etiam magis mitto quærere, anniſne dumtaxat CCC. Marcellum præceſſerint libri Argeorum. Illud unum dico, qui cenſuit, ſubſtitutam eſſe perperam *Honoris ædem* in iis libris, qui tot ante illam annis ſcripti fuiſſent, diſpicere eundem oportuiſſe, ne forte illam in Quirinali Colle ædem Apollinis quam in iis ipſis ſubſtituebat, multo pluribus annis libri Argeorum anteceſſiſſent. Quid enim, ſi ne ætate quidem L. Syllæ ulla adhuc in eo Colle Apollinis ædes conſtructa eſſet? Hoc autem videtur docere Aſconius Pedianus (2), qui *eam ſolam tum demum* (Sylla ſæviente) fuiſſe *Romæ Apollinis ædem* ſcribit, *quæ* erat *extra Portam Carmentalem, inter Forum Olitorium, & Circum Flaminium*, ut recentiores videantur, cum aliæ aliis in Regionibus ſitæ, tum nominatim ædes illa Apollinis, & Clatræ quam a Victore in Regione VI. poſitam eſſe, non ignoro. Nam Apollinis quidem Medici nominatam ab Livio ædem etſi alibi a cæteris ſtatui video; non tamen video, qui firmis argumentis oſtendat, haud eandem fuiſſe ac illam, quæ ab Aſconio extra portam Carmentalem, ac prope Forum Olitorium memoratur. Livius certe, qui *ædem Spei* (3) *extra Portam Carmentalem*, ac (4) *in Foro Olitorio* commemoraverat, cum de Porticibus quibuſdam narraret (5), *& poſt Spei*, inquit, *ad ædem Apollinis Medici*. Itaque Panvinius (6) has duas ædes nulla interjecta ſic propoſuit: *Ædes Spei in Foro Olitorio, Ædes Apollinis Medici*. Huc adde, cognomentum hoc ipſum *Medici* in illo potiſſimum Templo Apollini conveniſſe, quod huic graſſante peſtilentia, *pro valetudine populi votum eſſe*, Livius (7) eſt auctor; illud autem votum Apollini templum quicumque in Livii lectione ſunt verſati, & in his Nardinus (8), minime dubitant, non modo quin Romanorum omnium templorum Apollinis *antiquiſſimum* fuerit, verum etiam quin iſta ipſa ædes fuerit, quam ſolum tum Romæ habuiſſe Apollinem, teſtatur Pedianus. Quod ſi quis forte ex me quærat, cur unum igitur atque idem templum Livius uno dumtaxat in loco *ædem* vocaverit *Apollinis Medici*; in cæteris autem omnibus (9) *ædem Apollinis*, atque alia ejuſmodi paret quæ objiciat; ille vero ad extremum ſic habeat; una, an duæ ædes fuerint, mihi demum perinde eſſe, illud quidem hic ſpectanti, ut oſtendam, aut hanc, aut rationem aliam aliquam excogitandam eſſe, qua Pediani teſtimonium tueamur, ſed hoc tamen potiſſimum agenti, ut intelligatur, ne id quidem Apollinis Medici templum in Quirinali Colle fuiſſe. Hoc autem ſi minus ex his, quæ pro Aſconio attigi, planum fiat; ſatis certe planum fieri ex eo poteſt, quod nemini adhuc, quod ſciam

(ut

[1] Saturnal. l. 1. c. 17. [2] Comment. in Orat. Cicer. in toga cand.
[3] l. 24. c. 47. l. 25. c. 7. [4] l. 23. c. 62. [5] l. 40. c. 51. Vid. Edition. Jo. Dujatii.
[6] Reip. Rom. Comm. l. 1. [7] l. 4. c. 25. & 29. [8] l. 6. c. 2.
[9] l. 3. c. 63. l. 7. c. 20. l. 27. c. 37. l. 34. c. 43. l. 37. c. 30. l. 39. c. 4. l. 41. c. 21. & cæt.

Digitized by Google

(ut ne mihi quidem) venit in mentem ut templum illud procul a Tiberi collocaret, propterea quia fere omnes in Livio ſic legunt : *& poſt Spei ad Tiberim ædem Apollinis Medici*. Quæ omnia cum ita ſint ; etſi Turnebum ſecutus Auſonius Popma (1) magis in Varrone probat *Apollinaris*, collem intelligens *in quo Apollinis ædes erant ;* in eo tamen videtur aliquanto magis laudandus, quod *Pilomnaris* legi etiam poſſe conjecit, ut id cognomen eſſet Salutis hoſtes pellentis, quemadmodum ob hanc ipſam cauſam in Saliari Carmine *Pilomnoe poploe* de Romanis dictum eſſe, cenſuit Feſtus (2). Sed quoniam id precario conjecit Auſonius, idcirco tamdiu antiqui codices ſunt excutiendi, donec lectio aliqua eliciatur, quæ ſimul ab eorum ſcriptura non longe abſit, ſimul veterum auctoritate Scriptorum confirmetur. Qua vide, quæſo, Vir Doctiſſime, an comprobari forte poſſit quod ex Caſſinenſis Codicis ſcriptura *pilonarois* de *Pilumni areis* vel *aris* ſcribenti hæc mihi venit in mentem. Nam Pilumnus is, qui plúribus Virgilii verſibus (3), & in hos Servii Commentariis, imo duobus etiam Varronis noſtri adhuc extantibus locis celebratur, altero ex libro II. de Vita Populi Romani, altero ex libris Antiquit. Rer. Divin. & Jovis filius habitus eſt, & non modo a Piſtoribus, ſed ab aliis pariter eſt cultus inter Deos Conjugales, & fœtæ Mulieris cuſtodes. Ad ejuſque cultum magis, magiſque oſtendendum pertineret etiam Cumana Inſcriptio, ſi ut apud Gruterum (4) (non ut (5) apud Reineſium) legenda eſſet, videlicet.

PILVMNO . SANCTISSIMO
GENIO . MVNICIPI . SACRVM. & cæt.

Sed ut apud Rutulos, ſi Virgilio credimus, lucum, & vallem habuit ſibi *ſacrata ;* ita apud Romanos (qui abnepti (6) certe ipſius Juturnæ Ædem (7) ſtatuerunt) aras, vel areas, & in Quirinali quidem colle, habuiſſe, non facile, quantum nunc memini, invenire poterimus, niſi de Pilumni ætate, atque origine, non quod Virgilius fortaſſe omnino confinxit, ſed quod docent Viri quidam eruditiſſimi ponamus. Itaque Feſtum in duobus illis, quæ paulo ante ex Saliari Carmine produximus, verbis interpretandis hallucinatum eſſe, affirmat poſt Meurſium Andreas Dacerius (8) ; docentque ambo, accipienda illa eſſe de populo Pilumni ſic, ut Pilumnus ſit ipſe Romulus, quem ita Salii Pilumnum a pilo dixerint, ut Sabini a quiri (ideſt ab haſta) Quirinum. Hoc ſi poſuerimus ; minus difficile erit ſuſpicionem meam (qualis ea cunque eſt) quadantenus comprobare. Nam primum a Livio (9) traditum eſt, *Regem* illum, ut Tullius (10) appellat, *doctiſſimum* Numam, qui Salios *canentes carmina* inſtituit, eundem (11) *Sacrificia locaque ſacris faciendis, quæ Argeos Pontifices vocant, dedicaviſſe ;* ut non ſit mirandum, ſi quo nomine in *Saliari* (ut Horatius (12) loquitur) *Numæ carmine* appellatur Romulus, eodem quoque in Argeorum Sacrificiis aliquando appelletur. Romulum autem in Quirinali colle vel Numæ temporibus cultum fuiſſe, ex pluribus Veterum locis inter ſe collatis intelligi poteſt. Primum videlicet ex eorundem Sacrificiorum verbis mox producendis, in quibus notiore etiam nomine *Quirini Ædes* in hoc colle memoratur. Deinde ex Ovidii (13), & Plutarchi (14) teſtimoniis, quæ præclariſſime illuſtrat non modo Sex. Aurelius Victor (15), ſed Dionyſius quoque Halicarnaſſeus (16). Ille enim ſtatim ab Romuli exceſſu, *Ædem* ſcribit *in Colle Quirinali Romulo conſtitutam, ipſum pro Deo cultum, & Quirinum eſſe appellatum*. Hic vero, Numam ipſum voluiſſe, Romulum *templo, & alternis annis ſacrificio ſub Quirini cognomento coli*. Denique aras in Quirinali Monte habuiſſe Romulum, cum ex iſto ipſo ſacrificio con-

[1] Not. cit. [2] De Verbor. Signific. l. 14. in *Pilumnoe*.
[3] Æneid. l. 10. v. 76. 618. & l. 9. v. 3. 4. [4] Corp. Inſcript. p. 96. 4.
[5] Syntagm. Inſcript. Antiqu. Cl. 1. n. 296. [6] Virgil. Æneid. l. 10. 619.
[7] Ovid. Faſt. l. 1. v. 463. & P. Victor. Reg. IX. [8] Not. in Feſtum.
[9] l. 1. c. 20. [10] De Orat. l. 3. [11] Ibid. c. 21. [12] l. 2. Epiſt. 1.
[13] Faſt. l. 2. [14] in Romulo. [15] De Viris Illuſtr. c. 2. [16] Antiquit. Roman. l. 2.

Digitized by Google

conjici licet, tum satis aperte (ut mihi quidem videtur) ostendit Varro, hæc post quatuor Quirinalis Collis partes ex Argeorum Sacris, hic nominatas subjiciens: *Horum Deorum aræ, a quibus cognomina habent, in ejus regionis partibus sunt.* De prima autem earum partium in illis Sacris ita erat scriptum, quantum ex Codicibus quos secuti sunt Manutii, & ex nostro habemus: *Collis Quirinalis terticepsos* (vel *terticepsois*) *Ædem Quirino* (vel *Quirini*). Atque hæc in loco difficillimo suspicari ausus sum: quæ si tu magis confirmaveris, tunc ego quoque probare incipiam; sin minus, de vera illius Scriptura, quod quidem facio, fatebor amplius esse quærendum.

Sed ut hic locus facile emendationem desiderat; sic in alio fortassis supervacua est, quem corrigendum esse putavit Scaliger; præsertim si ut in Codice Cassinensi legatur. Manutii, aliique sic proposuerant, *Germalum a germanis Romulo, & Remo, quod ad ficum ruminalem & hi ibi inventi, quo aqua hyberna Tyberis eos detulerat in alveolo expositos.* Scaliger (1) autem hoc adnotavit: *Vera lectio quod ad ficum Ruminalem e Tyberi invecti.* At si hanc veram lectionem esse censuit, cur non illud quoque addidit: quæ sequuntur *glossema* esse, ideoque inducenda? Nam si legendum *e Tybri invecti;* quid subjicere continuo oportet, *quo aqua hyberna Tyberis eos detulerat in alveolo expositos?* Hæc tamen in nullis (quod sciam) aut impressis, aut scriptis libris omissa sunt; certe in Cassinensi inveniuntur; quando illa contra, *& hi ibi*, unde Scaliger fecit *e Tybri* non sunt pariter in omnibus. Nam Stephanus quidem ita edidit, *& hi inventi*, Popma *hi inventi*, Cassinensis Codex habet, *ibi inventi:* quam ego lectionem valde probandam esse, existimo. Nam hoc ait Varro, illum Urbis locum Germalum esse dictum, quod *ibi* germani Romulus, & Remus inventi sunt.

Denique extrema hujus particulæ verba Stephanus, & Popma in hunc modum proposuere: *Ab hoc quoque quatuor partes Urbis Tribus dictæ: & ab locis Suburaria, Esquilina, Collina, Palatina: quinta quod sub Roma, Romilia. Sic reliquæ tribus ab iis rebus, de quibus in Tribuum libris scripsi.* Melius profecto, quam Manutii, a quibus (ut priora omittam) postrema ita proposita fuerant, *sic reliquæ tribus ab his, ut in tribuum libris scripsi.* Multoque etiam melius, quam in Codice Cassinensi, in quo hæc ita scripta sunt: *Sic reliqua trita ab his rebus, quibus in Tribum libros scripsi.* Hæc tamen scriptura in suis ipsis mendis vestigia fortassis servat verioris scripturæ. Nam in illo *trita* facile reliquiæ sunt verbi *triginta* sic, ut Varro postquam de quinque dixerat, reliquas triginta tribus complexus fuerit. Certe Turnebus (2), cujus cum antiquis Varronis exemplaribus sæpius hoc nostrum convenire, supra ostensum est, in libris *vetustate carioſis* ita se legisse, testatur: *Sic reliquæ triginta diebus ab his, quibus in tribuum libris dixi.* In illis autem *libros scripsi*, si quis veterum librariorum frequentissimum in primis errorem, hujusque causam attendat; is suspicari facile possit, latere hanc lectionem *libro scripsi;* nisi forte ex aliquo alio qui me adhuc fugit, aut Varronis ipsius, aut alterius prisci Scriptoris loco omnino constet, ab illo non librum, sed libros Tribuum scriptos fuisse.

Qui tamen locus, aliique ejusmodi, quos me requirere, supra indicavi, si tibi Vir Eruditissime, in promtu fuerint, eo gratius erit intelligere, quod ita Manutiis, Stephano, Popmæ, Scaligero, aliisque summis Varronis emendatoribus, a quibus sine erroris mei suspicione dissentire nunquam possim, libenter (ut soleo) adstipulabor. Vale.

Patavii prid. Kal. Quinctil. CIↃ IↃCC XXII.

[1] Conjectan. cit. [2] Adversar. l. 20. c. 36.

Digitized by Google

IN VITRUVII LOCUM, AD TEMPUS QUO SCRIPSIT, ATTINENTEM, ET IN ALTERUM VETERIS AUCTORIS COMPENDII ARCHITECTURÆ EPISTOLA.

Ad eundem Marchionem Polenum.

HÆreo, niſi Tu forte, Vir Clariſſime, aliter legis, in Vitruvio. Dices ubi? Libro 2. cap. 9. Ibi enim poſtquam alnum, ſcripſit, *in paluſtribus locis infra fundamenta ædificiorum palationibus crebre fixam, — permanere immortalem ad æternitatem, & ſuſtinere immania pondera ſtructuræ, & ſine vitiis conſervare, &c.* tum hæc ſubjicit. *Eſt autem maxime id conſiderare Ravennæ, quod ibi omnia opera & publica, & privata ſub fundamentis ejus generis habeant palos.* Quæ cum lego, & Strabonis ſimul venit in mentem, qui Tiberii ævo de eadem Urbe longe alia edidit libro 5.; ſic hærere me, fateor, ut propemodum ſuſpicari incipiam, aut ea quæ modo de Ravenna deſcripſi, non eſſe a Vitruvio, aut ſi forte ſint, non hunc libros ſuos Auguſto, ſed, contra ac plerique, nec ſine multiplici ratione, creditis, alicui obtuliſſe poſteriorum Imperatorum. Nam ſi, ut ſummus ille Geographus poſt Auguſti obitum mandavit litteris, *intra paludes urbs maxima Ravenna poſita, erat* adhuc *tota ligneis compacta ædificiis* (ξυλοπαγὴς ὅλη) quî fieri poteſt, ut in ea, vivente Auguſto, *omnia opera & publica, & privata* ejuſmodi eſſent palis, fundamentiſque ſuffulta, quæ non modo *ſuſtinerent immania pondera ſtructuræ;* ſed (quod diu antea exædificata opera ſignificat) *ſine vitiis* etiam *conſervarent?* Exemplum igitur ad confirmandam Vitruvii ſententiam ab Ravenna *maxime* petitum, non Scriptorem Auguſto coævum, ſed aliquem potius videtur indicare, qui poſtquam Claudius amplam illam, & marmoribus ornatiſſimam Portam, quam Auream vocabant poſteri, muroſque Ravennæ dederat, tunc demum viveret, ſive is Vitruvius, quod alii ejus librorum loci minus credibile mihi faciunt, ſive alius fuerit qui Ravennæ exemplum in ora addiderit codicis ſui, unde poſtea ſit inter Vitruvii verba translatum. Cujus ſi tu, Vir Solertiſſime, libros aliis interpolatos locis agnoveris; idem hic quoque accidiſſe, facilius credam.

Quod ſi forte quædam animadverteris a librariis inter deſcribendum non ſolum fuiſſe in Vitruvio addita, ſed interdum etiam omiſſa; pondus aliquod acceſſiſſe, putabo, alteri, leviculæ alioquin, dubitationi meæ: quam ubi perpaucis adſcripſero; has litterulas obſignabo.

Priſcus ille anonymus Scriptor Compendii Architecturæ, quod, cum rarius eſſet, nec ſine erroribus editum, in tuis nunc Vitruvianis Secundis Exercitationibus diligenter ex collatione etiam antiquorum codicum multo emendatius habemus, articulo 27. cum ceruſſæ conficiendæ rationem proponit, *Sarmenta*, inquit, *vitioſa vineæ, infuſo aceto in dolio ſub tabulis plumbeis deponantur.* Hic primum abs te peto, ut mecum reputes, an pro iſtis vocibus *Sarmenta vitioſa vineæ*, Anonymus forte ſcripſerit *Sarmenta vitis aminææ*. Hujus enim ſcripturæ veſtigia mihi videor internoſcere

in

Digitized by Google

in iis quæ fideliter ad hunc Anonymi locum profers cum ex Codice Romano I. *vitiosa mineæ*, tum præsertim ex Vascosani Editione *vitio amineæ*. Amineæ autem vitis, ejusque uvæ, & vini creberrima, ut nosti, apud Veteres mentio est non tam Græcos ut Dioscoridem, Galenum, Hesychium, quam Latinos, Catonem dico, Varronem, Virgilium, Celsum, Scribonium, Plinium, Columellam, Samonicum, Palladium, & si quos alios Rhodius ad Scribonium, Keuchenius ad Samonicum, & Cl. Gesnerus ad Rei Rusticæ Scriptores commemorarunt, quorum locos minime opus est a me tibi Viro Eruditissimo singillatim indicari. Quam si de vite aminea conjecturam non improbas; tunc hanc dubitationem expende meam, fortasse & Vitruvium, quem sæpius, hic autem certe Anonymus sequitur, in describenda cerussæ confectione libro 7. cap. 12. ut sarmenta ponit, sic vitem quoque ex qua sumi sarmenta, vellet, posuisse. Neque enim videtur quod Compendii Scriptor presse quantum poterat, ut ejus instituti postulabat ratio, non omisit: id Auctor qui fusius scriberet, prætermittere debuisse.

Hæc igitur omnia acerrimo perpendas velim judicio tuo. Nam si forte aliquid hic esse, censeas, quod probes, vel saltem quod ad meliora cogitanda excitet; per mihi jucundum erit illi non omnino displicuisse cujus præclaris adnotationibus alterum de duobus istis Scriptoribus illustratum habemus, alterum propediem expectamus. Sin contra; non ægre feram, si tecum dixeris, Amicus meus hodie cum ab suis fessus occupationibus solatium quæreret, nec prorsus tamen otiari vellet, fecit quod in Cranio olim Diogenes; versavit dolium. Vale, & me, quod facis, redama.

Pridie Idus Novembres CIↃ IↃCC LXI.

AB JO. BAPTISTA MORGAGNO

Laudationes habitæ olim, cum Gymnasiarchas, aliosve Doctoris Insignibus exornaret.

QUi sibi proponi ad laudandum malunt plenam potius, & uberem, quam tenuem, jejunamque materiam, næ illi cito sententiam mutarent, si in quo nunc ego, in eo ipsi loco versarentur. In tuam enim laudationem, Vir Illustrissime ac Generosissime, nuper in hoc Gymnasio Prosyndice meritissime, in tuam, inquam, laudationem, tanquam in viam latam quandam, atque patentem ingressuro, ab initio statim hujus, hinc atque hinc aliæ, ac porro aliæ occurrunt viæ, ut quam potissimum insistere, quam relinquere sine reprehensione possim, quo magis cogito, eo magis incertus sim.

Nam principio illa tria se offerunt quasi capita laudum tuarum, te optime tibi, te optime Nationi tuæ, te optime huic demum Academiæ præfuisse.

Jam vero si illud primum arripiam, & de te adhuc privato dicere ingrediar; vide, quot in partes meam orationem diducant multæ, eæque spectatæ omnibus, virtutes tuæ, hinc pietas, hinc temperantia, hinc mansuetudo, hinc humanitas, hinc candidus, & gratus animus, &, quod difficilius est, cum præclaro ingenio, acrique judicio incredibilis conjuncta modestia. Quid de illo dicam tuo inexplebili studio, atque amore veritatis? a cujus pervestigatione nullo te unquam tempore aut otium abstraxit, aut voluptas avocavit, aut denique somnus retardavit. Quin etiam instar refectionis existimans mutationem laboris, ab utriusque Partis Medicinæ consideratio-

Digitized by Google

ne ad ægros ipsos invisendos, ab his rursus ad rem botanicam, ad anatomicam, ad mathematicam, ab hac iterum ad Theoricam nostram Medicinam redibas; redibas autem? quem si dicam, quotiescunque ego sive in Gymnasio, sive domi de illa per totos tres hosce annos verba feci, toties affuisse; nihil tuæ sim diligentiæ additurus, & latine sim, non oratorie, locuturus. Nam quantos in eo studio progressus habeas, & viderer mihi gratificari, si dicerem, neque ita cito transire possem ad laudum tuarum alterum caput quo me dudum tua vocat Inclyta Natio, cui egregie adeo præfuisti.

Quanquam & hic pariter tuorum numero impedior ornamentorum, atque virtutum. Nam primum memini, non te læta, & prospera tempore illius Muneris; sed aspera, & dura ad id capessendum impulisse: tuis consiliis, animique constantia, quam Ampliſſimorum hujus tum Gymnasii, tum Urbis Moderatorum auctoritas confirmavit, vestrum istum Cœtum ad pristinam integritatem, splendoremque rediisse: te mox ab ejusmodi Cœtu, Ampliſſimis iisdem Viris inde innuentibus, hinc, quod contigerat antea nemini, suffragia recensentibus, incredibili consensu præfectum cæteris fuisse. In quo quidem non tam accepisti beneficium, quam dedisti. Quippe rem communem egregie procurasti, auxisti bibliothecam, & tuos (quod caput est) Germanos in optimis studiis, cæterisque virtutibus tui similes aut servasti, aut effecisti. Dum te enim imitari, te subsequi student, ideo omnes mores eosdem, quia omnes tuos habent. Quo uno factum est, ut cum & ipsis, & omnibus sis cariſſimus, æternumque desiderandus; non tamen, etsi Munere te abdicasti, aut ab illis, aut ab hoc Gymnasio desidereris.

Cujus tu Magistratum (quod de tribus caput erat postremum) ut merueris, ut ceperis, ut gesseris, quis possit digne oratione complecti? Ego sane, cui sicut ab initio dixi, tuæ laudationis difficilius est exitum, quam principium, invenire, satis habebo hæc quoque carptim, breviterque perstringere, hic etiam commemorantis, quod vix possum, quam laudantis, quod pro meritis nullo modo possum, similior. Magistratum sic gessisti, ut unus ex Veteribus illis, & Priscis, consilio, diligentia, integritate, & difficillimis temporibus prudentia, ac dexteritate singulari. Magistratum sic cepisti, ut in novo Honore nihil præter nomen, & insignia novum fuerit. Primus tu titulis, & fascibus; at modestia, studio, & erga Professores tum singulos, tum universos reverentia par cæteris: & hoc tantum cæteris major, quod melior. Magistratum denique sic meruisti, ut qui maxime. Nam si, ut Plinius inquit, tunc verissime judicatur, meruerit quis Honorem, necne, cum adeptus est; quanto de te facilius judicium homines fecerunt, cum gesseris! Fecerunt autem honestissimum de te judicium cum cæteri omnes, tum non ita pridem Viri Gravissimi, Ampliſsimique hujus Gymnasii Moderatores, hodie vero Celeberrimum hoc, Sapientissimumque Collegium. Illorum igitur perhonorificis Litteris, horum autem cunctis suffragiis, ceu auspiciis optimis præeuntibus, injuncto mihi extra ordinem munere nunc fungor, *& Doctor. Pileo &c.*

Quod reliquum est, Deum O. M. veneror, ut te semper tui esse similem, velit, utque his præclaris initiis reliquæ tuæ vitæ partes respondeant. Hoc majus precari nihil possum.

Quæ ab Deo O. M. diu multumque duo sum precatus, alterum, ut Germanorum Inclyta Natio, quæ Academiæ huic nostræ magno semper ornamento fuit, pristinum ad numerum, splendoremque rediret, alterum, ut quorum ego amore, atque officiis auctus ornatusque essem, iis aliquam referre gratiam possem; ejus utriusque voti cum me esse compotem factum, vehementer gaudeo, tum vero per te esse factum, Illustrissime, ac Generosissime Prosyndice, magis gaudeo, & incredibilem in modum lætor.

Quod enim hoc anno Cœtus iste vester nobi-

Digitized by Google

nobiliſſimus frequentia lectiſſimorum Adoleſcentum, huc ex omnibus Germaniæ partibus confluentium, tanta floruerit, quantam intra plures annos fuiſſe, non memini; id nimirum non tam Magiſtratus tui felicitati, quam aſſiduitati, diligentiæ, nomini, cæteriſque virtutibus, & ornamentis tuis acceptum eſt referendum.

Dici enim non poteſt, ad illam rem quam utile fuerit, te nunquam hinc ſive commodi, ſive negotii cauſa ſeceſſiſſe; contra aſſidue diligenterque præſto ſemper fuiſſe iis qui advenirent, benigne excipiendis, qui prætergreſſuri fortaſſe erant, blande retinendis, utriſque pariter fovendis, protegendis, juvandis.

Neque dubium eſt, quin huc aliquos ipſa tui nominis notitia adduxerit. Multi enim te noverint, neceſſe eſt, qui in Herbipolitana, Ingolſtadienſi, aliiſque Germaniæ Academiis tuæ iſtius indolis, quæ ſane eſt magna; & ingenii, quod erectum, atque acerrimum obtigit, ſpecimina ediderit.

Aliis autem quibus minus forte per te ipſe notus eſſes, Amici, Affineſque tui Viri Ornatiſſimi, & non una in Civitate Spectatiſſimi, ignotum eſſe, non ſinebant.

His cum tu curis, atque ornamentis veſtrum iſtum Inclytum Cœtum ad priſtinam frequentiam, ſplendoremque revocaveris, cumque ego Germanos tuos, atque adeo noſtros cum cæteris virtutibus præditos, tum vero in primis gratiſſimos expertus ſim; non eſt mihi dubitandum, quin ita ipſi omnes ſentiant, nihil ſibi jucundius, nihil optatius a me fieri in præſentia potuiſſe, quam ut laudibus tuis reliquis ſepoſitis, in hac una inſiſterem, & hanc præ cæteris celebrarem.

Id ipſum autem ut poſſem, a te mihi datum eſt, quando Honorum, tibi ab Sapientiſſimis hiſce, Graviſſimiſque Patribus ſummo conſenſu decretorum, Inſignia a me potiſſimum (quæ tua in me ſemper fuit Humanitas) tradi, concupiſti, Amplifſimi autem, Præſtantiſſimique Rei Litterariæ Triumviri, ut tibi bene, & ex eorum ſententia geſti Magiſtratus teſtimonium darent, juſſerunt.

Injuncto ergo extra ordinem munere jam fungens, *Doctor. Pileo &c.* Faxit Deus, ut cujus opera tam bene de me merita Natio rurſus floruit, is ingenio, exiſtimatione, honoribus florere nunquam deſinat.

Quod poſui in ea Oratione quam in Florentiſſimo hoc Gymnaſio primam habui, non poſſe hominem, in Juris Prudentia rudem prorſus ac peregrinum, non poſſe, inquam, in Medica Facultate undique perfectum, & abſolutum exiſtere; id confirmatum nunc eſſe auctoritate, judicio, exemploque tuo, maxime lætor, Illuſtriſſime, & Generoſiſſime Prorector, & Syndice. Etſi enim de legitimo partus tempore, de notis virginitatis, de ictibus, & vulneribus, de veneficiis, de morbis vel ſimulatis, vel redhibitioni locum facientibus, vel tormenta quæſtioneſque prohibentibus, de aliiſque hujuſmodi ſexcentis & perſæpe Medicos a Magiſtratibus conſuli, & multo aptius, atque prudentius reſpondere eos qui Legum non ſint ignari; etſi, inquam, id ita eſt per ſe certum, ut quod certiſſimum; nihil tamen novo iſto exemplo tuo accidere aut opportunius poterat ad commonendum, aut efficacius ad perſuadendum, aut denique illuſtrius ad excitandum.

Nam primum Itali quidem Medici illi Veteres, & Avorum noſtrorum æquales, in hac ipſa re ſibi eſſe elaborandum, exiſtimabant. Hinc Fortunati Fidelis de Relationibus Medicorum, hinc Baptiſtæ Codronchii, & Pauli Zacchiæ Methodus Teſtificandi, & Quæſtiones Medico-Legales extitere. Noſtra autem, & Patrum ætate hujus generis exempla ferme extra veſtram Litteratiſſimam Germaniam non reperio. Veſter enim Medicus fuit Joannes Danie Horſtius, qui Zacchiæ Quæſtiones adauxit: veſter eſt Michael Bernardus Valentinus, qui Pandectas Medico-Legales collegit, veſter eſt denique Joannes Bohnius, qui non ſolum de Vulnerum Renunciatione poſt veſtros Corbæum, Sveyum, Sebizium egregie ſcripſit, ſed & omne Medici Forenſe offi-

Digitized by Google

officium complexus est. Hoc tu usus Præceptore ita Rei Medicæ operam dedisti, ut Juris Scientiam non prætermiseris. Cui rei testimonio est primum typis edita Disputatio Medico-Legalis, quam in Celeberrima Lipsiensi Academia ante hos tres annos habuisti, doctrinæ, & æquitatis plenissimam, deinde inter eos qui in hac nostra Legum studiis operam navant, ita gestus a te Magistratus, ut magis Juris Prudentiam, an Medicam Facultatem amares, omnibus quidem dubium fuerit; quin utriusque Insignia tibi merito deberentur, nemo dubitaverit.

Quod si hoc exemplo per alium quemcunque hominem ex Germania, quo de Italia olim migraverat, tam opportune reducto æquos rerum æstimatores permoveri convenit, te reducente! Cum enim tu isto excellenti ingenio, isto acri judicio, ista singulari prudentia, ista præclara eruditione instructus, domestica, atque adeo paterna institutione expolitus, in Celebri non una Germaniæ Schola versatus, existimaveris tamen, eorum quæ in Medicum cadunt, officiorum te mancam quodammodo atque imperfectam cognitionem habiturum, cui Legum scientiam non adjunxisses; quisnam in posterum putet, se numeris omnibus absolutum Medicum fore, qui omnem Juris notitiam neglexerit?

Est autem exemplum hoc tuum eo etiam magis efficax, quod illustrius. Nam primum in libera, & præstantissima Urbe, nobili genere es natus, Patre Viro Clarissimo, Doctissimoque, qui Rem Physicam, atque Poeticam magna cum laude in eo Gymnasio profitetur, Consanguineis Viris Amplissimis ac Ornatissimis ex eorum Ordine qui Rem vestram Publicam administrant. Quo nisi te loco natum scirem; ex moribus tamen facile agnoscerem, ea enim humanitate, mansuetudine, gravitate, constantia, liberalitate, fide, innocentia Magistratum gessisti, ut te ad has Virtutes non doctum, sed factum, non institutum, sed generatum esse, patefeceris. Itaque plusne ornamenti Illustri huic Muneri attuleris, an acceperis, dubium reliquisti. Illud vero est certissimum, te omnium de te opinioni ita respondisse, ut si unquam alias Gymnasium hoc expotavit, licere, ut olim, bene de se meritis Prorectoribus statuas ponere; nunc præsertim exoptet: ut Amplissimum hoc, Gravissimumque Collegium nunquam libentius, nunquam majori consensu suffragia tulerit: ut Illustrissimi atque Excellentissimi Rei Litterariæ Triumviri in iis quibus modo paremus, Litteris honestissimum de te judicium fecerint: ut denique Illustrissimi atque Excellentissimi hujus Inclytæ Civitatis Moderatores cum pro eorum summo utilitatis publicæ studio tuas alias omnes actiones probaverint, tum hodiernam hanc præsentia sua honestare voluerint. Quibus etiam benigne annuentibus, atque auspicia ista sua semper fausta, ac felicia præbentibus, injuncto extra ordinem munere jam fungor, *& Dolor. Pileo &c.*

Deus O. M. qui cum Vir Clarissimus Parens tuus iisdem his Philosophicis, & Medicis Insignibus hoc ipso loco ornaretur, Majorum nostrorum votis annuit, is nostra modo rata habeat, atque adeo faxit, ut ex te nova sæpius, tam opportuna, tam efficacia, tam illustria exempla proveniant.

Si quantum & locus hic ad laudandum ornatus, & tu laude dignus es, Vir Nobilis, atque ex Amplissimo hoc Collegio jam pridem Philosophiæ, nunc etiam Medicinæ Doctor Meritissime; tantum mihi temporis ad commentandam laudationem dedisses; hinc non pro meritis quidem laudatus, attamen haud omnino illaudatus discederes.

Sed cum nihil ex hoc loco, & nihil item de tuis laudibus, nisi aut perfectum ingenio, aut elaboratum industria dici conveniat, ego vero si quid in dicendo possum, non ingenio, sed diligentia possim, hæc autem, nisi tempus datum sit, nihil valeat; de tuis laudibus invitus fileam, necesse est;

Neque hæc eo dico, quod verear, ne forte

forte ægre hoc feras silentium meum, qui contra sic existimem, me idcirco a tua modestia in has angustias temporis esse conclusum, ne quidquam huc afferre ad laudandum possem, nisi laudandi voluntatem.

Sed eo dico, ut omnes intelligant, quid sit quod silentio cogar prætermittere tuam istam singularem humanitatem, cæteroſque optimos ac probatissimos mores, studia a puero in præstantissimis disciplinis, ipsaque in primis Philosophia collocata, & cætera ornamenta omnia, ob quæ ante hos tres annos in hoc Amplissimum Collegium es cooptatus, eam ipsam denique operam, quam Rei Medicæ studio dedisti, quæ quanta, & quam felix fuerit, vel hoc hodierno horum omnium Doctissimorum Patrum honestissimum de te judicium satis ostendit.

Nunc quando laudatione minime possum, at his saltem quibus possum, quibusque adeo summo quodam, atque incredibili Sapientissimi hujus Cœtus consensu jubeor, te Medicæ Facultatis Insignibus exornabo, &c.

JO.

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI IN SCRIPTORES REI RUSTICÆ EPISTOLÆ QUATUOR.

EPISTOLA I.

AD CELEBERRIMUM ET DOCTISSIMUM VIRUM JACOBUM FACCIOLATUM JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS.

QUæris ex me, Vir Doctiſſime, pluribus de locis Columellæ, ut in pleriſque hujus editionibus proponuntur, quid ſentiam. Ego vero & de iis, & de Palladii quibuſdam, & de nonnullis etiam Varronis quid ſuſpicer, ita ſcribam, ut judicium non interponam meum, ſed exquiram tuum. Neque enim in Re Anatomica, aut Medica, in quibus ob aſſiduum, opinor, ſtudium, ſuſceptoſque a puero labores uſum aliquem habere videor, ſed in media Philologia verſabimur, in qua ut pene adhuc hoſpitem, aut certe tironem eſſe me, fateor; ſic te eſſe principem, atque ſigniferum, negare non potes. Huc illud accedit, me præter ſex, ſeptemve illas, quas memorabo, eorum Auctorum editiones, aliam præterea vidiſſe nullam, cum tu in veſtra iſta ampliſſima Bibliotheca, quam utriuſque noſtrum Patronus Beneficentiſſimus GEORGIUS CARDINALIS CORNELIUS, ad ſcientias, bonaſque omnes artes fovendas, promovendas, ornandaſque natus, inſigni nuper acceſſio, ne locupletavit, multo plures facile habeas. Sed illud inprimis etiam inculcem neceſſe eſt, me nunquam hos Rei Ruſticæ Auctores in manus ſumſiſſe, ut emendarem; ſed cum aliud in alio inquirerem, ſubinde in certis, in quos incideram, locis hæſiſſe, itaque nunquid forte vitii, & quid ſubeſſet, ſic inter legendum quæſiviſſe, quod viſum fuerat, nonnunquam, ut fit, adnotaviſſe. Hæc igitur quæ ne relecturus quidem fueram, niſi pro tua humaniſſima de me opinione petiiſſes, nunc tibi ex ordine deſcribam, non alicujus adſciſcendæ laudis gratia, ſed tuæ ſententiæ requirendæ.

Et primum Columella (ab hoc enim incipiam de quo tu potiſſimum quæſiviſti: ejus autem verba, ut cæterorum quoque, adſcribam fere ſecundum Gryphianam editionem A. 1548.; hac enim, ut multo frequentiore, contigit ut initio uterer (*)) §. 1. Col. 1, 8, 8 & 11, 1, 21. Columel-

(*) *Loci Columellæ hinc, & deinceps indicantur, ut cæterorum quoque Scriptorum Rei Ruſticæ, quemadmodum illi diſpoſiti ſunt in elegantiſſima horum Editione Lipſienſi Ann.* 1735.

Digitized by Google

Ita igitur postquam libro I. cap. 8, *Villicus*, inquit, *exhortandus est ad instrumentorum, ferramentorumque curam, ut duplicia, quam numerus servorum exigit, refecta, & reposita custodiat, ne quid a vicino petendum sit*; continuo hujus rei causam ita subjicit: *quia plus in operis servorum, quam in pretio rerum ejusmodi consumitur*.

Quibus in verbis fieri potest ut nihil desit; si cui tamen sententia videretur paulo obscurior, quam ferat perspicui alioqui scriptoris consuetudo; animadverti unde petere verbum posset quo suppleret, illustraretque sententiam ex lib. videlicet XI. cap. 1. Ibi enim Columella ejusdem præcepti eandem causam ita proponit: *quia plus in operis servorum avocandis, quam in pretio rerum ejusmodi dependitur*. Cum autem utrobique continuo addat, quibus vestibus adversus frigora, & imbres familia munienda sit; scribatque primo in loco: *pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis*; in altero *pellibus manicatis, & sagatis cucullis*; scire ex te velim, utram magis probes scripturam, an utraque repudiata iis adstipuleris qui sic videntur legisse, *sagis, aut cucullis*, vel potius Ferrario nostro (de Re Vest. Part. 2. lib. I. c. 22.), qui malebat, *sagis cucullatis*. §. 2. Col. 1, 8, 19. Nam haud longe a fine ejusdem capitis, ubi scriptum est: *Fœminis quoque fœcundioribus, quarum in sobole certus fuerit numerus, honorari debet, otium nonnunquam, & libertatem dedimus*; non dubito quin concedas aliquid aut addendum esse, ut exempli causa particulam *si* ante *fuerit*, aut delendum, velut istud ipsum *fuerit*, quod quidem in Juntina editione non invenio, cum meæ reliquæ constanter sic habeant, ut descripsi. §. 3. Col. 2, 4, 9. Libro II. cap. 4. ubi præcipitur, quibus temporibus iterum, tertioque arare oporteat colles pinguis soli, cum ita legam: *de Aprili medio usque in solstitium iterandi, tertiandique. Septembri, circa æquinoctium, ac totidem operis, quot uliginosi campi, excolitur jugerum talis agri*: fateor non videre me, qui fieri potuerit, ut neque Jucundus Veronensis, neque is qui ab hoc emendatos Rei Rusticæ Auctores Venetiis (Anno 1514.) edidit, Aldus Manutius, neque Nicolaus Angelius, cujus emendationem in iisdem Auctoribus Florentiæ (An. 1521.) vulgandis secuti sunt Hæredes Philippi Juntæ, neque Coloniæ (A. 1536.) Joannes Gymnicus, neque Parisiis (A. 1543.) Robertus Stephanus, neque semel, iterumque Lugduni (A. 1537. & A. 1548.) Sebastianus Gryphius (horum enim utor Columellæ editionibus) fateor inquam, non videre me, qui potuerit fieri; ut ne unus quidem horum tot, tamque exercitatorum hominum animadverterit, nisi illa distinctionis nota quæ ante vocem *Septembri* est post *æquinoctium* transferretur, duas Columellæ depravari sententias: quod non te modo, sed quicunque in ejus, ac Palladii lectione vel mediocriter versati sint, statim perspecturos esse, confido §. 4. Col. 2, 8, 5. Sed ea tantum quæ sunt ad finem capitis 8. legisse satis est, ut intelligatur in isto loco: *Tremellius quidem asseverat priusquam impleverit, ab avibus aut formicis fata edi, ubi æstivis serenitatibus ager aret*; non *impleverit* cum aliis quos modo nominavi, sed *impluerit* cum Angelio, esse scribendum. §. 5. Col. 2, 11, 5. Verum ne hic quidem satis diligens fuit in eo loco de Medica herba describendo quem habemus cap. 11.

Tardius messem primam ejus facere oportebit, cum jam seminum aliquam partem ejecerit. Posteaquam voles teneram, cum profluerit, defeces licet, & jumentis præbeas. Nam, ut cæteri, duo illa verba *Postea quam* in unum compulit non sine sententiæ obscuritate. Id enim voluit Columella quod is, qui ipsum plerumque exscripsit, cum idem præciperet de Medica, litteris mandavit, Palladius (de Re Rust. l. 5. tit. 1. §. 3.): *Prima messis ejus tardius fiet, ut aliquantum semen excutiat. Cæteræ vero messes quam volueris cito peragantur, & jumentis præbeantur*.

§. 6. Col. 3, 2, 18. Libro autem III. cap. 2, ubi de uvis apianis hæc legimus: *vini dulcis, sed capiti, nervis, venisque non aptæ, nisi mature lectæ: pluviis, ventisque, & apibus afferunt prædam*; major ista distinctionis nota, quæ ante *pluviis* est, ante *nisi* videtur transferenda.

Nam cum vina ob acida præsertim corpuscula nervis officere credantur, acidio-

Digitized by Google

ra autem sint, quo maturius leguntur uvæ; non apparet, nervis apianas non esse aptas, nisi mature legantur: contra autem præclare intelligitur, easdem pluviis, ventis, apibus esse obnoxias, nisi mature sint lectæ, propterea quia sunt *præcoquis fructus*, quod modo ab Auctore dictum fuerat. §. 7. Col. 3, 10, 17. Sed hæc planiora illud; difficilius, quo emendari modo possit decimum caput, quod me fateor haud semel legisse cum propter alia, tum vero ob hæc, quæ sane sunt dicta & pulcherrime, & vere §. 9. *Videmus hominibus inspiratam velut aurigam rectricemque membrorum animam, sensusque injectos ad ea discernenda, quæ tactu, naribus, auribusque, & oculis indagantur.*

Linguam videlicet omisit non oscitanter, sed perite, quod ejus munus multo manifestius, quam narium, aurium, & oculorum, in tactu quodam consistat, quod nostris temporibus per ipsam quoque Anatomen est comprobatum. Et paulo post: *Nec generandi quidem data est facultas manibus, aut plantis, sed quod hominibus ignotum voluit esse genitor universi ventre protexit, ut divina præditus ratione rerum æternus opifex quasi quibusdam secretis corporis in arcano atque operto sacra illa spiritus elementa cum terrenis primordiis misceret, atque hanc animantis machinæ speciem effingeret.* Jam vides, opinor, quæ me hominem philosophum res induxerint ad Columellam pervolutandum; sed & alias postea memorabo. Nunc mendum, quod huic capiti in meis quidem cunctis insedit editionibus, videamus. Eos Auctor jubet in terram deponi malleolos, quos avarum feraciſſimos esse, constet; *tanto*, inquit §. 17. *magis quod compertum habeamus, naturali quadam malignitate descisere interdum, quamvis diligenter prolata semina, idque nobis poeta velut surdis veritatis indulget dicendo*: „ Vidi lecta diu, & multo spectata labore

„ Degenerare tamen, ni vis humana quot-
„ annis

„ Maxima quæque manu legeret, sic o-
„ mnia satis

„ In pejus ruere ac retro sublapsa refer-
„ ri. „

Quod non tantum de seminibus legumi-num, sed in totam agricolationis rationem dictum esse intelligendum est. Quid tandem, obsecro te, istis in versibus *indulget* nobis Virgilius? atque adeo *surdis veritatis* quid est indulgendum? Non contra potius inclamandi hi sunt, & clare, diserteque admonendi? Quod quidem & facere Virgilium constat, & Columellam significare credendum est. Itaque nisi tu, Vir Doctissime, dissentis, ipsum non *indulget*, scripsisse, arbitror, sed *inculcet*; quæ vox, ut vides, cum facile depravari sic potuit, tum non solum toti isti sententiæ, sed & modo quo istic Columella utitur, non indicativo, ut Grammatici loquuntur, sed subjunctivo præclare convenit: Quin etiam fortasse eo verbo voluit quodammodo indicare, sibi minime excidisse, in superiore quoque libro (cap. 9. §. 12.) eandem ab se curam in eligendis seminibus commendatam, eosdemque versus quatuor esse propositos. §. 8. Col. 3, 11, 4. In proximo autem capite 11. aliquid deesse apparet iis in verbis: *totum solum sicco fimo, aut si id non sit, alterius generis quam recentissimo stercorari.* Etsi enim cum in libro 4. cap. 8. (sect. 3.) hæc legimus: *aliquid fimi, vel si est commodius, columbini stercoris*; intelligere videmur, fimi nomine certum aliquod vel genus vel discrimen stercoris a Columella significari; cum tamen priora illa omnia verba relegimus, sententiam nihilominus imperfectam deprehendimus, nisi cujus animantis siccum illud fimum esse debeat, adjiciatur. §. 9. Col. 3. 21, 4. Etsi vero in cap. etiam 21. desiderari quidpiam videtur in eo loco: *Nam & paterfamilias libentius ad spectaculum rei suæ, quanto est ea luculentior, descendit, & quod de sacro numine poeta dicit, Et quocumque Deus circum caput egit honestum. Verum quocumque domini præsentis oculi frequenter accessere, in ea parte majorem in modum fructus exuberat*; tamen velim consideres, possintne omnia videri integra, si ne una quidem litterula adjecta, ita scribamus, distinguamusque: *honestum, verum; quocumque domini præsentis oculi frequenter accessere, in ea parte &c.* aut etiam sic. *honestum; verum quocumque domini præ-*

præsentis oculi frequenter accessere ; in ea parte &c. nam post *verum* satis facile *est*, aut *est etiam*, *& enim* ante *parte* intelligitur.

§. 10. Col. 4, 10, 3. In Libro IV. cap. 10. ubi legimus : *Sed nec utique verno omnibus regionibus melior putatio est : nam ubi cœlum frigidum est, ea sine dubio eligenda est. Ubi verò aprica loca sunt, mollesque hyemes, optima & maxime naturalis est autumnalis ;* equidem non modo pertinaciter non negaverim, scriptum a Columella esse *verna*, sed etiam hanc melius respondere agnoscam voci quæ consequitur, *autumnalis*. Attamen *verno* scribi nullo modo potuisse, non antea concedam, quam dilucide ostensum mihi sit, perperam scriptum esse a Palladio (lib. 3. tit. 12. s. 7.) *ubi multa sunt vineæ dividantur, & pars earum, quæ Septentrionem respiciet, verno putetur, alia pars adversa clementioribus plagis, recidatur autumno.* Nimirum videtur hic intellexisse *tempore* quod vel ibi fecit Columella, vel paucis quoque ante versibus, ubi legitur : *Nobis neque angusta putatione coercenda semina videntur, nisi si admodum invalida sunt, neque utique verno recidenda ;* pro *verno* rescribendum est *verna ;* nam vox quidem *tempora* longius abest, quam ut putem ad eam respexisse.

§. 11. Col. 4, 25, 1. Capiti autem 25. subjecta vinitoriæ falcis figura in plerisque editionibus formæ non respondet, quæ in eo capite descripta est. *Securim* namque (ut hoc unum attingam) ita pingunt, non ut *semiformis lunæ speciem*, sed ut triangulum repræsentet. Una ad descriptionem videtur accedere Juntina ; Aldina enim etsi non quantum aliæ ab Juntinæ forma discrepat ; in eo tamen loco *securim* addit, ut hæc *rostro* nullo modo *superposita*, sed omnino suppositæ sit.

§. 12. Col. 4, 32, 5. Sed in extremo etiam capite 32. eadem Juntina cæteris videtur esse anteponenda. Neque enim de arundineto sic verba illa exhibet : *cæditur deinde post brumam. Nam usque in id tempus incrementum capit, ac tum compescitur, cum obrigant hiberno frigore. Fodiendum quoties & vineta ;* sed ad hunc modum : *cum obriguit hiberno frigore. Fodiendum* &c. qua postrema distinctionis nota Robertum quoque Stephanum uti video.

§. 13. Col. 5, 7, 3. Etsi vero in Libro V, qui me loci, nec pauci ii quidem, morati sunt, eodem omnes modo in meis cunctis editionibus leguntur ; vix tamen dubito, quin plerique saltem eorum sint aliter scribendi, velut hic capite 7. *Cætera simili ratione, atque in arbusto Italico administrantur, ut vites longis scrobibus deponantur ; ut eadem diligentia curetur, atque in ramis deducatur ;* sic potius *curentur, atque in ramis deducantur ;* quem videlicet ad modum cum *de Italico arbusto præciperet*, paulo ante (cap. 6. pag. 190.) dixerat : *vitem in ramos diducere.*

§. 14. Col. 5, 8, 3. sq. Longe difficilior mihi est alter locus ex cap. 8. *Olearum, sicut vitium plura genera esse arbitror, sed in meam notitiam decem modo pervenerunt, Pausia, Ulgiana, Liciniana, Sergia, Nevia, culminia, orchis, regia, circites, murtea. Ex quibus bacca jucundissima est pausiæ, speciosissima est regiæ, quæ potius escæ, quam oleo est idonea. Pausiæ tamen oleum saporis egregii, dum viride est, vetustate corrumpitur. Orchis quoque, & radius melius ad escam, quam in liquorem stringitur. Oleum optimum Licinia dat, plurimum Sergia : omnisque olea & major fere ad escam, minor oleo est aptior.* Primum quæro an istud ultimum & inducendum sit. Quæro deinde, cur *radius* inter decem illa genera non memoretur. Nam num forte scriptura vitiata sit, & pro *radius* legendum sit *regia*, ne suspicari quidem possumus, tum quia de *regia* id iterare non oportebat, quod modo traditum fuerat, tum quia *radium* inter oleas non modo Cato (de Re Rust. cap. 6. s. 1.), Virgilius (Georgic. l. 2. vers. 85.) Plinius (Natur. Hist. l. 15. c. 3.) Palladius (l. 3, 18, s. 4.), sed & Columella, ipse diserte numerat libro de Arboribus cap. 17. (s. 3.). *Optima est*, inquit, *olea Liciniana, pausia secunda oleo, escæ orchis. Sunt & regiæ & radii, quæ neque specie neque oleo sunt tam gratæ, quam quas supra diximus.* Videt ut dilucide *regiam* ab *radio* distinguat.

Digitized by Google

Itaque ne solertem alioqui scriptorem usque adeo immemori ingenio fuisse cogitemus, ut tanquam Curio ille pater cum decem modo proposuisset genera, undecimum addere potuisset; relinquitur, ut horum alterutrum suspicemur: scilicet aut inter illa decem genera Columella posuit radium, sed alio quodam nomine, ut puta algianæ, vel Neviæ; nam circitis quidem, & fortasse etiam murteæ eam esse figuram, vocabula ipsa indicant, ut idem ac radius esse non possint; reliqua autem sex genera memini simul cum *radio* legisse memorata, sic ut *radium* ab ipsis differre intelligeretur; Aut in eorum decem generum enumeratione genus aliud aliquod perperam a librariis duplicatum est, & sic radii nomen (quod a Virgilio, Plinio, Palladio, Columella ipso continuo post Orchitem subjici solet) ut denarius ille numerus constaret temere expunctum. Cujus suspicionis ansam dant quæ Dalechampius notavit ad Plinii caput 3. lib. 15. *Columellæ*, inquit, *olivarum decem genera, Pausia, Licinia, Sergia, sive Regia, Radius, Nevia, Culminia, Corninia Plinio, Orchites, Algiana, Murtea, Circites, Contia Plinio*. Quod autem non sine ulla ratione scripserit *Sergia*, sive *Regia*, ostendunt hæc in eodem capite verba Plinii; *Licinia, Cominia, Contia, Sergia, quam Sabini regiam vocant*. Num tamen Sergia, quam Sabini regiam vocabant, a cæteris etiam ac præsertim a Columella eodem nomine appellaretur, plurimum dubito, quando hanc quidem inter *minimas* recenset Plinius (loc. cit.), qui non multo post *grandissimas* esse, dicit, quæ regiæ vocantur, *ab aliis majorinæ, ab aliis phauliæ*. Denique illud potissimum quæro, quomodo locus is, quem ex libro de Arboribus protuli, ita discrepet a superioris sententia, ut quod in hoc genus esse omnium speciosissimum dictum est, in eo *speciei* ipsius gratia spectata, tribus generibus postponatur. Num quod Columella, non baccarum, ut in priore, sed ipsius arboris speciem, pulchritudinemque respexerit? An quod irrepserit mendum aliquod? An quod liber de Arboribus non sit Columellæ? qua de re nimirum ambigitur in illa ipsius vita, quæ a Gryphio, & Stephano cum ejus scriptis edita est. In qua tamen de eo vicissim non ambigitur, quod multo minus certum est, Columellam videlicet scripsisse librum lustrationum sacrificiorumque priscorum pro frugibus, quem tantummodo constat promisisse (lib. 2. in fine) (2, 22, 5 & 6). Sed quanquam etiam Aldus major illa ipsa de re dubitaverit (Epist. ad Lector. ante Auctores Rei Rust.), neque ego audeam quidquam certi proponere; eo tamen facilius videor animum inclinare, ut suspicer, scriptum principio fuisse hunc librum de Arboribus a Columella, ut eum locum obtineret, unde ipsum non immerito amovit Jucundus: deinde vero cum rem totam ornatius, pleniusque tractandam existimasset, pro illo uno hunc quem modo appellamus tertium, & quartum præterea, quintumque scripsisse. Quod quidem credibilius videbitur iis, qui libri secundi, nec non quarti & quinti, præsertim vero undecimi initio perlecto, plane intelligent, non simul universum hoc opus, sed per singulos pene libros a Columella fuisse vulgatum, sic ut lectorum judiciis, & postulationibus, suoque insuper indulgens proposito totius Rei Rusticæ disciplinæ, quoad ejus fieri posset, cumulatissime absolvendæ, sæpe in posterioribus diserte tueretur, nonnunquam etiam iteraret, illustraret, augeret, perficeret, quæ in superioribus præceperat voluminibus. Verum sive liber is Columellæ est fusius rescribere meditantis, sive alterius qui hujus præceptiones fere describere, & strictim sæpe, nonnunquam aliquanto pluribus verbis tradere instituerit; sane cum pleraque præcepta atque adeo verba in eo libro, atque in hoc præsertim quinto, eadem esse, animadvertam; haud inutile fore, censeo, ut loci omnes qui sibi in utroque respondeant, inter se comparentur, deturque opera, ut quæ forte alterutro in libro vitiata sint, alterius ope restituantur. Ego aliquot exempla proferam; tu pro tua prudentia, quid sit faciendum, constitues. §. 15. Col. 5, 10, 7. In libro hoc quinto cap. 10. sic legimus: *Sed antequam arbusculas transseras, nota quibus ventis antea fuerant constitutæ, postea manus admoveto, ut de*

Digitized by Google

de clivo & ficco in humidum agrum transferas. Quo in loco si qui sunt qui existiment, *clivo*, & *ficco* non satis *humidum* agrum respondere, quærantque ideo quid deesse possit; inspiciant hi comparem locum in lib. de Arboribus cap. 20. (§. 2.) *Priusquam arbusculas transferas, rubrica, vel alia qualibet re signato, ut iisdem ventis, quibus ante steterunt, constituas eas, curamque adhibeto, ut ab superiore & ficciore, & exiliore in planiorem, humidiorem, pinguiorem agrum transferas.* Sane etiam Palladius, qui plurimum, ut supra dictum est, sequi Columellam solet, ita de re hac scripsit (lib. 3. tit. 19. §. 2.): *Plantas similiter notabimus, ut ipsis, quibus steterant cardinibus opponamus. De clivo, ficco, & exili in planum, pinguem, & humidum transferemus:* quibus tamen in verbis an vox *agrum*, aut alia ejusmodi desideretur, videndum est. §. 16. Col. 5, 10, 12. Sed multo magis videndum est, quæ in eodem Columellæ cap. 10. non multo post habentur: *Nucem Græcam serito circa Cal. Februar. quæ prima gemmascit: agrum durum, calidum, siccum desiderat;* non modo an aliter distinguenda sint, verum etiam, idque maxime, an ex iis sint emendanda, vel potius esse usui debeant in iis emendandis, quæ libro de Arborib. leguntur cap. 22. (§. 1.) *Nucem Græcam serito Arcturi signo, vel circa Calend. Febr. quæ pruinam nescit. Agrum calidum, durum, & siccum desiderat.* Nam alterutro in loco ob literarum similitudinem videntur librarii aut ex *pruinam nescit* effeciisse, *prima gemmascit*, vel ex *prima gemmascit*, *pruinam nescit*. §. 17. Col. 5, 10, 13. In his autem verbis quæ paucis post versibus utroque in loco sequuntur, in primo quidem sic: *Omnis autem nux unam radicem mittit, & simplici stylo prorepit. Cum ad scrobis solum radix pervenit, duritia humi coercita recurvatur, & ex summo duum ramorum ambas radices emittit;* in altero autem ad hunc modum: *Omnis nux unam radicem mittit, & simplici stylo prorepit. Cum ad scrobis solum radix pervenit, duritia humi coercita recurvatur, & extensa in modum ramorum alias radices emittit.* Vix dubitare posse videor, quin hæc; *extensa in modum ramorum alias*, ita a librariis priore in loco vitiata sint, ut nata videlicet sint ista: *ex summo duum ramorum ambas.* §. 18. Col. 5, 10, 15. Eodemque in loco cum paulo infra de malis punicis sic legam: *nos exiguum admodum laseris vino diluimus, & ita cacuminа arboris summa oblevimus. Ea res emendabit acrorem malorum*, eo facilius crediderim, legendum esse *emendavit*, quod in libro de Arboribus cap. 23. §. 1. eadem omnino verba comperio, nisi quod pro *emendabit* revera scriptum est *emendavit*; & pro *laseris*, *laser Cyrenaicum.* §. 19. Col. 5, 10, 17. In iis tamen, quæ mox subjiciuntur de piro, primo quidem in loco sic: *juxta ipsam radicem truncum findito, & fissuram cuneo tedæ pineæ adigito, & ibi relinquito;* in libro autem de Arborib. cap. 24. paulo aliter: *juxta ipsam radicem truncum findito, & in fissuram cuneum pineum tedæ adjicito, & ibi relinquito;* vide an aliquid ex utroque loco sumendo, utrumque præstet ita rescribere: *& in fissuram cuneum tedæ pineæ adigito.* §. 20. Col. 5, 10, 19.

Nam quod priore in loco paulo post sequitur: *mala, sorba, pruna post mediam messem usque in Idus Febr. serito*, emendandum omnino esse ex libro de Arborib. cap. 25, 1. *Mala æstiva, cydonea, sorba, pruna, post mediam hiemen usque in Idus Febr. serito*, eo credibilius est, quod Palladius (Jan. 15, 1. Febr. 25, 13 Sept. 14, 1 Nov. 7, 13) etsi pro alia locorum temperie alios etiam menses memorat, quibus sorba, mala, pruna serantur; id tamen tempus, quo messis habetur, aut ipsi proximum memorat nunquam. Quod si haud inutilem fuisse existimas inter superiores locos utriusque libri comparationem institutam; multo utiliorem fortasse existimabis, quam inter duos, qui proxime consequuntur, instituemus. §. 21. Col. 5, 11, 5. In ejusdem enim libri 5. capite 11. scriptum est ad hunc modum: *Ea autem fine, qua adraseris, surculos sic inserito, ut semipede, nec amplius de arbore extent, supra deinde muscum imponito, & ita ligato, ne pluvia dilabatur.* Locus autem, qui in lib. de Ar-

Digitized by Google

Arborib. cap. 26, ſ. 4. huic ipſi, ut ſuperiora etiam, ac conſequentia manifeſto commonſtrant, loco reſpondet, ſic habet:

Ea autem fine, qua adraſeris, ſurculos demittito ita, ut ſex digitis de arbore extent. In una autem arbore duos aut tres ramulos figito, dum ne minus quaternum digitorum inter eos ſit ſpatium: Pro arboris magnitudine, & corticis bonitate hæc facito. Cum omnes ſurculos, quos arbor patietur, demiſeris, libro ulmi, vel vimine arborem aſtringito: poſtea paleato luto bene ſubacto oblinito totam plagam, & ſpatium, quod eſt inter ſurculos uſque eo, ut duobus digitis inſita extent: ſupra lutum muſcum imponito, & ita obligato, ne pluvia dilabatur. Vides ut plura in hoc altero quam in priore loco tradantur: quæ ne conſulto ab Auctore omiſſa, ſed potius ab oſcitantibus librariis negligenter prætérita eſſe, putemus, cum res ipſæ per ſe docent, tum vero id commonet, quo nihil facilius eſt factu, ut videlicet ab illo primo *extent* ad hoc ſecundum *extent* temere, ut fit, in deſcribendo delapſi, plures interjectos verſus iiſdem, aut fere iiſdem verbis eadem præcepta continentes, tranſilire, primo illo in loco potuerint. Sane in idem ferme erroris genus eoſdem incidiſſe in libri etiam XI. capite 2. deſcribendo, ex vetuſtis codicibus intellexit Robertus Stephanus (in fine Oper. Columell.) ſed ne longius a propoſito loco deflectamus; Palladius quoque, Columellam, ut ſæpe diximus, plurimum ſequens, cum de hoc eodem inſitionis genere præciperet, hæc minime prætermiſit: (lib. 3. tit. 17. ſect. 2. ſq.)

— ſtatim ſurculum mergimus una parte deciſum ſalva medulla, & cortice partis alterius, qui ſupra arborem ſex vel octo digitis emineat. Duos vel tres vel plures ſurculos pro trunci qualitate conſtituimus: quaternis digitis (an *quaternos digitos?*) *vel amplius inter eos ſpatium relinquimus: tunc junco, aut ulmo: aut vimine ſtringimus, & ſupra lutum muſco tectum ponemus, ac ligabimus &c.* Illud unum diſſimulare non poſſum, dubitare me an integrum ſit verbum illud ultimum *dilabatur*. Cum enim veniebat in mentem, Columellam lib. IV. cap. 19. ſ. 8. de vitis inſitione ſcripſiſſe: *fiſſura diligenter ſubacto luto linitur, atque ſuperpoſito muſco ligatur, quod & calores & pluvias arceat*, non *dilabatur*, ſed *illabatur* ſcribendum eſſe, ſuſpicabar; præſertim cum etiam Cato poſt peractas inſitiones ſic præcipiat: (cap. 41. ſ. 4.) *inſuper linguâ bubula obtegito, ſi pluat, ne aqua in librum permanet.* Cum autem de eadem re in lib. de Arborib. cap. 8. ſect. 2. hæc legerem; *quidquid inſerueris viti, diligenter libro ligato, atque luto ſubacto paleato illinito, operitoque plagam, & ita alligato, ne aqua, ventuſve penetrare poſſit: deinde ſupra lutum muſcum imponito & ita religato; ea res præbet humorem nec inareſcere finit;* tum vero qua ratione ſervari quadantenus poſſet vulgata ſcriptura, intelligebam. Sed de hoc tu, Vir Cl. conſtitues, ut de his quoque duobus locis, quos cum inter ſe utroque in libro comparaverimus, protinus ad VI. librum tranſibimus. Hæc igitur in V. §. 22 Col. 5, 11, 7. Paulo poſt conſequuntur: *medium truncum acuto ſcalpello permodice findito, ita ut fiſſura digitorum trium ſit in ea: deinde cuneum, quo diducatur, inſerito.* At quanto melius in libro de Arborib. cap. 26 ſ. 6: *medium truncum acuto ſcalpro modice findito, ita ut fiſſura trium digitorum ſit. In eam deinde cuneum, quoad patietur, inſerito.* Pariter primi, atque alterius generis inſitionis deſcriptione abſoluta, cum de tertio nondum fieri cœpta ſint verba, illic quidem ita ſcriptum eſt: *Hoc tertium genus inſitionis, cum ſit ſubtiliſſimum, non omni generi arborum idoneum eſt;* hic vero omiſſa, ut decebat, prima illa vocula: (ibid.) *Tertium genus inſitionis, cum ſit ſubtiliſſimum &c.*

§. 23. Col. 6, 2, 8. Libro VI. cap. 2. *curandum ne in domitura bos calce, aut cornu quenquam contingat: nam niſi hæc caveantur, nunquam ejuſmodi vitia, quamvis ſubacta, eximi poterunt.* Suſpicor legendum eſſe, *quamvis ſubacto*, hoc eſt domito; hic enim, ut eſt perſpicuum, docet quomodo juvencos, qui de grege feri comprehenduntur, *ſubigi* conveniat (ſ. 1.) §. 24. Col. 6, 5, 3. Videndum autem cenſeo, an unum, & fortaſſe etiam alterum verbum inducendum,

Digitized by Google

dum, aut quid aliud faciendum ſit in eo loco capitis 5. *Tum paribus caſiæ, myrrhæque, & thuris ponderibus, ac tantundem ſanguinis marinæ teſtudinis miſcetur potio, cum vini veteris ſextariis tribus, & ea per nares infunditur.* Atque utinam Vegetius, qui plura, ut noſti, ex Columella deſcripſit, non hæc diviſiſſet (Artis Veterin. l. 3. c. 2) facile ex illo conjiceremus, quid in his verbis agendum eſſet, ut certe conjicio quid agendum ſit in iis quæ proxime conſequuntur: *Sed ipſum medicamentum ponderis ſex unciæ diviſum, portione æqua per triduum cum vino dediſſe ſat erit.* Cum enim Vegetius de ſanguine marinæ teſtudinis cum *vino per os dando ſcripſiſſet*, hæc ſubjecit (ibid.) *Pulverem & caſiæ fiſtulæ, nec non etiam thuris pro æqua parte admiſces, ex eo unam ſemis unciam cum ſextario vini veteris in die per nares bovis infundis. Quod medicamentum per triduum facies;* unde proclive eſt colligere, ita ſcriptum eſſe a Columella vel numerorum notis indicatum: *pond. ſeſcunciæ.*

§. 25. Col. 6, 6, 4 Capite autem inſequenti voculam deeſſe ſuſpicor eo in loco: *Ubi nec medicina proceſſit.* Nam cum paulo etiam ſupra medicina alia propoſita ſit, deinde, nonnullis de chirurgico auxilio interjectis, hæc altera medicina, & poſt hanc porro tertia imperetur, videtur fuiſſe ſcriptum fortaſſis: *Ubi nec hæc medicina proceſſit.* Neque enim iſtarum minus profecto gratum duarum vocularum concurſum declinare voluiſſe credendus eſt, qui modo ſcripſerat: *Si nec hæc profuit res*, atque alibi etiam (l. 12. c. 1. ſ. 2): *ſed nec hæc tantum* &c. (lib. 12. c. 52. ſ. 1.) *ſi nec hæc fuerit* &c. Illud accedit, verba quæ apud Vegetium illis Columellæ reſpondent, hæc eſſe (ib. c. 3.) *ſi iſta non valent:* Vides, ut poſt illos ſuperiores hunc etiam aditum aperire coner ad Columellam emendandum. Neque enim inficior, verum eſſe quod Reineſius ad Daumium ſcripſit (ep. 121): *Vegetium Columellæ exſcriptorem eſſe, & ad eum eſſe exigendum;* imo cum hæc ponam, illud adjicio, eſſe tamen, ubi viciſſim Columella ad Vegetium exigi poſſit, quod fortaſſe in aliis capitibus lucu-lentius oſtendam.

§. 26. Col. 6, 6, 5. Nam quæ in hoc ipſo 6. capite legimus: *Sunt & ante detractionem ſanguinis illa remedia, tribus heminis vini tres unciæ pinſiti allii permiſcentur, & poſt eam potionem* (bos) *currere cogitur.* *Vel ſalis ſextans cum cepis decem conteritur, & admiſto melle decocto* &c. apud Vegetium quidem ita propoſita inveniuntur (loc. cit.): *Ante detractionem tamen ſanguinis adhibentur iſta remedia: tribus heminis vini, quatuor unciæ contriti olei permiſcentur, poſtque potionem cogetur currere: duæ quoque unciæ ſalis cum decem unciis ceparum atteruntur: mel quoque decoctum admiſcetur* &c. Ego vero ita hic Vegetium ad Columellam exigendum eſſe, non dubito, ut pro *contriti olei*, *contriti allii* reponatur; imo etſi aliquos exiſtere poſſe video, qui viciſſim quærant, an apud Columellam non *cum cepis decem*, ſed *cum ceparum dextante* legendum ſit, librariis videlicet in numerorum notis intelligendis facile deceptis; ego tamen re ipſa, & verbis quæ apud Vegetium conſequuntur, perpenſis, hunc potius ex Columella emendandum in hac quoque parte, exiſtimaverim, ut pleriſque præterea in locis, quos collatis utriuſque tum his, tum inſequentibus paginis, nullo negotio proferre poſſem, niſi emendatos jam putarem ab his, qui Vegetium poſt A. 1528. (ejus enim anni tantummodo exemplar habeo) typographis tradidere. Itaque nunc tantum de Columella emaculando videamus. Quem ſi in iis tot locis, quos ſupra ex lib. V. & VI. produxi, quamvis in meis omnibus editionibus ad eundem modum ſcriptis mendis tamen inquinatum eſſe, credidi; quanto magis eſſe credam in extremo capite 8. (quod me fateor non intelligere) *Sed hæc his ſolum faſtidium eſt;* cum Juntina editio non *eſt* hic habeat, ſed *tollunt?*

§. 27. Col. 6, 10, 2. Minuſque pariter dubitabo, quin capite 10, uoi legimus: *Porri etiam ſuccum oleo, vel ipſa fibra cum ordeacea farina contrita remedio eſt;* reſcribendum ſit: *ſuccus cum oleo*, quando Rob. Stephanus ita ſcripſit: *ſuccus oleo*, præſertim cum Vegetius quoque hæc ita verba deſcripſerit (ibid. c. 4.)

Por-

Digitized by Google

Porri etiam ſuccus expreſſus cum oleo & ipſi febri cum hordeacea farina remedium præſtant: quo etiam ex loco erunt fortaſſe, qui cogitent, an alia in Columella emendanda ſint; ſed his ego non ita facile adſtipulabor. §. 28. Col. 6, 17, 1. Contra autem menda quæ initio capitis 17. in meis omnibus libris inſedere, experiar an poſſim tollere Vegetio adjutore. Id caput ſic incipit: *Eſt etiam mortifer iis* (bobus) *ſerpentis ictus, eſt & magnorum animalium noxium virus: nam & vipera, & cæcilia ſæpe cum in paſcua bos improvide ſupercubuit, laceſſita onere morſum imprimit. Muſque araneus, quem Græci σκυτάλην appellant, quamvis exiguis dentibus, non exiguam partem molitur.* Hæc ita Vegetius (ibid.)

Serpentis quoque ictus mortiferus eſt bobus, ſed & minorum animalium noxium virus. Nam vipera & celicia cum in paſcuis bos improvide ſupercumbit, ſtimulo morſus imprimunt. Araneus quoque, quem Græci migaltem appellant, parvi quidem corporis non parvam ſolet inferre perniciem. Hic ſi Vegetium ad Columellam rite exigere velimus; unum emendabimus verbum & pro *celicia* ſcribemus *cæcilia*. At ſi Columellam ad Vegetium; duo facile corrigemus. Nam pro *magnorum* reponemus *minorum*; neque enim magnum ullum hoc in capite virulentum animal memoratur: & pro σκυτάλην, quod quidem apud Græcos, non muris aranei, ſed ſerpentis nomen eſſe, ſcio, μυγάλην, quod apud ipſos, ut præclare noſti, muris aranei nomen eſt, vetuſtis inſuper libris, ut Rob. Stephanus obſervavit (in fine Oper. Columellæ)[n] auctoribus, reſcribemus. Præter quæ an *in paſcua* ſic itidem mutare oporteat, *in paſcuis*, videndum eſt. §. 29. Col. 6, 17, 3. Sed & paulo infra juvat utriuſque Auctoris verba comparare. Columella: *Hujus herbæ ſuccus vino miſtus infunditur faucibus, atque ipſa folio cum ſale trita malagmatis more, ſcarificationi intenditur: vel ſi hanc herbam viridem tempus anni negat, ſemina ejus collecta, & lævigata cum vino dantur potanda.* Vegetius (loc. cit.): *Hujus herbæ ſuccus cum vino faucibus infundatur, atque ipſa folia cum ſale trita imponantur in plagam. Quod ſi viridem minime reperiunt, ſemina ejus collecta & trita dantur ad potandum cum vino.* An *ſolio -- intenditur* (Gymnicus ſcripſit *foliis*, cæteri, in quibus Gryphius etiam ipſe in priore editione, *folia -- intenditur*) omnino mutandum ſit in *folia intenduntur*, quæri poteſt; certe *vivo*, quod Aldi, Gymnici, Stephani, & Gryphii poſtremum quidem exemplar proponit, in *vino* mutandum eſt. §. 30. Col. 6, 17, 5. Mox etiam hæc Columella: *Vel ſi id non adeſt, humorque oſtendit injuriam dentium* (muris aranei) *cuminum conteritur, eique adjicitur exiguum picis liquidæ, & axungiæ, ut lentorem malagmatis habeat. Id impoſitum perniciem commovet. Vel ſi antequam tumor diſcutiatur, in ſuppurationem convertitur, optimum eſt ignea lamina converſionem reſecare, & quidquid vitioſi eſt, inurere* &c. Sic autem Vegetius (ibid.) *Quod ſi non fuerit contritum ciminum cum picula, & axungia, ut ſimilitudinem malagmæ habeat, impoſitum plagæ perniciem ſubmovet. Quod ſi antequam tumor diſcutiatur, ſuppuratio fuerit generata, optimum eſt ignea lamina vel cauterio collectionem aperire, quidquid vitioſum eſt, inurere* &c. Hic quæro abs te, Vir Doctiſſime, non illud, an Columellæ ſcriptura utcumque defendi poſſit? ſed illud tantum, maliſne credere, ſcriptum eſſe a Columella, *perniciem commovet*, quam *perniciem ſubmovet: converſionem reſecare*, quam *collectionem* (hæc enim vox tumorem etiam, ut noſti, ac vomicam Latinis ſcriptoribus ſignificat) *reſecare?* Sane Gymnicus; credo, quod ibi vocem iſtam *converſionem* haud probaret; quod reſecandum eſſet, intelligi maluit, quam ponere, ſcripſitque ideo, *lamina reſecare*. Eſt etiam aliquid, quod etſi a Vegetio non indicatur, minus tamen rectum eſſe, ſuſpicor in primis ipſis Columellæ noſtri verbis: *Vel ſi id non adeſt, humorque oſtendit injuriam dentium;* videtur enim legendum, *tumorque oſtendit*, tum quia id conſequitur: *antequam tumor diſcutiatur:* tum quia hæc antecedunt: *Cæciliæ* morſus *tumorem, ſuppurationemque molitur. Idem facit etiam muris aranei.*

§. 31. Col. 6, 24, 2. Levius eſt quod

Digitized by Google

quod in capite 24. notavimus; sed & sententiam magis corrumpit, & mirandum magis est, ne id quidem ab ullo eorum qui editiones has nostras procurarunt, esse animadversum, videlicet hæc verba: *quod si aut fœmina recusat, aut non appetit taurus eadem ratione, qua fastidientibus equis mox præcipiemus. Elicitur cupiditas* &c. ad hunc modum esse distinguenda: — *præcipiemus, elicitur cupiditas* &c. §. 32. Col. 6, 26. 2. & 3. Cum autem sæpius legerim capitis 26. illam partem: *apprehendere testium nervos, quos Græci κριμαστῆρας ab eo appellant, quod ex illis genitales partes dependent, quibus comprehensis statim testes ferro resecare, & expressos ita rescindere, ut extrema pars eorum adhærens prædictis nervis relinquatur.*

Nam hoc modo nec eruptione sanguinis periclitatur juvencus, nec in totum effœminatur ademta omni virilitate, formaque servata maris generandi vim deposuit, quam tamen ipsam non protinus amittit.

Nam si patiaris eum a recenti curatione fœminam inire, constat ex eo posse generari. Sed minime id permittendum, ne profluvio sanguinis intereat: verum vulnera ejus sarmentitio cinere cum argenti spuma linenda sunt, abstinendusque eo die ab humore &c.; cum ergo sæpius hæc legerim, dubitare cœpi, non *a recenti curatione*, sed *a recenti castratione* esse legendum, cum ob alia quæ vel nota sunt, vel ex verbis consequentibus apparent, tum quia Palladius, qui, ut alibi etiam diximus, fere solet Columellam exscribere, illa eadem priora proponens, hæc subdit (l. 6. tit 7. s. 2.) *nec admittendum est, quod plerique faciunt, ut statim castratos coire compellant, nam certum est ab eis generari, sed ipsos fluxu sanguinis interire. Vulnera vero castraturæ cinere sarmentorum, & spuma linentur argenti — Castratus abstineatur a potu* &c. Sed & M. Varro (de Re Rust. l. 2. c. 5. s. 14.) *exemtis*, inquit, *testiculis, si statim admiseris, concipere.* Quod si forte quæras, cur sæpius illa, ut dixi, relegerim; memoria repete, quantum me Anatomes, & Chirurgiæ delectet historia, cujus videlicet gratia non hæc modo, quæ qualiacunque sunt, instituto tamen subserviunt meo, verum alia quoque magna cum voluptate apud Columellam me legisse confiteor, velut hæc proximo libro VII. cap. 9. (s. 5.) *Fœminis quoque* (Scrofis) *vulvæ ferro exulcerantur, & cicatricibus clauduntur, ne sint genitales;* capite autem 11. (s. 2.) alteram illam speciosiorem, sed magis periculosam castrationis suum rationem: *cum virilem partem unam ferro resectam detraxeris, per impressum vulnus scalpellum inserito, & mediam quasi cutem, quæ intervenit duobus membris genitalibus rescindito: atque uncis digitis alterum quoque testiculum educito*, sic *fiet una cicatrix* &c. Vides, ut jam tum nosceret membranam inter utrumque testem in modum sive communis septi, ut Recentiorum Anatomicorum quidam contendunt, sive peculiaris sacculi, ut alii docent, trajectam. Sed neque ignorabat peculiarem illam quam Chymici inculcant ad præparanda medicamenta fimi vim atque utilitatem: nam libro eodem capite 5. hæc scripsit (s. 8.) *oblitum vas in sterquilinio defoditur, ac toto anno fimi vapore concoctum, mox promitur: tepefactumque medicamentum linitur* &c. Neque tandem cum in hoc ipso libro VI. cap. 16. scripsisset (s. 2.) *solere neglecta ulcera scatere vermibus*, illud præcipere omisit, quænam circum ulcera adhibenda sint medicamenta, *ne infestentur a muscis, quæ sibi*, inquit, *ulceribus insederunt, vermes creant.* Sed nunc quidem, hisce præteritis, suspectos locos memorare pergamus.

§. 33. Col. 6, 27, 10. Capite 27. *ignobilis quoque vulgaris elicit cupiditatem* &c. Videtur & deesse, aut alia ejusmodi vocula, quæ videlicet duo illa adjectiva colliget, ut cap. 37. [s. 9.] *degener, & vulgaris asellus* itemque initio Libri VII. *vilis hic vulgarisque asellus.*

§. 34. Col. 6, 30, 6. Capite 30. *& ne plus justo exinaniatur, stercus ipsius jumenti fluentibus venis ad motum fasciis obligetur.* Etiamsi Vegetius (l. 2. c. 45.) hunc ipsum locum non sic descripsisset: *quod si plus profluat* (sanguis) *quam necesse sit, stercus ipsius jumenti fluentibus imponitur venis & fasciis alligatur*; tamen mirum fuisset, neminem eorum qui mea Columellæ exemplaria edidere; si

Digitized by Google

Rob. Stephanum excipias ; animadvertisse, scribendum esse *admotum*. Sed tamen magis mirum est quod protinus notabitur.

§. 35. Col. 7, 1, 2. Libro enim VII. cap. 1. in his verbis : *Hujus animalis tam exiguæ tutelæ plurima & necessaria opera supra portionem respondent, tum & facilem terram qualis in Bætica totaque Lybie sit, levibus aratris proscindat, & non nimio pondere vehicula trahat. Sæpe etiam* &c. ne Stephanus quidem animadvertit, non *tum & facilem ;* sed *cum & facilem* esse legendum. §. 36. Col. 7, 3, 3. Neque item cap. 3. in iis, quæ de maxime probato ariete conscribuntur : *intortis cornibus, non quia magis hic sit utilis (nam est melior mutilus aries) sed quia minime nocent. Intorta potius, quam surrecta & patula cornua, quibusdam tamen regionibus* &c. nisi quid aliud insit vitii, hanc distinctionem convenire : — *quia minime nocent intorta potius, quam surrecta, & patula cornua.* §. 37. Col. 7, 3, 4. Paulo autem infra, ubi scriptum est ; — *mutilum probabimus marem, quoniam est illud incommodum in cornuto, quid cum sentiat se velut quodam natura loco capitis armatum, frequenter in pugnam procurrit ;* mendum certe inest : quod qua ratione tollendum esset, difficile foret divinare, nisi Cl. Drackenborchius (ad Silii Italici Punic lib. 7. vers. 566.) nuper monuisset, in veteri codice ita scriptum esse : *quodam naturali telo capitis armatum* &c. §. 38. Col. 7, 3, 15. Porro in eodem 3. capite deesse aliquid crediderim, ubi agitur de gregis numero supplendo. Quod ut melius possit intelligi, totus describendus est locus: *nec committi debet, ut totus grex effœtus senectute dominum destituat : cum præsertim boni pastoris vel prima cura sit, annis omnibus in demortuarum vitiosarumque ovium locum totidem, vel etiam plura capita substituere, quoniam sæpe frigoris atque hiemis sævitia pastorem decipit, & eas oves interimit, quas ille tempore autumni, ratus adhuc esse tolerabiles, non submoverat : quo magis etiam propter hos casus, nisi validissima, quæ non comprehendatur hieme, novaque progenie repletur numerus, quod qui faciet* &c. Scilicet deesse videtur particula *non* legendumque *non nisi validissima*. §. 38. Col. 7, 6, 7. Fidentius vero in his capitis 6. verbis : *Parit autem, si est generosa proles, frequenter duos, nonnunquam trigeminos. Pessima est fœtura, cum matres bima ternos hœdos efficiunt ;* hic, inquam, fidentius non *bimæ*, sed *binæ* scribendum esse, asseruerim, quod etsi quinque reliquæ editiones repugnent, at illam saltem mecum facere invenio, quæ ab Joanne Gymnico est procurata. §. 39. Col. 7, 6, 9. Illud tamen, quod in hac & ceteris paulo infra neglectum est, leve sit licet, omittendum non putaverim, videlicet ut in iis, quæ de magistro caprini pecoris præcipiuntur : *per rupes, per solitudines, per vepres facile vadat, & non ut alterius generis pastores sequatur, sed plerumque ut antecedat gregem ;* nota aliqua distinctionis collocetur inter *pastores* & *sequatur*. §. 40. Col. 7, 8, 7, & 7, 12, 12. Sed in extremo capite 8. *Est etiam* (caseus) *non ingrati saporis muria perduratus, atque ita maligni ligni, vel culmi fumo coloratus* ; cum Juntinum exemplar, non *maligni* habeat, sed *malini*, quæro ex te, utrum hanc omnino censeas accipiendam esse Scripturam. In hoc autem loco ex cap. 12. *semper & lac, & spiritus maternus longe magis ingenii, atque incrementa corporis auget ;* putas ne omnia recta esse, & ne ullum quidem verbum in non suam sedem esse transpositum ?

§. 41. Col. 8, 2, 10. VIII. Libri capite 2. *Vasta fœmina & frequenter horrentibus plumis hirta : robusta crura, nec longa* &c. Permirum est, in nullo meorum exemplarium scriptum esse *femina ; fœmina* enim modo descripta, nunc qualem gallinaceum marem probet Auctor ostendit, Varronem secutus, cujus hæc sunt (de Re Rust. l. 3. c. 9. s. 5.) ; *feminibus pilosis, cruribus brevibus*. Res ita perspicua est, ut quocunque modo scripta vox illa neminem morari posse videatur.

Sed tamen Philippus Beroaldus ob ejusmodi scripturæ incuriam in Apuleii, Scriptoris alioqui nocturna, diurnaque manu ab ipso versati, loco quodam proponendo incredibilem in modum deceptus est in suis Columellæ enarrationibus (ad vocem

Digitized by Google

cem *Glaber.*) *Glabella*, inquit, *fœmina decenter dicitur Apulejo*, cujus *corpus est lævigatum, politum, nulloque pilo hispidum;* cum Apulejum (Metamorph. l. 2.) quidem non *glabella fœmina*, ut in Juntino (A. 1522. Florentiæ) etiam exemplari est, sed *glabella femina* scripsisse, ex proximis verbis intelligatur, ut non Photidem, sed ejus femina, vel id potius, qui fœmina erat, glabellum dixerit; quamobrem Elmenhorstius (Emendation. ad l. 2. Metamorph. Apul. pag. 122. v. 11.) non conjecturam modo Lipsii, sed & Florentini codicis auctoritatem sequi se posse, existimavit, & *glabellum* ibi *feminal* scribere. §. 42. Col. 8, 4, 1. & 8, 5, 5. sq. Capite 4. *excreta tritici minute commode dantur;* An Juntinam sequi editionem præstat, & reponere *minuta?* Capite 5. *gallinæ incubare cupiunt, ad Idibus Januariis, quod facere non omnibus permittendum est, quoniam quidem novellæ magis edendis, quam excubandis ovis utiliores sunt:* & mox iterum: *Aliæ melius excubant, aliæ editos pullos commodius educant. At e contrario quædam & sua & aliena ova comminuunt.* An *incubandis* & *incubant* rescribendum est? §. 43. Col. 8, 17, 4. Capite 17. quo loco agitur de marina aqua tum in piscinam inducenda, tum submovenda: *Nec dubium, quin quanto magis imo mari venit unda, tanto sit frigidior, quod est aptissimum nantibus. Sin autem locus ubi vivarium constituere censemus, pari libra cum æquore maris est, in pedes novem defodiatur piscina, & infra duos a summa parte cuniculus rivi perducatur, curandumque est, ut quam largissime veniant, quoniam modus ille aquæ jacentis infra libram maris non aliter exprimitur, quam si major recentis freti vis incesserit*, legemusne: *ut quam largissime veniat?*

§. 44. Col. 9, 3, 2. Libro IX. cap. 3. Columella memorat *nonnullas* (apes) *minimas, gracilesque, & acuti alvei ex aureolo, varias* &c. Videtur antiquo more scribendum, *acuti alvi, ex aureolo varias* &c. & tamen nostri omnes, præter Stephanum, ita distinguunt, ut primo proposuimus; *alvei* vel ipse Stephanus scribit. §. 45. Col. 9, 4, 4. Cap. 4. *At in hortensi lira consita nitent candida lilia, nec his sordidiora leucoja, tum punicæ rosæ, luteolæque, & Sarranæ violæ, nec minus cœlestis numinis hyacinthus;* quid si legamus, *cælestis luminis?* videtur enim hic Columella florum tantummodo colores spectare: idemque in libro insequenti scribit (10, 97.): *Candida leucoja, & flaventia lumina calthæ*, & mox (v. 100.): *Nec non vel niveos, vel cæruleos hyacinthos.* §. 46. Col. 9, 7, 2. Cap. 7. *Singula* (alvearia) *binis parietibus angustis contineantur, liberæque frontes utrinque sint. Nam & quæ procedunt, nonnunquam patefaciendæ sunt, & multo magis a tergo, quia subinde curantur examina.* Suspicor legendum esse, *qua subinde;* nam cap. 15. (s. v.) docet, quid faciendum sit favos demessuro, *ubi a posteriore parte nullum vestibulum patefactum habuerit alveare*, tum hæc addit (s. 11.): *Castratæ deinde alvi, si quæ transversos favos in aditu habebunt, convertendæ erunt, ut alterna vice posteriores partes vestibula fiant: Sic enim proxime cum castrabuntur, veteres potius favi, quam novi eximentur, ceræque novabuntur, quæ tanto deteriores sunt, quanto vetustiores. Quodsi forte alvearia circumstructa, & immobilia fuerint, curæ erit nobis, ut modo a posteriore, modo a priore parte castrentur:* §. 47. Col. 9, 8, 8. Capite 8. *Primum quam longe sint* (apes) *explorandum est, præparandumque in hanc rem liquida rubrica, qua cum festucis illitis contigeris apum terga fontem libantium* &c. Hic operæ pretium facturos nos arbitror, si Palladium hunc ipsum locum describentem (L. 5. tit. 8. s. 2.) inspexerimus. *Ac primo*, inquit, *quam longe sint, exploremus, aut proxime rubricam liquidam brevi vasculo infusam geramus, & observemus fontes, aut aquas vicinas: tunc dorsa apum bibentium tangamus illo liquore tincta festucula* &c. Fortasse hæc Palladii verba ad hunc modum sunt emendanda: *Ac primo ut quam longe sint, exploremus, aut proxime; rubricam* &c. Fortasse omissa etiam particula *ut*, satis est aut ita, ut distinximus, legere, aut sic — *proxime. Rubricam.* Verum utcumque hoc est, illud ex iisdem verbis

ſuſpicari proclive eſt, deeſſe in Columella unam, aut alteram vocem, legendumque in hunc fere modum: *præparandumque in hanc rem vaſculum liquida rubrica*, aut *cum liquida rubrica*. §. 48. Col. 9, 9, 3.

Capite autem 9. in his quidem verbis: *quod ne fiat* (hoc eſt ne apes peregrinam regionem petant) *boni curatoris eſt, vernis temporibus obſervare alveos in octavam fere diei horam, poſtquam non temere ſe nova proripiunt agmina*; etſi ſatis per ſe apparet, reſcribendum eſſe *poſt quam*, id eſt horam, juvabit tamen & Palladii (Jun. 7, 5.) reſpondentem huic locum tranſcribere: *Obſervabit autem cuſtos aſſiduus uſque in octavam, vel nonam horam, quia poſt hæc tempora non facile fugere conſueverunt*. §. 49. Col. 9, 9, 7. Paulo autem infra videas velim, deceatne vulgatam in Columella ſervare ſcripturam: *Itaque ſi conſtat principibus gratia, manet pax incruenta. Sin autem ſæpius aciem dimicanteis notaveris, duces ſeditionum interficere curabis*; an contra oporteat, *acie dimicanteis*, vel *acies dimicanteis* reſcribere. §. 50. Col. 9, 12, 2.

Capite 12. *Crepitaculis areis — terreatur fugiens juventus. Eaque quæ vel pavida cum repetierit alvum maternam, & in ejus aditu glomerata pependerit, vel ſtativo ſe ad proximam frondem contulerit, protinus cuſtos novum loculamentum in hoc præparatum perliniat intrinſecus prædictis herbis: deinde guttis mellis reſperſum admoveat*. Crediſne legendum, *eique*, an potius, *æque pavida cum vel repetierit* &c. §. 51. Col. 9, 13, 9. & 14. Capite 13. *Prodeſſe etiam putat apibus vetuſtate corruptis examen novum contribuere, quamvis periculum ſit, ne ſeditione conſumentur*. Legendum videtur *conſumantur*.

Ad extremum vero ejuſdem capitis, ubi apibus ob maximam florum copiam, magis mellificio, quam reparandæ ſoboli operam dantibus, *utiliſſimum eſſe* dicitur *tertio quoque die alveorum exitus præcludi, exiguis foraminibus relictis, per quæ non poſſunt apes exire, ut ab opere mellifico evocatæ, quoniam ſe non ſperent poſſe ceras omnes liquoribus ſtipare, fœtibus expleant*, aut eſt ſcribendum *avocatæ*, aut etiam in iis Tullii exemplaribus (Tuſcul. an. 1.) in quibus legimus: *à negotio omni evocamus animum*, minime neceſſe eſt reponere *avocamus*, vel *ſevocamus*. §. 52. Col. 9, 14, 6. Denique cap. 14. poſtquam rationem attigit Columella reparandi apes juvenco peremto, *Quam rationem*, inquit, *diligentius perſequi ſupervacuum puto, conſentiens Celſo, qui prudentiſſime ait, non tanto interitu pecus iſtud admitti, ut ſic requirendum ſit*. Hic vero ego in eadem opinione eſſe me, fateor, quam & alibi (Epiſt. in Corn. Cel.) indicavi, nimirum non *admitti*, ſed *amitti* eſſe legendum.

§. 53. Col. 10, 21. ſq. Libro autem X. non minus quam in iis locis, de quibus hactenus dictum eſt, meas omnes editiones peccare video in his verſibus: *Nec manibus mitis ferulas, nec cruribus æque Terga rubi, ſpiniſque ferat paliuron acutis*; niſi quod Juntina habet *æqua*: quod ut probandum videtur, ſic *miteis*, vel *mites* pro *mitis* reponendum. In his quoque *Tu quæ pallet humi, quæ frondes purpurat auro. Ponatur viola*; vix editio eadem: *Tum*; Stephani vero *Tunc* exhibet. §. 54. Col. 10, 121. Sed omnes iterum ſunt mendoſæ in hoc verſu: *Rutaque Palladiæ baccæ victura ſaporem*: quem propterea ita interpretatus eſt Junius Pompo. Fortunatus (comment. in hunc librum X. Columellæ) ut Palladiæ baccæ nomine *oleum* ſignificari, doceret, atque ita rem, ſi Diis placet, declarari poſſe, crederet: *Rutæ manipulus ſi liquamen, vel oleum deſierit, admixtus dapibus, & liquaminis, & olei vicem præſtat, ac eſcam ſapidiorem facit*. Vetus autem Codex a Cl. Drackenborchio (ad Silii Italici Punicor. l. 7. verſ. 354.) memoratus, non *victura* in eo verſu habet, ſed *jutura*, quem videlicet ad modum Palladium (l. 4. tit. 10. ſ. 36.) quoque ſcripſiſſe video, *humoribus juti*; ut ſententia ſit, Rutam ad juvandum, id eſt meliorem efficiendum olivarum ſaporem utilem eſſe. Quam ego ſcripturam eo magis probandam exiſtimo, quo magis ſententiam hanc confirmare poſſum, non modo ejuſdem Palladii, aut Catonis, ſed ipſius etiam Columellæ auctoritate. Mitto igitur Palladium

(l. 12.

Digitized by Google

(l. 12. tit. 22. ſ. 5.) qui ſic condire olivas docuit: *lectus baccas ex arbore ſtatim condias, rutam, & petroſelinum ſternes inter ſpatia ſtructionis, & ſubinde ciminati ſalis aſperſione cumulabis* &c. Mitto Catonem (cap. 119.), qui Epityrum (id eſt condituræ olivarum genus, ut Columella noſter (l. 12. c. 47. ſ. 9.) docet, quod in Civitatibus Græcis plerumque uſurpabant) ſic faciendum præcepit: *Ex oleis albis, nigris, variiſque nucleos ejicito. Sic condito. Concidito ipſas, addito oleum, acetum, coriandrum, cuminum, fœniculum, rutam, mentam* &c. Certe ipſe Columella (ibid.) cum Epityrum deſcribit, *in ſingulos*, inquit, *modios olivæ triti ſalis cocti ſingulos ſextarios infundimus: itemque lentiſci ſemen, rutæque, ac fœniculi folia* &c.; & in nigræ olivæ conditura (cap. 48. ſ. 5.) *olivam*, inquit, *in urceum, aut cacabum novum mittito ſubſtrato apio, & modica ruta;* & alio in loco (c. 47. ſ. 5.) qui huc potiſſimum pertinet: *At hæc oliva per ſe parum jucunda eſt, ſed ad eas condituras, quæ lautioribus menſis adhibentur, idonea maxime eſt: nam cum res exigit, de amphora promitur, & contuſa recipit quamcunque volueris condituram. Plerique tamen ſectivum porrum, & rutam cum apio tenero, & mentam minute concidunt, & contuſis olivis miſcent* &c. §. 55. Col. 10, 125. ſq. Proximi ſunt hi verſus: — *& lactis guſtum quæ condiat herba Dejectura quidem fronti data ſigna fucarum, Vimque ſuam idcirco profitetur nomine Grajo.* In quibus ut Georgio Alexandrino (enarration. priſcar. voc. in libr. de Re Ruſt. ad vocem *Lactis* &c.) concedam, de Lepidio verba fieri, hujuſque vi cutis ſquamas, maculas, cicatrices, aliaque id genus vitia emendari etiam poſſe; non tamen iſtic *fucarum* quid ſit, intelligam. Nam quod Fortunatus (comment. cit.) aſſerit, eſſe hanc Columellæ ſententiam, *quod lepidium dejiciat ſigna & ulcera quæ mulieres ſibi ex fucis fecerunt*, videturque propterea *fucorum* legere; nempe is ſyllabarum naturam, legeſque iſtiuſmodi carminis non attendit. Tu igitur, Vir Doctiſſime, hac etiam de re fac ſciam quid ſentias. §. 56. Col. 10, 230. ſq. Sed Fortunatus cum aliis in verſibus haud multum vidit, tum vero in his: *Quare age quod ſequitur, parvo diſcrimine ſulci Spargantur cæcis naſturtia dira colubris, Indomito male ſana cibo quas educat alvos, Et ſatureja thymi referens, thymbræque ſaporem;* in his, inquam, interpretandis (ibid.) tam cæcus fuit, quam ſerpentes illi, quos humiditate fere cæcos erumpere, ait de terra; illis enim, aſseruit, Columellam hic docere *naſturtium adverſari; ſatorejam autem eſſe male ſanam alvis quas alvos educat*. Scilicet non vidit, ſatorejam ad ſuperiorem verſum nihil attinere, in eoque *alvos* pro *alvus* ſcriptum eſſe, ut *equos, avos* ſæpe in antiquis monimentis nominandi caſu, quanquam in vetuſtis aliquibus Columellæ exemplaribus hic legi revera *alvus*, teſtatur Ro. Stephanus (in fine Oper. Columellæ). Itaque Victorius (Caſtigation. in Columellam l. 10. ſive Hortulum pag. 141.) cum illud animadvertiſſet, reſcripſit *alvus*, & *cæcas colubras* interpretatus egregie eſt ventris lumbricos, quos etiam naſturtio pelli ab Dioſcoride (de Mat. Med. l. 2. c. 149.) traditum eſſe, non ignorabat. Illud addi poteſt, idcirco hos dixiſſe Columellam ab alvo educari male ſana, *indomito cibo*, quia probe ſciret, quod etiam ſupra (l. 6. c. 25. p. 230.) docuerat, *lumbricos fere naſci cruditatibus*. §. 57. Col. 10, 248. ſq. Denique in his verſibus: *Quæque tuas audax imitatur Nyſie viteis, Nec metuit ſenteis, nam vepribus improba ſurgens Achrados, indomitaſque bionias alligat alnos.* mihi quidem *bryonias* videtur potius eſſe legendum, quod in antiquis etiam codicibus ab Stephano (loc. cit.) inventum eſſe ſcio.

§. 58. Liber XI. inſcribendus erat *Villicus*, quemadmodum duodecimus inſcriptus eſt *Villica*. Docet id ejuſdem libri duodecimi caput 18. (pag. 421.) ſic enim incipit: *Quamvis priore libro, qui inſcribitur Villicus.* §. 59. Col. 11. 2, 92. Cap. 2. *Nono Calendas Januarias Brumale ſolſtitium (ſicut Chaldæi obſervant) ſignificat.* Hic deſiderari puto quod ſignificatur. Neque enim ſic ita verba accipienda eſſe, quaſi Columella, ipſe

ipſe confirmaret, id ſignificari quod tradunt Chaldæi, cum illud indicat quod ſuperiore capite (pag. 364.) ſcripſit, ſe Aſtrologorum *obſervationes*, *improbiſſimaſque Chaldæorum pollicitationes* alio opere confutaviſſe, tum hæc commonſtrant quæ duobus ante verſibus ſcripta ſunt, ſi cum eo loco, de quo agimus comparentur: *Sexto decimo Calendas Januarii ſol in Capricornum tranſitum facit, brumale ſolſtitium, ut Hipparcho placet, itaque tempeſtatem ſæpe ſignificat.* §. 60. Col. 11, 3, 37. Capit. 3. Poſtquam & locum, & rationem culturæ docuit atri oleris, *ſeritur*, inquit, *a Vulcanalibus uſque in Calendas Septembris, ſed etiam menſe Januario menta dulcem deſiderat uliginem, quam ob cauſam juxta fontem menſe Martio recte ponitur.* Videntur hæc verba melius diſtingui in editione Juntina, ſic videlicet — *menſe Januario. Menta* &c. Niſi ita fiat; quo tempore atrum olus ſeri oporteat, Auctor præter morem, inſtitutumque ſuum omiſiſſe credendus eſt. §. 61. Col. 11, 3, 39. Magis etiam apparet paulo poſt, verba aliter eſſe diſtinguenda: *Thymum & tranſmarina cunila, & ſerpillum, ſicut priore libro jam retuli, magis alvearia curantibus, quam olitoribus ſtudioſe conſeruntur. Sed nos ea condimentorum cauſa* (*nam ſunt quibuſdam eſculentis aptiſſima*) non alienum putamus etiam *in hortis habere locum neque pinguem, neque ſtercoratum, ſed apricum* deſiderant. Et tamen vix in Editione Stephani invenimus iſta diſtincta — *etiam in hortis habere locum* &c. §. 62. Col. 11, 3, 43. Contra ſunt diſtincta in omnibus multo magis, quam oporteret, hæc verba: *Ea cum pingui, & ſtercoroſo ſolo poſt Idus Februarias ſic obrueris, ut quantum tres digiti ſeminis comprehendere queunt, ſingulis foſſulis deponas. Fere poſt quadrageſimum diem inter ſe implicantur;* perſpicuum namque eſt, ſic eſſe ſcribenda — *deponas, fere poſt* &c. §. 63. Col. 11, 3, 64. In extremo denique hoc libro cum hæc legamus: *omnium librorum meorum argumenta ſubjeci, ut cum res exegiſſet, facile reperiri poſſit, quid in quoque quærendum, & qualiter quidque faciendum ſit;* non illud modo dubium eſt, ſcripſeritne Columella aliquanto aliter, ut puta *reperiri poſſet* &c. *faciendum eſſet;* verum hoc inſuper certum eſt, & illa argumenta periiſſe, & feciſſe hic ipſum ad eundem quadantenus modum, ad quem A. Gellius, qui noctes ſuas hac clauſula abſolvit: *Capita rerum, quæ cuique commentario inſunt, expoſuimus hic univerſa, ut jam ſtatim declaretur, quid, quove in libro quæri, invenirique poſſit:* & continuo ſingulorum capitum argumenta ex ordine ſubjecit. Non ignoro, poſſe aliquos credere, iſta omnia ab aliis fuiſſe iis Noctibus adjecta, permotos auctoritate Th. Bartholini, qui in Diſſert. VI. de legendis libris, *Capitum*, inquit, *ſeu ſectionum index nec novus eſt, nec antiquus. In primis editionibus tantum comparet. Neque enim antiquorum libri per capita fuerunt diſtincti, ſed Voluminibus. Ita Plinius, Herodotus, Thucydides, Livius, Salluſtius, & alii Græci pariter, & Latini Auctores totum opus ſine diſtinctione capitum pari tenore perſcripſerunt.* Sed velim, ut mihi reſpondeant, ſcripſeritne Celſus lib. VI. cap. 12. *Linguæ quoque ulcera non aliis medicamentis egent, quam quæ prima parte ſuperioris capitis expoſita ſunt;* itemque lib. VIII. cap. 9. *Medicamentis vero iiſdem opus eſt, quæ prima parte hujus capitis expoſita ſunt;* & hæc Celſi verba an utrobique res ipſa comprobet? Quæ cum urgeo, non propterea tamen contendo, aut pleroſque ſcriptores veteres idem feciſſe, aut aliena eſſe a vero, quæ porro ſubjicit Bartholinus: *cum a poſterioribus ſcribis per capita, & ſectiones Libri Auctorum dividerentur, ſæpe ſine cura, & conſilio, conjuncta fuiſſe ſeparata, & vice verſa, quod non raro lectorem in lectione turbat.* Quinimo fateor, id alicubi vel Celſi ipſius ſcriptis; non modo Columellæ; accidiſſe. Et de Celſo quidem alibi (epiſt. in Corn. Celſum) oſtendi. Columella autem ſive libros ſuos indiviſos reliquit, ſive in majores quaſdam partes, ſi non in capita, ipſe diſtribuit, ut illa in extremo ſexto videntur indicare: *ſicut prioribus hujus voluminis partibus tradidimus, quæ curam boum, equorumque continent;* certe nullo modo

Digitized by Google

modo potuit ſic dividere, ut nunc habemus.

Quidquid enim aut libri quarti initio in primum atque alterum caput diviſum videmus, aut initio ſecundi primum caput inſcribi, aut initio quinti, octavi, undecimi primum caput inchoare; vel præfationis loco ipſe reliquiſſet, vel ſi capitibus accenſere voluiſſet, ſexti quoque & noni, & duodecimi libri exordia pariter accenſuiſſet. Neque item in eodem libro duodecimo caput 15. a 14; multoque minus tertii initium a fine ſecundi ſive eo in libro, ſive etiam in ſeptimo divulſiſſet. Neque facile in libri ſexti caput 17, in quo de ſerpentibus, aliorumque noxiorum animalium ictibus agi videmus, quæ ad oculorum vitia pertinent, compegiſſet: quam etiam partem quoties relego, excipique protinus animadverto capite 18, in quo iterum de noxio animalculo (hirudine videlicet, boum faucibus, ſtomacho, vel inteſtinis adhærente) verba fiunt; toties ſuſpicor, a librariis alicunde avulſam, huc temere fuiſſe conjectam, nec tamen nuper; cum eundem locum tenere videam apud Vegetium (lib. 3. cap. 4.) ubi plura ex ſexto Columellæ volumine deſcripta ſunt. Sed quod aliter hæc tamen apud Vegetium, aliter apud Columellam in capita ſunt diviſa, id quoque videlicet indicio eſt, non hanc quam habemus, diviſionem a Columella fuiſſe inſtitutam. Quid? quod hæc ipſa aliter in aliis editionibus occurrit. Ut enim illa omittam, quæ operarum potius negligentiam demonſtrant, ut in Aldina libri ſexti non modo octavum, ſed & nonum caput, iterum octavum; quinti autem libri non modo quintum, ſed & ſextum, iterum quintum; in editione item Gymnici, libri ejuſdem non modo ſextum, ſed & ſeptimum, iterum ſextum inſcribi, ſic ut omnia, quæ illa conſequuntur capita non ſuo propterea numero inſcripta ſint; ut, inquam, hæc prætermittam; Juntina certe editio librum ipſum primum in tredecim capita habet diſtributum, quem poſteriores, quibus utor, reliquæ habent in novem. Huc illud accedit, quod quæ non præcepta modo, ſed verba libro quinto in unum caput decimum collecta ſunt, eadem fere libro de Arboribus in octo capita ſunt tributa, ut præclare intelliget quicunque duodevicesimum, & ſeptem, quæ inſequuntur, capita cum illo uno decimo comparaverit. Quod cum fecerit, minus, opinor, mirabitur eorundem librariorum aut inconſtantiam, aut imperitiam, qui cum tot alios paſſim verſus, quemadmodum in more poſitum eſt, ſcripſerint, ſic ut verſus eſſe, vel oculorum judicio continuo quilibet agnoſcat; hos tamen (l. 2. c. 2. ſ. 18. Ibid. c. 8. ſ. 3. l. 5. c. 5. ſ. 7. l. 7. c. 3. ſ. 10. lib. 9. c. 3. ſ. 2. Ibid. c. 8. ſ. 13.) *& picis in morem digitos lenteſcit habendo. dum ſicca tellure licet, dum nubila pendent. & quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet. cum tonſis illotus adhæſit ſudor: & hirſutis ſecuerunt corpora vepres. ardentes auro, & paribus lita corpora guttis. trita meliphylla, & cærinthe ignobile gramen;* hos, inquam, quaſi vero verſus non eſſent, omnes, ut hic deſcripſimus, cæteris cum verbis Columellæ permixtos, confuſoſque exhibuere. Sed jam his, atque aliis ejuſmodi prætermiſſis, nunc quod facere inſtituimus, eorundem in ſingulis verbis deſcribendis hallucinationes notemus.

§. 64. Col. 12, 4, 5. Libro igitur XII. verbum aliquod Librarios in extremo quarto capite omiſiſſe potius crediderim, quam Columellam, quæ ait de *aceti*, *& duræ muriæ uſu*, ea cum ſuperioribus connectere voluiſſe, perinde quaſi ſex ſeptemve verſus, qui nexum aut diſſolvunt, aut certe plurimum infirmant, non intercederent. §. 65. Col. 12, 7, 1. Sub initium autem capitis 7, ubi *colligi*, *& reponi jubet cymam, caulem, capparim — item ferulæ cum coliculo ſilentes*, aut *flores* deeſſe ſuſpicor; nam mox addit, *ſilentem florem vitis albæ & aſparagi;* aut ſicut Juntinum habet exemplar, legendum eſſe *ferulas*.

§. 66. Col. 12, 17, 2. Ad finem vero capitis 17, *poſtea in junceis fiſcellis, vel ſparteis ſaccis percolant;* legendum videtur *percolent*; non modo enim hæc antecedunt: *ſunt qui multitudini ſtudentes aquam ficis permiſceant* &c. verum & hæc continuo ſequuntur: *ligatumque acetum inferveſaciant* &c. §. 67. Col. 12.

Digitized by Google

12, 19, 2. Sed quod legimus cap. 19. *Quæcunque vini nota sine condimento valet perennari;* etsi ita rarum est, ut in amplioribus Lexicis ne memoratum quidem inveniam, non tamen facile mutandum crediderim ab iis præsertim, qui in calce etiam 20. capitis (f. 8) hæc animadverterint: *marmoris, vel gypsi, quod flos appellatur, uncias singulas, item ad tertias decocti defruti sextarios binos singulis amphoris miscere oportebit; ea res etiamsi non in totum perennat, certe usque in alteram vindemiam plerumque vini saporem servat.* §. 68. Col. 12, 20, 2. Contra etsi in eodem vigesimo capite mea omnia, si Juntinum demas, exemplaria sic habeant: *Deinde si natura tenue mustum erit, cum ad tertiam partem fuerit decoctum, ignis subtrahendus est, & fornax protinus aqua refrigeranda: quod si fecerimus, nihilominus defrutum infra tertiam partem vasis consedit*; tamen, ut in Juntino, legendum videtur *consident*.

§. 69. Col. 12, 20, 5. Aliquanto infra: *Ad prædictum autem modum musti adjici debent ii odores, nardi folium, iris illyrica*, &c. *quorum singulorum libræ satisfacient. Item myrrhæ quincunx, calami pondo libram, casiæ selibram, amomi pondo quadrans, croci quincunx, cripæ pampinaceæ libram. Hæc, ut dixi, arida contusa, & cribrata debent adjici*, &c.

Hic velim videas, an librarii numerorum notas verbis reddentes in eo peccaverint, quod *libram*, & *selibram* scripserint pro *libra* & *selibra*. §. 70. Col. 12, 24, 1. Itemque cap. 24. in his verbis: *quæ cum in tantum refrixerit, quantum ne contacta corpus urat, partem aliquam ejus, quæ satis videbitur prædictæ pici immiscemus, & diligenter lignea spatha, vel etiam manu peragitabimus*; vide an legendum potius sit *immiscebimus*.

§. 71. Col. 12, 25, 3. Pariter cap. 25. ubi hæc scribuntur: *deinde cum refrixerit, tum quantumcunque humoris est, tantum in amphoram musti portionem adjici*; an *tantam* scribendum sit. §. 72, Col. 12, 48, 3. Capite autem 48. cum de olivarum conditura hæc traduntur: *Plerique tamen tres partes defruti, aut mellis, & unam miscent aceti, & eo, quo condiunt, jure. Quidam* &c. legendum crediderim, *& eo condiunt jure*, aut *eoque condiunt jure*; jus enim est istud ipsum quod iisdem verbis describit; neque enim necesse est, ut jus *liquor* eorum sit, quæ coquuntur; sic capite superiore 46. f. 2. *taleolas*, inquit, *radicum inulæ in umbra triduo, vel etiam quatriduo siccato; deinde siccatas in vasis* (an *in vasa*) *sine pice, interjecta cunila, conjicito, cunila imposita, sex partibus aceti una pars sapæ misceatur cum hemina salis cocti, ut hoc jure macerentur taleolæ, donec quam minimum amaritudinis resipiant.* §. 73. Col. 12, 55, 1, & 2. Sic capite etiam 55. quem locum aliam quoque ob causam huc transcribemus: *album acre acetum* (sinapi) *adjicito*, & *pistillo permisceto, colatoque. Hoc jus ad rapa condienda optime facit. Cæterum, si velis ad usum conviviorum præparare, cum exaniveris sinapi, nucleos pineos quam recentissimos, & amygdalum adjicito* &c. Hic ego legendum crediderim, non *exaniveris*, sed *exaniaveris*, sive *exsaniaveris*, hoc est noxium humorem expresseris, aut abstuleris; modo enim dixerat *manibus expressum — comprimito manu plana — aquam nitratam suffundito, ut omnem amaritudinem ejus* (sinapis) *& pallorem exaniet.*

Sed & capite 47. f. 9.) de oliva hæc scripserat: *prælo supponitur, vehementerque premitur, ut exudet quantulumcunque habet amurcæ. Patimur autem nonnunquam tota nocte, & postero die pondere pressam baccam velut exaniari:* & cap. 53. (f. 2.) *largum salem insarcito, compositisque supra tabulatum tergoribus, aut frustis* (carnis suillæ) *vasta pondera imponito, ut exanietur.* §. 74. Col. 12, 57, 5. Denique inspicias velim postremi capitis verba extrema: *quod si etiam cum laser non habueris, pro silphio mellis adjicies pondo semunciam*; videasque, an quidpiam in his quoque verbis a librariis peccatum sit.

§. 75. Col. Arb. 10. lem. Restat Liber de Arboribus. In hoc caput X. ita inscriptum est. *Vindemiam quomodo putes*; cum inscribendum, opinor, fuisset: *Post vindemiam quomodo putes*; hoc enim ejus capitis initium est: *Vindemia*

Digitized by Google

demia facta ſtatim putare incipito ferramentis quam optimis, & acutiſſimis, ita plagæ leves fient. Verum ut impoſitas a librariis inſcriptiones prætermittentes, verba ipſa Auctoris conſideremus; in hoc ipſo loco non credo *leves* ſcribendum eſſe, ſed *laves*; hæc enim continuo ſequuntur: *neque in vite aqua conſiſtere poterit, quæ ſimulatque immorata eſt, corrumpit vitem*, &c. Sed & libro IV. cap. 24. (ſ. 21. ſq.) cum iſtiuſmodi ferramentis putatorem uti juberet, inter alias eandem hujus præcepti cauſam ita propoſuit, quod ſi mollis, aut retuſa, & craſſa falx ſit, *plagæ aſperæ atque inæquales vites lacerent, unde fit, ut vitis laniata, ſcabrataque putreſcat humoribus, nec plagæ conſanentur.*

Cæterum hanc ego (ut alias ejuſmodi) animadverſionem omiſiſſem, niſi aut meæ omnes editiones in eo peccaſſent, aut hoc ad plures alios locos pertinuiſſet, quales ſunt libro IV. cap. 24. (ſ. 4.) *ferroque allevanda eſt, ut hibernas aquas reſpuat. Nam præſtat ex vulnere ſobolem repulleſcentem vellere, quam nodoſam & ſcabram plagam relinquere.* Libro V. cap. 6. (ſ. 13.) *ferra deſecari, & plagam falce allevari*, cap. 9. (ſ. 3.) *earum plagæ utraque parte falce leventur*; atque ut multos alios locos ſciens omittam, cap. 11. (ſ. 7.) *plagam diligenter levato*: quod & infra iteratur cap. 26. (ſ. 6.) in hoc ipſo libro de Arboribus.

§. 76. Col. A. 26, 7. Quocum libro, quoniam ſupra nobis utile fuit quintum comparare: nunc viciſſim experiamur, an utile ſit ipſum conferre cum quinto. Igitur quod hoc ipſo capite 26. ob unum fortaſſe omiſſum verbum ſubobſcurius videri poteſt: *Tertium genus inſitionis, cum ſit ſubtiliſſimum, non omni generi idoneum eſt: ET fere ea recipiunt talem inſitionem, quæ humidum, ſuccoſumque, & validum librum habent*; id in V. Lib. cap. 11. (ſ. 8.) admodum perſpicue dictum eſt: *Hoc tertium genus inſitionis, cum ſit ſubtiliſſimum, non omni generi arborum idoneum eſt*, SED *fere recipiunt talem inſitionem, quæ humidum* &c. §. 77. Col. A. 26, 8. Porro in ipſa quæ ſubſequitur hujus tertii generis deſcriptione hic quidem poſtquam traditum eſt, quomodo gemma ex una arbore ſit detrahenda, hæc ſubduntur. *deinde ex qua arbore inſerere voles, in ea nitidiſſimum ramum eligito, & ejuſdem ſpatii corticem circumcidito, & materiem delibrato, & in eam partem, quam nudaveras, gemmam hanc, quam ex altera arbore ſumſeras, aptato ita ut emplaſtrum circumciſæ parti conveniat.* Hic vero *nudaveris* pro *nudaveras*, & potiſſimum *in qua arbore*, pro *ex qua arbore* eſſe reſcribendum, cum inde intelligitur quod paulo ante dictum fuerat: *Ex qua arbore inſerere voles*, & abſolutò de illa ſermone, nunc de ea, in qua inſerendum eſt, verba fiunt; tum ex lib. V. (cap. 11. ſ. 10.) confirmatur, in quo iſta eadem res ſic proponitur. *poſtea item alterius arboris, quam emplaſtraturus es, nitidiſſimum ramum eligito, & ejuſdem ſpatii corticem circumcidito, & materiam delibrato: deinde in eam partem quam nudaveris, præparatum emplaſtrum aptato, ita ut altera delibratæ parti conveniat.* Sic enim Palladius (l. 7. tit. 5. ſ. 3.) idem docens, *Item*, inquit, *ex ea arbore, cui velimus inſerere, ſimiliter cum gemma tolletur emplaſtrum, nitido tamen, atque uberi loco.* §. 78. Col. Ar. 28, 2. Sed & quæ capite 28. habentur: *Mulieres quidem ſi lactis inopia premuntur, cythiſum aridum in aquam macerari oportet, cum tota nocte permaduerit: poſtero die expreſſi ſucci ternas heminas permiſceri modico vino, atque ita potandum dari*; ſi hæc, inquam, cum iis comparentur, quæ libri V. capite ultimo (12, 2.) ſcripta ſunt; multo proclivius erit cognoſcere, poſt *oportet*, facili omiſſione vocula *&* eſſe prætermiſſam, atque totum locum ita ut ibi (pag. 204.) legitur, eſſe reſcribendum. *Mulieres quidem, ſi lactis inopia premuntur, cythiſum aridum in aquam macerari oportet, & cum tota nocte permaduerit, poſtero die* &c.

§. 79. Col. Arb. 30, 1. & 2. Atque utinam in libro V. ut de cythiſo, ita etiam de viola, & roſa Columella ſcripſiſſet; longe facilius eſſet conjicere, quid duobus de locis capitis 30. ſit ſtatuendum. Alter in ipſo eſt initio: *Violam qui facturus eſt.* Quæro enim, opor-

Digitized by Google

oporteatne Scripturam hanc retinere, an potius *ſaturus* reponere, cum hæc ſequantur: *terram ſtercoratam & repaſtinatam minimum alte pedem in pulvinos redigat. Atque ita plantas hornotinas ſcrobiculis pedalibus factis ante Cal. Mart. diſpoſitas habeat.* Alter locus eſt paulo infra: *Roſam fruticibus ac ſurculis diſponi per ſurculos pedales convenit per idem tempus quo & viola;* ubi ego ſcribendum crediderim non per *ſurculos pedales*, ſed aut per *ſcrobiculos pedales*, ut paulo ante de Viola dictum eſt, aut potius, ut aliis quoque ante me viſum eſſe ſcio, per *ſulculos pedales*; certe Palladius (l. 3. tit. 21. pr.), qui ſolebat Columellam reſpicere: *roſaria*, inquit, *conſeremus, quæ ſulco breviſſimo aut ſtrobibus ponenda ſunt, vel virgultis, vel etiam ſemine.*

§. 80. Pall. 1, 24, 2, & 3. Hactenus de Columella: in quo cum plura, quam ab initio exiſtimabam, notata ſint; ideo non multa in Palladio notabuntur, quæ forte in ipſo, dum Columellæ penitus intelligendi cauſa inſpicerem, ſic aliud agens animadverti. Lib. I. tit. 24. *A muſtellis tutæ fient* (columbæ) *ſi inter eas frutex -- projiciatur --, non pereunt. Et neque locum deſerunt, ſi per omnes feneſtras* &c. An ſic potius diſtinguendum -- *Non pereunt, neque* &c. Ibidem: *Inducunt alias, ſi cumino paſcantur aſſidue, vel ſetoſi hirci alarum balſami liquore tangantur.* Si Palladium ſic revera ſcripſiſſe putamus: num ita intelligemus, ut *ſetoſi illi hirci* partes quædam ſint alarum balſami liquore tangendæ?

Quod autem mox bis *herbum* pro *ervum*, ut ex Columella (l. 8. c. 8. ſ. 6.) & Varrone (l. 3. c. 7. ſ. 8,) intelligitur, poſuit, an fecit, quod potius ab ὄρoβος cum Feſto (De verb. ver. ſignific. l. 5.) quam ab eruendo, cum aliis, dictum ervum arbitraretur? §. 81. Pall. 1, 32. Tit. 32. *Fœni, palearum, ligni, cannarum repoſitiones nil refert, in qua parte fiant, dummodo ſiccæ ſint, atque perflabiles, & longe removeantur a villa propter caſum ſurripientis incendii*, an *ſurrepentis incendii*?

§. 82. Pall. Febr. 9, 8. Libro III. tit. 9. *Caput ſarmenti, cum deponitur, torquendum non eſt, nec aliquo modo vexandum, nec demerſa penitus fœcundiore parte, quod ſterili proximum eſt, ſupra terram relinquatur.* Legendum videtur, *ne demerſa*. Sequitur enim: *deinde quoniam ipſa tortura vexatio eſt, & pars ea, de qua radix futura præſumitur, injuriæ nulli ſubjicienda eſt, cum qua contendere cogatur ante, quam teneat*; itaque cum hæc ratio altera ſit, altera anteceſſerit, neceſſe eſt; ſane præceptum non eſſe, ſed rationem, quod de fœcundiore parte dicitur, luculentiſſime oſtendit Columellæ caput quod hic ſpectavit Palladius, duodeviceſimum Libri III. (ſ. 4.) demonſtrat enim, qui ſarmenti caput contorquet, ea duplicatione conſequi, ut omnis fœcundior ejus pars obruatur, conſumaturque. §. 83. Pall. Febr. 15, 1, & 2. Tit. 15. *Novellam vitem Columella dicit a primo anno ad unam materiam eſſe formandam, nec recidendam totam, ſicut Italiæ conſuetudo eſt. Anno ſecundo expleto, quia vel intereant vites in totum reciſæ, vel infœcunda ſarmenta producant.* Hic vero ſic verba eſſe diſtinguenda, *nec recidendam totam, ſicut Italiæ conſuetudo eſt, anno ſecundo expleto, quia* &c. Locus quoque oſtendit, quem Palladius indicat ipſius Columellæ (l. 4. c. 11. ſ. 1.) in quo Virgilium, Saſernam, Stolones, Catones *non ſolum in eo erraviſſe*, ait, *quod primi anni capillamenta ſeminum* (vitis) *intacta patiebantur, ſed & poſt biennium cum viviradix recidenda erat, omnem ſuperficiem amputabant ſolo tenus*, &c. Deinde eaſdem, quas hic Palladius, affert rationes.

§. 84. Pall. Febr. 24, 3. Tit. 24. *Hoc etiam menſe cepullas ſeris, ſed conſtat & vere, & autumno eſſe ſeminandas. Si ſemen ejus ſeveris, in caput creſcit* &c. videtur legendum, *ſemen earum*: videturque pariter legendum eſſe *ſemen eorum*, uti in proximo libro IV. tit. 9. (ſ. 6.) hæc habentur: *ſemina ejus mulſo, & lacte per triduum maceranda ſunt*; illa enim antecedunt: *Nunc melones ſerendi rarius*; hæc autem ſequantur: *hinc ſuaves efficientur.* §. 85. Pall. Feb. 24, 8. Infra eodem titulo 24. *Mihi etiam illud utile videtur, ac diligens, ut aſpa-*

Digitized by Google

asparagi agrestis radices plurimas in unum locum congeramus cultum, vel certe saxosum. Scribendum crediderim *inculcum*, præsertim cum id continuo sequatur: *quæ statim fructum dent ex loco, qui aliud nihil alebat.* §. 86. Feb. 25, 4. Tit. 25. *Si languida arbor est piri, vel ablaqueatæ radicem terebras, & ibi ligneum palum de primis, vel* &c. Sane hic perspicuum est, scribendum esse *deprimis*, neque tamen scriptum video, nisi in editione Juntarum.

§. 87. Mart. 9. 3. Libro IV. tit. 9. *Singulis sane annis a codice auferendæ sunt plantæ, ut nec matres fatigentur, & soboles per alia spatia digerantur: cum aliqua tamen radices parte vellendæ sunt.* Hic etiam, si Juntinam excipias, meas omnes editiones peccare existimo, scribendumque *radicis*. Titulo autem 10. (s. 20.) ubi de Mespilo: *si putatur, hinc arbor sterilis fieri, fimus, & cinis vitium simul si radicibus infundantur, fertilem reddunt;* pessime erratur non modo in Aldi, sed & in Juntarum editione; sic enim scribitur: *fieri. fimus;* quasi vero Palladius diceret, arborem a putatione sterilem fieri, cum hoc dicat, si ab adhibita viva calce de qua modo sermo fuerat, timetur, ne arbor sterilescat, ideoque ita verba distinguenda sint, uti a Rob. Stephano factum est: *si putatur hinc arbor sterilis fieri, fimus* &c.

§. 88. Pall. Mai. 1, 1. Sed quid esse manifestius potest, quam in ipso Lib. VI. initio: *Majo mense locis frigidis, & humectis panicum seremus, & nullum more, quo dixi;* non scribendum esse *nullum*, sed *milium*, quando ejus capitis inscriptio hæc est; *De panico, & milio* &c., & tamen cum in Juntino exemplari esset *milium*, cæteri, qui Palladium postea ediderе, scripserunt *nullum;* quinimo Seb. Gryphius cum in priore quidem editione scripsisset milium, in altera rescripsit *nullum*.

§. 89. Pall. Jun. 7, 2. Libro VII. tit. 7. *Fumus admovetur ex Galbano, & arido fimo bubulo, quem in pultario factis carbonibus convenit excitare.* Columella sic (l. 9. c. 15. s. 5.) *fumum admovebimus factum galbano, vel arido fimo. Ea porro vase fictili prunis immissa conduntur:* quæ verba cum confero, suspicor, Palladium scripsisse, *mistis carbonibus*, aut *in pultarium factis carbonibus;* nam illud *factis* minus placet.

§. 90. Pall. Jun. 7, 7. Sed utilius fortasse erit, quæ infra scribuntur de apum regibus, comparare cum alio Columellæ loco; Palladius sic: *pulchri coloris, & nitidi, leves sine pilo, nisi forte pleniores quasi capillum gerunt in ventre, quo tamen non utuntur ad vulnus.* Columella (l. 9. pag. 327.) autem sic: *pulchri coloris, & nitidi, leveque, ac sine pilo, sine spiculo, nisi quis forte pleniorem quasi capillum, quem in ventre gerunt, aculeum putet, quo & ipso tamen ad nocendum non utuntur;* quibus ex verbis facile est conjicere, nonnulla fortasse verba Palladii librariorum incuria esse prætermissa, aut saltem *pleniorem* scribendum esse pro *pleniores*.

§. 91. Pall. Sept. 13, 2. Libro X. tit. 13. ubi capparim seri jussit *solo sicco, & gracili*, continuo hæc addit; *herbas sponte persequitur;* scribendum suspicor: *herba sponte persequitur*. Neque enim id vult quod Columella (l. 11. c. 3. s. 55.) cum illam *noxium virus habere* docuit, *succoque suo sterile solum reddere;* nam hoc Palladius paulo ante dixerat iis verbis, *succo suo terris nocet*. sed id facile vult, quod Columella (ibid.) pariter ad hunc modum tradidit: *cultu aut nullo, aut levissimo contenta est. Quippe quæ res etiam in desertis agris citra rustici operam convalescit*. scilicet hoc opponit Palladius iis, quæ de origano proxime scripsit: *Nunc circa æquinoctium seres origanum: stercorari, ac rigari donec convalescat, appetit;* Capparim autem seras modo; sponte ipsa proveniet, ac convalescet.

§. 92. Oct. 5, 1. Libro XI. tit. 5. non minus fortasse proderit Columellam inspicere, quem sæpe adeo respiciebat Palladius. Ipse igitur Palladius sic: *Sed hæ radiculæ* (vitis) *non ad siccum debent recidi, ne aut plures inde nascantur, aut* &c. Quid obsecro te, esse dicemus in hoc loco *recidere ad siccum?* Neque enim siccum illud est, unde si amputentur

Digitized by Google

radiculæ, renaſci plures poſſunt: neque ſiccæ ſunt ipſæ, quæ præcidi debent, radiculæ; nam ideo præcidendæ ſunt, ne *ſi convaluerint*, ut duobus ante verſibus dictum eſt, *inferiores* radices faciant *interire*.

An illud ergo relinquitur, ut non *ad ſiccum* ſcribamus, ſed *ad truncum*, quod Columella (l. 4. c. 8. ſ. 2.) videtur indicare eadem præcipiens hiſce verbis: *minime applicandum eſt ferramentum ipſi materi, quoniam ſi juxta truncum radicem præcideris, aut ex cicatrice plures enaſcentur*, *aut* &c. §. 93. Pall. Oct. 19, 1. Tit. 19. *paſſum nunc fiet ante vindemiam, quod Africa ſuevit univerſa conficere pingue, atque jucundum, & quoad conditum, ſi utaris mellis vice, ab inflatione te vindices.* Traditur deinde ratio paſſi conficiendi, & ſic denique ſermo abſolvitur: *Hinc paſſum eſt quidquid effluxerit, & conditum vaſculo, mellis more ſervatur.* Quæro itaque, an legendum ſit: *& quod conditum, ſi utaris mellis vice, ab inflatione te vindicet*, aut etiam: *& quod conditum ſi utaris mellis vice, ab inflatione te vindices;* nam memini & Plautum, & Q. Scævolam, & M. Varronem, & alios verbum *utor* cum accuſandi caſu junxiſſe.

§. 94. Pall. Nov. 13, 2. Libro XII. tit. 13. quæro ex te, Vir Clar. quid deeſſe aut quid vitii eſſe cenſeas in iis verbis: *Qui* (agni) *donec firmentur, intra ſtabulum furfuribus, vel medica herba, vel* (*ſi eſt copia*) *farina hordei paſcantur ingeſta, donec conceptum pauliſper robur ætatis, paſcuum matribus poſſint habere commune.* Legemus ne -- *concepto pauliſper robore ætatis;* aut nullo verbo mutato, tantummodo voculam *&* ante *paſcuum* addemus?

§. 95. Pall. Inſ. 158. ſq. Multo autem magis quæro, in Lib. XIV. ſive de Inſitionibus, ubi de Piſtaciis ſermo eſt, quomodo emendandum cenſeas verbum, quod nec ſententiæ convenit, & carminis legibus repugnat in horum verſuum altero:

Quin & amygdalios ſubeunt piſtacia ramos,

Et debitum majus de brevitate petunt.

Num pro *debitum* reponendum *pretium?* Nam ſupra quidem, ubi agitur de pomo, vix dubito, quin iis in verſibus: (v. 87. 88.)

Robora thyrſigero platani concordia Baccho.
Fœtibus inſtituit plena rubore novis;

pro *rubore* legendum cenſeas *rubere*, præſertim cum ante (v. 61. ſq.) de piro dictum ſit: *Phyllida quin etiam grandi miteſcere fructu Inſtituens.* -- Atque hæc in Palladio nunc habui, quæ notarem; nam ſupra alia etiam aliquot in eodem, cum de Columella ſcriberem, animadverti. §. 96. Varro 1, 55, 4. In Varrone autem, quem eaſdem ob cauſas ſubinde in manus ſumſi, rogo te, ut perpauca hæc mecum velis diligenter perpendere.

Libro I. cap. 55. *Olea, ut uva, per idem bivium redit in villam, alia ad cibum eligitur, alia ut eliqueſcat.* Hic Victorius (Explication. ſuarum Caſtigat. in Varron. pag. 68): *Alia ad cibum eligitur. Maculam habet optimus codex.* Lædatur *enim hic ſcriptum eſt.* *Quomodo ex vetere lectione locus corrigi debeat, ſi pervulgata mendum continet, docti viri cogitabunt.* Tu igitur, Doctiſſime Vir, cogita, ſit ne pro *eligitur* reſcribendum *laudatur*.

§. 97. Varro 2, 2, 20. Libro II. cap. 2. locus eſt, de quo miror, neminem adhuc, quod ſciam, dubitaſſe: *De ſanitate ſunt multa, ſed ea* (*ut dixi*) *in libro ſcripta magiſter pecoris habet.* Mihi vero ſcribendum videtur non, *ut dixi*, ſed *ut dixiſti*, vel ſi quis minus velit a vulgata ſcriptura recedere, *ut dixti*. Neque enim hic loquitur ſcriptor, ſed is, quem induxit, Atticus, neque Atticus illud dixerat, ſed Scrofa (L. 2, 1, 21.),

Quarta pars eſt de ſanitate; eamque partem his verbis abſolverat (ſ. 23.)

Item ad alios morbos alia cauſæ, etiam alia ſigna in omni pecore, quæ ſcripta habere oportet magiſtrum pecoris.

Itaque aut octogenarium iſtum ſenem Varronem multo magis oblivioſum, ſuique inſtituti immemorem credamus neceſſe eſt, quam hi ipſi libri ſumma eruditione ac diligentia ſcripti putantur; aut potius cenſeamus, Atticum, qui ut Scrofæ roganti ſatisfaceret, ſuum hunc ſermonem ita inceperat, ut ipſi reſponderet (2, 2, 2.):

Ego,

Digitized by Google

Ego, opinor, incipiam primus, quoniam in me videre conjeciſſe oculos; ubi ad eam partem, quam Scroſa ſatis tractaverat, de ſanitate, pervenit, ipſum potiſſimum intuentem, alloquentemque, ſic ut indicavimus, loquentem induci: *De ſanitate ſunt multa, ſed ea, ut dixiſti, in libro ſcripta magiſter pecoris habet.*

§. 98. Varro 2, 4, 8. Cap. 4. *Verris octo menſium incipit ſalire: permanet, ut id recte facere poſſit, ad primum, deinde it retro, quoad perveniat ad lanium.* Sic Victorius antiquis libris auctoribus, emendavit. Sed ut fatetur, in his ſcriptum fuiſſe, *id retro*, & tamen ſe ſcripſiſſe *it retro*; ſic decebat ipſum pariter dubitare, num integra eſſet vox illa *primum*; quid enim ibi eſt *permanet ad primum?* Nam quod ipſe *annum* intellexit, vereor ne fecerit precario. Quid? quod res præterea repugnat. Nam Victorius ipſe Plinii verba profert, *non ultra trimatum generare verres*, docentis: quæ etſi conatur eludere ad hunc modum, *quamvis autem uſque ad trimatum generent, ad primum annum facere id recte poſſunt, ut credidit Varro: poſtea languidiores fiunt, nec tam bene munere illo funguntur;* tamen Columella (l. 7. c. 9. ſ. 2.) hoc tollit effugium, diſerte affirmans, *verres ab annicula ætate commode progenerare, dum quadrimatum agant.* Hæc dum ſcriberem, & qua ratione prorſus reſtitui hic locus poſſet, mecum ipſe cogitarem; ecce Vir Cl. Pontedera meus, atque adeo noſter, diu a me quæſitam Varronis editionem mittit, quam Auſonius Popma procuravit. In hac non *ad primum* lego, ſed *ad trimum*, idque, ut opinor, recte; ad eundem enim modum, fortaſſe huc reſpiciens, ſcripſit Palladius (l. 3. tit. 26.); *verres uſque ad quadrimos inire fœminas poſſunt;* ut Varronis (qui & infra cap. 7. ſ. 13. ait *poſt trimum*) loquendi modum, Columellæ autem ſententiam exprimeret: quæ tamen a Varronis ſententia multo propius abeſt, quam illa Victorii; niſi forte omnino conciliari etiam poteſt. §. 99. Varro 2. Fruſtra autem quæſivi, quid infra ſenſerit idem Auſonius in eo loco: *Hujus ſuis* (Æneæ) *ac porcorum etiamnum veſtigia apparent Lavinii.* ſcilicet ad hunc ipſum modum ſcripſit, atque adeo deſcripſit Victorium: qui etſi confitetur, vetuſtam ſcripturam hanc fuiſſe, *apparent jamne*; tamen cum *oppidum ſignificari debere depravata illa voce*, intelligeret, *Lavinii* maluit ex ingenio reſcribere, quam litterarum veſtigiis firmius inhærendo, alicujus alterius oppidi nomen, ut puta *Interamnæ* eruditis Viris proponere, quod videlicet, ut abs te peto, perpenderent, atque in hiſtoriæ latinæ monumentis, an huc pertinere poſſet, inquirerent. Quod ſi minus litteras ſequi volebat; at certe cogitare illud poterat, non magis *Lavinii* in ea voce veſtigia eſſe, quam *Romæ*.

§. 100. Varro 2, 9, 4. Capite 9. vide, an forte verbum aliquod deſideretur in Canum deſcriptione. Quo enim modo hæc ſatis intelligam: *colore potiſſimum albo, quod in tenebris ſpecie leonina?* Quod ſi quidpiam deeſſe putes juvabit Columellam (l. 7. c. 12. ſ. 3.) inſpicere, qui cum in deſcriptione eadem, ad Varronem, ut haud raro ſolebat, reſpiceret, *paſtor*, inquit, *album* colorem in cane *probat, quoniam eſt feræ diſſimilis, magnoque opus interdum diſcrimine eſt in propulſandis lupis ſub obſcuro mane, vel etiam crepuſculo, ne ſi non ſit albo colore conſpicuus, pro lupo canem feriat.*

§. 101. Varro 3, 5, 9. Lib. III. cap. 5. *ubi confluit altera amnis*, ſic enim Rob. Stephanus, Seb. Gryphius, Auſonius Popma ſcribere malunt, quam *alter amnis*, uti in Juntarum, Aldi, Gymnici exemplaribus, imo in priore etiam ipſius Gryphii ſcriptum fuerat. Auctorem illi habent Victorium qui *annis*, inquit, *hic muliebri genere appellatur in fideliſſimis libris, quemadmodum ſæpe a vetuſtis auctoribus appellatam Nonius docet, qui etiam Varronis ipſius hoc exemplum adducit, περὶ πλόου libro primo: In hac civitate agros colunt arenoſos: propter hos fluit amnis, quam olim Albulam dicunt vocitatam.* Pompa (Not. ad hunc locum Varronis) Victorio, niſi quod Libri Varroniani inſcriptionem corrigit, ſic aſtipulatur: *ubi confluebat altera amnis.* Sic enim Varro loquitur, ut Periplo lib. 1. *Propter hos fluit amnis, quam olim Al-*

Alluiam dicunt vocitatam. Equidem nihil ego eorum negaverim, quæ ab his duobus eruditissimis viris observata sunt. *Altera annis* scriptum erat in fidelissimis libris. Credo; sed nihil librariis sæpius accidit, præsertim dictante aliquo, ut plerumque solebant, codices antiquos describentibus, quam ut insequentis vocis litteras primas cum prioris extremis confunderent, & sic aliquam interdum omitterent, alias duplicarent. *Amnem* sæpe a vetustis auctoribus muliebri genere appellatam esse, Nonius (de Propriet. Serm. ubi de Indisc. Gener.) docet. Faceor; sed tamen a poetis; Nam Plautum, Nævium, Accium, auctores laudat.

At enim iis hunc quoque addit, de quo agitur, Varronem. Non inficior, neque tamen vereor, ne me audacem putes, si contra atque Ausonius, Victorius, Nonius ipse sine ulla dubitatione arbitrati sunt, contendam, ex eo, quem producunt, Varronis loco minime constare, hunc *amnem* fœmineo genere dixisse. Quid enim? Num quia scriptum est a Sallustio: *est locus in carcere, quod Tullianum appellant*; a Cicerone autem: *domicilia conjuncta, quas urbes dicimus*; denique (ne, si plura congeram, ad te præsertim scribens, ineptus videar) a Livio: *Anxur fuit, quæ nunc sunt Terracinæ, urbs prona in paludem*, num, inquam, propterea Sallustius *carcerem* neutro, & Cicero *domicilium*, aut Livius *Anxur* muliebri genere appellavisse dicendi sunt?

Habes Vir Doctissime, de locis plurimis Columellæ, de quibusdam Palladii, de nonnullis etiam Varronis, non quid ego statuam, sed quid suspicer, atque adeo quid ex te quæram. Cum respondeveris, tum demum aliquid constituam. Gestum enim feci, quod ajunt, præsente Roscio, non ut apud Roscium me jactarem, sed ut per Roscium proficerem. Vale.

Patavii ipsis Kalendis Quinctil. M DCC XXI.

EPISTOLA II.

CLARISSIMO ET ERUDITISSIMO VIRO JULIO PONTEDERÆ JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS S. P. D.

QUÆ in Auctores rei rusticæ scripsi ad Amicum, & collegam nostrum Clarissimum Jacobum Facciolatum, non ut ipse aliquid constituerem, sed ut Doctissimi Viri sententiam elicerem, eorum exemplum ad Te mitto, non modo ut eliciam tuam, verum insuper ut annotationes exprimam, quas te bene multas in eosdem illos auctores meditari, jamdudum scio. Quo enim modo cessare tu potueris, qui ad rei herbariæ excellentem scientiam, non mediocrem agriculturæ notitiam adjungis, cum me, unum ex Anatomicis, succisivas aliquot horas tuis Auctoribus & dedisse, & dare intellexeris? Quod ut planius cognoscas, quæ post eam scriptam epistolam ad plura ex iis, quæ tunc attigi, loca adnotavi, tum aliis de quibus post dicemus subsidiis, tum quatuor usus editionibus, quibus eo tempore carebam. Veneta quam Nicolaus Jenson procuravit anno 1472, duabus Regiensibus anno 1496 & 1499, ac denique Heidelbergensi illa a Clariss. Do. Alberto Fabricio (Biblioth. Lat.

Digitized by Google

l. 2 c. 7) celebrata anno 1595 ex typographia Hieronymi Commelini.

§. 1. Col. 1, 8, 8. Et primum in Columellæ lib. 1 cap. 8. haud procul a fine de quatuor editionibus quas modo memoravi, priores tres, in extremo autem capite 32. lib. 4. & ipsas & Commelinianam cum Juntina, & mecum facere, deprehendi. Sed vinitoriæ falcis figuram frustra in vetustioribus illis quæsivi. Nimirum ejusmodi imagines non ab ipso Columella sunt, nisi forte geometricas quasdam formas excipias, de quarum una scripsit (lib. 5. c. 2. f. 6) : *si triangulus disparibus fuerit lateribus ager, tanquam in subjecta forma, quæ habet rectum angulum*. Sed ut in aliarum quoque disciplinarum libris plerumque contigit, addita sunt ab junioribus, haud inutili sane consilio, modo rebus, quæ ab Auctoribus describuntur, satis respondeant.

Atque utinam ad ea quoque capita Columellæ, in quibus de certis vitium aut arborum partibus, aliisque ejusmodi verba facit, eruditi, iidemque rei rusticæ periti Viri imagines adjunxissent: ego certe, ut de me ipse confitear, non paucis præterea illius locis, quæ vitiata esse, subsentio, ausus essem medicas manus admovere, quæ nunc agriculationis ignarus, vobis in ea doctrina versatis cogor omnia relinquere.

§. 2. Col. 5, 8, 3. sq. Libr. 5. cap. 8. Cum in decem illis olearum generibus radium non invenirem, alterutrum suspicatus sum, aut positum quidem esse, sed alio quodam nomine designatum, aut in eo loco describendo librarios peccavisse.

Revera utrumque accidit. Nam hi cum græcis litteris χερκίτις scribere debuissent, *circites* scripsere, quæ vox apud latinæ linguæ idoneos auctores M. Terentium Varronem (de lingua lat. lib. 5.) & Sex. Pompejum Festum (de verbo. ver. signific. lib. 3.) non eam formam significat, quam Columella spectaverat. Scripserat enim χερκίτις, ut τῆς χερκίδος, id est radii similitudinem significaret. Auctore hæc ajo Fr. Sylburgio, qui in eo indice, quem in calce editionis Commelinianæ habemus, hoc posuit: *Circitis oleæ, rectius χερκίτις, radius*. Nec plura in hanc rem addo, quod nuper eam tecum sermonem haberem de oleis, probe sensi, te conjectura in istam ipsam emendationem incurrere, quæ a Sylburgio proposita est. Illud potius ex te quæro, quid censeas super illa repugnantia, quam inter locum, quo de agimus, atque alterum ex cap. 17. libri de Arboribus animadverti. In primo, *bacca jucundissima est pausiæ, speciosissima est regiæ, quæ* &c. In altero; *sunt & regiæ, ut radii, quæ neque specie, neque oleo sunt tam gratæ, quam quas supra diximus*. Mihi quidem vel mendum aliquod subesse, vel Columella nunc baccæ, alias arboris magnitudinem attendisse videbatur. Num hic quoque saltem de mendo divinavimus? Certe alter uterque locus in tribus illis vetustioribus editionibus habetur: *bacca jucundissima est pausia: speciosissima est regia, etiam virga: quæ* &c. & : *Sunt & regiæ, & radii non sine specie neque oleo, neque sunt tam gratæ, quam quas supra diximus*. Rectene undequaque? non affirmo. Aliter certe. §. 3. Col. 5, 11, 8. In eo autem loco, quem postremum expendimus in cap. 11. libri ejusdem 5. equidem sine ulla dubitatione affirmavero, illas ipsas editiones a vera scriptura aberrare; sic enim habent: *Nos tertium genus insitionis invenimus: quod cum sit subtilissimum* &c. Neque Columella hoc tertium insitionis genus, quod fit per emplastrum, sed quarti, quod fit per terebram, novam tantummodo rationem invenit: quæ res perlegenti, vel istud ipsum caput, vel 26 & 8. libri de arboribus, itemque libri 4. caput 29. tam aperta est, quam quod apertissimum. Attamen & ipsa scripturæ varietas non injuria suspectum mihi fuisse locum, ostendit. §. 4. Ille autem inter hæc loca Libri de arboribus, & quæ modo ex Libris 4. & 5. indicavimus, consensus tantus ut gallicam terebram ab eodem appareat ad inserendum esse translatam, qui omnia illa loca conscripsit, non leviter sane confirmat, eundem quem librum 4. & 5. scripsisse liquet, Columellam librum quoque de Arboribus confeciſſe: qua de re nimirum doctissimi homines dubitaverant. De libris etiam quos se scripsisse Columella testatur, *de generibus furculorum*, an editi fue-

Digitized by Google

fuerint, an extent, & quinam sint, ambigere adhuc nonnullos scio; etsi V. Cl. Jo. Albertus Fabricius (*) recte monuerit, haud diversos esse videri a libro tertio, quarto, & quinto hujus ipsius de agricultura operis. Itaque placet Eruditissimi Viri judicium ex hoc ipso quinto libro confirmare. Nam Columella qui lib. 2. cap. 11. pr. hæc scripserat: *cætera pabula neque enumerare, ac minus severe dignamur, excepta tamen cythiso, de qua dicemus in iis libris, quos de generibus surculorum conscripsimus*; satis ipse, quinam hi sint libri, ostendit in extremo capite 11. libri quinti. *At prius*, inquit, *quam finem libri faciamus, quoniam fere species surculorum omnium persecuti sumus prioribus libris, de cythiso dicere nunc tempestivum est*, & continuo addit novissimum caput de Cythiso.

§. 4. In hoc libro 5. plura esse, præterea animadverteram, quæ haud inutiliter cum libro de arboribus conferrentur, & vicissim. Idem animadverteram in libro 6, si cum P. Vegetio compararemus:

Verum illud studiis gravioribus distentus, ipse perficere non potui, quod quidem si quid forte otii tibi est, a te fieri, etiam atque etiam velim. Sed Vegetium ita contendi cum Columella, ut quædam in hoc, plurima in illo emendanda esse, deprehenderim. Ea omnia (usque adeo & multa & gravia sunt) in altera, si voles, epistola seorsum persequar.

§. 5. Col. 7, 1, 2 &c. Nunc ad 7. librum veniamus. In capite 1, & 6. mecum faciunt tres illæ veteres editiones.

In illo enim habent, *cum & facilem*; in hoc, *matres binæ*. Quod autem ad octavum attinet extremum caput, illæ quidem *malinis lignis*, Commeliniana autem habet, *malini ligni*.

Lib. 8. cap. 2. vix una Commeliniana inter corrigenda admonet, non *fœmina*, sed *femina* esse legendum. Eadem pariter, sed in Sylburgii indice, alteram animadversionem confirmat meam in caput 5, ubi *de excubandis ovis*. Hæc enim adnotat: *excubandis* rectius *excludendis*, vet. ed. *vel incubandis*. Re tamen vera meæ quoque veteres editiones *excludendis* habent, & *excludant*: quem ad modum etiam paulo antea eodem capite, item semel atque iterum 11, & 14. locutum esse Columellam invenio.

§. 6. Libro etiam 9. Commelinus, uti Stephanus, & ego, verba distinguit, quæ ex 3. capite proposui. In 4. autem capite quo loco cœlestis numinis *hyacinthus* in cunctis scribitur editionibus, legi nuper Salmasium (Plinian. exercit. in Solin. ad hujus pag. 62. E.) rescribentem *nominis*, nec tam grave fuit multis modis intelligere, minus feliciter venisse mihi in mentem, qui mederi possem, quam gratum, me tamen morbum, & medendi genus vidisse, Fuit quoque in cap. 8. cur suspectus mihi esset locus iste. *Præparandumque in hanc rem liquida rubrica*, quando antiquæ tres editiones habent, *præparandaque*, quod etiam Commeliniana ex vetere alia editione inter emendationes proponit. Illa autem Palladii verba, quæ his & proximis Columellæ respondent, ad eundem omnino modum eæ omnes quatuor editiones distinguunt, ad quem a nobis secundo loco distincta sunt. §. 7. Col. 9, 9, 3. sq. Cap. 9. tres priores editiones sic habent: *in octavam fere diei: post quam horam*. Pariter cap. 13. nostram emendationem confirmant; habent enim *consumatur*. Imo Commelinus, inter corrigenda, probat *consumantur*.

§. 8. Col. 10, v. 101. Libro 10. in eo versu. *Tu quæ pallet humi, quæ frondens purpurat auro*, Commeliniana id habet, quod in Juntina, tres reliquæ, quod in Stephani editione probavimus. Illum autem versum (121.): *Rutaque Palladiæ baccæ victura saporem*, cum in omnibus summo consensu ad hunc ipsum modum proponi, animadverterem; videndum aliquando putavi, an hac ipsa servata scriptura, interpretari ita possemus, ut ruta esse utilis diceretur in olivarum conditione ad eum quem ante hanc habent, saporem demendum, minuendumve.

Quæ hoc minus displicebat interpretatio, quod Columellam hic quoque potuisse in animo habere Virgilium suum videbam, cujus illa sunt, & quidem in eo

(*) Supplem. ad Biblioth. Lat. l. 2. c. 7. p. 474.

Digitized by Google

eo Poemate, quod in hoc libro noſter imitatur, perſequitur, ut ipſe loquitur (in præfat. ad hunc librum 10.) explet (Georgic. l. 4. v. 101.): *Dulcia mella premes: nec tantum dulcia, quantum Et liquida, & durum Bacchi domitura ſaporem.* Attamen cum ad eam ſcripturam quam in veteri codice Cl. Drackenborgium inveniſſe, commemoraveram, proxime accedere audiam codicem celeberrimæ Bibliothecæ Divi Marci, tuum, mi Juli Eruditiſſime, de utraque cum lectione, tum interpretatione judicium eſto.

§. 9. Col. 10, 125. Proximis verſibus: *-- & lactis guſtum qua condiat herba Dejectura quidem fronti data ſigna fucarum Vimque ſuam idcirco profitetur nomine Grajo.* eo libentius fateor, lepidium ſignificari, quod Joannes Ruellius (de natura Stirp. l. 2. c. 104.) admonet, Columellam, ubi oxygalæ faciendæ rationem propoſuit, docuiſſe, *alios recentia folia lepidii cum dulci lacte in olla miſcere*, alios autem ſiccata, & quidem *ſine condimentis*: quæ verba ſunt lib. 12. cap. 8. Sed cum ipſe quoque *fucarum* legit, me nihil hic fateor intelligere. Plinii quidem de lepidio verba agnoſco, quæ inter ſua, ut ſolet, profert Ruellius: *ſic in facie cutim emendat exulcerando, ut tamen cera, & roſaceo facile ſanetur: ſic lepras & pſoras tollit ſemper facile, & cicatricum ulcera* (alii *ulcerum cicatrices*) videoque hac ratione ad delenda etiam ſtigmata in fronte impreſſa, adhiberi potuiſſe, præſertim cum ſimiles tollendi hæc modos apud Scribonium (compoſ. med. 231.) Paulum (de re med. l. 4. c. 7.) Aetium (Tetrab. 2. Serm. 4. c. 12.) Actuarium (Meth. med. l. 6. c. 8.) alioſque legam, ſic ut vi deſquamandi cutem, ſive maculoſam, ſive a morbo, a vulnere, ab uſtione cicatricoſam, græco nomine λειδιον appellari potuerit. Hæc tamen omnia cum intelligam; *fucarum* quid iſtic ſit, non intelligo. Quod autem in quibuſdam editionibus *furcarum* eſt ſcriptum, nimirum id nimis aperte carminis legibus repugnat. Viderat hoc, qui in veteri codice, ab Joſepho Scaligero inſpecto, ita ſcripſerat, ut refert Rhodius (not. ad Scribon. Compoſ. 174.) *Deletura quidem furcæ fronti data ſigna*. Juſto autem Lipſio; quod Rhodius pariter memorat, placuit, ut pro *fucarum* reſcriberetur *focorum*: cujus ego emendationis auctorem, & probante quidem Turnebo (Adverſar. lib. 13. cap. 22.) Guilielmum Peliſſerium fuiſſe, video. Attamen ut cætera omittam, multo propius a magis communi ſcriptura emendatio abeſt reponentium, *fugarum*: quam quidem ejuſdem Rhodii, ut ab ipſo proponitur, eſſe credidi, donec & in Dalechampii commentariis in Plinium (l. c.) & inter ea inveni quæ Johannes Wowerius olim adnotaverat ad Petronium (Satyric.) *notum fugitivorum epigramma* memorantem, indicia videlicet, ut Cajus (Epitom. inſtit. t. 1.) loquitur, *aut igne aut ferro* (*in facie*) *impreſſa*, per quæ, ſi iterum fugerent, dignoſci, & deprehendi poſſent, exempli gratia hæc quam Rhodius alibi (Not. cit. ad Compoſ. 231.) commemorat, litterarum ſpecies F. H. E. L. T. quod eſt: *Fugitivus hic eſt Lucii Titii*. Idem nominat, ac mecum reſellit, qui legendum eſſe *fucorum*, cum Fortunato contendebant. Qui etſi in eo quoque interpretando, quem continuo poſt hunc expendimus, de alvi colubris, id eſt, lumbricis eſt lapſus; noſtræ tamen fidei eſt, te admonere, ipſius verba in Regienſi editione anno 1499. ſic proponi; (v. 232.) *aliis quas alvos educat*, ut intelligatur, nonnullam errorum quos ipſi adſcripſimus partem, inſcitiæ, incuriæque operarum eſſe aſſignandam. Cæterum ibi in Columella *alvus* legit Commelinus, & infra *bryonius*: quas nos lectiones probaveramus.

§. 10. Col. 11, 3, 37, & 39. ſqq. Sed in libro etiam 11, quæ prima ex 3. capite duo loca propoſuimus, & ipſe, & qui tres antiquiores editiones curaverunt, ita diſtincta exhibuerant, ut nos indicavimus.

Nec in extremo capite 17. lib. 12. ſine ratione aliquid mutandum eſſe, putavi, quando hæ omnes quatuor editiones non ut cæteræ habent, *inferveſaciant*, ſed *inferveſaciunt*; aut in capite 55. (ſ. 2.) pro *exaniveris*, legendum eſſe *exaniaveris*, quando hoc habet Commeliniana. In

Digitized by Google

libro etiam, qui reliquus est, *de Arboribus*, illa ipsa editio, inter *corrigenda*, ita emendaverat 10. capitis inscriptionem, ut nos emendavimus. In iis autem verbis, quæ ex cap. 26. (f. 8.) secundo loco protulimus, tres veteres editiones non modo ut nos:, habent *nudaveris*; verum insuper commonstrant, non immerito illa nobis displicuisse: *ex qua arbore inserere voles*, cum sic habeant: *quam arborem inserere voles*. Sane etiam paulo supra ad eundem modum, itemque libro 5. cap. 11. (f. 3.) scriptum est: *Arborem quam inserere voles*. Sed nimirum hic dum constantem cæterarum omnium editionum scripturam esse antiquam, putavi, in ejusque propterea vestigiis scrupulosius omnino insistendum; ab antiquæ non sententia quidem, sed locutionis genere aberrare coactus sum. §. 11. Col. Arb. 30, 2. Quod mihi ut aliis nonnullis in locis, sic in postremo quoque accidit, quem ex Columella proposui: *Rosam fruticibus, ac furculis disponi per furculos pedales convenit*. Etsi enim non unam indicavi rationem, cur *fulculos* pro *furculos* scribendum putarem; ubi tamen animadverti, non modo in Commeliniana, sed & in duabus vetustioribus editionibus esse *fulcos*, in tertia autem harum, quæ videlicet ex ipsis recentior est, *furcos*, cœpi suspicari, ex hoc fortuito typographi errore natum fortasse esse *furculos* in posterioribus editionibus. Quod qui in *fulculos* mutandum esse ante me, censuerunt, illi quidem Columellæ sententiam procul dubio restituerunt, verbum autem an restituerint ita dubium est, ut vox *fulculus*, quam hujus unius loci auctoritate in latina Lexica intulerunt, nisi productis aliis scriptorum exemplis confirmetur, ipsa quoque dubia & incerta esse videatur. Illud hoc in loco non est omittendum, Jensonianum exemplar non habere *fruticibus*, sed *fructibus*: quæ scriptura ex iis quæ Palladius huc, ut solebat, respiciens tradidit, fortasse posset confirmari. Nam rosaria conserenda ac ponenda esse, docuit *vel virgultis vel etiam semine, quippe quæ baccas nutriant in brevissimi piri similitudinem, plenas seminibus*. Non negaverim: *fruticibus* in Columella respondere *virgultis* in Palladio. Attamen nihil in illo de *semine*: & quod de *furculis* dixit, fortasse etiam virgulta complectitur.

Neque enim furculus, ut vulgo credunt, id tantummodo est, quod *in ramis oritur*, sed interdum etiam est frutex, ac virgultum, auctore ipso, ni fallor, Columella (lib. 3. c. 11. f. 5.) ubi negat, *esse ullum tamdiu viduum solum virgultis, ut non aliquos furculos progeneret, tanquam piros sylvestres, & prunos, vel rubos certe.*

Sed hæc tu melius.

§. 12. Palladius sequitur, cujus nos loca non cum illis tantum editionibus quatuor, quas sæpius commemoravimus, sed cum libris insuper Petri Crescentiensis tum Latina tum nostra hac lingua editis, & Palladii interpretatione quadam vernacula, atque calamo exarata, ac perantiqua, nuper contulimus. Petrus enim Crescentiensis, sive ut vulgo a nostris appellatur, Crescentius, qui ante annos trecentos scripsit de agricultura, non alius auctoris verbis sæpius utitur, quam Palladii, ut cum, etiam ubi non nominat, ipsum haud raro describat, manifesta quæ in Crescentium menda irrepserunt, Palladii ope tollenda sint, & vicissim; id quod te jam pridem & animadvertisse, & facere instituisse, non ignoro. Vernacula autem illa Palladii interpretatio ab homine Florentino; quod ex Januario cap. 4. & aliunde planum est; scripta, quam antiqua sit, ex ipsis verbis intelligimus.

Hanc V. Clariss. Doctissimusque Salvinus Salvinius anno superiore ad Cajetanum Vulpium miserat, qui ejus mihi copiam fecit, singulari homo in juvandis litteris studio, ac diligentia. Quin etiam Apicii de arte coquinaria libros inspexi: sed ut nonnulla quæ pariter in Palladio sunt, in ipsis agnoverim, nihil tamen invenerim, quod magnopere ad eum pertineret.

§. 13. Pall. 1, 24, 2, & 3. His igitur novis subsidiis instructus, inprimis quæ ex Palladio lib. 1. tit. 24. proposueram, locis, in quibus agitur de columbis, cœpi vehementer suspicari, aliena esse verba illa: *frutex virgosus sine foliis asper, vel*, & mox, *setosi*. Nam primum verba hæc omnia in Jensoniana, superiora vero etiam in duabus aliis vetustis editionibus

Digitized by Google

nibus desiderantur, in Commelinïana autem, quæ ad veteres membranas, quod ad Palladium attinet, exacta est, omnia hæc uncis sunt intercluſa. Sed ne in vernaculis quidem Palladii, & Crescentii interpretationibus ullum eorum vestigium est. In illa tamen *hirci alarum*, reddita sunt *summa alarum* (*le sommitadi deli' ale*) quæ Palladii verba an ita essent rescribenda, *cirri alarum* interdum quidem dubitavi, nunquam tamen quidquam certi constitui.

§. 14. Pall. Feb. 15, 1. &c. Libro 3. initium tit. 15, ita ut ego ceasueram, distinctum inveni, cum apud Crescentium (lib. 4. c. 14.) tum in vernacula interpretatione Palladii. Neque tit. 25. ſ. 4. editiones illæ quatuor aliter habent atque ego in Juntina probaveram.

Libro 4. tit. 9. (ſ. 3.) cum Juntina pariter mecumque eædem faciunt editiones, & ea de qua sæpius dixi, interpretatio. Verum tit. 10. (ſ. 20.) ubi de Mespilo, etsi hæ omnes, & præterea Crescentius (l. 5. c. 16.) in eo quod præcipuum est, a me non dissentiunt, in reliquis tamen vernacula quidem interpretatio, & Commeliniana editio consentiunt; cæteræ autem sic habent, ut legisse etiam ex parte videtur Crescentius: *sed putatur hinc arbor sterilis fieri. Fimus* & cæt.

§. 15. Pall. Maj. 1, 1. &c. Libri 6. initio in iis omnibus (si Crescentium demas, in quo locum non inveni, qui huic admodum responderet) scriptum est *milium*.

Libro autem 7. tit. 7. (ſ. 2.) frustra in his omnibus quæsivi, quid pro *factis carbonibus* sit rescribendum. Editiones enim hæc ipsa habent; Interpretatio ne carbones quidem memorat; Crescentius (lib. 9. c. 103.) denique hunc locum tam negligenter describit, ut pro *in pultario factis carbonibus*, habeat, *in pulmentario siccis carbonibus*. Quod tamen ἀνίδεον, si modo vestigia servat scripturæ Palladii, permovere aliquem possit, ut conjiciat, scripsisse hunc, *in pultario sitis carbonibus*. §. 16. Pall. Jun. 7, 7.

Neque diligentius exscripsit, quæ Palladius de Apum Regibus subjecit, sic enim habet (lib. 9. c. 102.). *Leves absque pilo, nisi fronte pleniores, quasi capillum gerunt in ventre;* itaque ex *forte;* quod a Columella Palladius describserat, factum est *fronte:* quos sive Crescentii, sive operarum potius errores, ut esse veteres, intelligamus, is etiam servavit, qui ejus libros olim in vulgarem hanc linguam transtulit. Hic quæres fortasse, quemadmodum verba hæc Palladii Florentinus interpres reddiderit. Sic autem reddidit; *morbide senza pelo. & anno un capello, quasi nel ventre di fuori come aguglione.* Nempe hic in vertendo quædam omittit, qui alibi, plura intrusit de suo, & præsertim libro 1, ubi agitur de aquæ salubritate agnoscenda, quæ certe nec Palladii esse, nec esse potuisse, proclive est demonstrare. Cæterum etsi hoc verum est, etsi præterea haud paucis in locis Auctoris sententiam non est assecutus, est viciſſim ubi non inutile prorsus sit hanc quoque interpretationem consulere.

§. 17. Pall. Sept. 13, 2. &c. Quod in libro 10. suspicatus eram, id velim etiam atque etiam consideres. Nam ne mihi quidem ipsi undequaque nunc placet. Præterea illa interpretatio, atque editiones vetustæ adversantur. §. 18. Pall. Oct. 5, 1. Contra lib. 11. tit. 5. non dubito quin pro ipsa steterim Palladii sententia, cum iis in verbis: *Sed hæ radiculæ (vitis) non ad siccum debent recidi*, malle me, ostendi, *truncum* legere, quam *siccum*. Ecce etiam Crescentius (lib. 4 c. 15.) udi hæc ipsa verba exscribit, eandem sententiam confirmat, quanquam verbum aliud proponit: Sed *hæ radiculæ non ad stipitem recidi debent*. Vernacula autem Palladii interpretatio sic idem docet, ut quo tamen verbo sit ipse usus, *trunci* (quo sæpius de vite loquens Columella) an vero *stipitis*, incertum relinquat; nisi forte *vitem* scripsisse indicet.

Sic enim habet: *non tagliandole rasente la vite*. §. 19. Pall. Oct. 19, 1. Tit. 19. Minus placent quæ conjeceram ad illa verba: *Passum nunc fiet ante vindemiam, quod Africa fuevit universa conficere pingue, atque jucundum, & quoad conditum, si utaris ab inflatione te vindices*. Multo simplicius emendabimus, si nulla detracta, aut mutata littera

Digitized by Google

legemus (ut in una, si probe memini, editione est Gymnici.) *quo ad conditum si utaris*, sed media syllaba in *conditum* producta, non, ut mox in *conditum vasculo*, correpta. Sic autem interpretabimur: quo passo si pro melle utaris ad vinum condiendum, non sic inferis, ut a melle. Mel enim, ut nosti, *alvum inflare*, cum Dioscoride (de Med. Mat. l. 2. c. 75.) Medici admonent. Quod autem cum Palladius scripsit, *ad conditum*, & proprio verbo, & id quod ego interpretor, significante usus sit, te latere non potest. Nam latini cum dicebant *conditum*, Græci autem juniores, latinæ hujus vocis usurpatione, κονδίτον, vinum intelligebant, aromatum, imprimisque piperis, & præterea mellis additamento confectum. Talia sunt apud Apicium (de art. coquin. lib. 1. c. 1, 2.) *Conditum Paradoxum*, & *Conditum Melizomum*: & quanquam eo tempore jam multa addiderat aliorum & Heliogabali (vid. Lamprid. Heliogab.) præsertim luxuria; talia certe, & hoc quidem ipso *Conditi* nomine appellata, tam longo ante tempore in usu fuerant, ut hæc ejus vocis significatio, in uberrimis latinis lexicis prætermissa vix uni Glossario Caroli du Fresne relinqui non debuerit. Major enim Plinius (Nat. Hist. l. 14. c. 16.) postquam plurium vinorum aromatitum compositiones indicavit, *Qualia*, inquit, (vina) *nunc quoque fiunt, pipere, & melle addito, quæ alii condita, alii piperata appellant*. Et de his fortasse verba etiam sunt accipienda Corn. Celsi (de Medicina l. 1. c. 2.) *condita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam, & plus propter dulcedinem assumitur, & quod modo par est, tamen ægrius concoquitur*; neque enim ista *dulcedo* condimentis omnibus de quibus sic universe interpretantur Pantinus (Comment. in Cels.) & Rubeus (Annot. in Cel.) ita conveniebat, ut *Conditis*, quorum cum varias compositiones ad quinquaginta apud Apicium (lib. citat. 1. c. 1, & seqq.) Paulum (de Re med. l. 7. c. 11.) Oribasium (medicin. collect. l. 5. c. 33.) Aetium (Tetrab. 1. serm. 3. c. 62. & seqq. & Tetrab. 4. serm. 4. cap. 117. & seqq.) Nicolaum Myrepsum (de compos. medicam. sect. 1. c. 194. & sect. 27. c. 33. & seqq.) aliosque legerim; nullam memini legisse, in qua non satis mellis admisceatur. Scilicet conditum omnino erat mulsi quoddam genus, ut Cælius Aurelianus (Morb. Chron. l. 5. c. 1.) scripserit: *probat conditum bibendum, quod plerique latini mulsum vocant*. Ipse etiam Palladius, qui libro 3. (t. 32.) *Conditum vel absinthiatum, vel rosatum vel violatum* memoraverat, ubi rosatum vel sexto (t. 17.) vel hoc ipso libro (t. 15.) conficere docuit, utrobique mel adjecit. Non tamen semper inter conficiendum conditum, & nominatim rosatum, aut violatum, mel admiscebant; sed aliquando (id quod constat ex Apicio lib. cit. cap. 4.) eo tantum tempore, quo erant bibituri, videlicet ut liberum esset singulis convivis pro arbitrio plus minusve addere. Quem ad morem hic Palladium respexisse crediderim, propterea quia passum illud, *quo ad conditum si utaris mellis vice, ab inflatione te vindices*, docuit, *conditum vasculo, mellis more, servari*. Porro ut Palladius pro melle passum, ita Nicolaus Myrepsus (sect. 27. c. 40. & 43.) saccharum aliquando posse adjici Conditis, monuit. Martialis (Xenior. 106.) autem passi, & mellis magnam, ut sic dicam, propinquitatem significavit in disticho de passo: *Gnossia Minoæ genuit vindemia Cretæ, Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet*. neque reticuerat Plinius (Nat. Hist. lib. 14. c. 9.) qui passum ait in adulterium mellis excogitatum. Sed eam sæpius ostenderat Celsus (de Medic. l. 2. c. 20, 22, 30, 32, 29, 18, 25, 28.) qui etsi inter ea, quæ boni succi sunt, & quæ lenia, & quæ alvum adstringunt, passum numeravit, cum mel inter ea, quæ acria sunt, numeret, idemque crudum, ut mulsum quoque movere alvum, doceat, tamen pariter & valentissimæ esse materiæ, & aliena stomacho, & facile intus corrumpi passum, & mulsum pronuntiavit. Certe etiam Dioscorides (de med. Mat. l. 5. c. 7.) istud ipsum passum Creticum de quo Martialis, & cui Plinius (loc. citat.) primatum dedit, *inflare tamen, & stomacho*

Digitized by Google

ebo adversari, docuit. Africum vero de quo verba facit Palladius, an hæc non faceret, aut minus quam mel faceret, meum non est in præsentia decernere; neque enim Palladii hallucinationes, si quæ forte essent, defendere, sed verba tantum exponere instituí. §. 20. Veg. 1, 56. Quibus ita expositis haud difficile fuerit unum, aut alterum non modo intelligere, verum etiam restituere P. Vegetii locum.

Libro enim 1. Artis Veterin. cap. 56. (§. 22.) *si hiems*, inquit, *fuerit; condita, cum semiuncia apii seminis triti, & olei tribus unciis calefacta per os ipsius* (equi) *oportet infundi. Si æstas fuerit; absinthium vel rosatum cum quatuor scrupulis croci, & duabus unciis olei frigidum per os similiter debet accipere. Quorum si non suppetit copia, vinum simpliciter convenit præberi cum cæteris.* Hic Sambucus ex suis codicibus pro *vinum* in libri ora reponit *unum*, repugnante Vegetio, cujus hæc sententia est: cum apii semine, & oleo, vel cum croco & oleo vinum simplex ab eo esse dandum, cui condita nulla sint hieme, æstate autem neque sit absinthiatum, neque rosatum: *absinthiatum* enim esse legendum, indicant, quæ commemoravimus, Palladii verba: *Conditum vel absinthiatum, vel rosatum.* Quibus addi possunt & illa Lampridii (in Heliogab.) *condito piscinas, & folia temperavit, & rosato atque absinthiato vulgus ad bibendum invitavit.*

§. 21. Veg. 4, 8. Pariter libro Vegetii ultimo cap. 8, ubi editum est: *post cursum, sive post laborem conditi bene piperati heminam adjicies, æstate roris vel absinthii tantundem, & per os dabis ad cornu;* legendum crediderim, *æstate rosati vel absinthiati tantundem;* non modo quia in illo priore loco sine ulla controversia est: *si æstas fuerit, rosatum* convenire, sed etiam quia in hoc ipso loco Sambuci codices pro *roris*, habent *olei rosati*; ut mihi aliquando hisce ambobus locis collatis in mentem venerit, hic esse scribendum *olei & rosati*. Etsi vero iidem, aliique Codices pro *conditi bene piperati* habent, *conditi bene præparati*, nihil tamen (quod ad hoc attinet) esse facile mutandum, ostendunt, quæ supra de pipere memoravimus usque adeo conditis adjecto, ut hæc etiam *piperata* vocitarentur, quod non inficiabimur a Celso (de Medicin. l. 4. cap. 19.) esse factum, ubi malum punicum *in piperatum conjici*, jussit. Cæterum an de pluribus Vegetii locis in quibus *vinum candidum* scriptum est, nonnulla saltem sic oporteat emendare, ut alibi *vinum calidum* alibi *vinum conditum* legamus, ipse constitues; ego jam transeo ad Varronem. §. 22. Varro 2, 4, 8. De Varrone, ad ea quæ scripseram, nihil hoc tempore est, quod addam, nisi quam ob rem in lib. 2. cap. 4.

Ausonium Popmam laudaveram eam rem fuisse ante ab Josepho Scaligero (conjectan. in Varron.) non animadversam modo, sed etiam probatam. Quod autem supra in extremo capite 2. ostenderam, non bene scriptum esse, *ut dixi*, cum scribendum videlicet fuisset, *ut dixisti*, id vero sic a me accipi, velim, ut siquis Varronem malit, quam librarios erraviſſe, ipse acrius non repugnem. Illud enim mihi propositum fuit, ut errorem ab aliis non animadversum retegerem, ejusque, si librariorum crederetur, emendationem proponerem. Equidem hos longe facilius, quam Varronem; hunc tamen falli ipsum quoque potuisse, confiteor, in re præsertim ejusmodi, in qua si quis dicat, Marci etiam Tullii diligentiam aliquando desiderari; illum ego refellere magis cupiam fortasse, quam possim. Hæc nimirum, ne tecum quidquam, mi Juli, dissimulem; cum in libro 5. de finibus cap. 8. hæc nuper relegerem: *quoniam igitur & de voluptate cum Torquato, & de honestate, in qua una omne bonum ponitur, cum Catone est disputatum* &c. Quæ si ab ipso Tullio dicerentur, aut certe ab aliquo, qui duabus illis superioribus disputationibus interfuisset; res plana esset atque expedita. Dicuntur autem a M. Pisone, qui non modo ipse non interfuerat, sed eas ne legisse quidem poterat, quippe quem epistolæ ad Atticum (lib. 13. epist. 19.) docent, antequam disputationes illæ conficerentur, decessisse; ne ipsas dicam satis docere, nondum habitas confingi eo tempore, quo eas M. Piso commemorabat. Neque minus hæreo, cum aut in

in 2. libro de natura Deorum sic loquens, cum Vellejo inducitur Balbus: *velut a te ipso hesterno die dictum est, anum fatidicam πρόνοιαν a Stoicis induci;* aut cum in tertio sic Cotta cum Balbo: *omniaque quæ a te nudius tertius dicta sunt, cum docere velles Deos esse &c.* quasi vero non id Vellejus in primo, neque hæc in secundo libro Balbus dixisset, & hi tres libri (quod singulorum ostendunt initia) non unius diei sermones complecterentur. Quid ergo est? Num cuique (id quod Tullius in Bruto fatetur) *difficile est in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipsi non conveniat*, præsertim aliud alio tempore suis in scriptis mutanti, quod Ciceronem maxime in Dialogis feciisse constat. Nam certe (vid. Epist. ad Atticum lib. 13. epist. 13. 15. 19.) Quæstiones Academicas a Catulo, Lucullo, Hortensio, ad Varronem transtulit, & ex duobus libris in quatuor contulit. Num igitur offensus prolixitudine disputationis de Natura Deorum, cum quod in ea de Legibus (vid. fin. lib. 2. de Legib. & lib. 3.) fecit, facere hic nequiret aut nollet, ut diei longitudinem inculcaret; habuit in animo aliquando id facere quod in libris de oratore, alirsque, ut eos sermones in plures distribueret dies, neque tamen publicis occupationibus, & calamitatibus impeditus, perfecit. Num pariter libros de Finibus sic primum informaverat, ut quemadmodum in iis de officiis, unus ipse doceret, tractaretque omnia, quæ deinde cum in Dialogos conferret, illa obvenerint dicenda M. Pisoni, quæ ipsum dixisse Ciceronem decebat? Quæ si ad hunc, aut alium aliquem non absimilem modum contigisse arbitremur; videlicet Varro etiam poterat eam primum omnem orationem aut Scrofæ aut Attico tribuisse, quam inter utrumque diviserit postea. Certe nobiles quoque ex nostris Poetæ, & in his Ludovicus Ariostus, & Torquatus Tassus, cum hic certam quandam rem deleviſſet, ille vero unum aut alterum verbum mutasset, obliti responsentia etiam alia tollere, ac commutare, versus præsertim duos (G. Liberata Cant. 16. St. 35. v. 4. O. Furioso Cant. 23. St. 107. v. 8.) reliquere, quorum alterum non satis intelligi, alterius verba cum superioris verbis minime cohærere, vel studiosissimi eorum homines confitentur. Quod si idem Tullio, aut Varroni accidisse, nullo pacto fateri quis audeat; Varronem quidem, ut tueri possit, docuimus, ut Tullium, ipse viderit. Nobis enim non modo his diutius hic immorari non licet; hæc epistola est concludenda. Summa ergo est, primum, ut inter legendum, quas ad Facciolatum scripsimus litteras, has quoque identidem inspicias, neque propterea quod iis omnibus in locis, de quibus (ne frustra longi essemus) siluimus, cunctæ nobis editiones adversantur, conjecturas nostras continuo abjicias, immo, si necessariæ videantur, hoc ipsas magis quantulæcunque sunt, probes, quod labeculas indicent sub tot exemplarium auctoritate facile delitescentes. Deinde fac, illud memineris: si hæc nostra erga tuos Auctores sedulitas grata est, si ab hac porro alia atque alia expectas; unam hanc in posterum tibi fore & sensum tuum ostendendi, & nostra eliciendi facultatem, si tuas vicissim ad illos annotationes perscripseris, & nobiscum tandem aliquando communicaveris. Vale.

Patavii Postrid. Idus Mart. M DCC XXIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA III.

JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS JULIO PONTEDERÆ S. P. D.

ETsi ex meis ad Rei Rusticæ Auctores Adnotationibus nulla unquam alia eorum Studiosis exiſtet utilitas; hanc tamen, quod expreſſerint tuas, tantam eſſe, exiſtimabunt, ut non vulgarem ex meis cepiſſe ſe fructum, fateantur. Quo magis ea præſtare me, decet, quæ ſuperiore Epiſtola pollicitus ſum, ut neque tu, qua es modeſtia, ſuſpiceris, non ſatis mihi fortaſſe, quas adhuc miſeris, placuiſſe, & illi intelligant, quod alias atque alias addideris, id quoque huic noſtro, qualecunque eſt, exemplo, & adhortationibus ſe debere. Cum Pub. Vegetius in ſuos de Arte Veterinaria libros non pauca tranſtulit e ſexto libro Columellæ, tum ex hujus ſexto, & tredecim quæ inſequuntur, capitibus, tertii ſui libri tertium, & quartum caput evidentiſſime confecit. In hæc ego cum plurima paſſim menda Librariorum imperitia ſocordiaque irrepſiſſe, animadverterem, ſic ut haud paucis in locis aut alieniſſima ab re legantur, aut quæ nullo modo intelligi queant; vitia hæc exiſtimabam propria eſſe principis Editionis, non alterius etiam communia, quam anno 1574. procuravit Joannes Sambucus Vir Doctiſſimus, & pervetuſtis Codicibus ſane inſtructiſſimus. Superioribus tandem menſibus hujus mihi Editionis copia facta eſt. Quid quæris? Codicum, nonnunquam, ut verum fatear; haud inutilium ſæpius tamen in graviſſimis apertiſſimiſque mendis mirifice conſentientium, ratio habetur; Columella autem, unde illa ipſa capita certe fuerant primum deſcripta, ne memoratur quidem.

Non me fugit, quantum vetuſtorum Codicum auctoritati, atque conſenſui, quantum etiam Vegetii ipſius arbitrio, ætati, & in ſcribendo conſuetudini tribuendum ſit. Hic tamen ſæpe menda ſunt ita evidentia; emendationes autem occurrunt ita faciles, & neceſſariæ, ut niſi Vegetii ipſius αὐτόγραφον producatur, nemo ſit, qui perſuadere poſſit, Codices non eſſe corruptos, neque ea quæ a Columella præmonſtratur, ratione emendandos. Quid ergo eſt? Num in Vegetio relinquendum eſt nihil, niſi quod in Columella inveniatur? Imo plura ſunt fortaſſe etiam mendoſa, quæ tamen in præſentia quidem tentare non auſim. Nonnulla quoque ejuſmodi ſunt, ut Columellæ viciſſim emendando præclare inſerviant, de quo nunc potiſſimum laboramus. Quæ cum ita ſint, operæ pretium arbitror me eſſe facturum, ſi locos ſingulos, quorum alter alterius ope indiget, inter ſe conferam, atque ita ante oculos ſtatuam, ut Vegetii primum verba, tum Columellæ, quemadmodum edita ſunt, deinde utriuſque, quomodo alterum ex altero emendandum credam, uno obtutu conſpici poſſint. Ubi emendationem confirmare deceat, ei rei argumenta ſubjiciam. Incipiemus autem ab iis duobus, de quibus eſt dictum, capitibus. Tum ſi præterea alii erunt loci, quos comparare haud inutile ſit, eos quoque ad eundem modum ſubdemus.

Ve-

Digitized by Google

§. 1.

Vegetii 3, 3, 1.

Cruditas plurimum nocet, cujus hæc sunt signa: crebri ructus, cibi fastidium, sonitus ventris. (1) intensiones nervorum, oculi hebetes: propter quæ nec bos ruminat, neque linguam detergit, ut solet. Prodest itaque (2) ut duos congios (3) ubi bibi possit digerere per fauces. Post quos statim brassicas triginta caules modicas decoques, & ex aceto dabis.

Columellæ 6, 6, 1.

Cruditatis signa sunt crebri ructus, ac ventris sonitus, fastidia cibi, nervorum intentio, hebetes oculi. Propter quæ bos neque ruminat, neque lingua se detergeat. Remedio erunt aquæ calidæ duo congii, & mox triginta brassicæ caules modice cocti, & ex aceto dati.

Vegetius emendatus.

nec bos ruminat, neque *lingua se* detergit, ut solet. *Prodesit aquæ calidæ, ut* bibi possit, duos congios digerere per fauces. Post quos statim *brassicæ* triginta caules *modice* decoques, & ex aceto dabis.

Sambucus ex Codicib. in marg.
(1) *Contractiones* (2) *calide*.
(3) *ut* Idem *brassicæ* habet, non *brassicas*.

Calidæ ut bibi possit, non aliter est accipiendum, quam si dixisset, ita calidæ, ut tamen bibi possit, quemadmodum fere dixit altero hujus libri capite 3. *calidum ita, ut manus pati possit*. Hanc emendationem, ut vides, Sambuci codicibus ex parte debemus: Columellæ autem reliquas. Cæterum velim proposita cruditatis signa attendas, & si pleraque ejusmodi esse, videas, non ut inde effici, sed ut iis adjici potius queant illa duo, quæ continuo subjiciuntur, intermissa videlicet ruminatio, & ea quæ fit per linguam, detersio; tum vero cogites, oporteatne in utroque Auctore rescribere *præter*, *quæ*, ubi legitur ab omnibus *propter quæ*.

§. 2.

Veget. 3, 3, 2 & 3.

(1) Præterea lentisci & oleastri cacuminum pondera 4 deterunt, & cum lib. mellis atque aquæ congio miscent (& paulo infra) ab alio quoque cibo vel potione prohibentur. Nam si neglecta fuerit cruditas, ventris inflatio intestinorumque subsequitur, exprimit gemitus, ciboſque capere non sinit, nec in loco consistere, decumbere, & volutare cogit, caudamque frequenter commovet.
(1) *quibus lentisci* Samb. in marg. ex Cod. Idem non habet *aquæ*.

Colum. 6, 6, 2 & 3.

Tum lentisci, oleastrique cacuminum pondo IV, & libra mellis una trita permiscent aquæ congio (& infra) aliaque potione prohibent. Hoc per triduum fieri, dum omnis causa languoris discutiatur. Nam si neglecta cruditas est, & inflatio ventris, & intestinorum major dolor insequitur, qui nec capere cibos sinit, gemitus exprimit, locoque stare non patitur, sæpe decumbere, & agitare caput, caudamque crebrius agere.

Veget. emend.

de-cumbere & *volutari* cogit, caudamque frequenter commovere.

Colum. emend.

Tum lentisci, oleastrique cacuminum pondo IV. & *libram* mellis, una trita, permiscent aquæ congio (& infra) aliaque potione prohibent. Hoc per triduum fieri *debet*, dum omnis causa languoris discutiatur. Nam si neglecta cruditas est, & inflatio ventris, & intestinorum major dolor insequitur, qui nec capere cibos sinit, gemitus exprimit, locoque stare non patitur, sæpe decumbere, & agitare caput, caudamque crebrius agere *cogit*.

Hic noli mirari, quod omnia in Vegetio non correxerim. Equidem nonnulla facile deesse, & quænam desint, agnosco; sed quibus potissimum verbis reponenda

Digitized by Google

menda ſint, pro certo non video. Quæ emendavi, ea minus dubia erant.

Pariter in Columella minus dubitavi reſcribere *libram mellis*, reputans quam facile librarii de duabus proximis litteris *m* una omiſſa, *libra* ſcribere potuerint perperam. Poſt *fieri* addidimus *debet*; nam & verbum ejuſcemodi deſiderabatur, & Columella hoc uti ſolet, velut cap. 9. *Quæ medicina ſub tecto fieri debet.*

§. 3.

Veget. 3, 3, 4.
Si tardius proficit, tres partes lauri diu conteruntur, & cum duplici aquæ calidæ dantur. (1) Si iſta non valent, mirtæ foliorum ſylveſtris duæ lib. tunduntur in pila, & (2) duæ ex calida aqua miſcentur, ac per vas ligneum faucibus infunduntur.
(1) *ſi laurus non adeſt.*
(2) *dico* ſextarii, Samb. in marg. ex Cod.

Colum. 6, 6, 4.
Si nec hæc profuit res, caprifici aridæ conteruntur, & cum dodrante aquæ calidæ dantur. Ubi nec medicina proceſſit, myrti ſylveſtris foliorum duæ libræ deligantur, totidemque ſextarii calidæ aquæ miſti per vas ligneum faucibus infunduntur.

Veget. emend.
Si iſta non valent, *myrtæ ſylveſtris foliorum* duæ libræ tunduntur in pila &c.

Colum. emend.
Ubi nec *hæc* medicina proceſſit, myrti ſylveſtris foliorum duæ libræ *lævigantur*, totidemque &c.

Hic quoque intelligo, alia inſuper in alterutro Auctore eſſe poſſe depravata, præſertim ſi quæ Sambucus ex Codicibus adnotavit, ſic legenda cenſeas, *duo ſextarii*, eaque illuc pertinere, ut pro *duæ ex calida aqua*, intelligamus Vegetium ſcripſiſſe, duo *ſextarii* ex calida aqua: quæ cum Columella omnino conſentirent. Sed quoniam ſuo uti judicio atque arbitrio Vegetius potuit; idcirco in ipſo ne *myrtæ* quidem mutavimus, cum libro etiam 2. cap. 12. *mirtam aridam conterendam* ſcripſerit, aut veteres ſecutus, qui pro myrto *murta* dixere, aut ſuæ vel tempeſtatis, vel regionis conſuetudine quadam abreptus, nam a ſuis quoque Gallis myrtum vocitari, *murtam*, Joannes Ruellius (de natura Stirp. lib. 1. c. 100.) teſtatus eſt.

In Columella cur addiderimus voculam *hæc* noſtra ad Cl. Facciolatum Epiſtola oſtendit. Certe etiam Lucano non uſque adeo ingratus viſus eſt harum vocularum concurſus, *nec hæc*, ut non ſcripſerit (Pharſal. lib. 3.) *nec hæc alius committat prælia miles;* neque Varroni (de re ruſtica 1, 55, 3.) qui *nec hæc*, inquit, *non minima cauſa.*

Quod autem pro *deligantur* ſubſtituerimus *lævigantur*, duæ fuerunt cauſæ, altera quod *deligantur* ab ſententia alienum eſt, altera quod *lævigantur* a Vegetio indicatur; *tunduntur*, inquit, *in pila.* Sic alibi etiam loquitur Columella (lib. 6. cap. 17.) *ſemina ejus collecta, & lævigata cum vino dantur potanda*, pro quibus hæc habet Vegetius (lib. 4. cap. 4.) *ſemina ejus collecta, & trita dantur ad potandum cum vino.* item (lib. 7. c. 5.) *galla cum auſtero vino lævigata:* (lib. 9. c. 13.) *omnia eadem æquis ponderibus in unum lævigata:* & (lib. 12. c. 41.) *quæ in collo ſubſiderunt, diligenter contrita lævigantur.* Quæ loca ſunt eo diligentius attendenda, quod in ampliſſimis Lexicis latinis hic verbi *lævigo* ſignificatus omittitur, qui hodieque, ut noſti, apud Medicos in uſu eſt, cum aliquid imperant non modo conteri, ſed ut ipſorum verbis (Amalth. Caſtello-Brunon. in *Lævis*) utar, inſuper redigi *in pulverem impalpabilem exquiſitiſſimæ lævitatis, qui & Alcool a quibuſdam dicitur, & fit quidem manu, vel tritura ſuper marmore cum porphyrite,*

Digitized by Google

vel in mortario cum piſtillo, ita ut quod contritum eſt, excutiatur per ſetaceum, vel linteum. Ita verbum *lævigo*, reſpondet græcis λειαίνω & λειαίνω, quibus non tantum complanare, & polire, verum etiam terere, molere, comminuere, & ex aſperis ac duris in lævem pulverem redigere ſignificabant, ut Ariſtoteles lib. 2. anim.

Veget. 3, 3, 5.
Ante detractionem tamen ſanguinis adhibentur iſta remedia: tribus heminis vini, quatuor unciæ contriti (1) olei permiſcentur, poſtque potionem cogetur currere: duæ quoque unciæ ſalis cum decem unciis ceparum atteruntur: mel quoque decoctum admiſcetur, ex quo facta collyria longiora non parum valida immittunt in anum, ut ventrem reſolvant.
(1) *allii* Samb. in marg. ex Cod. qui non habet *iſta*.

§. 4.

Colum. 6, 6, 5.
Sunt & ante detractionem ſanguinis illa remedia, tribus heminis vini tres unciæ pinſiti allii permiſcentur, & poſt potionem currere cogitur. Vel ſalis ſextans cum cepis decem conteritur, & admiſto melle decocto collyria immittuntur alvo.

Veget. emend.
Ante detractionem tamen ſanguinis adhibentur iſta remedia: tribus heminis vini, quatuor unciæ contriti *allii* permiſcentur, poſtque potionem cogetur currere: duæ quoque unciæ ſalis cum *decem cepis* atteruntur &c.

Ut ad Facciolatum noſtrum ſcripſi, ita hic Vegetium ex Columella duobus in locis emendo. Primam emendationem, & res ipſa, & Sambuci codices firmant.

Alteram neceſſariam eſſe intelligent, quicunque iſta collyria & pro bove, & *longiora*, & *non parum valida* eſſe, atteriderint; neque enim ſatis craſſa, & longa e dextante fient ceparum, ſaliſque ſextante, niſi multo inſuper melle adjecto, multo autem addito melle, qui eſſe poterunt *non parum valida*, cum acrem videlicet ceparum vim, ſaliſque ſtimulum nimia mellis copia obruet atque infringet.

Quod ſiquis forte *valida* hic dictum accipiat, non ut lib. 4. c. 10. *confectio non minus valida*, ſed ut dura ſignificet, quando lib. 1. c. 42. hæc ſcribuntur: *Sal bene tritum, & mel coques, paſtilloſque longos, & duros facies, & in anum jumenti interius immittes.* is libri hujus tertii inſpiciat caput 57. hæc nimirum, & in ejuſdem modi quidem morbo propoſita, inveniet: *cepas decem veteres, ficus ſiccæ ℈ 8.* (Samb-Cod. *uncias quatuor*) *nitri ſcrupulos quinque, ſtercoris columbini ſcrupulos quatuor, ex quibus addita urina collyria facies, & bina vel terna in anum immittes.*

Veget. 3, 3, 7, & 8.
Sed interdum in (1) illa medicina convenit, ſequiturq; (2) omnium vitium, quorum ſignum eſt, ſi exuentum † mutoſumque ventrem ediderit, ſingulare remedium eſt cu-
(1) *nulla*
(2) *torminum*.

§. 5.

Colum. 6, 7, 1, & 2.
Sed interdum nulla prodeſt medicina. Sequitur torminum virium, quorum ſignum eſt cruenta & mucoſa ventris proluvies. Remedia ſunt cupreſſini quindecim coni, totidemque gallæ, & utrorumque ponderum tu-

Veget. emend.
Sed interdum *nulla* medicina convenit, ſequiturque *torminum* vitium, quorum ſignum eſt, ſi *cruentum mucoſumque* ventrem ediderit. Singulare remedium eſt cupreſſinæ quindecim verbenæ, & quindecim

Colum. emend.
Remedio ſunt cupreſſini quindecim coni, totidemque gallæ, &

Digitized by Google

(1) cupreſſinæ quindecim, verbenæ quindecim gallæ diligentiſſime tritæ, quantum utræque ponderantur tanti ponderis vetuſtiſſimus caſeus, quibus paritèr detritis admiſcentur vini auſteri ſextarii 4, & in potu dantur, ita ut lentiſco mixtaque oleaſtri cacumina præbeantur. Si venter cœperit fluere, (2) & videris egere corpus, & vires † capito plerumque inutilem reddit, quia ex cibariis ad medelam bovis nil pervenit, quod ſic videris per ventrem projicit quam quod manducaverit. Quæ cum acciderint, &c.

tuſtiſſimus caſeus, quibus in unum tunſis admiſcentur auſteri vini quatuor ſextarii, qui pari menſura per quatriduum diſpenſati dantur: nec deſint lentiſci, myrtique, & oleaſtri cacumina viridis. Alvus corpus, ac vires carpit, operique inutilem reddit: quæ cum accident &c.

cim gallæ diligentiſſime tritæ, & quantum utræque ponderantur, tanti ponderis vetuſtiſſimus caſeus; quibus pariter detritis admiſcentur vini auſteri ſextarii 4. & in potu dantur, ita ut *lentiſci*, *myrtique* & oleaſtri cacumina præbeantur. Si venter cœperit fluere *viridis*, *& quale manducant egerere* corpus & vires *carpit*, *operique* inutilem reddit, quia ex cibariis ad *medullas* bovis nil pervenit.

& utrorumque *ponderis* vetuſtiſſimus caſeus, quibus &c.

(1) *cupreſſi baccas*, *& Gaubræ ana XV bene tritas*, *& tantundem vetuſtiſſimi caſei*.
(2) *viride quale manducant*. Samb. in marg. ex Cod.

Etſi plura menda ex Vegetio ſuſtulimus, & in his duo illa obelo notata, quæ pro deſperatis in prima Editione relicta erant, non tamen omnia ſublata eſſe, exiſtimamus. Fortaſſe ubi de torminibus ſermo incipit, ibi oratio prorſus eſt a ſuperiore disjungenda; nam in ipſo etiam Columella, inde hoc caput 7. videtur fuiſſe inchoandum, aut ille ex Vegetio emendandus, atque ita ambo intelligendi, ut dicant, adverſus cruditatem, & inteſtinorum dolores nullam interdum medicinam proficere, indeque tormina conſequi.
Fortaſſe Vegetius paulo poſt ſcripſit, *ventre reddiderit* non *ventrem ediderit*.
Fortaſſe medicamentum in quatriduum eſſe partiendum, non omiſit. Fortaſſe ut alia præteream, extrema verba, quæ emendare, a Columella, & Codicibus deſtituti, auſi non ſumus, aut ad hunc fere modum ſcripſerat: *quod ſic videris; plus enim per ventrem projicit, quam quod manducaverit*; aut ad hunc alterum: *quod ſic viride per ventrem projicit, quam quod manducaverit*; neque enim, puto, in Vegetio te offenderit, *ſic viride — quam*, memoria tenentem, ſcriptum eſſe a Propertio (lib. 2. Eleg. 5. al. 4.) *non ita — variant — quam*. Eorum autem quæ emendando reſcripſimus, partim ita evidentia ſunt, nulla ut egeant probatione, partim confirmari poſſunt facillime, velut hoc: *Si venter cœperit fluere viridis*, *& quale manducant*, *egerere*.
Nam ſimul Editionum, ſimul Codicum veſtigia obſervavimus, ad eundemque modum locutum eſſe Celſum (de Medic. lib. 2. c. 8.) meminimus: *ſi nigra alvus profluxit*, *& nigra alvus ſanguini atro ſimilis*; ut ſuſpicati interdum ſimus, legendum eſſe in Columella, non *viridis*.
Alvus; ſed *Viridis alvus*, præſertim cum in ſuperiore capite, lentiſci pariter, oleaſtrique cacumina imperans, *viridis* non adjecerit. Utcunque eſt; in Vegetio *venter viridis* ita intelligendus eſt, ut addita a nobis ex Sambuci Codicibus verba demonſtrant; & commentarii loco eſſe poterit initium ejus Celſi capitis (lib. 4. c. 16.) quod tractationem lævitatis inteſtinorum cum tractatione connectit torminum: *Ex torminibus interdum inteſtinorum lævitas oritur*, *quæ continere nihil poſſunt*, *& quidquid aſſumtum eſt*, *imperfectum protinus reddunt* &c. Quod vero non *ad medelam bovis* ſcripſerim, ſed *ad*

Digitized by Google

medullas bovis, in causa fuit non modo sic aptior sententia, verum etiam Vegetii ipsius alter locus (lib. 3. c. 55.) huic mirum in modum respondens : *Animalia*, inquit, *stomachico* morbo affecta, *multum manducantia fame moriuntur. Omnis enim esca quam sumserint, ad stercus, & omnis potus convertitur in urinam, nullus ex his succus, nullum alimentum pervenit ad medullas.* Hæ emendationum causæ. Contra : *quod cupressinæ quindecim verbenæ* non mutaverim, Celsi locus (lib. 2. c. 33.) effecit de his, quæ reprimunt: *verbenarum contusa cum teneris caulibus folia, cujus generis sunt oleæ, cupressus* &c. Potuit enim Vegetius verbenis uti malle, quam conis. Quod si tibi secus videatur; prompta est ex Codicibus emendatio, *cupressi baccæ;* nam Scribonius (Compos. med. 53, 233.) quoque, & Plinius (Nat. Histor. lib. 16. c. 33.) cupressi conos, *cupressi baccas* vocarunt.

In Columella, quod duo mutavimus, non modo fecimus frequentiore ejus loquendi consuetudine impulsi, sed Jensonianæ etiam Editionis auctoritate permoti, quæ hoc in loco & *Remedio* habet, & *ponderis*.

§. 6.

Veget.
Pabulaque superius præbent. Aliqui vero 2 lib. ex (1) vinaceis ad focum torrent & conterunt, & cum sextario vini austeri ad bibendum dant, & cum merata sæpius cacumina objiciunt.

(1) *hinanceis*, Samb. in marg. ex Cod. qui pro *superius* habet *sæpius*.

Colum. 6, 7. 3, & 4.
Eademque pabula, ut supra diximus, objiciant. Quidam vinaceorum duas libras torrefaciunt, & ita conterunt, & cum totidem sextariis vini austeri, potandum medicamentum præbent, omnique alio humore prohibent, nec minus cacumina prædictarum arborum objiciunt.

Veget. emend.
Pabulaque, *quæ* superius, præbent. Aliqui vero duas libras ex vinaceis, ad focum torrent, & conterunt, & cum 2 *sextariis* vini *austeri* ad bibendum dant, & *commemorata* sæpius cacumina objiciunt.

Hic, ut opinor, haud miraberis, vel quod ad sententiam perficiendam *quæ* addiderim; nosti enim quam facile Librariis fuerit de duabus proxime iteratis voculis unam transilire; vel quod pro *sextario* rescripserim 2. *sextariis;* vides enim ex duabus vinaceorum libris, & vini unciis non amplius viginti spissam nimis potionem confici. Sane & Columella hic duos addit vini sextarios, & Vegetius modo ad lauri & abrotani libras duas, non minus totidem sextariis addiderat.

§. 7.

Veget.
Quod si neque proluvies ventris erit, neque intestinorum dolor, recusat tamen cibos, & prægravato capite erit : lachrymæ quoque oculis & pituita naribus currit, usque ad ossa frons media uratur, aureque ferro discindantur, sed usturæ igneæ factæ, ut saneſcant &c.

Colum. 6, 7, 4.
Quod si neque ventris restiterit citata proluvies, neque intestinorum, ac ventris dolor, ciboque respuet, & prægravato capite, si sæpius quam consuevit, lachrymæ ab oculis, & pituita a naribus profluent, usque ad ossa frons media uratur, aureque ferro scindantur. Sed vulnera facta igne, dum saneſcunt &c.

Veget. emend.
Quod si neque proluvies ventris erit, neque intestinorum dolor, recusat tamen cibos, & prægravato capite *est*, lachrymæ quoque oculis, & pituita naribus currit, usque ad ossa frons media uratur, aureque ferro discindantur. Sed usturæ *igne* factæ, ut saneſcant &c.

Colum. emend.
Quod si neque ventris *erit* citata proluvies, neque &c.

Vocat hic Vegetius *usturas*, quas alibi *ustiones*, ut Scribonius, aut *usta*, ut Celsus

fus, vocaverat (lib. 2. c. 14. 48. 49. 36.) & Celsus quidem *adusta*, sæpius dixit; aliquando (l. 5. c. 9.) tamen dixit *igne adusta*, ut minus miremur, Vegetium scripsisse, *usturæ igne factæ*. Sunt enim etiam medicamenta, quæ adurant, & *crustas ulceribus tanquam igne adustis inducant*. Etiam Celsus etsi adusta appellare *ulcera* consuevit; nonnunquam tamen (id quod alii etiam fecerunt medici) *vulnera* appellavit, ut ubi (l. 5. c. 28. sect. 1.) carbunculum docuit adurere.

Finis, inquit, *adurendi est, dum ex omni parte sensus doloris est. Tum deinde vulnus*, sicut cætera adusta, curandum est; unde intelligitur, licuisse etiam Columellæ scribere, *vulnera facta igne*. In Columella tamen illud præcipuum mihi fuit, ut verbum istud *restiterit*, quod non satis mihi unquam placuit eo in loco, diligentius considerarem. Vidi nuper, Jensonianam Editionem habere *creverit* pro *restiterit*, id quod meam de hoc verbo suspicionem adauxit. Tum animadverti in proximo capite transitionem similem: *Si neque ranæ fuerint, neque alvus citata, & nihilominus cibos non appetet*. Itaque in eam opinionem adductus sum, ut censerem, absoluto sermone de torminibus, transire hic Columellam ad alium morbum, adversus quem ustionem videlicet frontis usque ad ossa imperet: auxilium certe in dysenteria ab nemine, quod sciam, propositum. His de causis verbum *erit*, quod facile ex Columella Vegetius descripsit, mihi placuit rescribere; jure, an secus, ipse arbitrabere. Hæc quoque dispicias velim in principio, & fine insequentis capitis, quæ non est, ut cum Vegetio satis conferre possimus: *Solent etiam fastidia cibo afferre vitiosa incrementa linguæ*. Hic mihi videtur legendum *cibi* vel *ciborum*. Item: *sed hæc his solum fastidium est*. Hæc vero sic fortasse sunt rescribenda: *Sed hæc, si solum fastidium est*; ut sententia sit quæ ei loco maxime convenit: Sed hæc proderunt, si neque ranæ, neque alvus citata, sed solum cibi fastidium fuerit. Eandem sententiam videtur spectasse, qui in Juntina Editione sic emendaverat: *Sed hæc his solum fastidium tollunt*. Verum neque id verbi in ulla præterea editione est, & *his* non cohæret cum proximo verbo appetet.

§. 8.

Veget. 3, 4, 1.	*Colum.* 6, 0, 1.	*Veget.* emend.
Interposita hora trigesima (1) parvos aculeos decoques, & ex oleo ac liquamine per os digeres, eamque escam per dies quinque jejuno dabis. Præterea cacumina (2) lentium, vel olivarum, vel tenerrimum quemque frondem, ac pampinos, si eodem tempore sunt, præbebis in cibo. Labra quoque ejus deterges ad (3) spongiam.	Interposita hora, modicæ magnitudinis coctos brassicæ coliculos triginta ex oleo & garo salviati more demitri (convenit) eamque escam per quinque dies jejuno dari. Præterea cacumina lentisci, aut oleæ, vel tenerrimam quamque frondem, aut pampinos vitis objici, tum etiam spongia labra detergeri.	Interposita hora, *triginta* parvos *coliculos* decoques, & ex oleo, ac liquamine per os digeres, eamq; escam per dies quinque jejuno dabis. Præterea cacumina *lentisci*, vel olivarum, vel *tenerrimam quamque* frondem, ac pampinos, si eodem tempore sunt, præbebis in cibo. Labra quoque ejus deterges ad spongiam.

(1) *Strignum ex ol. ac liq. coquas, & per* (2) *lentisci*, (3) *spongia*. Samb. in marg. ex Cod.

Hoc in loco non cur cætera emendaverim (per se enim id liquet) sed potius cur *ad spongiam* non emendaverim, dicendum est, præsertim cum in Codicibus Sambuci esset *spongia*. Nimirum idem esse Vegetio *ad spongiam*, & *spongia*, plura ejus commonstrant loca. Sic in superiore capite 3. etiam scripsit, *ad acutam cannam execes ranulam*, pro *acuta canna*, in secundo autem, *ad acum* vel acutum cuprinum pars auriculæ signatur pro *acu*, vel acuto cuprino, & paulo post, *perforas ad acum* pro *perforas acu* &c.

§. 9.

Digitized by Google

§. 9.

Veget. 3, 4, 4.
Si recens fuerit (tuſſis) ſextarius farinæ hordeaceæ, cum uno ovo crudo, & hemina paſſi per os datur jejuno: gramen quoque conciſum tunſumque admixta farina fabæ frixæ, & pollinis lentis (1) ſextario aquæ calidæ miſcetur.

Colum. 6, 10. 1.
Recens tuſſis optime ſalviato farinæ ordeaceæ diſcutitur. Interdum magis proſunt gramina conciſa, & his admiſta freſa faba. Lentes quoque valvulis exemtæ, & minutæ molitæ, miſcentur aquæ calidæ ſextarii duo.

(1) *ſine cortice ſextariis duobus aquæ* Samb. in marg. ex Cod.

Fabæ frixæ apud Galenum (de Alim. Facult. l. 1 c. 19.) quidem, Oribaſium (Euporiſt. lib. 1. c. 19.) alioſque veteres mentionem invenio. Sed qui fabam frixam adverſus tuſſim laudaverit, aut in farinam redigi, ſcripſerit, non memini inveniſſe. Plinius (Nat. Hiſt. l. 22. c. 25.) quoque, cum utrumque memorat, freſſam ad tuſſim laudat, non frixam. *Faba*, inquit, *ſolida fricta fervenſque in acre acetum conjecta, torminibus medetur.* *In cibo freſſa, & cum allio cocta, contra deploratas tuſſes, ſuppurationeſque pectorum quotidiano cibo ſumitur.* Quoniam tamen non modo Columella mox proponit *hordeum torrefactum*, *molitum*, adverſus tuſſim; ſed ad hanc ipſam capite 65. hujus libri laudat Vegetius *farinam fabæ frixæ*, capite autem 69. *lentem* ac *fœni græci*, *& lini ſemen frigere ſeparatim*, *& pulverem facere* profuturum tuſſientibus, jubet; idcirco, etſi in Sambuci Cod. erat *terere* pro *frigere*, in præſentia tamen nihil in his verbis mutare volui.

Inſequentia pariter conſulto non attigi, cum dubitarem, eſſentne omnia ſecundum Sambuci Codices reſtituenda, & ad Columellam exigenda, an vero contra in Columella etiam ſcribendum eſſet *ſextario* pro *ſextarii duo*: quod ni fiat; certe aliter verba ſunt diſtinguenda, ut ſcribamus *minute molitæ*. *Miſcentur.* Fuit etiam cum ſuſpicarer, pro *ſalviato farinæ hordeaceæ*, legendum eſſe ex Vegetio *ſextario farinæ hordeaceæ*. Sed de *Salviato* paulo infra.

§. 10.

Veget. 3, 4, 5.
Veterem tuſſim ſanant duæ libræ hyſſopi maceratæ ex aquæ ſextariis tribus, quod infuſum teritur, & cum duabus partibus (1) farinæ miſcetur, & per os datur, ſuper quod aqua hyſſopi, in (2) aqua decoctum, infuſum, decoctumque (3) etiam propinatur ad cornu.

Colum. 6, 10. 1.
Veterem tuſſim ſanant duæ libræ hyſſopi macerati ſextariis aquæ tribus. Nam id medicamentum teritur, & cum lentis minutæ, ut dixi, molitæ ſextariis quatuor more ſalviati datur, ac poſtea aqua hyſſopi per cornu infunditur.

Veget. emend.
Veterem tuſſim ſanant duæ libræ hyſſopi maceratæ ex aquæ ſextariis tribus, quod infuſum teritur, & cum duabus partibus farinæ *lentis* miſcetur, & per os datur, ſuper quod aqua hyſſopi, in *qua videlicet* infuſum, decoctumque etiam *eſt* propinatur ad cornu.

(1) *lentis* (2) *qua*. (3) *eſt* Samb. in marg. ex Cod.

Declarat Vegetius, quid nomine *aquæ hyſſopi* intelligendum ſit, eamque ipſam eſſe, dicit, ex qua hyſſopum juſſit macerari, & ex qua, ſi placet, coqui etiam poteſt. Igitur cum perperam vox *decoctum* iteretur; videas velim, num primo loco delere ipſam deceat, an mutare, quod feci, in *videlicet* an forte in, *ut dictum*, quod ut ab ipſa ſcriptura propius abeſt, ita repoſuiſſem, ſi decoquendum eſſe, ſupra dixiſſet. Quod autem ſcribit infundendam eſſe non *per cornu*, ut infra, atque

Digitized by Google

que alibi etiam, sed *ad cornu*; nimirum ita loqui sæpius solet, ut lib. 2. c. 28. lib. 3. 9. 12. 45, 54, 65, 67, 78. &c.

§. 11.

Veget. 3, 4, 6.
Porri etiam succus expressus cum oleo & ipsi febri cum hordeacea farina remedium præstant (& mox). Idem præstat ervum, si in pabulis cum ptisana hordei mollitum, & cum aqua tepida vel mulsa in fauces salivanti ore dimissum.

Colum. 6, 10, 2.
Porri etiam succum oleo, vel ipsa fibra cum ordeacea farina contrita remedio est (& mox). Facit idem pari mensura ervum sine valvulis cum torrefacto ordeo molitum, & salviati more in fauces demissum.

Veget. emend.
Porri etiam succus expressus cum oleo, & *ipsa fibra* cum hordeacea farina remedium præstant (& mox). Idem præstat ervum *sine valvulis* cum ptisana hordei *molitum*, & cum aqua tepida, vel mulsa in fauces *salivati more* demissum.

Colum. emend.
Porri etiam succus cum oleo &c.

Porrum ipsum quod & alii Auctores faciunt, capite hujus libri 65. ad tussim commendat Vegetius, quod vicissim ad febrem commendare non memini. Quo minus dubitandum est, quin jure *ipsi febri*, de qua sermo est supra absolutus, in *ipsa fibra* mutaverimus, non ignari etiam Catonem (de Re Rust. c. 70.) ita esse locutum, *porri fibras III.* Quod autem & hic ervum, & paulo ante lens molenda esse dicuntur *sine valvulis*, idcirco hoc fuit addendum, quia etiam cum valvulis molebant, teste Scribonio (compos. med. 168.) qui ad *podagram caldam* imperat *fabam molitam cum suis valvulis*. Propterea Vegetius *ptisanam hordei* hic scripsit, id est, hordeum tunsum, & decorticatum; hoc enim proprie significat πτισάνη. Cæterum *salivati more* rescripsi, non *salviati*, ut minimum ab hac scriptura recederem, *salivanti*: quæ hic nimirum confirmat quod Victorius (annotat. ad c. 9. Columellæ) docuit, in antiquis Columellæ exemplaribus scriptum esse *salivati*, ubi Editiones habent *salviati*. Et quanquam capite etiam 24. libri hujus habent *salviatum*; relictum est tamen capite 5. *salivandum* & 37. *salivandus*; imo Commelinus aliis quoque in locis rescripsit *salivati*, quod Robertus etiam Stephanus faciendum monuerat.

Quorum uterque cum hoc loco pro *succum oleo* ediderit, *succus oleo*, eo facilius veterem meam ex Vegetio Columellæ emendationem confirmavi, *succum cum oleo*.

§. 12.

Vegét. 3, 7, 4 sq.
Sinus ipse, qui eam (suppurationem) continebat, urina bubulina calida lavatur, ac linamentis; ac stuppis, sive linteolis pice liquida & oleo infusis curatur. Quod si colligari ea pars, ubi est ulcus, non potest, lana candente sepum caprinum, aut bubulinum stillatur. (1) Aliquanti cum vitiosam partem inunxerint, tunc urina veteri humana lavant, atque ita æquis ponderibus pice liquida cum vetere axungia incoquunt & liniunt.

Colum. 6, 11, 1.
Sinus ipse, qui eam (suppurationem) continebat, calida bubula urina eluitur, atque linamentis pice liquida, & oleo imbutis colligatur. Vel si collui ea pars non potest lamina candenti sevum caprinum, aut bubulum instillatur. Quidam cum vitiosam partem inusserunt, urina vetere eluunt, atque ita æquis ponderibus incocta pice liquida cum vetere axungia linunt.

Veget. emend.
Sinus ipse, qui eam (suppurationem) continebat, urina bubulina calida lavatur, ac linamentis, ac stuppis, sive linteolis pice liquida, & oleo infusis curatur. Quod si *collui* ea pars, ubi est ulcus, non potest, *lamina* candente sepum caprinum aut bubulinum stillatur. *Quidam vero* cum vitiosam partem *inusserint*, tunc urina veteri humana lavant, atque ita æquis ponderibus, *picem liquidam* cum veteri axungia incoquunt, & liniunt.

(1) *Quidam vero* Samb. in marg. ex Cod.

Ut

Digitized by Google

Ut minime dubito, quin, ita ſententia poſtulante, recte Vegetium ex Columella emendaverim, reponens *collui* pro *colligari*; ſic contra non liquet, ſitne ex Vegetio Columella emendandus, ſcribendo *curatur* pro *colligatur*. Hinc enim linamenta, id eſt, penicilli, minime idonea videntur ad colligandum, & Columella ipſe huc reſpiciens in proximo cap. 12, *cum*, inquit, *maturuerit ſuppuratio, reſcinditur ferro, eaque emiſſa, ut ſupra docuimus, linamentis curatur*. In eodem tamen capite hæc etiam ſunt: *linamentis pes involutus ſpartea munitur;* nec deſunt, qui linamenta interdum quoque pro linteolis, quamvis non complicatis, accipienda eſſe, opinentur; denique vox *colligari* in Vegetio pariter, quanquam perperam, & certe non ſuo loco, hic legitur. Itaque etſi ſuſpicabar, addendam fortaſſe aliam aliquam vocem, ut *applicitis, demiſſis, impoſitis;* ob has tamen cauſas nihil adhuc mutare auſus ſum. Sed in Vegetio, etiam reliqua viſa ſunt neceſſario emendanda, præſertim vero *lana*, atque *inunxerint*. Quorum hoc neque ſententiæ, neque Columellæ, neque tandem reſpondet Vegetio (cap. 3.) qui paulo ante, non poſt inunctiones, ſed poſt ipſas *uſturas* veterem urinam adhiberi, imperaverat. Illud vero ejuſmodi eſt, ut quanquam capite etiam 55. ſuperioris libri ad eundem modum occurrat, nihilo tamen minus utrobique omnino ſit mutandum in *lamina*, pro qua mox dicet Vegetius, *ferro candenti;* ſic videlicet: *axungia veteri, & ſepo hircino, pari pondere ferro candenti ſtillantibus*. Quod autem *urina bubulina*, & *ſepum bubulinum* reliquerim, ea fuit cauſa, quod pro *bubulum*, ſolet Vegetius ſcribere *bubulinum*, ut infra hoc ipſo capite, & lib. 1. c. 13. lib. 2. c. 28. lib. 3. c. 8, & 47. lib. 4. c. 27.

§. 13.

Veget.
Sed ſi ſanguis adhuc ſuper ungulas in cruribus eſt, ad triduum triti ſalis perfricatione diſcutitur. Quod ſi tantum in ungues deſcenderit, cultello leviter inter duas ungues aperies, & mundabis deintus, & poſtea ſtuppam ſale atque aceto infuſam applicabis ad ſolum, ſparta opere calceatur, maxime quæ datur operantibus, & in aquam non mittat pedem, ſed ubi ſiccum eſt, ambulet.

Colum. 6, 12, 1, & 2.
Sed ſi ſanguis adhuc ſupra ungulas in cruribus eſt, fricatione aſſidua diſcutitur, vel cum ea nihil profuit, ſcarificatione demitur. At ſi jam in ungulis eſt, inter duos ungues cultello leviter aperies. Poſtea linamenta ſale, atque aceto imbuta applicantur, ac ſolea ſpartea pes induitur, maximeque datur opera, ne in aquam pedem mittat, & ut ſicce ſtabuletur.

Veget. emend.
Sed ſi ſanguis adhuc ſuper ungulas in cruribus eſt, ad triduum triti ſalis perfricatione diſcutitur. Quod ſi *jam* in ungues deſcenderit, cultello *leviter* inter *duos* ungues aperies, & mundabis deintus, & poſtea ſtuppam ſale atque aceto infuſam applicabis: *ac ſolea ſpartea pes* calceatur, *maximeque* datur *opera*, *bos*, *ut* in aquam *ne* mittat pedem, ſed *ut ſicce ſtabuletur*.

Plura quidem hoc loco in Vegetio emendavi, neque tamen pro certo affirmaverim, ſic menda omnia ſublata eſſe. Poteſt enim *ad triduum*, depravatio eſſe vocis *aſſidua* Columellæ. Poſſunt & quædam quæ apud hunc ſequuntur, verba in Vegetii exemplaribus intercidiſſe, & viciſſim poſſunt apud Columellam nunc deeſſe duæ illæ voculæ *triti ſalis;* ſolebat enim Columella frictiones ita imperare, ut medicamentum aliquod affricaretur. Sic jubet paulo poſt (ſ. 3.), *oleo, & ſale genua confricari;* ſic capite inſequenti (ſ. 1.) extenuari ſcabiem *trito allio defricto*, ſic 15, 2. ſuffragines *veteres axungia defricari*, imperat, ſic 31, 2. impetigines *aceto & alumine defricari;* ſic præſertim 32, 1. intertriginem *trito ſale cum adipe defricari*. Quin etiam ea ipſa, quæ in Vegetio emendavi, rectene omnia emendata eſſent, nonnunquam dubitavi, & potiſſimum *ad ſolum*, & *ambulet*.

Neque

Digitized by Google

Neque enim ignorabam *ſolum* poſſe interdum ſoleam, alias infimam pedis partem ſignificare, imo ſciebam, Vegetium alibi (lib. 1. c. 26. lib. 2. c. 55, 56.) *ſolum ungulæ*, & *ſolum calcis* ſcripſiſſe; ut hic ſi *ſolo ſparteo* legere nollem, & *applicabis ad ſolum*, poſſem. Neque me fugiebat, ut *ambulet*, improbarem, nimirum ſic læſo pede; propius tamen ab hac ſcriptura abeſſe *ſtabulet*, quam *ſtabuletur*, certe autem Virgilium (Æneid. l. 6. v. 286.) dixiſſe: *Centauri in foribus ſtabulant*. Attamen ſuccurrebat, Vegetium ſæpe (lib. 1. c. 29, 56. l. 2. c. 58. lib. 3. c. 41, 43.) *ſtabuletur* ſcripſiſſe; *ſtabulet*, quod meminiſſem, vix ſemel (lib. 1. c. 12.) tum vero ſive *ſolo ſparteo*, ſive *applicabis ad ſolum*, legiſſem; alia relinquebantur vel in litterarum veſtigiis, vel in ſententia, quæ minus placerent. Ob has cauſas Vegetium ad ea, quæ deſcripſerat, Columellæ verba exigere, hic multo denique tutius eſt viſum.

§. 14.

Veget. 3, 4, 11 ſq.

Qui ſanguis niſi emiſſus fuerit (1) ſaniem creabit. Quo ſuppuratio etiam (2) curabitur. Nam primo ferro circumciſus expurgatur ad vivum. Deinde pannis aceto, & oleo, & ſale madefactis impletur, mox axungia veteri & ſepo hircino pari pondere ferro candenti ſtillantibus curatur, & perducitur ad ſanitatem. Si ſanguis in interiori parte ungulæ eſt, nec aperturam facit, & tantum claudicat animal, extrema ipſius ungulæ ad vivum reſecantur, & ita remittitur.

Colum. 6, 12, 2, & 3.

Hic idem ſanguis niſi emiſſus fuerit, ſaniem creabit, qui ſi ſuppuraverit, tarde procurabitur: ac primo ferro circumciſus, & expurgatus, deinde pannis aceto, & ſale, & oleo madentibus inculcatis, mox axungia vetere, & ſevo hircino pari pondere decoctis, ad ſanitatem perducitur. Si ſanguis in inferiore parte ungulæ eſt, extrema pars ipſius unguis ad vivum reſecatur, & ita emittitur.

(1) *ramicem*. (2) *tarde* Samb. in marg. ex Cod.

Si crederem, hic nihil aliud in Columella eſſe vitii, niſi forte *procurabitur* pro *percurabitur*, & *inferiore* pro *interiore*, Vegetium corrigere hic quoque conarer. At qui credam? Cum de ſanguine certe hæc dici non poſſint, *ferro circumciſus — ad ſanitatem perducitur*, ut neque illa, *expurgatur ad vivum*, & *pannis aceto*, *& oleo*, & *ſale madefactis impletur:* quæ nimirum tumori potius cuidam, & ſinui videntur convenire. Sambuci Codices pro *ſaniem* habent *ramicem:* qua voce Nonius (de Propr. Serm.) pulmonem ſignificari, docuit in eo quidem Plauti (Mercator. Act. 1. Sc. 1.) verſu: *Tua cauſa rupi ramices, jamdudum ſputo ſanguinem;* ut notiorem ramicis ſignificatum, & huc minus pertinentem omittam. Quaſi vero, inquies, pulmo huc magis attineret.

Fateor. Tu tamen vide Vegetii caput 56. lib. 2. quod eſt de *pulmunculo* ad ungulas *facto*. Hæc invenies: *Ungulam ſubradis, deinde — ubicunque pulmunculus fuerit, radis ad vivum, & adjicies lanamentum* (lege *linamentum*, ut infra quoque & cap. 57.) *ex oleo, & aceto, & ſale* &c. Capite etiam ejuſdem libri 61. *pulmunculum natum in dorſo, ſi parvulus fuerit*, docet, *aperire, ut ſanies, quam collegerat, egeratur, vel decuſſatim ferro ſecare & eximere, & oleum, acetum, & ſalem continuo addere in plagam*. Huc adde lib. 4. c. 19. tradere compoſitionem medicamenti traumatici, quod *abſumta putredine, vivam carnem ad ſanitatem reducit, quo*, inquit, *ad cancromatas*

Digitized by Google

matas plagas, ad famicem, & cicatrices reducendas uteris; quibus ex verbis, ut alia aliter emendanda, sic *famicem* fortasse in *ramicem* esse mutandum, suspicaberis, eo magis quod in pulmunculi etiam ad angulam nati curationem traumaticum medicamentum fuerat a Vegetio laudatum. Legemusne igitur, inquies, pro *faniem, ramicem* & pro *Quo suppuratio, Quojus suppuratio*, id est, cujus ramicis suppuratio? Ego vero non ut quidquam affirmarem, sed ut te ad quærendum incitarem, hæc scripsi.

§. 15.

Veget. 3, 4, 13.
Si claudicat ex dolore nervorum, oleo, & sale, genua poplitesque, & crura confricanda sunt, calido aceto, & lini semen aut milium detritum infusumque aqua mulsa imponendum est.

Colum. 6, 12, 3, & 4.
Si dolore nervorum claudicat, oleo, & sale genua, poplitesque, & crura confricanda sunt, donec sanetur. Si genua intumuerint, calido aceto fovenda sunt, & lini semen, ut milium detritum, conspersumque aqua mulsa imponendum.

Excidisse apud Vegetium verba, quæ his respondebant: *Si genua intumuerint — fovenda sunt*, tam certum videtur, quam quod certissimum.

§. 16.

Veget. 3, 4, 15.
Potest etiam radix lilii vel squilla cum sale, vel herba sanguinalis (quam palaganon græci appellant) vel marrubium ferro aperta sanare. Omnis autem corporis dolor, si sine vulnere est, recens fomentis (1) mellinis discutitur. Vetus autem uritur. Et supra vulnus vel butyrum, vel caprina instillatur axungia.
(1) *melius* Samb. in marg. ex Cod.

Colum. 6, 12, 5.
Possunt etiam (ut Cornelius Celsus præcipit) lilii radix, aut scylla cum sale, vel sanguinalis herba, quam πολύγονον Græci appellant, vel marrubium ferro recluſa sanare. Fere autem omnis dolor corporis, si sine vulnere est, recens melius fomentis discutitur: vetus uritur, & supra ustum, butyrum, vel caprinus instillatur adeps.

Veget. emend.
Potest etiam radix lilii vel squilla cum sale, vel herba sanguinalis (quam *polygonon* græci appellant) vel marrubium ferro aperta sanare. Omnis autem corporis dolor, si sine vulnere est, recens fomentis *melius* discutitur &c.

Hic vero quæ desunt, Vegetii ipsius arbitrio potuerunt omitti: quem pariter potuisse scribere *vulnus* pro *ustum*, ex iis, quæ supra ad Columellæ caput 7. adnotata sunt, intelligitur.

§. 17.

Digitized by Google

§. 17.

Veget. 3, 4, 16.

Scabies (1) anatis trita oleo defricata : Eodemque remedio rabiosi canis sanatur morbus vel lupini vulnus illatum. Vetus quoquo salsamentum utramque perhibetur plagam curare. Ad scabiem quoque praestentior medicina ista est: si cumulam † bubulam sulphurque conteritur, admixtaque myrrha cum oleo atque aceto decoquitur, & cum tepescere cœperit, alumen scissum tritum inspergitur (2) quod medicamentum candentis olei illinitum prodest.

Colum. 6, 13, 1.

Scabies extenuatur trito allio defricto : eodemque remedio curatur rabiosæ canis, vel lupi morsus qui tamen & ipse impositio vulneri vetere salsamento, æque bene sanatur, & ad scabiem praesentior alia medicina est, cunila bubula, & sulphur conteruntur, admistaque amurca cum oleo, aqua, aceto incoquuntur. Deinde tepefactis scissum alumen tritum spargitur. Id medicamentum candente sole illitum maxime prodest.

Veget. emend.

Scabies *sanatur trito allio* defricata : eodemque remedio rabiosi canis sanatur *morsus*, vel lupini vulnus illatum. Vetus quoque salsamentum utramque perhibetur plagam curare. Ad scabiem quoque praesentior medicina ista est: si *cunila bubula*, sulphurque conteritur, admixtaque myrrha cum oleo atque aceto decoquitur, & cum tepescere cœperit, alumen scissum tritum inspergitur, quod medicamentum *candente sole* illinitum prodest.

(1) *Scabiosa trita cum*. Samb. in marg. ex Cod. qui hæc ad (2) inter uncos interponit (*quo ungatur ad solem fortiter*).

Si forte videor timidius feciſse, quod *morsus lupini vulnus illatum* non mutaverim ; vide an libentius legas *lupi*, aut *lupinum vulnus illatum*, aut etiam *lupi vulnus*. *Tamen*. Nam quod servaverim *oleo*, *atque aceto* pro *oleo*, *aqua*, *aceto*, non modo feci, quia Vegetius hic aquam potuit non probare ; verum etiam quia librarii in his Columellæ ipsius verbis describendis labi facile potuerunt.

Myrrha quoque pro *amurca* servata est ; nam quamvis amurca iterum a Columella (7, 5, 7.) adversus ovium, a Cornelio autem Celso (lib. 5. c. 28. sect. 16.) adversus & pecorum, & hominum scabiem proponatur ; hic tamen etiam myrrham commendat, Dioscorides (lib. 1. c. 67.) autem, & Scribonius (Compos. 254.) myrrham ex aceto ad impetigines, scabiemque, impositam laudant. Equidem fateor, longe parabilius præsertim ad pecora medicamentum esse amurcam ; Vegetius (lib. 4. c. 27.) tamen vel synchrismata pro his habet ex myrrha composita. Verum, ut in hisce timidior fuerim ; nihil certe in cæteris dubitavi, & præsertim in *candentis olei*, & candente sole mutandis. Non modo enim Columella hoc requirit capite etiam 31, & 32; Sed Vegetius ipse (qui alibi lib. 3. c. 24. aere candente dixit) uno in capite 71. hujus libri, quod de scabie est, sæpius diligenter inculcat. Quo in capite mendum est ex hoc loco corrigendum ; ubi enim legitur *aluminis spissi*, legendum est *aluminis sciſſi ;* sic enim etiam alibi tum Vegetius (lib. 1. c. 56. lib. 3. c. 7. lib. 4. c. 27.) tum Columella (lib. 9. c. 31. f. 2.) id alumen vocant, quod Celsus (lib. 5. c. 2. c. 18. sect. 11. c. 19. sect. 6, 15. c. 20. sect. 1, 2, 3, 4. c. 22. sect. 2, 3.) *sciſſile*, Scribonius (Compos. 4. aliisque passim) autem *fissum* appellat. Eodem in capite pro *fasciculus aricusæ*, legendum crediderim, *fasciculæ anchusæ*, herbæ videlicet, ut tu egregie nosti a Dioscoride (de Med. Mat. lib. 4. c. 23.) & Plinio (Nat. Hist. lib. 22. c. 20.) ad lepras, & ulcera commendatæ : itemque *papulis* pro *pabulis* iis in verbis : *Cum spinam, vel lumbos, aut coxas pabulis æstuans contagio pervaserit* &c. denique *cedria* pro *cedrina* : quas duas postremas emendationes Columella confirmat in iis ipsis duobus capitibus, quæ paulo ante indicavimus.

Digitized by Google

§. 18.

Veget. 3, 4, 17.

(1) Infesta pestis est bubulum pecori (quam maginium rustici vocant) cum pellis ita dorso hæret, & apprehensa manibus deduci non possit a costis: quæ res non aliter accidit, quam si bos ex languore aliquo ad maciem deductus est, aut sudans in (2) corpore faciente refriguit, aut si lapsus sub onere vehementer est infusus in pluvia: quæ (3) quandoque perniciosa sunt: custodire debemus, ut cum ab opere redierint boves adhuc æstuantes, anhelantesque vino aspergantur, & offula panis vino infusa faucibus eorum inferatur.

Colum. 6, 13, 2.

Est & infesta pestis bubulo pecori, coriaginem rustici appellant, cum pellis ita tergori adhæret, ut apprehensa manibus deduci a costis non possit. Ea res non aliter accidit, quam si bos aut ex languore aliquo ad maciem productus est, aut sudans in opere faciendo refrixit, aut si sub onere pluvia madefactus est. Quæ quoniam pernicioſa sunt, custodiendum est, ut cum ab opere boves redierint, adhuc æstuantes, anhelantesque vino aspergantur, & offæ adipis faucibus eorum inserantur.

Veget. emend.

Infesta pestis est *bubulo* pecori (quam *coriaginem* rustici vocant) cum pellis ita dorso hæret, ut apprehensa manibus deduci non possit a costis: quæ res non aliter accidit, quam si bos ex languore aliquo ad maciem deductus est, aut sudans *in opere faciendo* refriguit, aut si lapsus sub onere vehementer est infusus in pluvia. Quæ *quoniam* pernicioſa sunt, custodire debemus, ut cum ab opere redierint boves adhuc æstuantes, anhelantesque vino aspergantur, & offula panis vino infusa faucibus eorum *inseratur*.

(1) *pessima*. (2) *opere*. (3) *quoniam* Samb. in marg. ex Cod.

Monstrum illud verbi *maginium*, quod, ut desperatæ emendationis, asteriſco appoſito ediderant, Matthias autem Martinius nihilominus in suum lexicon receperat, Columellæ ope emendavimus. Affecta hoc morbo animalia *coriaginosa* alibi (lib. 1. c. 44. lib. 2. c. 6.) appellat Vegetius, qui etiam caput hujus libri 54, de *Coriagine* conscribit. Secundum ipsum Columellam reſcripſimus *quoniam* pro *quandoque*, Sambuci codicibus assentientibus, quod nisi fuisset, rescripturi eramus *quandoquidem*. Quod si iidem Codices consensissent; libenter quoque illam vocem *lapsus* induxissem, aut in *lassus* mutavisſem, & pro *offula panis* reposuissem *offula adipis*, nam etsi adjectum est *vino infusa*; sunt tamen etiam capite 70. offæ ex butyro & axungia confectæ, quæ dentur *in passo intinctæ*.

§. 19.

Veget. 3, 4, 19.

(1) Aliquanti feces vini & axungiæ commiscent.

Colum. 6, 13 extr.

Quidam fraces vino & adipe commiscent.

Veget. emend.

Aliquanti *fraces vino*, & axungia commiscent.

(2) *M. S. non habet*. Ita Samb. in marg.

Non est dubium, quin ignorantes Librarii, quid essent *fraces*, & quam huc convenirent, ubi oleum, adepsque laudantur, ex *fraces vino* fecerint ipsi *feces vini*. Hæc autem verba non esse suppositicia, cum princeps Editio ostendit, quæ ex *pervetusto codice* est, tum Columella, cujus ductum Vegetius sequitur, aperte confirmat.

§. 20.

Digitized by Google

§. 20.

Veget. 3, 4, 20.

(1) Et cum gravis pernicies, ut cum pulmones exulcerantur, unde tussis & macies, ad ultimum vero phtisis invadit, quæ mortem afferant, (2) radix consiliginis, succus porri, omnium hemina per mensuram olei miscetur, & bibendi sunt, cum vini sextario per dies plurimos.

Colum. 6, 14, 1.

Est etiam illa gravis pernicies cum pulmones exulcerantur, inde tussis, & macies, & ad ultimum phthisis invadit. Quæ ne mortem afferant, radix coryli inusta, ita ut supra docuimus, perforatæ auriculæ inferitur, tum porri succus instar heminæ pari olei mensuræ miscetur, & cum vini sextario potandus datur diebus compluribus,

Veget. emend.

Est *etiam* gravis pernicies cum pulmones exulcerantur, unde tussis, & macies ad ultimum vero phthisis invadit. Quæ *ne* mortem afferant, radix consiliginis ——————

——————

succus porri *instar heminæ pari mensuræ olei* miscetur, & bibenda sunt cum vini sextario per dies plurimos.

Colum. emend.

Est etiam illa gravis pernicies, cum pulmones exulcerantur; inde tussis & macies, & ad ultimum phthisis invadit. Quæ ne mortem afferant, radix *consiliginis* ita ut supra docuimus, perforatæ auriculæ inferitur &c.

(1) *Est etiam gravis pern.* Samb. in marg. ex Cod. qui ad

(2) inter uncos interponit (*Cui* .)

Hic quoque cum verba aliquot Vegetii, quorum sententia ex Columella cognoscitur, a vetustioribus Librariis oscitanter omissa essent; ab recentioribus *radix consiliginis*, & succus porri conjuncta sunt perinde quasi illa quoque ex oleo bibenda esset. Verum ita etiam lacer truncusque Vegetius nos admonet, gravissimum mendum in omnibus, quas ad hoc tempus vidimus, Columellæ Editionibus inhæsisse; siquidem *radix consiliginis*, in *radix coryli inusta* eo turpius mutata est, quod Columella, qui se supra id docuisse testatur, nusquam de coryli radice, sed de radice consiliginis, eaque minime inusta, perforatæ auriculæ inserenda præcepit hujus libri capite 5. s. 3, & 4. idque adversus pestilentiam. Laudatque rursus, ut hoc in loco, in proximi libri capitibus 5, 14, & 10, 7. & adstipulante quidem Plinio (Nat. Hist. l. 26. c. 7.) in pulmonariis etiam ovibus & suibus: quamobrem nonnulli Vegetii temporibus (lib. 3. c. 2.) hanc herbam *pulmonariam* (non *pulmonaceam*, ut lib. 1. c. 12.) vocabant, quam Columellæ lib. 6. c. 5. s. 3. & Plinii loc. cit. & lib. 25. c. 8. ætate, qua inventa est, *Pastores & Veterinarii consiliginem* dicebant. Nostro autem hoc ævo quod habeat nomen, nisi tu, mi Juli, constituas, non video inter rei herbariæ scriptores, quorum alii aliam fuisse existimant, facile convenire.

§. 21.

Veget. 3, 4, 21.

Nonnunquam & tumor palati ciborum fastidium facit, crebrumque suspirium. Prodest palatum ferro aperire &c.

Colum. 6, 14, 2.

Interdum & tumore palati cibos respuit, crebrumque suspirium facit, & hanc speciem præbet, ut bos in latus pendere videatur, ferro palatum opus est sauciare &c.

Vereor ne hic Columella minus integer Vegetio sit. Neque id eo potissimum dico, quod Columellæ Editiones inter se non consentiant, cum Jensoniana habeat, *tumor palati*, & *bos lætus pendere*; sed quod verba illa: *& hanc speciem præbet, ut bos in latus pendere videatur*, neque intelligitur, de quo dicatur, & videntur aliquanto magis ad ea, quæ paulo post consequuntur, pertinere: *Si cervix mota, & dejecta est, considerabimus quam in partem declinet*, ut fortasse eo rejicienda sint,

Digitized by Google

sint, legendumque: *Si cervix mota, & dejecta est, & hanc speciem præbet, ut bos in latus pendere videatur, considerabimus quam in partem declinet.* Nam illa etiam subsequuntur: *Quod si cervix in neutram partem dejecta est,*

Veget. 3, 4, 22.
(1) Si in operibus contuderit collum, præstantissimum remedium est, sanguis ab aure emissus. At si id totum in tempore quæ vocatur † amati amati cum sale tantum & imponito.
(1) *M. S. non habet.* Ita Samb. in marg.

§. 22.
Colum. 6, 14, 3.
Si in opere collum contusum erit, præstantissimum est remedium sanguis de aure emissus: aut si id factum non erit, herba quæ vocatur avia, cum sale trita & imposita.

Veget. emend.
Si *in opere bos* contuderit collum, præstantissimum remedium est sanguis ab aure emissus: *aut*, si id *factum non erit*, *herba* quæ vocatur *avia cum* sale *trita* & *imposita*.

Vegetius in hoc ipso capite, *operis*, *in opere*, & *ab opere* scripsit; non *operum*, & in *operibus*, cum idem, quod hic, vellet significare. Itaque hoc, exegi ad Columellam, ut ea quoque *in tempore* quæ facta videntur ex plerisque litteris earum vocum quas reposui. Quod si has credideris penitus intercidisse, retinere poteris *in tempore*; potuit enim Vegetius hoc addere, atque ita scribere: *At si id factum in tempore non erit*, ut Celsus (de Medicina l. 7. c. 12. sect. 1.): *Quod si factum statim non est.* Sed hæc leviora, illud gravius, quod pro *amati amati*, verbis in prima Editione obelo confixis, *avia* reposuerim ex Columella, qua tamen de herba nihil memini legisse. Sed de hac etiam infra erit dicendi locus.

Veget. 3, 4, 23 sq.
Si cervix mota, & dejecta est, considerabimus in quam declinet, & ex diversa parte sanguinem detrahimus ex ea vena, quæ in aure videtur amplissima, quæ (1) sarcocata prius verberanda est, & cum intumuerit, ferro aperiatur, effuloque sanguine postero die ex eo loco emittitur cruor, & biduo vacatio operis datur. Tertio vero die levis injungitur labor, & paulatim ad operis consuetudinem revocatur.
(1) *sarmento* Samb. in marg. ex Cod.

§. 23.
Colum. 6, 14, 3, & 4.
Si cervix mota, & dejecta est, considerabimus, quam in partem declinet, & ex diversa auricula sanguinem detrahemus. Ea porro vena, quæ in aure videtur esse amplissima, sarmento prius verberatur: deinde cum ad ictum intumuit, cultello solvitur, & postero die iterum ex eodem loco sanguis emittitur, ac biduo ab opere datur vacatio. Tertio deinde die levius injungitur labor, & paulatim ad justa perducitur.

Veget. emend.
Si cervix mota, & dejecta est, considerabimus, in quam *partem* declinet, & ex diversa sanguinem *detrahemus* ex ea vena, quæ in aure videtur amplissima, quæ *sarmento* prius verberanda est &c.

Colum. emend.
ac biduo ab opere datur vacatio. Tertio deinde die *levis* injungitur labor, & paulatim ad justa perducitur.

Ut in Columella pro *levius* rescriberem *levis*, & sententia postulabat, & impellebat Vegetius, cum Jensonii denique permovit Editio, quæ *levis* habet non *levius*.

§. 24.

Digitized by Google

§. 24.

Veget. 3, 4, 25.
Tali vitio comperimus aptum esse medicamentum ex pice liquida, & bubula medulla, hircino sepo, & axungia veteri, oleo quoque veteri æquis ponderibus (1) impositum concoquitur, quo utendum est cum bos ab opere disjungitur, & in piscina (2) in quolibet tumore cervix lavatur, confricaturque diligenter prædicto medicamento, detersaque diluitur.

Colum. 6, 14, 5.
Tali vitio comperimus aureum esse medicamentum ex pice liquida, & bubula medulla, & hircino sevo, & veteri oleo æquis ponderibus compositum, atque incoctum. Hac compositione sic utendum est, cum disjungitur ab opere, in ea piscina, ex qua bibit, tumor cervicis aqua madefactus subficcatur, prædictoque medicamento defricatur & illinitur.

Veget. emend.
Tali vitio comperimus aptum esse medicamentum, *quod* ex pice liquida, & bubula medulla, hircino sepo, & axungia veteri, oleo quoque veteri æquis ponderibus *compositum, incoquitur*: quo utendum est, cum bos ab opere disjungitur; in piscina *in qua bibit*, tumor cervicis lavatur.

(1) *compositum*, (2) *qua bibit* Samb. in marg. ex Cod.

Postrema Vegetii verba sic fere esse legenda, conjicio *detersusque confricatur diligenter prædicto medicamento, & illinitur.* Columellam quoque suspicor ad hunc fere modum scripsisse: *hircino sevo; & vetere axungia atque oleo.* In primis etiam ipsius verbis, *aureum*, an *aptum* legendum sit, dubitavi, præsertim cum Jensonii Editio non *aureum* habeat, sed *autem*. *Aureum* tamen hic videtur idem esse, ac optimum, sive ut Celsus (de Med. l. 5. c. 27. sect. 5.) dixit, pulcherrimum medicamentum: *Scorpio ipse sibi pulcherrimum medicamentum est.*

§. 25.

Veget. 3, 4, 26.
Celsus quidem (1) jumenti cervici herbam quæ vocatur (2) ama (ut supra dixi) contundi & imponi jubet. Quæ (3) cervicem infestant minor est cura. Nam facile sanantur per ardentem lucernam oleo instillato. Melius tamen est custodire ne nascantur. Etiam colla calvescant, quæ non aliter glabra fiunt, nisi cum sudore aut pluvia cervix madefacta est in opere. Quod si acciderit, pulvere lateritio trito priusquam dejungatur, bovis colla conspergi oportet. Et cum exsiccati fuerint, exinde oleo iterum infundi.

Colum. 6, 14, 6, & 7.
Celsus quidem tumenti cervici herbam, quæ vocatur avia, ut supra dixi, contundi, & imponi jubet. Clavorum, qui fere cervicem infestant, minor molestia est: nam facile operanti lucerna instillatur. Potior tamen ratio est, custodiendi, ne nascantur, neve colla calvescant, quæ non aliter glabra fiunt, nisi cum sudore, aut pluvia cervix in opere madefacta est: itaque cum id accidit, veteri lateri later conteritur, eoque intrito priusquam disjungantur, colla conspergi oportet: deinde cum id siccum erit, subinde oleo imbui.

Veget. emend.
Celsus quidem *tumenti* cervici herbam, quæ vocatur *avia*, (ut supra dixi) contundi, & imponi jubet. *Clavorum*, qui cervicem infestant, minor est cura. Nam facile sanantur per ardentem lucernam oleo instillato. Melius tamen est custodire, ne nascantur, *neve* etiam colla calvescant, quæ non aliter glabra fiunt, nisi cum sudore, aut pluvia cervix in opere madefacta est. Quod si acciderit, pulvere lateritio trito priusquam *disjungantur boves*, colla conspergi oportet. Et cum *siccati* fuerint, *subinde* oleo infundi.

(1) *tumenti* (2) *avena* Samb. in marg. ex Cod. qui ad (3) hoc adnotat: *M. S. non habet.*

Au-

Audacior fortassis hoc in loco tibi videar, nisi in memoriam redeas, communicasse te mecum litteras Humanissimi ac Solertissimi Viri Georgii nostri, in quibus ex vetustissimo Codice Florentino hæc Vegetii particula descripta erat. Eas si relegas, continuo agnoscis, quod verba alia in meliorem sedem restituerim, alia mutaverim, unum vero etiam deleverim, ejus codicis auctoritate esse factum cum Columella, cum Vegetio, cum re ipsa consentientis. Non diffiteor, habere, ut solent Codices, etiam quæ discrepent, velut in extremis verbis, *cum siccati fuerint, vino & oleo infundi*. Et vero, quanquam superius caput cum hoc comparantibus non displicere fortasse possit hæc ipsa scriptura; tamen ut vides, nolui huic uni Codici tantum tribuere in eo, in quo a cæteris, & a Columella dissidebat, ut *vino* in Vegetio scriberem. Sed contra, quod hic Codex *iterum* omittit, voce caret, quæ non modo in Columella non est, verum in ipso, aut in Vegetio ne esse quidem potest, neuter enim ante dixerat, bobus sudore, aut pluvia madentibus adhibendum esse oleum, ut hic *iterum* imperare liceat. Atque utinam ex eo Codice intelligi posset verum ejus herbæ nomen, quæ ut editum est in Vegetio, appellatur *ama*, ut est in Sambuci exemplaribus, *avena*; ut in Commelsniana Editione Columellæ, *habia*; ut vulgatior ejusdem Auctoris scriptura fert, *avia*, quam ego, non quod haberem, cur hanc magis probarem, sed ne in re incertissima a pleriisque dissentirem, in præsentia secutus sum. Sed tu pro tua in Re Herbaria doctrina atque eruditione id videris.

Illud quoque me in Columella dubium facit, quod iis verbis, *nam facile operanti lucerna instillatur*, neque satis respondent illa, quibus est usus Vegetius, neque satis video quæ subsit sententia, nisi forte apponi credam iis quæ antecesserunt: *si ex toto propter cervicis tumorem jugum recusset*, aut ex Vegetio ita rescribi posse, censeam: *nam facile sanantur lucerna instillata*.

§. 26.

Veget. 3, 4, 28 sq.	*Colum.* 6, 15, 2.	*Veget.* emend.
Si talum vel ungulam vomer læserit, picem duram & axungiam cum sulphure & lana succida involvito, & candente ferro supra vulnus imponito (1) & ungito: quod remedium optimum facit, si clavum calcaverit, aut acuta vel testa lapide ungula pertunditur: quæ tamen si altius vulnerata est, latius ferro circumciditur, ita inuritur, ut supra præcepi. Deinde ex parte calceata, per triduum aceto suffuso curatur. Quod si (2) vomer intraverit, lactuca marina, quam Græci (3) cyniolam vocant, admixto sale imponitur.	Si talum & ungulam vomer læserit, picem duram & axungiam cum sulphure, & lana succida involutam candente ferro supra vulnus inurito. Quod idem remedium optime facit exemta stirpe, si forte surculum calcaverit, aut acuta testa, vel lapide ungulam pertuderit, quæ tamen, si altius vulnerata est, latius ferro circumciditur, & ita inuritur, ut supra præcepi: deinde spartea calceata per triduum suffuso aceto curatur. Item si vomer crus sauciarit, marina lactuca, quam Græci τιθύμαλλον vocant admisto sale imponitur.	Si talum, vel ungulam vomer læserit, picem duram, & axungiam cum sulphure, & lana succida involvito, & candente ferro supra vulnus imponito, & *inurito*. Quod remedium *optime* facit, si clavum calcaverit, aut acuta testa vel lapide ungula pertunditur: quæ tamen si altius vulnerata est, latius ferro circumciditur, & ita inuritur, ut supra præcepi. Deinde *spartea* calceata, per triduum aceto suffuso curatur. Quod si vomer *crus vulneravit*, lactuca marina, quam Græci *tithymallum* vocant, admixto sale imponitur.

(1) *& ure* (2) *crus vulneraverit.* (3) *tithimallum* Samb. in marg. ex Cod.

Hanc

Hanc ultimam emendationem Celsi (lib. 5. c. 7.) etiam locus confirmat: *lac caprifici, vel lactucæ marinæ*, quæ τιθύμαλλος a Græcis nominatur.

§. 27.

Veget. 3, 4, 29.
Subtriti etiam pedes eluuntur calefacta bubulina urina. Deinde favilla sarmentorum fervente calcare compellitur, & pice liquida cum oleo vel axungia (1) cornua ejus unguntur. Minus tamen claudicant, si ab opere disjunctis frigida pedes laventur.
(1) *superpone* Samb. in marg. ex Cod.

Colum. 6, 15, 2.
Subtriti pedes eluuntur calefacta bubula urina: deinde fasce sarmentorum incenso, cum jam ignis in favillam recidit, ferventibus cineribus cogitur insistere, ac pice liquida cum oleo, vel axungia cornua ejus linuntur. Minus tamen claudicabunt armenta, si opere disjunctis multa frigida laventur pedes.

Veget. emend.
Subtriti etiam pedes eluuntur calefacta bubulina urina. Deinde *favillam* sarmentorum *ferventem* calcare compellitur &c.

Colum. emend.
Minus tamen claudicabunt armenta, si *ab* opere disjunctis multa frigida laventur pedes.

In Vegetio, an Librarii extremis in verbis, armenta omiserint, dubium est. Columellam vero non *opere disjunctis*, ut omnes, quantum memini, habent Editiones, sed *ab opere disjunctis*, ut aliis in locis, ita in hoc quoque scripsisse, non videtur dubitandum. Illud in utroque auctore, dubitationem affert legentibus; quod subtritis pedibus, esse *cornua* linenda dicuntur. Fuit cum suspicarer, præsertim Sambuci Codicibus hic variantibus, non *cornua* fortasse, sed *coronæ* esse legendum, de quibus videlicet continuo a Columella (& totidem fere verbis a Vegetio quoque) mentio fit: *& deinde suffragines, coronæ, ac discrimen ipsum, quo divisa est bovis ungula, vetere axungia defricetur.* Mentio quoque de iisdem est in Columellæ capite hujus libri 29, ubi equum probat *duris ungulis, & altis, & concavis, rotundisque, quibus coronæ mediocres superpositæ sunt*; ut mirum sit, in latinis, etiam amplissimis lexicis hanc coronarum significationem prorsus desiderari, nisi quod Martinius sic attigit, quasi in bobus dumtaxat, neque Columella, sed Vegetio Auctore, dicerentur. Et Vegetius quidem multo pluribus in locis (lib. 1. c. 13, 25, 26, 38, 56. lib. 2. c. 55, 58. lib. 3. c. 22.) hoc significatu *coronas*, & *coronam* memorat, & in iis lib. 2. cap. 54. quod in caput semel atque iterum mendum irrepsit persimile ejus, quod hic subesse suspicabar. Nam jumentis, quæ *contractionem nervorum patiuntur in pedibus*, sic ut *planas ungulas in terram ponere non possint*, cataplasma imponendum dicitur *in omnibus cruribus, ante acopo perunctis ab auriculis usque ad genua*, eoque non proficiente, malagma *auriculis esse imponendum*, quod, inquit, *impones in alutam per dies plurimos omnibus pedibus*.

Nimirum evidens est, Librarios ascitantes a pedibus ad caput transcendisse, & pro *articulis* (quo nomine peculiariter Vegetius lib. 4. c. 1, 2. crurum partes designat, genua inter, & ungulas positas, & ab his uncias 4. distantes) *auriculis* scripsisse. Verum ne hic quoque a *coronis* ad *cornua* eosdem temere transiisse, affirmarem, verba fecerunt Catonis de Re Rust. c. 72.); quæ tamen quemadmodum accipienda sint, ipse videris: *Boves ne pedes subterant, priusquam in viam quoquam ages, pice liquida cornua infima ungito*; nam cornua, præsertim infima, ipsæ fortasse sunt ungulæ: quod Palladii, aliorumque locis illustrari posse non ignoras.

Digitized by Google

§. 28.

Veget. 3, 4, 30.
Frequenter etiam vel ab aſperitate itineris, vel in proſcindendo duritiam ſoli, aut obviis radicibus, obvolutatus convellit armos. Quod cum acciderit, ex prioribus cruribus ſanguis emittitur, ſi dextram ex ſiniſtro. Et ſi vehementius utramque vitiaverit, etiam in anterioribus cruribus venæ ſolvuntur.

Colum. 6, 16, 1.
Sæpe etiam vel gravitate longioris, vel cum in proſcindendo, aut duriori ſolo, aut obviæ radici obluctatus, convellit armos. Quod cum accidit, e prioribus cruribus ſanguis mittendus eſt, ſi dextrum armum læſit, in ſiniſtro: ſi lævum, in dextro: ſi vehementius utrumque vitiavit, item in poſterioribus cruribus venæ ſolventur.

Veget. emend.
Frequenter etiam vel ab aſperitate itineris, vel in proſcindendo, *duritiæ* ſoli, aut obviis radicibus *obluctatus*, convellit armos. Quod cum acciderit, ex prioribus cruribus ſanguis emittitur: ſi *dextrum armum* ... ex ſiniſtro: ſi ..... Et ſi vehementius *utrumque* vitiaverit, etiam in *poſterioribus* cruribus venæ ſolvuntur.

Colum. emend.
Sæpe etiam *bos* vel gravitate *longi laboris*, vel in proſcindendo, duriori ſolo, aut obviæ radici obluctatus, convellit armos &c.

Etſi ex Columella præclare intelligitur quid deſit apud Vegetium; tamen quia eadem potuit non iiſdem verbis dicere, idcirco lacunas malui conſulto relinquere, quam temere ſupplere, præſertim cum Sambuci Codices nihil adjuvarent. ex quibus ad finem uſque hujus Vegetii capitis ne unum quidem verbum in ora adſcriptum eſt. Attamen pro *anterioribus* cruribus non dubitavi reponere *poſterioribus*, cum jam de *prioribus* dictum eſſet, ex tota autem hac ſententia liqueret, in neutro eorum crurum quæ læſis armis ſubjiciuntur, venæ ſectionem permitti. Cum autem prima hæc Columellæ verba ita, ut priore loco propoſui, in cæteris, quas inſpexiſſe memini, Editionibus depravata ſint, niſi quod in Jenſoniana *longiore* eſt pro *longioris*; una autem Juntina emendatior hic eſſe videatur; hanc potius in emendatione placuit repræſentare, quam conjecturis meis indulgere. Hoc unum ex cæteris retinui, *obluctatus*, pro quo in Juntina eſt *obluctando*, cum apud Vegetium illius, non hujus veſtigia in *obvolutatus* animadverterem.

§. 29.

Veget. 3, 4, 31.
Perfractis vero cornibus, linteola ſale, atque aceto & oleo imbuta ponuntur, ſuperligatiſque per triduum eadem infunduntur. Quarta die tantum axungia cum pice arida & cortice pini pari pondere imponitur, & ad ultimum cum jam cicatricem producunt, ſubito infricatur.

Colum. 6, 16, 2.
Præfractis cornibus linteola ſale, atque aceto, & oleo imbuta ſuperponuntur, ligatiſque per triduum eadem infunduntur. Quarto demum axungia pari pondere cum pice liquida, & cortice pineo, levigatoque imponitur. Et ad ultimum cum jam cicatricem ducunt, ſuligo infricatur.

Veget. emend.
& ad ultimum cum jam cicatricem producunt, *ſuligo* infricatur.

Colum. emend.
Præfractis cornibus linteola ſale, atque aceto, & oleo imbuta ſuperponuntur, ligatiſque per triduum eadem infunduntur. *Quarto* demum *die* axungia pari pondere cum pice liquida & cortice pineo *lævigato* imponitur, & &c.

Quod in Columellæ editionibus deerat, ex Vegetio addidimus, *die*; redundans autem *que* induximus, præſertim cum in Juntina legatur, & *cortici pineo levigato lita*. Quæ ſcriptura cæteroqui, ſi quid judico, ab Auctoris mente aliena eſt, id quod Vegetius quoque monſtrat. Neque enim Columella hoc dicit, axungiam, & picem, exceptas ſolido pini cortice, eſſe imponendas, ſed axungiam, picem, eumque corticem pari pondere commixta.

Lævigatum enim hic non eſt *politum*, ſed, ut ſupra oſtenſum eſt, *diligentius contritum*, *& in tenuiſſimum pulverem redactum*.

Digitized by Google

ctum. Tritum autem corticem pineum & in usu fuisse, & prodesse ad cicatricem inducendam, auctor est Dioscorides (de Med. Mat. l. 1. c. 74.) & alibi (l. 2. c. 62.) quoque confirmat Vegetius. Libenter præterea mutassem *Præfractis* in *Perfractis* ex Vegetio, & in hoc vicissim ex Columella *pice arida* in *pice liquida*; sed nolui nimis fortasse audere.

§. 30.

Viget. 3, 4, 33.
Serpentis quoque ictus mortiferus est bobus, sed & minorum animalium noxium virus. Nam vipera & celicia cum in pascuis bos improvide supercumbit, stimulo morsus imprimunt. Araneus, quoque quem Græci migaltem appellant, parvi quidem corporis, non parvam solet infere perniciem.

Colum. 6, 17, 1.
Est etiam mortifer iis serpentis ictus, est & magnorum animalium noxium virus: nam & vipera & cæcilia cum in pascua bos improvide supercubuit, lacessita onere morsum imprimit. Musque araneus, quem Græci σκυτάλην appellant, quamvis exiguis dentibus, non exiguam pestem molitur.

Veget. emend.
Serpentis quoque ictus mortiferus est bobus, sed & minorum animalium noxium virus. Nam vipera, & *cæcilia*, cum in pascuis bos improvide supercumbit, stimulo morsus imprimunt. *Mus* araneus quoque, quem Græci *mygalen* appellant, parvi quidem corporis non parvam solet inferre perniciem.

Colum. emend.
Est etiam *mortifer-rus* serpentis ictus, est & *minorum* animalium noxium virus: nam & vipera, & cæcilia cum in pascua bos improvide supercubuit, lacessita onere morsum imprimit. Musque araneus, quem Græci μυγαλῆν appellant, quamvis exiguis dentibus, non exiguam pestem molitur.

De hisce emendationibus satis a me scriptum est ad Cl. Facciolatum, nisi quod nescio quo pacto non addiderim Rob. Stephano Petrum Victorium, (Annot. ad Colum.) qui ante ipsum, in veteribus Columellæ exemplaribus scriptum esse μυγαλήν, animadvertit, hancque esse veram scripturam, ostendit. Commeliniana quoque editio, quam eo tempore nondum videramus, sic habet. Cæterum in tribus illis, quas postea consuluimus, vetustioribus editionibus pro *mortifer-iis* est *mortiferus*, quod & Vegetius retinuit. Sic sane magis placet, neque illud *iis* erat quo referres. His de causis repositum est a nobis *mortiferus*.

§. 31.

Veget. 3, 4, 33 sq.
Verum viperæ venenum depellit, supra tumorem, qui inflatur ex ictu, scarificatio ferro facta, ita ut herba quam personariam vocant, imponatur trita cum sale. Creditur radix si contusa conatur, vel siler montanum reperiatur, & trifolium simonianum, quod fragosis locis efficacissimum nascitur, odoris gravis, bitumini similis, propter quod a Græcis asphalton appellatur, nostri autem propter figuram acutum trifolium vocant.

Colum. 6, 17. 1, & 2.
Venena viperæ depellit super scarificationem ferro factam herba, quam vocant personatam, trita & cum sale imposita. Plus etiam ejusdem radix contusa prodest: vel symonianum trifolium, quod invenitur confragosis locis efficacissimum traditur, odoris gravis, neque absimilis bitumini, & idcirco Græci eam ἀσφάλτιον appellant, nostri autem propter figuram vocant acutum trifolium.

Veget. emend.
Verum viperæ venenum depellit supra tumorem, qui inflatur ex ictu, scarificatio ferro facta, ita ut herba, quam *personatam* vocant, imponatur trita cum sale. Creditur radix
— — — si
contusa *ponatur*, vel siler montanum reperiatur, & trifolium *symonianum*, quod fragosis locis efficacissimum nascitur, odoris gravis, bitumini simillis, propter quod a Græcis *asphaltion* appellatur, nostri autem propter figuram acutum trifolium vocant.

Digitized by Google

In Vegetio malui intelligi quid deesset, quam aliis fortasse ac ipse scripserat, verbis supplere. Non possum tamen animum inducere, ut credam, ita reliqua scripta esse a Vegetio, ut ego, exigens ad Columellam, rescripsi. Nam ne ipsum quidem Columellam integrum hoc in loco esse, existimo. Primum verba, ut nunc quidem distincta sunt, inter se non cohærent. Sed fac, ita nos distinguere, *prodest. Vel symonianum trifolium, quod*, aut etiam sic, *prodest, vel symonianum trifolium. Quod*. Jam quæro, *symonianum* istud quid sit? nomenne quo id trifolium a Latinis appellabatur? Hi vero, ut mox subjicitur, & Scribonius (Compos. med. 163, 165.) suo ipse exemplo confirmat, *acutum* vocabant, Græcos secuti, qui ut docet Dioscorides (de Med. Mat. l. 3. c. 106.) aut certe idem Scribonius, ὀξυτρίφυλλον etiam dicebant.

At enim, ut apud Græcos, sic quoque apud Latinos, plura potuit habere nomina, & fortasse (quæ conjectura est Rhodii Not. ad Scribon. Compos. 163.) a Syme insula, Straboni (de Situ Orb. l. 14.) & Plinio (Nat. Histor. l. 5. c. 31.) non ignota, Symonianum est nuncupatum.

Quasi vero constaret, in ea insula plurimum provenisse, aut ejus facultates ibi primum esse animadversas. Quæ duo quando penitus ignorabantur, & ejus origo nominis sic cujusquemodi ratione quærebatur: mirum est, non fuisse pariter repetitam, aut ab inventore aliquo Simone, aut ab eo Galilææ vico, quem Simoniada, ut auctor est Josephus, (in vita sua) dicebant, præsertim cum in Commeliniana editione ita sit scriptum, *Simonianum*, aut denique a Simo illo Medico, quem cum sæpe auctorem libro primo laudat Plinius, tum vero libro 21. cap. 21, de trifolio nominatim quædam indicat tradidisse; nisi forte ibi pro *Simus quoque medicus*, legendum est *Scimus quoque ex Medicis;* certe alios qui, *ex Medicis*, alios qui, *e Medicis* legerent, fuisse, video. Quodsi conjecturis est indulgendum; vide, quæso, an Columella scribere ad hunc modum potuerit: *Plus etiam ejusdem radix contusa prodest, vel siler montanum. Trifolium, quod invenitur confragosis locis, efficacissimum traditur*, &c. Certe hic verborum ordo lectorem non moratur; quod autem *simonianum* resolvatur in *siler montanum*, hæ sunt causæ. Primum sic esse visum accipio (vid. Martinii Lexic. Philol.) etiam Hadriano Junio eruditissimo viro. Deinde apud Vegetium, hunc ipsum Columellæ locum exscribentem, est *siler montanum*. Denique *siler montanum*, auctore Dioscoride (l. 3. c. 51.) prodest *contra serpentium ictus*, si modo λιγυστικὸν Dioscoridis idem est quod siler montanum.

Sed quoniam cum plerisque Rei Herbariæ Doctoribus hoc potes negare, imo cum Joanne Ruellio (de Nat. Stirp. P. 2. c. 146. l. 3. 42.) fortassis contendere, hoc nomen ipsum, *siler montanum* non ante natum, quam aliqui seseli Massilienſe a *molli* Virgilii (Georg. l. 2. v. 12.) *silere* distinguere voluerunt, quod *arboris genus* esse, tradidit Servius (in locum cit.); idcirco vide, præstetne *sil*, aut *sile montanum* rescribere. Silis enim mentionem faciunt inter alias, quas *aromaticas* nostri vocant, herbas tum Scribonius (Comp. Med. 126.), tum Celsus (de Medic. l. 5. c. 25. Sect. 3. c. 23. Sect. 1, & 3.), & hic quidem semel, atque iterum in Antidotis, quanquam in Antidoto Mithridatis Almeloveenius ediderit *Sileris;* ut Plinium (Nat. Hist. l. 24. c. 19.) reticeam, qui *semen silis* secundum vulgatam quidem lectionem, & Festum (de Verb. Vet. Signif. l. 17.), qui *vinum sili conditum* memoravit. Sed prætermittere non possum Apicium (de Arte Coquin. l. 4. c. 4. l. 5. c. 5. l. 1. c. 34. l. 3. c. 5.), in quo non modo *sil frictum*, & *silis gallici*, sed & diserte *sil montanum*, *silphium*, *mentham siccam* legunt Humelbergius, atque Listerus. Huc adde Vegetium nostrum hoc ipso libro (c. 27, & 40.) *radicem panacis*, *sil gallicum*, in medicaminibus ponentem, vel pariter *daucii*, *silis gallici*, *abrotani*, *spicæ nardi*, *sinoantis* (fortasse *Schoenanthi*, ut ex cap. 59. lib. 1. ubi *scinoanthos*) mentionem facientem, alibi (lib. 4. in fin.) etiam *porri sectivi*, *porcla*, (leg. ex l. 1. c. 57. *portulacæ*) *sil gallici*, *thus*, *apium;* ut est editum; scribentem. Illud conjecturæ nostræ huic videtur repugnare, quod in

Digitized by Google

in Vegetio ita ſcriptum eſt, *vel ſiler montanum reperiatur, vel trifolium ſimonianum;* ut ſi in Columella *ſil montanum* deeſſe, contendere velimus, aliquid fortaſſe agamus; ſi vero *ſimonianum* in *ſil montanum* eſſe mutandum, hunc laborem fruſtra ſumamus. Equidem librarios ſcio haud raro voces paulo ante ſcriptas perperam iteraſſe, quas deinde alii cum haud fruſtra poſitas crederent, eaſdem tamen eſſe non poſſe, intelligerent, mirandum in modum corruperunt. Id hic quoque accidere potuiſſe, dicerem, vel potius aliquem ex jam depravatis Columellæ exemplaribus in ora adſcripſiſſe *ſimonianum*, quod deinde inter ipſa Vegetii verba receptum ſit; hoc, inquam, dicerem, niſi conjecturam nollem alia conjectura confirmare. Itaque hæc omnia in eam partem accipias, qua ad veri ſimilitudinem magis accedere, exiſtimaveris. Vel. potius ut ſcientiæ herbariæ es conſultiſſimus; ediſſere mihi quid iſtud ſit trifolium ſymonianum. Id ubi intellexero, continuo omnes conjecturas quam libenter abjiciam.

§. 32.

Veget. 3, 4, 35.
Hujus herbæ ſuccus cum vino faucibus infundatur, atque ipſa folia cum ſale trita imponantur in plagam. Quod ſi viridem minime reperiunt, ſemina ejus collecta & trita dantur ad potandum cum vino. Radices quoque ejus cum ſuceo caulis tritæ, addita hordeacea farina & ſale, cum aqua mulſa ſcarificationi ſuperponuntur.

Colum. 6, 17, 3.
Hujus herbæ ſuccus vino miſtus infunditur faucibus, atque ipſa folio, cum ſale trita malagmatis more, ſcarificationi intenditur: vel ſi hanc herbam viridem tempus anni negat, ſemina ejus collecta & lævigata cum vino dantur potanda, radiceſque cum ſuo caule tritæ, & farina, & ſale commiſtæ ex aqua mulſa ſcarificationi ſuperponuntur.

Colum. emend.
Hujus herbæ ſuccus vino miſtus infunditur faucibus, atque ipſa *folia* cum ſale trita malagmatis more ſcarificationi *intenduntur*: vel ſi hanc herbam viridem tempus anni negat, ſemina ejus collecta, & lævigata cum *vino* dantur potanda.

Suſpicari licet, reſcribendum eſſe in Vegetio pro *ſucco caulis* id quod in Columella eſt, *ſuo caule*, præſertim ſi recte apud hunc ſcriptum eſt *radiceſque*, ut hæc videlicet omnia tunc imperari intelligamus, cum *hanc herbam viridem tempus anni negat*.

In Columella quoque an deſit *hordeacea*, dubium eſt. Sane Celſus (de Medic. l. 5. c. 27. ſect. 8.) in Cherſydri & Ceraſtis ictu, hordeaceam farinam vulneri imponit, eandemque Paulus (de Re Med. l. 5. c. 12.) in ipſo de quo ſermo hic eſt, viperæ ictu, quod & Vegetius noſter iterum facit libri hujus capite 79, ubi pro *ſphalangii* (ut etiam cap. 77.) eſt legendum *phalangii*, quem errorem ex capite quidem 81. Sambuci ſuſtulerunt. Cæterum quæ emendavimus in noſtris ad Facciolatum literis memorantur. Pleræque, & in his vetuſtiores Editiones, ac Commeliniana, *folia* habent; hæ quoque, ſed cum paucioribus, *vino;* Jenſoniana, & vetuſtiores aliæ, *incendunt*, ut vel ipſa literarum veſtigia confirment *intenduntur*.

§. 33.

§. 33.

Veget. 3, 4, 36.
Est etiam præsens remedium si fraxini cacumina tenera conteras cum sextariis vini quatuor vel olei, expressumque succum faucibus infundas. Itemque cacumina ejusdem arboris cum sale trita læsis naribus superponas. Celiciæ enim morsus tumorem, suppuratumque generat. Idemque facit muris aranei.

Colum. 6, 17, 4.
Est etiam præsens remedium si conteras fraxini tenera cacumina quinque librarum cum totidem vini, & duobus sextariis olei, expressumque succum faucibus infundas. Itemque cacumina ejusdem arboris cum sale trita læsæ parti superponas. Cæciliæ morsus tumorem suppurationemque molitur. Idem facit etiam muris aranei.

Veget. emend.
Itemque cacumina ejusdem arboris cum sale trita læsis *partibus* superponas. *Caecilia* morsus &c.

Et quæ mutavimus, & quod delevimus, verbum, sententia ipsa Vegetii, & Columellæ comparatio mutanda, delendumque ostenderunt. Comparatio hæc ipsa suspicionem injicit, alia esse in Vegetio partim mutanda, partim addenda. Fieri etiam potest, ut in Columella sit legendum; *cacumina pond. quinque librarum.*

Sed de his nihil in præsenti constituimus.

§. 34.

Veget. 3, 4, 36 sq.
Sed celiciæ morsus sanatur, si acu ærea locum læsum compungas, & creta cimolea ex aceto oblinis. Muris vero pernicies, si animal ipsum oleo mersum neces, & plagam dentium ex eodem confrices. Quod si non fuerit, contritum ciminum cum picula & axungia, ut similitudinem malagmæ; habeat, impositum plagæ perniciem submovet. Quod si antequam tumor discutiatur suppuratio fuerit generata, optimum est ignea lamina vel cauterio collectionem aperire, quidquid vitiosum est, inurere, atque ita cum liquida pice & oleo inlinere. Quidam vivum murem araneum creta figulari circumdant, & collaboum suspendunt, morsusque ipsius bestiæ submovent.

Colum. 6, 17, 4, 5, & 6.
Sed illius sanatur noxa subula ænea, si locum læsum compungas, creta que cimolia ex aceto linas. Mus perniciem, quam intulit, suo corpore luit; nam animal ipsum oleo mersum nedatur, & cum imputruit, conteritur, eoque medicamine morsus muris aranei linitur. Vel si id non adest, humorque ostendit injuriam dentium, cuminum conteritur, eique adjicitur exiguum picis liquidæ, & axungiæ, ut lentorem malagmatis habeat. Id impositum perniciem commovet. Vel si antequam tumor discutiatur, in suppurationem convertitur, optimum est ignea lamina conversionem resecare, & quidquid vitiosi est, inurere, atque ita liquida pice cum oleo linire: solet etiam ipsum animal vivum creta figulari circumdari: quæ cum siccata est, collo boum suspenditur, ea res innoxium pecus a morsu muris aranei præbet.

Veget. emend.
Sed *caciliæ* morsus sanatur, si acu ærea locum læsum compungas, & creta *cimolia* ex aceto *oblinas*; Muris vero pernicies, si animal ipsum oleo mersum neces, & plagam dentium ex eodem confrices. Quod si non fuerit, contritum cyminum cum *pice liquida*, & axungia &c.

Sæpius malo, timidum me tibi, quam audacem videri, velut hic. Nihil enim adhuc mutare me vides in Columella, etsi ex mea ad Facciolatum epistola intelligis,

Digitized by Google

gis, me illuc ferri ut credam, pro *humorque oſtendit*, legendum eſſe, *tumorque oſtendit*; pro *perniciem commovet*, *perniciem ſubmovet*; pro *converſionem reſecare*, *collectionem reſecare*. Quid in Vegetio? Num cenſes, quæ non attigi, ea mihi omnia probari? Ipſe non ſinit Vegetius.

Nam capite hujus libri 82, cum hæc adverſus murem araneum medicamenta ſic iteraverit, ut id, atque alia pariter iiſdem de rebus eodem in libro capita me interdum ſubdubitare coegerint, an hæc priora, de quibus agimus, Vegetii ſint; cum igitur hæc medicamenta iteraverit; primum docet, murem in eo oleo quo merſus eſt, *in putredinem verti* oportere; ut conjicere proclive ſit, neque id hoc in loco omiſiſſe, ubi apertius deſcribebat Columellam. Tum jubet, *cyminum tritum cum pice liquidâ axungiaque miſceri*, & *ad ſpiſſitudinem malagmatis coqui*, ut hic quoque ſuſpicari liceat, *ſimilitudinem malagmæ* in *ſpiſſitudinem malagmatis*, quam Columella vocat *lentorem*, eſſe mutanda: attamen Vegetius cum aliis libris (l. 2. c. 50, 51. l. 3. c. 20, 21.) tum quarto (c. 15, 17, 20, 21, 23, 24, 27.) ſæpe *malagmæ*, item (l. 4. c. 27.) *malagmam cocticam* ſcribit, ubi *coctam* videtur legendum; nam ſupra (l. 4. c. 17, 23.) alias propoſuerat *crudas*. *Pice* autem *liquida* minus dubitavi reſcribere pro *picula*, & *cimolia* pro *cimolea*; ſæpius enim alibi (l. 1. c. 13. l. 2. c. 8, 29, 32. l. 3. c. 8.) ſic recte ſcribit, ut emendavi; itaque etiam in ſuperiore capite, ubi editum eſt:

Aures vero ſciſſæ picula oleoque curantur; non modo *pice liquida* reponendum arbitror, verum etiam in reſpondentibus verbis Columellæ (l. 6. c. 7.): *At ferro reſciſſa melius pice, & oleo curantur*, ſuſpicor, *liquida* eſſe addendum: eademque illa emendatione utendum in quatuor præterea aliis Vegetii locis (l. 2. c. 24, 46. l. 3. c. 70, 71.) in quibus ſcriptum eſt *picula*. Deinde eodem illo capite 82. ſuppurationem *lamina ferrea candenti aperiendam eſſe*, ſcribit; ut hic videantur *ignea lamina*, *vel cauterio*, non eſſe ſine gloſſemate. Denique cretam *ſuſpendendam in collum* dicit; ut niſi hic *collo boum* ad Columellæ exemplum reſcribere placeat, legi minus vitioſe poſſit *in colla boum*, ubi *colla boum* vitioſiſſime legitur, neque res ſic plane, ut a Columella, traditur, cum ibi contra deſideres nihil.

§. 35.

Veget. 3, 4, 39. ſq.

Oculorum vitia plurima in illis ſanantur. Nam ſive intumuerunt, aqua mulſa triticea farina conſpergitur & imponitur, ſive album in oculo eſt, ſalis foſſilis Hiſpani, vel armeniaci, vel cum melle permixti vitium extenuant. Idem præſtat tritæ ſepiæ teſta, & per fiſtulam oculo ter in die inſufflata. Prodeſt etiam radix, quam Græci ſilpion vocant, noſtri autem laſerpitium, hujuſmodi quantum volueris ponderis cum decima parte ſalis armeniaci, & cum fiſtula oculo inſufflas. Quæ radix tunſa & cum oleo lentiſci mixta vitium expurgat. Si genæ humorem profundunt, lacrymiſque vi-

Colum. 6, 17, 7, & 8.

Oculorum vitia plerumque melle ſanantur: Nam ſive intumuerunt, aqua mulſa triticeæ farinæ conſpergitur, & imponitur, ſive album in oculo eſt, montanus ſal Hiſpanus, vel Ammoniacus, vel etiam Cappadocus minute tritus, & immiſtus melli vitium extenuat: facit idem trita ſepiæ teſta, & per fiſtulam ter die oculo inſpirata: facit & radix, quam Græci σίλφιον vocant, vulgus autem noſtra conſuetudine laſerpitium appellat: hujus quantocunque ponderi decem partes ſalis ammoniaci adjiciuntur, eaque pariter trita oculo ſimiliter infunduntur, vel eadem radix contuſa, & cum oleo len-

Veget. emend.

Oculorum vitia plurima in illis *melle* ſanantur. Nam ſive intumuerunt, aqua mulſa triticea farina conſpergitur, & imponitur: ſive album in oculo eſt, ſalis foſſilis Hiſpani, vel armeniaci, vel *Cappadocis* cum melle *permixti*..... vitium extenuant. Idem præſtat *trita* ſepiæ teſta, & per fiſtulam oculo ter in die inſufflata. Prodeſt etiam radix, quam Græci *Silphion* vocant, noſtri autem laſerpitium: hujuſmodi quantum volueris ponderis cum decima parte ſalis armeniaci ... & ... cum fiſtula oculo inſufflas. Quæ radix tunſa, & cum oleo lentiſci mixta, vitium expurgat.

Digitized by Google

nisus confunditur (quam epiphoram vocant) polenta ex hordeo mulsæ aquæ conspersa super genas superciliaque imposita reprimit humorem. Pastinaca quoque agrestis, quam armoneaccam vocant cum melle trita oculorum sedat dolorem.

lentiſci inuncta vitium expurgat; epiphoram supprimit polenta conspersa mulsa aqua, & in supercilia, genasque imposita, pastinacæque agrestis semina, & succus armoraceæ, cum melle conlinita oculorum sedat dolorem.

gat. Si genæ humorem profundunt, lachrymisque visus confunditur (quam epiphoram vocant) polenta ex hordeo *mulsa aqua* conspersa, super genas, superciliaque imposita, reprimit humorem. Pastinaca quoque agrestis, . . . quam *armoraceam* vocant cum melle trita, oculorum sedat dolorem.

Hic quoque in Vegetio præstare credidi, quæ desiderentur, per lacunas indicare, quam audacter supplere. Quod *salis armeniaci* pro *ammoniaci* reliqui; consulto feci, ne *salis armoniaci*; sic enim sæpius apud Vegetium est scriptum; reponerem, mendum videlicet pro mendo substituens.

Prima inter verba *melle* addidi, quod flagitabat sententia, quanquam pertinaciter non negaverim, quod nunc *in illis* scriptum est, scriptum fortasse sic fuisse *vi mellis*. In proximis adjeci id quod manifesto desiderabatur, *Cappadocis*, scripturus *Cappadoci*, nisi Vegetius alibi (l. 1. c. 20.) scripsisset *salis capadoces*, vel potius *cappadocis*, ut a Sambuco editum est. Postrema autem inter verba lacunam reliqui propterea quia ut pro suo arbitrio Vegetius non omnia quæ Columella, tradere ad eundem modum voluerit; certe usque adeo dissentire in re manifesta non potuit, ut pastinacam agrestem, quam ille ut ab *armoracea* diversam posuerat, *armoraceam* vocari, diceret; quando sylvestrem, non pastinacam, sed raphanum, tum Dioscorides (de Med. Mat. l. 2. c. 106.) tum Plinius (Nat. Hist. l. 19. c. 5.) ipse, *armoraciam* ab Romanis appellari, testantur. Neque minus diserte Palladius (de Re Rust. l. 11. c. 11. s. 4.) *armoraceam*, inquit, *transferemus ad culta, ut melior fiat, nam hæc agrestis est raphanus*. Itaque si nolimus, Vegetium omnino ad Columellam exigere; at illud tamen conjicere, æquum est, ipsum, *Pastinaca quoque agrestis, vel quam armoraceam vocant*, aut alia hujusmodi ratione scripsisse, qua videlicet pastinacam ab armoracea se discernere, ostenderet.

In Columella fortassis *plerumque* est mutandum in *pleraque*. Fortasse & *decem partes salis ammoniaci adjiciuntur* in *decima pars salis ammoniaci adjicitur*. Certe Aetius (Tetrab. 2. Serm. 3. c. 38.) cum adversus albugines plura commemorasset, ad extremum, sal ammoniacum, tanquam *fortissimum pharmacum*, posuit; Vegetius autem utramque hanc emendationem præmonstrat.

Veget. 3, 4, 43.
Odor quoque cimini super carbones impositi ubi sanguisugam afflaverit, evellet a vulnere.

§. 36.
Colum. 6, 18, 2.
Potest etiam per fistulam deusti cimicis nidor immitti, qui ubi superponitur igni, fumum emittit, & conceptum nidorem fistula usque ad hirudinem perfert, isque nidor depellit hærentem.

Veget. emend.
Odor quoque *cimicis* super carbones impositi, ubi sanguisugam afflaverit, evellet a vulnere.

Ut de cymino nihil istiusmodi legisse memini, sic vicissim Dioscoridem (l. 2. c. 33.), Plinium (l. 29. c. 4.), Galenum (de Simpl. Med. Facult. l. 11.), Avicennam (Canon. l. 2. tr. 2. c. 270. & l. 3. fen. 9. c. 7.) scio vim cimicum contra devoratas hirudines memorare, imo Avicennam, & Auctorem libri tertii de medicamentis quæ ad manum sunt, cap. 103. laudare cimicum fumum ad sanguisugam hærentem gutturi, ut hic Columella, & Vegetius ponunt, excutiendam.

§. 37.

Digitized by Google

Veget. 3. 4, 44.

Machina quoque deſcribenda eſt fabrica, qua concluſa cujuſvis generis jumenta boveſque curantur, ut & tutus ad pecudem medendum acceſſus ſit, nec luctando quadrupes aut membra conuret, ac ſic remedia deſpuet. Roboreas aſſes conſtringis, ſolium, quod in longitudine novem pedes debet habere, in altitudinem pars poſterior duos ſemipedem: Pars vero quæ ad priora animalium pertinet quatuor pedes: texuntur ita ut velum in caudam ductum non poſſit exire. Sed a parte poſteriori paululum latiorem, a priore ſtrictiorem machinam compingi oportet. Cui tranſverſum trigillum ad modum jugi confirmandum eſt, ad quod equorum capita vel boum cornua religantur. Nam reliquum corpus ad temones ſocios vel funibus alligetur, ut juvamentum præſtetur ad medentis arbitrium.

§. 137.

Colum. 6, 19.

Sed & machina fabricanda eſt, qua clauſa jumenta boveſque curentur, ut & propior acceſſus ad pecudem medentibus ſit, nec in ipſa curatione quadrupes reluctando remedia reſpuat: eſt autem talis machinæ forma, roboreis axibus compingitur ſolum, quod habet in longitudinem pedes novem, & in latitudinem pars prior dupondium ſemiſſem, pars poſterior quatuor pedes: huic ſolo ſeptenum pedum ſtipites recti ab utroque latere quaterni applicantur: ii autem in ipſis quatuor angulis affixi ſunt, omneſque tranſverſis ſex temonibus quaſi vacerræ inter ſe ligantur, ita ut a poſteriore parte quæ latior eſt, velut in caveam quadrupes poſſit induci, nec exire alia parte prohibentibus adverſis axiculis: primis autem duobus ſtatuminibus imponitur firmum jugum, ad quod jumenta capiſtrantur, vel boum cornua religantur, ubi poſſunt etiam numelli fabricari, ut inſerto capite deſcendentibus per foramina regulis cervix teneatur: cæterum corpus laqueatum & diſtentum temonibus obligatur, ſicque immotum animal medentis arbitrio eſt expoſitum.

Veget. emend.

Machinæ quoque deſcribendæ eſt fabrica, qua *concluſa* cujuſvis generis jumenta, boveſque curantur, ut & tutus ad pecudem medendum acceſſus ſit, nec luctando quadrupes aut membra *conuruntur*, *aut* remedia *reſpuat*. *Roboreis aſſibus compingis ſolum*, quod in *longitudinem* novem pedes debet habere, in *latitudinem* pars *prior* duos, ſemipedem, pars vero quæ ad *poſteriora* animalium pertinet, quatuor pedes - - -

aut Columella ad Vegetium, aut hic ad illum est exigendus. Sed Columellam, cujus scripta multo integriora quam Vegetii, ad nos pervenere, ad hunc exigere, par non est, nisi ubi res ipsa, & apertissima menda flagitant: quod in hoc quidem loco minime accidit. Agitur enim de soli consternendi mensuris, ut post longitudinem, latitudinem definire necesse sit; non altitudinem, quæ hic non ad solum, sed ad totam pertinet machinam, & paulo post a Columella definitur per stipites septenum pedum: quæ descriptionis pars ibi in Vegetio desideratur, ubi nos lacunam reliquimus, in qua & de iis stipitibus, & de temonibus, qui infra commemorantur, opportunus fuit dicendi locus.

Præterea fac, quæ Vegetii proposuimus verba, ea emendationis non egere; quæro, satisne alta machina sit quæ a posteriore parte ne ad tres quidem pedes extollatur? Certe Columella (7, 9, 10.) non jam de bobus, sed de suibus sermonem habens, *haras construendas esse*, docuit *in altitudinem pedum quatuor, ne sus transilire septa queat*. At enim de latitudine verba infra facit Vegetius. Ea videlicet, quæ (nisi ut a nobis, aut alia aliqua ejusmodi ratione emendentur) tolli præstet, quam relinqui. Neque enim satis mensuram definiunt, nisi forte sic intelligas, ut machinam *paululum* quatuor pedibus ut a tergo *latiorem*, sic a fronte *strictiorem* significent: quod num Columellæ, atque adeo Vegetii sententiæ satisfaciat, tu videris. Cæterum postrema verba consulto non attigi. Nam pro *socios vel funibus* rescribere *loris, vel funibus* (ut est cap. 18. *lorum, vel funes*) non ita necesse est, ut est *socios* pro mendo agnoscere. Fortasse etiam pro *juvamentum* reponendum est *jumentum*, vel *immotum*, vel utrumque.

In Columella crediderim pro *numelli* esse legendum *humellæ*; nam neque aliter ea legere hic offenderunt Adrianus Turnebus (Adversar. lib. 23. cap. 21.), & Georgius Alexandrinus (Enarrat. priscar. voc. Auctor. R. R.), neque alium præterea locum proferri video, quo vox *numelli* confirmetur. Non ignoro, in Basilii Fabri Thesauro caput quoque 8. libri 7. s. 6. Columellæ sic indicari, ut videri possit in eo pariter scriptum esse *numelli*.

Verum ita ibi scriptum est: *Nonnulli antequam pecus numellis inducant, virides pineas nuces in mulctram demittunt* &c.

Hactenus Vegetii tertium & quartum caput libri tertii cum sexto, & tredecim insequentibus libri sexti Columellæ comparavimus. Nunc age, cum parte etiam tricesimi initium quadragesimi quinti libri secundi comparemus.

§. 38.

Veget. 2, 45, 1.

Si (1) armus læsus erit, in medio crure (2) utræque solventur venæ, & pulverem thuris cum eo qui profluit sanguine copiosissime immisto armi lineantur. Quodsi plus profluet quam necesse sit, stercus ipsius jumenti fluentibus imponitur venis & fasciis alligatur.

Colum. 6, 30, 6.

Si armos læserit, aut sanguinem demiserit, medio fere in utroque crure venæ solvantur, & thuris polline cum eo, qui profluit, sanguine immisto armi linantur, & ne plus justo exinaniatur, stercus ipsius jumenti fluentibus venis ad motum fasciis obligetur.

Veget. emend.

Si *armos læserit*, in medio crure *utroque solvantur* venæ, & *pulvere* thuris cum eo qui profluit, sanguine, copiosissime immisto armi *linantur* &c.

Colum. emend.

& ne plus justo exinaniatur, stercus ipsius jumenti fluentibus venis *admotum* fasciis obligetur.

(1) *armos læserit*

(2) *utrisque* Samb. in marg. ex Cod.

Secundam Vegetii emendationem illud etiam comprobat quod, ipsum cum 16. capite Columellæ conferentes, supra vidimus, secandas videlicet esse venas non in crure, sed in cruribus, ubi non alter armus, sed ambo læsi sunt; quanquam id ibi in posterioribus cruribus imperatur.

Columellæ autem, alias etiam indicata a nobis, emendatio usque adeo necessaria, atque evidens est, ut minime opus sit ejus con-

Digitized by Google

confirmandæ gratia ad Rob. Stephani Editionem trium præterea antiquarum, & Commelinianæ quoque auctoritatem adjungere.

Veget. 2, 45, 2.
Poſtero quoque die quaſi apoſereſis fit, & ex eiſdem locis ſanguis detrahitur (1) atque ſimilis in omnibus cura procedit. Ab hordeo abſtinebitur, fœno ſuſtentabitur exiguo per triduum. Deinde (2) porri tres cyathos olei heminam miſcebis, & per cornu faucibus infundes. Poſt (3) ſextum diem lente ingredi cogatur, & cum ambulaverit, mittatur in piſcinam vel flumen aut mare, ut natet, cum ſparcia & pannis vincto pede.

§. 39.
Colum. 6, 30. 7.
Poſtero quoque die ex iiſdem ſanguis detrahatur, eodemque modo curetur, ordeoque abſtineatur exiguo fœno dato. Poſtridie deinde uſque in diem ſextum porri ſuccus inſtar trium cyathorum miſtus cum olei hemina faucibus per cornu infundatur. Poſt ſextum diem lente ingredi cogatur, & cum ambulaverit, in piſcinam demitti eum conveniet, ita ut natet.

Veget. emend.
Poſtero quoque die quaſi *apophæreſis* fit, & ex iiſdem locis ſanguis detrahitur, atque ſimilis in omnibus cura procedit. Ab hordeo abſtinebitur, fœno ſuſtentabitur exiguo per triduum. Deinde *ſucci* porri tres cyathos, olei heminam miſcebis, & per cornu faucibus infundes. Poſt ſextum diem lente ingredi cogatur, & cum ambulaverit, mittatur in piſcinam, vel flumen, aut mare, ut natet, cum *ſpartea*, & pannis vincto pede.

Ubi (1) ibi habet (*ſucci*) ſic inter uncos Editio Sambuci, qui notat in margine ad (2) & (3) *M. S. non habet.*

Vegetius libro etiam tertio capite 25. ſ. 4. ita uti hoc in loco eſt locutus.

Nam ubi hydropico *periconium* (leg. peritonæum) *ipſum pungere*, & per fiſtulam humoris partem extrahere juſſit, tum hæc ſubjicit: *Alia vel tertia die apoſoreſim* (Samb. Cod. *apophæreſim*) *quaſi facturus, denuo fiſtulam appones, humorem ejicies, donec partes totas exiccet*, vel *per partes totum exiccetur*, ut Sambuci habent Codices. Cæterum dubitari licet, ſitne Vegetius ex Columella, an vero hic ex illo emendandus, ubi Vegetius habet: *fœno ſuſtentabitur exiguo per triduum. Deinde*; Columella autem ſic: *exiguo fœno dato. Poſtridie deinde*; Jenſoniana Editio, & Juntina ad hunc modum; *dato. Poſt triduum deinde.* Quæ Columella in hoc capite adjungit, ea Vegetius non perſequitur. Hoc ſi faceret, haud inutile fortaſſe eſſet hæc verba comparare: *Manus unctæ inferitur alvo, & obſeſſi naturales exitus adaperiuntur, exemtoque ſtercore poſita cunila bubula, & herba pediculeris cum ſale trita, & decocta melli miſcentur, atque ita facta collyria ſubjiciuntur.* Hic ego pro *poſita* arbitror *poſtea* eſſe reſcribendum.

Cum autem Vegetius in ſecundo capite libri tertii etſi non omnia, haud pauca tamen ex Columella deſcripſerit; duo hujus generis loca, quorum alterum Columella ex Catone (de R. Ruſt. c. 103.), alterum ex Celſo aſſumſit, conferamus.

Veget. 3, 2, 11.
Ad interna autem curanda præcipue amurca creditur ſalutaris, ſi tantundem aquæ miſceas, & animal bibere conſueſcat. Sed quia licet ſitiat, potum faſtidiat ignotum, primo cibi aſpergunturr, deinde aqua exigua potio medicatur, ad ultimum pro menſura miſcetur, & uſque ad ſaturitatem ſitientibus datur.

§. 40.
Colum. 6, 4, 4.
Maxime tamen habetur ſalutaris amurca, ſi tantundem aquæ miſceas, & ea pecus inſueſcas: quæ protinus dari non poteſt: ſed primo cibi aſpergunturr: deinde exigua portione medicatur aqua, mox pari menſura miſta datur ad ſatietatem.

Veget. emend.
Ad interna autem curanda præcipue amurca creditur ſalutaris, ſi tantundem aquæ miſceas, & animal bibere conſueſcat. Sed quia licet ſitiat, potum *faſtidit* ignotum; primo cibi aſpergunturr, deinde aqua exigua *portione* medicatur, ad ultimum *pari* menſura miſcetur, & uſque ad ſaturitatem ſitientibus datur.

Veget. 3, 2, 29.
Uſci folia cum vino trita defunduntur in nares.

§. 41.
Colum. 6, 5, 5.
Cornelius Celſus etiam viſci folia cum vino trita per nares infundere jubet.

Veget. emend.
Viſci folia cum vino trita defunduntur in nares.

§. 42.

Locum pariter quem Columella libro eodem ſexto capite 29. ſ. 4. ſq. ex Varrone (de Re Ruſt. lib. 2. c. 7. ſ. 2. & 3.) Varro autem ex Ariſtotele (de Hiſt. Animal. lib. 6. cap. 22.), Plinius (Nat. Hiſt. lib. 11. c. 37.) deinde fortaſſe ex his omnibus, Palladius (de Re Ruſt. l. 4. tit. 13. ſ. 9.) denique ex Columella ita ſumſit, ut haud inutile eſſet hos omnes ſcriptores inter ſe comparare; cum Vegetius quoque libro quarto capite 5. ex Columella deſcripſerit; hos ſaltem duos inter ſe conferamus.

Veget. lib. 4. cap. 5.
Manifeſtum eſt autem notas corporis cum ætate mutari. Pullis enim bimis & ſex menſium medii dentes ſuperiores cadunt, quos lactantes vocant. Cum autem quartum annum agere cœperint, decidentibus his qui canini appellantur, alios ſuppondet. Deinde intra ſextum annum molares cadunt. Sexto anno quos primo mutavit, exæquat. Septimo omnes explentur æqualiter, & ex eo cavatos habere incipiunt dentes, &c.

Colum. 6, 29, 4.
Annorum notæ cum corpore mutantur: nam dum bimus, & ſex menſium eſt, medii dentes ſuperiores cadunt: cum quartum agit annum, iis, qui canini appellantur, dejectis, alios aſſert: intra ſextum deinde annum molares ſuperiores cadunt. Sexto anno quos primo mutavit, exæquat. Septimo omnes explentur æqualiter, & ex eo cavatos gerit &c.

Veget. emend.
Manifeſtum eſt autem, notas *ætatis* cum *corpore* mutari. Pullis enim bimis & ſex menſium medii dentes ſuperiores cadunt, quos *lactentes* vocant. Cum autem quartum annum agere cœperint, decidentibus his qui canini appellantur, alios ſupponent. Deinde intra ſextum annum molares cadunt. Sexto anno quos primo *mutaverunt*, *exæquans*. Septimo omnes explentur æqualiter, & ex eo cavatos habere incipiunt dentes, &c.

Etſi minime ignorabam, in Vegetii libro 1. cap. 17. *catulum lactantem* legi; tamen ut ibi *lactentem* eſſe legendum, non dubito, ita hic quoque *lactentes* repoſui pro *lactantes*; nam in ipſo etiam Celſo (de Medic. lib. 2. cap. 28, 29.) memini *lactentia* pro *lactantia* Viros Doctiſſimos repoſuiſſe. Quod nihil addiderim, hæc

Digitized by Google

hæc causa fuit. Sciebam, Varronem (loc. cit.) Aristotelem secutum, scripsisse: *equus triginta mensium primum dentes medios dicitur amittere, duos superiores, & totidem inferiores*. Sed vicissim non ignorabam, Palladium (loc. cit.) facere cum Vegetio: *Bimo*, inquit, *& sex mensium dentes medii superiores cadunt*. Nimirum ita Palladius, & Vegetius Columellam descripsere, ut suo tamen interdum arbitrio uti potuerint, & quidpiam, si id licere videretur, omittere. In eo tamen Palladius Columellam prorsus sequitur quod ait: *infra*, seu mavis, *intra sextum annum molares superiores cadunt*; Vegetius quod ad *superiores* attinet, haud sequitur, judicio proprio, an Librariorum incuria, illi arbitrari melius poterunt qui hæc callebunt; semper autem, quod supra etiam dicebam, respondentes hosce diversorum Auctorum locos utile erit comparare. Atque utinam Magonis extarent octo & viginti illa volumina ex S. C. in latinum sermonem conversa (vid. Columell. lib. 1. cap. 1. f. 13.), unde Columella, ut tot alios, sic illum pariter accepit locum quem alias aliam ob causam expendi, aut saltem hunc quoque ex Columella ut Palladius, ita & Vegetius descripsisse; fortasse id subsidii quod conferendo cum Palladio, non possum, possem, conferendo cum Vegetio, nanciscî, ut novam quandam suspicionem meam aut prorsus abjicerem, aut satis firmarem. In Vitulorum castratione hæc, de Magonis sententia, sexto hoc libro (c. 26. f. 2.) Columella præcepit: *prius, quam ferrum admoveas, duabus angustis ligneis regulis (veluti forcipibus) apprehendere testium nervos —, quibus comprehensis, statim testes ferro resecare, & expressos ita rescindere, ut extrema pars eorum adhærens prædictis nervis relinquatur*. Hæc Palladius (lib. 6. tit. 7. f. 1, & 2.) ita describit: *duabus angustis regulis stagneis* (an *fagineis*, an *ligneis*, ut infra) *sicut forcipibus ipsos nervos apprehendunt —.*

His comprehensis, tenros testiculos ferro resecant, & ita recidunt, ut aliquid de his, capitibus nervorum suorum dimittatur hærere. Mihi tamen cum utriusque Auctoris verborum seriem, tum rem ipsam attendenti suspicio incidit, in Columella pro *resecare* legendum esse *reserare*, in Palladio autem pro *resecant* pariter *reserant*.

Sed quoniam me Vegetius noster in hoc, atque aliis Columellæ, ut vicissim Columella in pluribus aliis Vegetii locis emendandis destituit, hic ego, nisi tu aliter censes, finem audendi, & scribendi faciam. Vale.

Patavii Pridie Kal. April. MDCCXXIII.

EPISTOLA IV.

JO. BAPTISTA MORGAGNUS JULIO PONTEDERÆ S. P. D.

NEgas, mi Juli, videri æquum, in eos Auctores me finem facere scribendi, in quos te horter ut pergas scribere, neque dubitas, posse me iterum Columellam, & Vegetium in iis quoque locis emendare, in quibus alter alteri lucem non afferat. Ego vero ut alias fortasse possem, nunc certe vix possum, cum sim, ut nosti, occupatissimus. Experiar tamen; ne hoc negare tibi videar; sed

Digitized by Google

ſed ita experiar, ut in uno, eoque breviſſimo, Columellæ capite, in iis autem quæ verbis fere quam pauciſſimis expediri queant, Vegetii locis omnis hæc verſetur epiſtola.

Sed ne forte credas, hæc me duntaxat polliceri eo conſilio, ut facillima quæque perſequar, difficiliora declinem, id nimirum Columellæ caput expendam, in quo, ut omnes quidem a me inſpectæ habent Editiones, quædam ſunt quæ non ego modo, ſed Doctiſſimi etiam Viri intelligere ſe poſſe, negent. Eſt autem libri duodecimi caput 34. quod operæ pretium eſt videre an revera mendoſum ſit, & qua ratione emendari aptius poſſit.

Primum autem id caput huc tranſcribamus.

§. 1. Col. 12, 34. *De aceto Scyllitico. Qui Scylliticum acetum facere volunt, decem bambatæ in tres amphoras muſti mitis aceti acris congium, aut duplum, ſi non eſt acre, & in ollam, quæ ſint amphoras tres, decoquis ad palmum, id eſt, ad quartas, aut ſi non dulce muſtum, ad tertias diſpumetur: ſed muſtum defubmaſſa, & limpidum ſit.*

Cum plura ſunt in his pauciſſimis verbis, quæ negotium faceſſunt legentibus, tum duo potiſſimum ſunt intellectu difficillima, *bambatæ*, & *defubmaſſa*: itaque meminiſſe potes, Virum totius latinæ linguæ ſi quis alius, peritiſſimum Facciolatum noſtrum, cum forte vobiſcum in eum ſermonem veniſſem, ut duas eſſe in Columella obſcuriſſimas, & niſi fallerer, depravatiſſimas voces, dicerem, continuo ipſum quibus de loquerer, divinaſſe, & iſtas ipſas pronunciaſſe. Nos tamen quæ de iis ſcripta ſint, videamus... Ph. Beroaldus (Enarrat. in Columell.) *lego*, inquit, *bambatas, vel bammatas, hoc eſt ſcyllas decem liquefactas, reductaſque ad intinctum, vel ſalſuram, quod Græca voce dicitur βάμμα*. Adrianus Turnebus (Adverſ. lib. 17. cap. 13.) *Bambatarum nomine intelliguntur ſcyllæ, quæ aliquo intinctu conditæ ſunt. Romani autem cum Syracuſanorum ſermone hac in re, ut & in multis aliis, uterentur, potius* bambatas *quam* bammatas *nominant: quod Siculi βαμβᾶ pro βάμμα dicere ſolerent*. In hujus ſententiam pedibus ivit Matthias Martinius (Lexic. Philol.), quem ii deſcripſere, a quibus poſt Paſſeratium, olim Calepini Lexicon auctum eſt; Heſychii tantummodo addidit teſtimonium, quo intelligeretur, *βάμβα* Syracuſis dictum eſſe, quod alibi *ἰμβάμμα* dicebatur. Ego vero neque ſic locutos eſſe Syracuſanos, negaverim, & libens conceſſerim, *βάμματα* idem quoque ſignificare quod *ἰμβάμματα*, id eſt, *liquamina multiformia, quibus intingimus buccellas eſcarum, gulæ prorſus irritamenta, vulgo ſapores appellant, Plinius autem intinctus vocabat*, ut Beroaldus poſt Georgium Alexandrinum (Enarration. priſcar. voc. Auct. de R. R.) adnotavit ad verba illa capitis 55. hujus libri Columellæ: *Cæterum ſi velis* (ſinapi) *ad uſum conviviorum præparare, tum exantiaveris ſinapi, nucleos pineos quam recentiſſimos, & amygdalum adjicito, diligenterque conterito, infuſo aceto.*

Hoc ſinapi ad embammata non ſolum idoneo, ſed etiam ſpecioſo uteris: nam eſt candoris eximii, ſi ſit curioſe factum.

Verum hæc omnia ubi conceſſero; non tamen intelligam, qui *bambatæ* latine dici potuerint, & ſcyllas potius quam res quaſcunque alias intinctu conditas ſignificare.

Huc adde, neque Dioſcoridem (de Med. Mat. l. 5. c. 21.), neque Plinium (Nat. Hiſt. l. 20. c. 9.), neque Paulum (de Re Med. l. 7. c. 11.), neque Aetium (Tetrab. 3. ſerm. 1. c. 27.), neque Actuarium (de Meth. Med. l. 5. c. 7.), neque Nicolaum Myrepſum (de Compoſ. Medicam. ſect. 37. c. 13, 14, 15.), neque Marcellum (de Medicam. c. 20.), neque Auctores alterius libri de Dynamidiis (tit. de Præcordior. Paſſionib.); & tertii de medicamentis facile parandis (num. 205.) neque vero ipſum qui ſequi Columellam ſolet, Palladium (l. 8. tit. 8.) ad acetum ſcylliticum conficiendum ſcyllas requirere *aliquo intinctu conditas*, niſi quis forte Aetii, & Nicolai, eo in loco Aetium deſcribentis, verba illa: *Squillæ repurgatæ, & diſſolutæ*, aliud ſignificare putet, atque aliorum: *Scillæ repurgatæ & conciſæ*, ſive ut Columella noſter paulo ante eſt locutus, *ſectæ quam tenuiſſime*. Has igitur omnes ob cauſas

Digitized by Google

causas factum credo, ut Mercurialis (Var. Lect. l. 1. c. 14.) negaverit, adstipulari se posse Turnebo, *Bambata vocem non mutandam levibus quibusdam rationibus contendenti*; Salmasius (Plinian. Exercit. in Solin. ad hujus pag. 39. B.) autem omnino *corrigendum in hac voce Columellam* censuerit. *Lego*, inquit, *qui scyllitiicum acetum facere volunt ad embammata. In tres amphoras musti mittis aceti acris congium*. Tum hæc subjicit: *Scyllino aceto ad embammata utebantur*. *Sic loquitur* Columella *infra: vinum myrtiten ad tormina. Vinum scylliten ad coquendum, & corpus reficiendum*. Equidem fateor, sic aliquid incipere me in hoc loco intelligere. Optandum tamen fuisset, ut tria a Viro Doctissimo omissa ne essent. Primum ut doceret, qui hæc cohærerent: *Qui scyllitiicum acetum facere volunt ad embammata. In tres amphoras musti mittis* &c. Alterum, ut qua erat eruditione, demonstraret, vere antiquos *scyllino aceto ad embammata usos fuisse*. Rhodius (Not. ad Scribon. compos. 76.) enim, etsi locum hunc ingeniose correctum a Salmasio affirmat; non obscure tamen indicat, haud satis probari sibi, acetum Scyllitiicum *inter embammata reponi*, quod medicamenti loco Veteres quoque habere consueverint; nisi forte ejusmodi embammata iis parata esse, putemus, quibus valetudinis causa aceto scyllite opus esset. Nam ut ego animadverti, & Paulus (loc. cit.), & Nicolaus (loc. cit.) quandam etiam aceti scyllitici compositionem (ab hac tamen longe discrepantem) proponunt, quo *auxilio uti solitos*, Paulus scribit, *& cum cibo ad intinctus*; Nicolaus autem docet, potuisse *uti pro arbitrio ut intincto, aut ut sapa*.

Tertium denique illud præstari ab Salmasio oportuisset, ut ostenderet, re ipsa Columellam, facere scyllinum acetum, in hoc capite docere, in quo Scyllas ne memorat quidem, aceti autem exiguam omnino portionem magna cum musti copia admiscet: certe in tot scyllitici aceti compositionibus quot supra me vidisse, indicavi, qui musto uteretur, vidi neminem.

Paulus modo ad acetum mel, & sapam addidit in ea compositione de qua novissime indicatum est, usui *& cum cibo ad intinctus* fuisse, quam *acetum mulsum scyllitiicum* appellabat. Hæcque eo magis præstare omnia Salmasium decebat, quod ignorare haud poterat, fuisse qui crederent, in hoc capite non aceti scyllitici, sed embammatis conficiendi modum a Columella esse propositum: idque non sine magna, ut opinor, ratione. Nam illud præterea animadverto, extremam capitis superioris particulam vel secundum vulgatam lectionem, vel etiam secundum Salmasii emendationem, cum cæteris quæ eodem capite traduntur, non congruere.

Rationes enim primum traduntur duæ vini scyllitis conficiendi (id quod ejus capitis inscriptio postulat: *Vinum scylliten*) scylla videlicet aut minore, aut majore pondere in mustum adjecta: qui ergo convenit quasi tertiam quandam rationem, eam extremo loco subjisse, quam si sequaris, scylla non in mustum, sed in acetum conjecta, non vinum conficias, sed acetum?

Igitur longe alia opus est emendatione, qua adhibita, omnia congruant, nihilque supersit quod objicias. Primum omnium, superiori capiti non peculiare, ut nunc est, sed commune hoc argumentum censeo præscribi oportere: quomodo condias *Vinum, & Acetum Scylliten*. Deinde, Latino Latinio, & Hieronymo Mercuriale (loc. cit.) auctoribus, extrema ejusdem capitis verba, prima autem ejus de quo agimus, hunc in modum distinguenda esse, atque emendanda: *Alii hoc ipsum scylla pondus, quod supra dixi, in aceti duas urnas adjiciunt, & per XL. dies inesse patiuntur, qui scyllitiicum acetum facere volunt*.

De Embammate Cap. XXXIV. *In tres amphoras musti mittis aceti acris congium, aut duplum, si non est acre, & in ollam quæ* &c. Vides quam facili emendatione omnia explicata & plana fiant, habitaque multo etiam majore quam a Salmasio, tum rerum, tum scripturæ ipsius ratione, monstrum illud verbi tollatur, quod ab non intellecto a Librariis, & cum verbis a superiore capite distractis confuso hujus argumento ortum erat, *decem bambata*. Illud a Salmasio, quod ipse facile

facile a Turnebo, sumimus, ut pro *mitis* scribamus *mittis*, ne verbum desit sententiæ, ac proximæ etiam locutioni congruens: & quanquam ea quæ sequuntur, *aut si non dulce mustum*, videantur *mitis* postulare; re tamen vera non flagitant.

Unum video posse ex me quæri: censeamne, satis hujus capitis verba naturæ embammatis convenire, multiformis, ut supra dictum est, rei, & ad quam alibi Columella ipse sinapi adjungit. Ego vero usitatius hic, & a Villica parabilius embamma proponi, credo; non omnia.

Certe aceto solitos esse antiquos uti ad embammata, tum ex Nicandri Scholiaste intelligitur eradente, βάμμα, si solum scribatur, significare acetum, tum ex iis Lexicis Græcis in quibus *bammon* esse dicitur vasculum aceti appositum ad intingendum in mensa, tum vero ex Apicio (de Arte Coquin. l. 8. c. 2.), qui jus quoddam, cui acetum addit, vocat *embamma*, tum denique ex Ulpiano docente, *embamma fuisse loco aceti*, ut refert Mercurialis (loc. cit.): quæ res, inquit, *valde descriptioni Embammatis Columellæ quadrat, cui magna aceti portio admiscetur*. Verum ego, quanquam aceti id quod satis est, admisceri, video; *magnam* tamen ejus *portionem* admisceri, non video; nam musti quatuor & viginti partibus adjicitur una aut altera aceti: *In tres amphoras musti mittis aceti acris congium, aut duplum, si non est acre*.

§. 2. Col. 12, 34. Nunc verba reliqua consideremus: *& in ollam, quæ fert amphoras tres, decoquis ad palmum, id est, ad quartas, aut si non dulce mustum, ad tertias dispumetur*. Primum hoc verbum *dispumetur* disjungi oportere ab reliquis, ut recte in Communiniana Editione factum est, perspicient omnes qui attenderint, illa *ad tertias* esse ad *decoquis* referenda. Cum autem *decoquere ad tertias*; qua locutione aliis quoque in locis utitur Columella; decoquere interdum ad unius, alias ad duarum de tribus partibus consumtionem significet, ut ab Rhodio (Lexic. Scribonian.) adnotatum est; hic certe priore modo est accipiendum propterea quia aliter accipere non sinunt quæ de dulci, ideoque minus coquendo multo antecedunt, *& in ollam, quæ fert amphoras tres, decoquis ad palmum, id est, ad quartas*. Quæ ipsa verba cum diligentius attendo, illud præterea intelligo, satis causæ non esse, cur in amphorarum numero mendum aliquod subesse credamus. Etsi enim *tres amphoras musti, & aceti congium, aut duplum* decoquere in *olla* simul uno tempore non possimus, *quæ fert amphoras tres*, non amplius; tamen; ut omittam, neque *non amplius*, neque *simul uno tempore* Columellam addidisse; certe minime necesse est verbis illis hoc dictum intelligi, ut in ejusmodi olla id omne quod dixit, decoquamus, sed illud potius, ut sciamus, satis id esse decoctum, si in olla, exempli causa, quæ ferat amphoras tres, humor ad palmum decreverit. Igitur ut exemplo, & ratione facili tum ad æstimandum, tum ad vasis etiam aliquanto majoribus proportione accomodandum, verbo autem minime ambiguo Villicæ ad intelligendum uteretur, scripsisse, credibile est, *in ollam, quæ fert amphoras tres decoquis ad palmum*.

Hic velim videas, scripseritne *in ollam*, ut hoc ipsum quod ego existimo, manifestius significaret, non ita fortasse absimili ratione ac Cato (de Re Rust. cap. 114.) *in vinum mustum veratri atri manipulum conjicito in amphoram*, & Plinius (Nat. Hist. lib. 14. c. 16.), *manipulos binos tundunt in cadum musti*, & (ibid.) *in XL. sextarios musti absinthii Pontici libræ decocta ad tertias partes*; quanquam hæc duo Plinii loca non omnes ad eundem modum legunt. Hoc, inquam, videas velim; an potius id Librariorum incuriæ sit tribuendum, qui *in olle* scribere debuissent; nisi forte reapse Auctor scriptum reliquit *in ollam* pro *in olla*, ut Plautus (Amphitr. A. 1. S. 1.) *mihi in mentem fuit*, & Cicero (Pro lege Manil.) ut est apud Gellium (Noct. Attic. l. 1. c. 7.), *in prædonum fuisse potestatem* pro *in manu & in potestate*: quod contra Ovidius (Metamorph. l. 2.), *utinamque in pectore posses inserere*, & (Fast. lib. 4.) *Veterem gradibus multis in gente receptam* pro *in pectus*, & *in gentem*; nisi tamen primo loco legendum *in pectora*, alter vero est aliter exponendus. Quæ atque

alia

alia ejuſmodi cum mecum reputo, & revoco in memoriam *antiquam* illam *circa communes præpoſitiones licentiam*, de qua Servius admonet ad illud Virgilii (Æneid. l. 1.), *rapuitque in fomite flammam;* neque in hoc Columellæ loco aliquid pro certo audeo conſtituere, neque in ſimilibus aliis, quorum aliquot attigi in Epiſtola ad V. Cl. Facciolatum, ut (l. 6. c. 17.) *in paſcua ſupercubuit*, ut (l. 12. c. 46.) *in vaſis conjicito*, ut (ibid. c. 21.) *conjicitur in urceo fictili*, & ſi qua ſunt alia ejuſmodi (qualia quoque ſunt apud Scribonium Compoſ. Med. 157, 220, 271.) multoque etiam minus ubi ſemel atque iterum ſcriptum eſt (l. 6. c. 12. & l. de Arb. c. 28.): *cythiſum in aquam macerari oportet*, fortaſſe ad imitandum Catonem (de Re Ruſt. c. 156.), qui *braſſicam*, inquit, *in aquam macerari oportet*.

Quibus in verbis utriuſque Auctoris excipiendis etſi video quam facile Librarii *m* litteram geminare, & ex *aqua* facere *aquam* potuerint; tamen ob ea quæ modo dicebam, ego quidem mutare nihil auſim.

§. 3. Col. 12, 34. Sed ab his levioribus ad illud denique alterum veniamus quod initio dixi eſſe in hoc capite difficillimum. Turnebus (Adverſ. l. 17. c. 13.) autem *monſtrum eſſe in ultimas ternas deportandum*, pronunciavit. *Diſpumetur: ſed muſtum deſubmaſſa, & limpidum ſit*. Et ipſe quidem legendum credidit: *ſed muſtum deſpuma, ut limpidum ſit*. Non inconcinne; ſi id tamen addidiſſet, quid illo verbo *Diſpumetur* faciamus. Nam ſi retineas; bis idem ſcriptum fatearis, neceſſe eſt. Sin autem inducas, nimium fortaſſe a Codicum atque Editionum ſcriptura recedas.

Quid ergo eſt? Nullo, ſi fieri poteſt, verbo ſublato, videndum eſt, liceatne aliter illud unum emendare *deſubmaſſa*, vel, ut quædam habent Editiones, *de ſubmaſſa*. Neque enim eſt, cur putemus, poſſe ullo modo retineri. Nam verbum *maſſo*, quod tanquam Lucretii (de Rer. Nat. l. 1. v. 667.) auctoritate in latina Lexica receptum erat, in Lucretio certe ab eruditiſſimis hominibus non agnoſcitur, qui in eo videlicet legunt, *mutareque corpus*, non *maſſareque corpus*. Quod vero Theodorus Priſcianus eodem verbo uſus dicitur; neque ſic accepit, ut pertinere huc poſſit, & nihil is ſcriptor ad Columellam. *Maſſas* autem *ferri* candentes, ut in vinum vapidum, quo acetum fieret, demitti, in quinto hujus libri capite Columella docuerat; ita fortaſſe in muſtum quoque immiſſas fuiſſe, & de ejuſmodi muſto hic verba fieri, Amico quidem noſtro doctiſſimo in mentem venerat, ſic tamen, ut mecum confiteretur, non eſſe Columellam ejus generis Auctorem, ut, quemadmodum P. Vegetius (Art. Veterin. l. 2. c. 19, 41, 53.), *de ſub oculo*, *de ſub cirro*, *de ſub ipſis dolorum locis* potuiſſe ſcribere videatur. Quamobrem etſi capite etiam 38. in vini myrtitis confectione in ipſum *muſtum demitti* imperavit *maſſulas* quaſdam ex myrti baccis confectas, quinimo etſi Palladius (de Re Ruſt. l. 11. tit. 21.), ubi de *fermento muſteorum ſervando* verba fecit, hæc ſua illa ætate ſcribere non dubitavit: *ex muſto de ſub pedibus rapto;* &, quod mirabilius eſt, Florus (lib. 2. c. 3.) *de ſub Alpibus*, *id eſt*, *de ſub ipſis Italiæ faucibus;* non tamen hæc memoro, ut aliud oſtendam quam illud, quæſiviſſe, & tentaſſe me omnia, ſi forte id verbum ab omni prorſus mendæ ſuſpicione liberare poſſem, aut in ſententiam aliquam idoneam detorquere, neque tamen inveniſſe.

Quæ cum ita ſint, neque is ego ſim (quod tu præ cæteris noſti) qui in emendando multum audeam; facerem quod in deſperatis ægris Medici ſolemus, ut quod vitium tollere me poſſe diffiderem, huic manum ne admoverem; niſi in G. Joſephi Georgii datis ad te litteris aliquid nuper inveniſſem, quod ſi tibi non diſpliceret, mihi quidem, ut in re ejuſmodi, placere poſſet. Scribit enim Vir ille humanitate, diligentia, ingenioque ornatiſſimus, cum in duobus Columellæ Codicibus Florentinis manu exaratis legatur *de ſubmaſſa*, tertium tamen eſſe in *Laurentiana* illa Bibliotheca, eumque membranaceum, ante annos circiter ducentos & ſeptuaginta ſcriptum, & qui (id quod in Columella minime omittendum eſt) Poggii fuit, quo in Codice legitur *de ſummo*. Igitur ſi hujus Codicis auctoritatem ſecu-

Digitized by Google

ti, ſcribamus: *Deſpumetur: ſed muſtum de ſummo, & limpidum ſit;* exiſtet, opinor, neque obſcura, neque ab re aliena ſententia, qua videlicet moneatur quidem Villica, ut in Embammate decoquendo, *omnem*, ut alibi Auctor loquitur, *ſpurcitiem* ſupernatantem ſubinde expurget; hujus tamen ipſius multo minus fore, ſi muſtum ex quo Embamma factura eſt, & de ſumma parte hauſerit, & poſtquam fæces ita ſubſederint, ut limpidum ſit.

§. 4. Veg. 1, 10, 4. In unum Columellæ caput, ſicut opus fuit, plura ſcripſimus. Nunc in plurima Vegetii loca, quam pauciſſima ſcribamus, de induſtria prætermittentes non modo quæ in ſingulis ſuperioribus epiſtolis emendare conati ſumus, verum etiam quæ Viri eruditiſſimi Sambucus, & Rhodius jam ſatis emendavere.

Lib. 1. c. 10. *Radicem quoque laſeris tonſam.* Lego *tunſam*, ut alibi recte ſcriptum eſt: quod etiam comprobant quæ continuo ſequuntur: *& per fiſtulam vento naribus inſitam, ut ſternutum provocet.* Ad eundem modum emendanda, cap. 13. (ſ. 4.) *tondes diligenter*, & lib. 2. cap. 57. (ſ. 3.) *contonde*, & lib. 3. cap. 3. *contondes*, denique cap. 65. (ſ. 12.) *herba paretaria* (leg. *parietaria*) *bene tonſa.*

§. 5. Veg. 1, 16, 5. Cap. 16. *Mirræ trigonitis*, vel ex Sambuci Codicibus *troglitæ.* Scribendum, *Myrrhæ troglodytis*, ut capite etiam 68. lib. 3. ubi *myrrhæ ttigloditis.*

Mox, *tenſedoni uncias 6.* Si conferas hanc compoſitionem cum ea quæ lib. 4. cap. 11. proponitur; intelliges, eandem eſſe, & cum de aliis fortaſſe alterutro in loco mutandis dubitabis, tum præclare videbis, pro monſtro illo vocis *tenſedoni* ſcribendum eſſe *peucedani:* id quod ea quoque non abſimilis potio confirmat quæ hujus libri c. 13. conſcripta eſt. Me non præterit, Sambuci Codices hic habere *peucedeni.* Tamen cum hi ſæpe mendoſiſſimi ſint, Vir autem Doctiſſimus Matthias Martinius nihilominus dubitaverit, nec niſi ut conjecturam id propoſuerit; majus addere pondus volui ſimilium collatione locorum ex qua diu ante inſpectam Sambuci Editionem & Martinii Lexicon hoc didiceram. Sic in proximo quoque capite 19. non *Origanum*, *aſium*, ſed *Origanum*, *allium* ſcribi oportere, collato extremo capite ſecundo libri 3. cognoveram.

§. 6. Veg. 1, 17, 13. Cap. 17. *Tringii radices — (yrngion autem herba — cardo ſylveſtri pene ſimilis.)* Legendum eſſe *eryngii*, *eryngion*, *carduo*, manifeſtius eſt, quam ut ex eodem 2. capite libri 3. confirmari oporteat, ubi hæc eadem, & melius quidem, ſunt ſcripta.

§. 7. Veg. 1, 20. Cap. 20. Compoſitio habetur *ſuffimentorum* eadem quæ lib. 4. cap. 12, niſi quod ſunt quædam diſcrimina, quæ utile erit inter ſe comparare, hæc præſertim: Primum, *yreos crudi ana uncias 6.* Lib. 4. *ciceris* (vel ut ex Cod. eſt in ora, *æris*) *crudi ſelibram.*

Tum, *lapidis gagatis maſculi, lapidis gagatis fœminæ ana uncias 3.* Libro 4. *gagatis fœminæ unc. 3, lapidis gagatis unc. 3*, melius ex Cod. Samb. *lapidis gagatis fœminæ & maris ana unc. 3.*

Item, *caballiones marinos numero ſeptem, caudas marinas.* Lib. 4. *caballiones marinos 7, ſtellas marinas 4, pallas marinas 7, caudas marinas.* Videntur Librarii primo loco a *ſeptem* ad *ſeptem*, interjectis verbis omiſſis, tranſcurriſſe.

Denique, *medullæ cervinæ, cedrei, picis liquidæ ana pondera tria.* Libro 4. *medullæ tedæ pineæ pondera 3, cedriæ pond. 3, picis liquidæ pondera 3.* Ex his videtur, primo loco *cedri*, vel potius *cedriæ* (ſic enim a Scribonio Compoſ. Med. 58, 267, Columella l. 6. c. 32, Plinio Nat. Hiſt. l. 24. c. 5, aliiſque Græcos ſecutis, vocatur *reſina cedri*) eſſe legendum. Attamen hæc extant apud Vitruvium de Archit. l. 2. cap. 9. *quemadmodum ex cupreſſu, & pinu reſina, ſic ex cedro oleum quod cedreum dicitur, naſcitur;* & Plinius (l. 16. c. 11.) *primus*, inquit, tædæ in furnis ferventis *ſudor aquæ modo fluit in canali: hoc in Syria Cedrium vocatur.*

§. 8. Veg. 1, 22, 13. Cap. 22. *Vino quoque, & oleo in ſole perungendi ſunt diligenter, & confricandi, ut corpora eorum calefacta aut repellant, aut perferant perfricationis injuriam.* Lego, non ut in Samb. Cod. *perſtrictionis*, ſed, ut ſen-

ten-

Digitized by Google

tentia postulat, *perfrictionis injuriam*, quæ nimirum voce (ne de Plinio hic quæram) certe, & ipse Vegetius alibi (l. 1. c. 10, 42, 56. l. 3. c. 15, 28, 33, 63.), & Cælius Aurelianus (Acut. Morb. l. 2. c. 13. l. 3. c. 4, 17. Chron. l. 1. c. 1. l. 2. c. 7. l. 5. c. 1.), & Scribonius Largus (Compos. 57, 257, 268, 270, 271.) nocivam refrigerationem significant.

Ad eundem modum necesse est emendare Vegetium cap. 35, 38. atque etiam 40, quo in capite legitur *præstrictione*; nam etsi Sambucus ex suis Codicibus plerumque, etiam ubi *perfrictione* recte legitur, rescribat ad oram *perfocatione*, aut *præfocatione*; repugnat tamen sententia Auctoris, & flagitat *perfrictione*.

§. 9. Veg. 1, 26, 3. Cap. 26. *Spartiam calciare curabis.* Samb. Cod. *Spatio*, lego *Spartio*. Attamen quomodo hunc locum, atque item alterum lib. 2. cap. 57. s. 3, ubi ediderunt *spartiam veterem*, corrigamus, ostendit alibi Vegetius, ut libro 3. cap. 18. s. 2. quo in loco scripsit, *spartea calceabis*.

§. 10. Veg. 1, 27, 3. Cap. 27. *Venas medias sagitta percuties, post decursionem sanguinis cretam impones, sed caute, propter vicinam misturam nervorum.* Rescribo: *venas medias sagitta percuties, sed caute, propter vicinam misturam nervorum: post decursionem sanguinis cretam impones.* Cum ipsa rerum natura hunc ordinem flagitat, tum ipsum mox observat Vegetius: *quas*, inquit, venas *medias propter vicinam mixturam nervorum caute transverso phlebotomo percuties, & post decursionem fasciola ligabis.*

§. 11. Veg. 1, 29, 1. Cap. 29. *Quæcunque passiones plus jumentis periculi inferre consueverunt, & difficilioribus obscurioribusque indigent curis, has primo amplectimur libro, ut & facilius reperiantur quæ in exordiis ipsis occurrent, & legentibus fastidium non possint adferre.* *De curis quæ prima sunt. Febrientibus itaque animalibus quam primum convenit subvenire.* Sic distinguo: *& legentibus fastidium non possint adferre de curis quæ prima sunt. Febrientibus* &c.

Cap. 38. s. 5. *Ideo autem signa passionum causasque divisimus, ne ingratus error noceret, & facilius evidens doctrina curaret.* Non *ingratus* lego, (quid enim huc *ingratus?*) sed *ignoratus error noceret*, cui respondet, *evidens doctrina curaret.*

§. 12. Veg. 1, 38, ext. In extremo hoc capite: *mollia de siccato stercore vel de paleis strata præbere.* Samb. Cod. *& supponere ei mollia, ut paleam.* Verum capite etiam 56. s. 11. hæc sunt: *locum arido stercore, vel paleis mollibus adopertum, in quo ante potum animalia volutentur.* & lib. 2. c. 9. s. 4. *substernes etiam stercora sicca vel paleas, ut provocet ipsa mollities ad cubandum.* & c. 12. s. 7. *obrui stercore, ut sudent, & dormiant.*

Fieri potest, ut fallar; sed tamen libentius legerem *stramine*, & *stramina*. Sic Columella ægris jumentis *vetus fœnum, vel molle stramentum substerni, jubet.*

§. 13. Veg. 1, 42, 5. Capite 42. *Clysteriabis*, vel, ut Samb. Cod., *clysterizabis etiam ex aqua calida, & oleo, quod cum sale, & melle afro, & nitro, ovoque miscebis.* De *melle afro* non memini alibi apud Vegetium legisse; sed libro quidem 3. capite altero, 3. & 24, & 48. & lib. 4. cap. 27. uti ipsum memini *afro nitro*; imo proximo cap. 52. pariter ut hic in gravissimo ventris dolore, hæc scribere: *clysterizabis cum calida, & afronitro, & sale.* Igitur hic quoque lego: *cum sale, & melle, & aphronitro.*

§. 14. Veg. 1, 54. Cap. 54. *Succum itaque viridis coriandri, vel si defuerit, porri sativi.* Hæc verba si in hoc capite servanda sunt; lego, *porri sectivi.* Sic enim eadem in sequenti sunt scripta; & præterea libro 3. cap. 4, & libro item extremo quarto *porri sectivi* mentionem invenio, non sativi.

§. 15. Veg. 2, 15. pr. Libro II. cap. 15. *Quodcunque jumentum in oculis tritiacem patietur, id est, ut pili aliam palpebram urentes, lachrymas moveant.* Hic vero manifestius est quam ut egeat confirmatione, scribendum esse, non *tritiacem*, neque ex Samb. Cod. *tyriacem*, sed *trichiasim*. Vocat id vitii Scribonius (Compos. Med. 230.) *palpebram pilosam*, vel potius sic vocat alterum de duobus quæ Celsus (de Medic. l. 7. c. 7.

Digitized by Google

seu 8.) proposuit, ejus generibus, quorum primi (φαλάγγωσιν Paulus de Re Med. l. 6. c. 8, & Aetius Tetrab. 2. serm. 3. c. 66. appellant) tres curationes tradit Vegetius, duas in hoc capite, tertiam, ut ego animadverti, in sequenti, quo videlicet temere Librariorum contrusit incuria. Cum enim de tribus in eo agat generibus Suffusionis; nihil ad hæc pertinent, quæ inter primi, atque alterius tractationem leguntur: *Adversus infestantes pilos tertia cura est* &c.; quæ contra si ad finem capitis 15. adjiciantur, tam ibi conveniunt quam quod maxime.

§. 16. Veg. 2, 22, 9. sq. Cap. 22. *Sandaricæ unciæ* 2. An hic, & cap. 67. s 3. libri 3. ubi scriptum est *Sandarici uncias* 3. scribendum sit *Sandarachæ*, videndum est. Sed multo magis videndum est, an quæ mox sequitur, Collyrii nardini compositio ex altera sit emendanda quæ extat libro 4. cap. 27. s. 4. Prima sic habet: *opopanacis scrupulos* 2, *violæ uncias* 2, *spicæ nardi*, *cassiæ*, *marrubii ana semiunciam*, *croci siculi unciam semis*, *olei semiunciam*, *& scrupulos* 4, *piperis albi uncias* (Samb. Cod. *scrupulos*) *sex*, *gummi scrupulos* 5. Altera autem sic: *Violæ unc.* 1, *spicæ nardi unciæ semis*, *cassiæ*, *myrrhæ unc.* 3, *croci unc.* 3, *olei cyprini unc.* 6, *piperis albi unc.* 2, *cymini unc.* 3. Mihi quidem altera ex altera videtur invicem corrigenda; ut alia omittam; in *oleo*, in *marrubio*, in *cymino*. *Oleo* Scribonius (Compos. 37.) in collyrii compositione quadam utitur, sed *veteri*: quod ipsum Vegetius alibi (lib. 3. c. 47. s. 10.) oleo *cyprino* substituit: *cum oleo*, inquit, *cyprino*, *vel communi*, *sed veteri*. Credibile ergo est, in prima etiam compositione scribendum esse *olei cyprini*. De *marrubio* autem, & *cymino* equidem non ignoro, hoc adversus oculorum epiphoras, illius succum ad ipsorum acuendam aciem laudari cum ab aliis, tum a Ruellio (de Nat. Stirp. l. 3. c. 44, 58.). Attamen in collyrio nardino non memini posita, etsi plures hujus compositiones perlegerim, quarum alias ex aliis Auctoribus descripsit Aetius (Tetrab. 2. serm. 4. c. 113.). Contra in his omnibus & myrrha, & gummi ponuntur, quæ duo in collyriis quoque cæteris frequentissima sunt; & *gummi* præsertim cur addi soleat, Cornelius Celsus (de Medic. l. 6. c. 6. sect. 3.) ostendit. Quin etiam Scribonius (Compos. 36.) in eo collyrio quod huic consimillimum habet ex croco, nardi spica, casia, pipere albo, neque *myrrhæ* oblivisci tur, neque *commis*; sic enim Græcam scripturam secutus, scribere solet pro *cummis*, vel *gummis*, qua ex scriptura *cummis*, ut in Celso Librarios perperam fecisse *cumini*, arbitratur Rhodius (Lexic. Scribon. ad *Commis*) ita ego in Vegetio idem fere accidisse, suspicor. In hujus igitur prima compositione pro *marrubii* scribendum *myrrhæ*, in altera pro *cymini* scribendum *gummis*, esse, puto; puto tamen, non censeo.

§. 17. Veg. 2, 24, extr. & 2, 25, 2. Cap. 24. Aut ego quidem plurimum fallor, aut Librarii idem commisere quod capite 15, ut quæ ad ejus finem pertinebant, intruderent in caput proximum 25. In hoc enim cum de collectione agatur oris maturanda, scalpelloque aperienda; non video quem locum illa habeant: *Plerique etiam cum ferro exemtæ fuerint glandulæ*, *propter sanguinis fluxum loca uri debere*, *præcipiunt*, &c. quæ vicissim ubi cum extremo hoc capite 24. conjungantur, suam in sedem videntur esse restituta. Sic enim hoc caput nunc finitur: *Plerique urendæ* (loca videlicet glandularum, vel potius, ut quæ continuo sequuntur, verba flagitant, ipsas glandulas, ut malim legere *urendas*) *Plerique urendas dixerunt*. *Sed si parvæ sint prodest*, *cæterum majores execandæ sunt ferro*.

§. 18. Veg. 2, 26, 3. Cap. 26. *Fistulare autem collyrium hac ratione conficies: anisi uncinam* 1, *ferulæ unciam* 1, *æruginis æris unciam* 1, *battituræ calcetis unciam* 1, *cimini semis unciam* 1, *teres cum aceto* &c. Hoc in loco & plura subesse vitia, & unde plerisque medicina quæri possit, animadvertimus, nimirum ex cap. 16. lib. 4, ubi collyrium fistulare iterum proponitur ad hunc modum. *Misi libram*, *ferulæ lib. æruginis lib. calcitis libram*, *cymini uncias sex*, *teres cum aceto* &c. Primum igitur pro vegetabili metallicum repono medicamentum, pro *anisi* videlicet *myrsi*,

Digitized by Google

myſi, vel potius *myſis*, quod in alterum quoque collyrium fiſtulare recipitur, eodem cap. 16. ſubjunctum: *Miſi, æruginis, calcitis* &c. Tum pro *ferulæ* lego *feculæ*, de qua erudite, ut ſolet, Rhodius loquitur in Lexico Scriboniano. Sequuntur illa: *æruginis æris unciam* 1, *battituræ calcetis unciam* 1. Si verbum *battituræ* a Vegetio eſſet; ſatis doceret Lexicon Medicum, quid. ſignificaret: *Battitura i. e. ſquama v. g. Battitura æris*. Tum legerem ad hunc modum: *æruginis unciam* 1, *æris battituræ unciam* 1, *chalcitis unciam* 1.

Sic neque ſupervacuo hic ſcriberemus *æruginis æris* (quanquam ſic alibi lib. 2. c. 22. etiam apud hunc Auctorem invenio) & propius tum ad alia duo propoſita ejuſdem loca, tum ad totidem Celſi (l. 5. c. 28. ſect. 12. l. eod. c. 6, & 7.) accederemus, in quorum altero, collyrio adverſus fiſtulas addit *vel ſquamam æris, vel æruginem*; in altero autem *ærugo, chalcitis, miſy, ſquama æris* inter rodentia, ut mox etiam inter exedentia reponuntur. Denique pro *cimini ſemis* (ut Sambucus edidit *ſeminis*) *unciam* 1, lego, ut ratio ponderum compoſitionis ſecundæ monſtrat, *cymini ſemiunciam*; ſi tamen hic magis cuminum retinendum eſt quam aniſum, pro cumino autem quid fortaſſe poſſet reſcribi, oſtendunt ea quæ ad caput 22. adnotavimus. Ex hiſce omnibus mendis unum Rhodius (Not. ad Scribon Compoſ. 82. vel potius in Auctorum Catalogo) animadverterat, *ferulæ*, quocum ut libens hic facio; ſic adſtipulari nequeo, ubi (Not. ad Compoſ. 142.) in extremo ſuperiore capite 23: *fiſtula ſi evenerit, ut ſupra demonſtratum eſt, papyro & collyrio poterit perſanari*, legendum conjicit, *collyrio ex papyro*. Nam primum papyrum, deinde exemta papyro, collyrium, quale hic deſcribitur, immitti in fiſtulas Vegetium jubere, non modo ex hoc, aliiſque indicatis ab Rhodio ipſo capitibus, verum ex eodem quoque capite 23. ſatis poterat intelligere, atque adeo ex verbis ipſis quæ emendanda eſſe, conjiciebat. Hæc enim, ut modo propoſuimus, ita ſe habent: *fiſtula ſi evenerit, ut ſupra demonſtratum eſt, papyro & collyrio poterit perſanari*; demonſtratum autem id fuerat, capite 13, ubi papyro prius fiſtulam dilatandam, deinde papyri loco, collyrium indendum eſſe *ex fiſtulari medicamento*, traditum fuerat.

§. 19. Veg. 2, 17, 2. Cap. 27. *Alii enim ſcalpello* (fiſtulam) *reſecari & aperiri jubent, & ſtringotomio decarnari*. Niſi ex Sambuci Cod. legendum ſit *cum raſorio*; & vox *ſtringotomio* alicubi inter hæc verba ſervanda ſit, ex ipſis litteris apparet, reſcribendum eſſe *ſyringotomo*; ſic enim cum Galeno (Meth. Med. l. 6. c. 4.) Græce vocant cultellum incidendis fiſtulis accommodatum, συριγγοτόμον,

§. 20. Veg. 28, 5. Cap. 28. *Et fuſte tranſverſum, ut apertum os habeat, debet accipere*. Ita manifeſtum eſt, legendum eſſe *fuſtem*, ut tanquam fortuitum errorem operarum fuiſſem præteriturus, niſi in Sambuci Editione ad illum eundem modum legiſſem, in qua ne hi quidem errores emendati ſunt cap. 6. *polygreſto*, pro *polychreſto*, & libro ſuperiore cap. 59. *glicericæ* pro *glycyrrhizæ*, paſſim vero *ariſtologiæ* pro *ariſtolochiæ* &c.

§. 21. Veg. 30. Cap. 30. *Stechatoma eſt tuber quod in ſe adipem vel pinguedinem continet. --- Aneutriſma eſt tuber in quo ſanguis &c. Atheroma &c.* Quanquam Sambuci Codices habent *Staphiloma*, & *Aneveſma*; nihil tamen eſt dubii, quin ſit reponendum, *Steatoma*, *Aneuryſma*, *Atheroma*.

§. 22. Veg. 2, 43, 3. Cap. 43. *Quo* (medicamento) *uteris ad conſumtionem medelæ*. Legendum crediderim, ad *conſummationem*. Sic enim videtur dici ut cap. 48. *donec ſanetur*, & lib. 3. c. 21. *uſque dum ſanetur*, & c. 8. *quouſque ſanitas ſubſequatur*, & c. 9. *donec liberetur* &c.

§. 23. Veg. 2, 47, 3. Cap. 47. *Primo fracturam recompones, & faſcies, mundis ſciſſilibus infuſis ex vino & oleo conligatis*. Videtur legendum, *& faſciis mundis*.

§. 24. Veg. 2, 48, 3. Cap. 48. *Præterea locum, quem curare volueris, inducto philotro decalvas*. Lego *pſilothro*.

Mox: *& phlegmon effundi, licineo quoque intorto cum axungia, & aceto, & oleo loca, de quibus muſcus ejectus fuerit, ſatiare*. Vide an pro *muſcus* ſcribamus *mucus*; certe pro *licineo* ſcribendum *licinio*, ſic cap. 22. *aceto & oleo linteolis vel lici-*

Digitized by Google

licinio addito, locum ipsum comples.

Cap. 53. *atramenti sutoricii.* Samb. Cod. *veteris.* Manifestum est, esse rescribendum *sutorii*, ut scriptum est cap. 49.

§. 25. Veg. 3, pr. 4. Lib. III. Prolog. *Quid de diversorum onerum comparatione referamus.* Videtur legendum *comportatione;* verba enim fiunt de boum utilitatibus, & in his etiam de ea quam præstant vehiculis trahendis, & gravioribus oneribus ea ratione quocunque volumus, adducendis.

Paulo infra: *Postremo ut ad providentissimorum virorum scripta redeamus, quorum firmatur auctoritas, justiciam jumentorum cæde violenta derelictis terris ad syderum remeasse consortem. Quid potest laudabilius reperiri, quam ut nomen æquissimum, boum fugaretur interitu? quod dum homicidia fierent, permanebat in terris.* Num ita emendabimus: *horum firmatur auctoritate, Justitiam -- ad syderum remeasse consortium.* Certe pro *nomen æquissimum* legendum est *numen æquissimum.*

§. 26. Veg. 3, 1, 10. Cap. 1. *Aquam quidem istius generis animal non requirit nitidissimam &c. Sed tamen bubulci diligentius est procurare, ut mundam semper & optimam bibant.* Sambuci Codices pro *diligentius* habent *diligentissime.* Magis tamen mihi placeret *diligentis.*

§. 27. Veg. 3, 2, 4. Cap. 2. *Tres semis uncias squillæ minutatim concisas, præterea radices tenera propinum effossas & diligenter lotas contondes in pila, & tria ex his pondera addito sextario salis in vini septem sextarios mittes.* Haud inutile est conferre hæc cum iis quæ cap. 75. ejusdem rei gratia proponuntur: *Radix scyllæ, radices populi, quæ Græce appellatur rhamnos (nam est fuscior & nubellula) & sales communes quantum sufficit mittes in aquam.*

Non inficior, esse utroque in loco alia quæ emendationem desiderent, tamen ex secundo intelligitur, recte in primo Sambuci Codices habere *populi* pro *popinum*, qui tamen Codices in secundo sibi non constant. Vicissim ex primo subit, in secundo esse pro *sales communes* legendum *salis communis.* Cæterum *nubellula* facile videtur mutandum in *rubella.*

§. 28. Veg. 3, 2, 12, & c. 85. Eodem capite 2. quædam sunt cum postremo hujus libri capite comparanda; utroque enim in loco agitur de remediis adversus sumtum inter pabula, gallinæ fimum, & tormina hinc orta. Primo igitur in loco habemus hæc: *Apii seminis uncias 3, cimini sextarium semis, & duas libras mellis commisces, & tepidum per os infundes.*

In altero autem hæc: *apii seminis deteris uncias 2, & cum vini veteris sextario, & hemina mellis temperas, & per os defundis.* Me non præterit, cuminum ad tormina à Dioscoride [l. 3. c. 59.] laudari; ne tamen hic quoque, ut alibi indicavimus, *cimini* scriptum sit mendose, videndum est; *vini* enim *veteris* in altero est loco. Mox primo in loco hæc sequuntur: *Gisni quoque cum vino deterere, & per os dare creditur salutare remedium.*

Lixivium quoque ex arbore ulmi, vel cujuscunque generis ligni cinerem, dummodo bene coctum, cum oleo miscebis. Quibus in altero illa respondent. *Tres pilulas gipsi cum vino veteri deterere, & tepidum per os dare, eadem optime sanare firmatur. Lixivium quoque de arbore ulmi, vel cujuscunque generis ligni cinerem, dummodo bene cretum cum oleo miscere.* Equidem *gisni* quid sit, ignoro; sed illud scio, gypsum ingestum vel interficere, ut suo confirmavit exemplo C. Proculejus [Plin. Nat. Hist. l. 36. c. 24.), vel dolorem ventris ut Scribonius (Compos. 102.) docet, aliaque etiam graviora mala afferre, itemque Scribonium, & Dioscoridem (l. 5. c. 24.) adversus gypsum, ejusdem generis auxilium laudare, cujus generis post gypsum, quasi idem posset, hic subdit Vegetius, videlicet lixivium e cinere sarmentorum. Itaque *gypsi* non facile quidem legerim, præsertim cum pilulas (ut cupressi post Plinium Nat. Hist. l. 17. c. 10. l. 24. c. 5. solet) non videam qua ratione gypsi dicere Vegetius potuerit. Idem lib. 4. c. 8. ad *jumenta a morbis vindicanda, & custodienda* inter cætera proponit *gisni resoluti pastillum unum.* Aliquando fuit, cum suspicarer, Librarios pro *gita* scripsisse *githi* vel *githni*, aut ipsum quoque Vegetium scriptum reliquisse *gicti* (nam *vulgo*, ut Sosipater Instit. Gramm. l. 1. auctor est, *hoc gicli dicebant*) & pro hujus pilulis me-

Digitized by Google

melanthii capitula feminibus fœta esse intelligenda. Sed tu melius, cui non modo loca omnia perspecta sunt Celsi, Scribonii, Columellæ, Plinii, Palladii, Marcelli, & si qui alii Latinorum de suo Gith, sive Git mentionem fecere, verum etiam alia quæ huc fortasse magis pertinent, pro tua Rei botanicæ, & pharmaceuticæ singulari scientia, sunt longe notissima. Quod autem primo loco *cinerem, dummodo bene coctum*, secundo autem *dummodo bene cretum, cum oleo miscendum* legimus; facile primo etiam loco *bene cretum* legere oportet, præsertim cum Sambuci Codices utrobique habeant *bene cribratum*, & cap. 46. hæc, consentientibus Codicibus, edita sint: *Lixivium quoque cineris diligentissime cretum cum oleo optimo temperabis.*

§. 29. Veg. 3, 2, 21. Porro quæ infra leguntur: *Panacem supplassariis comparas*; fortasse ita legenda sunt: *Panacem de seplasiariis comparas.* Denique in illis: *Sed & totum* (animal) *suffimentare percommodum est, ut ab eodem morbo pernicies expellatur*; videtur scribendum, *morbi pernicies expellatur.*

§. 30. Veg. 3, 8, 2. Cap. 8. *Alii Authores aqua calida testes cum dolent fovendos esse duxerunt, suffumigandos etiam viridibus foliis, cypressique arboris specialiter mederi testibus creditur. Sed si defuerit testes ardentes nihilominus in aqua calida mitti, & inde suffumigari.* Hic vero, ut cætera nunc omittam; aut *tædas ardentes*, aut *testas candentes* rescribendum esse, arbitror. Sic a Columella (l. 7. c. 5.) *vetus hominis urina testis candentibus inusta* proponitur. Sic ipse Vegetius *testa candenti* scripsit libr. 2. cap. 55; capite autem 28. *candentes lapides*, ut & hujus libri capite 49. adhibet haud absimili ratione ad suffumigia; quin ipso capite superiore hæc habet: *lotium vetus & putridum in vase supponitur, & lapides molares ferventes mittuntur, animal sagis diligentissime usque ad ungulas operiatur, ut vapore lotii venæ testium sudent.*

§. 31. Veg. 3, 9. Cap. 9. *Potiones dabis, stercus suillum quotidie ex vino, aut in aqua dulci, donec liberetur.* Si extrinsecus adhibendum juberet stercus suillum; nihil mirarer; sic enim imperat cap. 77. Per hos autem dare qui possit, præsertim *quotidie*, cum post Columellam (l. 6. c. 5.) adeo pernicioſum bobus esse docuerit capite 2, differteque dixerit (s. 14.): *si porcinum stercus bos devoraverit, statim pestilentium contagionis illius mallei sustinere morbi.* Legemusne igitur *stercus ovillum?* Hujus certe vel libram ingerit, capite 16.

§. 32. Veg. 3, 10, 1. Cap. 10. *Aphodilli herbæ* in *Asphodeli herbæ* mutare facile est; at *tascedeas* emendare, difficile. *Super renes*, inquit, *hoc anacollima oportet imponi; bulbos tascedeas vivas contusas, allia quinque, anagallici libram, quæ omnia pariter bene trita commiscis.* Sic enim Librarii capite etiam 15. perperam scripserunt: *& commiscis bonis vini cotylas quatuor* pro *commisces.* Simile anacollema proponitur cap. 18. quod juvat inspicere: *Bulbos rufos triginta, cochleas vivas triginta, anagallici libram 1, &c.*

Non ignoro, hic Codices Sambuci pro *cochleas vivas* habere *cochlearia vini*; vitiose tamen, ut puto. Nam anacollema quoque Absyrti, de quo libr. 4. cap. 22. habet *cochleas contusas X, bulbos XX.*

Sed & potio libr. 1. cap. 56. tradita, libro autem 4. cap. 8. repetita, & ad Chironem Auctorem relata, primo quidem loco habet *hyssopi fasces duas* (leg. *duos*) *cochleas germanas XV. bulbos XV*; secundo autem *hyssopi fastes duos, cochleas germanas purgatas quindecim, bulbos quindecim.* Quæ cum ita sint; facile adducor ut credam, ubi *tascedeas* legitur, *cochleas* esse rescribendum. Fortasse etiam in tribus prioribus ejus verbi litteris numerorum vestigia relicta sunt; ut legendum sit, exempli causa, *bulbos triginta, 5. cochleas vivas contusas* &c.

§. 33. Veg. 3, 12, 1. Cap. 12. *Animalibus otiosis & pigris contingit ex plethora sanguinem mingere.* Rescribendum est, *contingit ex plethora.* Soliti autem sunt Vegetii Librarii scribere *pletura* pro *plethora*, ut lib. 1. c. 25, 26. lib. 2. c. 29. l. 3. c. 44. &c. ut contra *storacis* pro *styracis*; sed hic magis etiam perperam scripserunt *steracis.*

§. 38. Veg. 3, 15, 2. sq. Cap. 15.

Et

Et si difficulter mingit, dysuria appellatur. Sed quando guttas per veretrum mittit cum labore, stranguria dicitur. Quum in totum non potest mingere, dysuria appellatur. Manifestum est, in postremis verbis mendum esse, & *ischuria* pro *dysuria* reponendum.

Cui hac ratione succurris: de pectore venas pungis, & sanguinem quantum videbitur detrahis, & sic accipitur lavamentum. Præterea manum tepidam cum oleo in anum mittis, & si qua stercora inveneris intus, quia impedimentum præstant, attrahis. Videtur scribendum *levamentum*, & *extrahis*. Sic cap. 65. *ex qua compositione recens causa sanabitur, vetus sentiet levamentum*; & cap. 59. *manum unctam in anum mittes, & stercus extrahes*, & lib. 1. c. 35. *per anum injecta manu stercus extrahatur.*

Bestiolæ quæ appellantur vulpestres, araniæ similes, cum devoratæ fuerint, animal præfocant. Cum hæc inter ea recenseantur quæ sumta urinam supprimunt; proclive est cum Matthia Martinio (Lexic. Philolog.) intelligere, scribendum esse *bupreſtes*, præsertim cum Sambuci Codices habeant *bulpreſtra*. Melius iidem Codices habent *bupreſtem* in capitis 78. inscriptione, ubi editum fuerat; quemaddum initio quoque ejusdem capitis irenendatum extat; *buſtrepem*. Quod autem bupreſtes scribuntur esse *araniæ*, seu potius *araneæ* similes, rescribendum alicui fortasse videatur *cantharidis*. Sed ego nimirum nolo nimis audere.

§. 35. Veg. 3, 16, 2. Cap. 16. *Ceræ uncias 2, lardi libram unam, piperis unciam semis, piculæ semiunciam diligentissime tundes.* Hoc in loco pro *piculæ* legere, ut in aliis fecimus, *picis liquidæ* vel id videtur prohibere quod diligentissime tundenda dicitur. Quid ergo legemus? Animadverti ad solutam alvum adstringendam, cujus rei gratia hæc imperantur, Vegetium lib. 2. c. 6. semel, atque iterum lenticulam commendare: quod ante fecerat Corn. Celsus (de Medic. l. 4. c. 19.). Itaque haud multum ab eo absum, ut legam *lenticulæ*.

§. 36. Veg. 3, 17. Cap. 17. *Lino subtili constringuntur ipsæ Verrucæ, in cauſticum cradum imponitur & spontę decidunt.* Videtur legendum, *hinc cauſticum*.

§. 37. Veg. 3, 18, 3, & 5. Cap. 18. *In crisma etiam perunges in sole.* Rescribo, *Synchrisma etiam*. Vid. libr. 4. c. 27, & 18. quod ita inscribitur: *Compositio synchrismæ.*

Tunc animal (claudum) *capistro trahunt, & sensim currunt, alius lorum vel funes tenet, lassus sequitur, & subito dum animal currit, recta ad se coxas ipse cum impetu trahit, si sonuerit, scias loco suo rediisse.* Conjicio, sic esse emendandum: *alius lorum, vel funes tenens laxos, sequitur.*

§. 38. Veg. 3, 23, 2. Cap. 23. *Malleus* (morbus vocatur) *quod pestilentiæ internocivum contagium facit.* Etsi in Sambuci Cod. est *internæ causa cibi*, tamen nihilominus videtur legendum *internecinum*.

Potionem componis hujusmodi: Gallici lib. unam, hyssopi libram 1, abrotani libram semis, aristologiæ rotundæ lib. semis, mannæ succari uncias 3, trixaginis uncias 3. Vix dubitandum videtur quin ante *Gallici* vox aliqua interciderit; quænam autem ea fuerit, difficile est divinare. *Silis Gallici*, ut alias ad te scripsimus, alibi invenitur mentio apud Vegetium. *Nardi* autem *Gallici* (Scribonius Compos. Med. 177. nardum celticam vocat) apud Celsum (l. 5. c. 25. sect. 6.), Columellam (l. 12. c. 20.), Plinium (Nat. Hist. l. 12. c. 12. l. 21. c. 20.), aliosque est mentio. Ad hunc locum tamen videtur id magis pertinere, quod proximo cap. 24. cum iisdem fere legitur medicaminibus quæ hic leguntur: *agallici, castorei, abrotani uncias singulas, trixaginis uncias duas, mannæ croci unciam unam, succari unciam, hyssopi unciam unam.* Illud perincommode accidit, ut *agallici* scriptura non integra esse videatur.

Quid enim, quæso, *Agallicum* est? Venit aliquando in mentem ut legerem *agarici*, vel potius *agallochi*. Verum; ut alia mittam; cum Sambuci Codices in eo quo de quærimus, loco capitis 23. habeant *Anagallici*; hic quoque proclive est credere scriptum fuisse *anagallici*: quæ tamen vox, ut apud Vegetium frequentissi-

m.

Digitized by Google

ma est, ita quid significet, est usque adeo obscurum, ut credibile sit, ipsam quoque mendo non vacare. Certe loca quædam sunt in quibus *anagallici* legere maluissem, nisi in Rhodium (Not. in Scribon. Compos. 83.) incidissem, qui docte, ut solet, *ali gallici* legendum ostendit capite quidem 54, & 56. libri primi. Et sane iis in locis convenit radix symphiti, quam *alum gallicum* a quibusdam vocari, docet Scribonius (Comp. 83.): idque confirmare animadverto Sambuci Codices qui in primo eorum locorum pro *anagallici* habent *consolidi majoris*, capite autem 11. ejusdem libri *alligalici*. Equidem ad eundem modum emendari oportere, crediderim, libri 2. caput 6. & fortasse etiam 9; item libri 3. capita 10, 18, 65, 69, 70, & facile insuper 68, neque minus libri 4. capita 9, 27, & 8. præsertim cum in hoc, ut etiam in 69. libri 3. Sambuci Exemplaria habeant *symphiti*. In hisce enim omnibus locis *aligallici* idoneus esse usus potest, quemadmodum etiam in libri 3. capite 67. in quo Editio princeps habet *argallico*, eodem nempe errore quo apud Cælium Aurelianum (Morb. Chron. l. 5. c. 2. & l. 2. c. 12. (legitur *admixta radice argallici*, *quod Græci σύμφυτον vocant*, itemque *argallici radicem*, *atque foliorum ejus succum*, videlicet pro *ali gallici*, ut Viri Doctissimi esse emendandum, admonuerunt. (*) Sed cum hæc fatear; illud vicissim a te peto, ut etiam atque etiam videas, num aliis nonnullis Vegetii locis, in quibus pariter *anagallicum* legitur, eadem conveniat emendatio. Atque ut omittam non modo libri 1. caput 43, verum etiam ipsum caput 49. libri tertii, videas in primis velim loca duo, de quibus hic potissimum agimus, capitis videlicet 23, ubi Sambuci Codices habent, ut dictum est, *anagallici*, & capitis 24, ubi idem videri potest esse legendum.

Num hic quoque probabimus *ali gallici*, an aliud aliquid eorum quæ venerant mihi in mentem, an vero legemus *allii gallici*? Nam, ut Rhodio assentiamur recte arbitranti, in Marcelli (de Medicam.) capite 17. non *allium gallicum* sed *alum gallicum* esse scribendum, nimirum ubi Marcellus Scribonii verba describit; non tamen video necesse esse, ut nusquam *allium gallicum* scribi posse, credamus.

Neque hoc tantum dico ob alium locum Marcelli capite 20; verum etiam, idque potissimum, ob Vegetii caput 18. lib. 1, cujus capitis hoc est initium: *Pro physico autem & anniversario remedio tradidit* (Chiron) *ulpicum beticum vel allium majus*, *quod quidam gallicum vocant*, *capitella singula* &c.

§. 39. Veg. 3, 27, 5. Cap. 27. quod est *de tympaniticis*: *Præterea hyssopi uncias* 4, *alei viridis manum plenam*. Videtur legendum *allii viridis*; quemadmodum cap. 43. pro *alei purgati grana viginti & unum*, rescribendum *allii*; nam Plinius quoque Valerianus (de Re Med. l. 1. c. 8.) ita est locutus, *tria grana allii*. An vero capite etiam 50. pro *altei uncias* 2, legere oporteat *allii uncias* 2, diligentius videndum est.

§. 40. Veg. 3, 28, 4. Cap. 28. *Medullæ cervinæ libram unam*, *mannæ thuris uncias quatuor*, *depli uncias tres* &c.

Hic *bdellii uncias tres* facile esse rescribendum iis omnibus videbitur, qui cum hunc omnem locum inspexerint, tum vero cum libri 4. capitibus 14, 15, 20, 23. atque aliis in quibus bdellium inter ejusdemmodi remedia proponitur, vel perfunctorie comparaverint.

§. 41. Veg. 3, 38. Cap. 38. *Quod si permanserit bulimus*, *similæ heminas cum sextario vini infundes*, *& per cornu digeres*. *Quod iter agerit* (Samb. Cod. egerit) *inciderit bulimus*, *ubi necessaria desunt*, *terram faucibus infundes* &c.

Vel deest similæ heminarum numerus, vel, ut Sambucus edidit, est rescribendum heminam. Cætera sic malim rescribere: *Quod si iter agenti inciderit bulimus* &c. *vel si iter egerit*, *& inciderit bulimus*.

§. 42. Veg. 3, 48, 2. Cap. 48. *Camomillam illyricam* (*idem nos trâce*) *& herbam artemisiam in aqua decoquis*, &c. Rescriberem, *chamomillam illyricam*, *item nostratem*; si chamæmelum illyricum a Medicis interdum laudari, meminis-

(*) Add. quod 3, 23, 4. in Corbejensi sit *sal Gallicum*.

miniſſem, ut irim illyricam ſæpiſſime, memini. Quod ſi quæras, cur igitur ita non emendem: *chamomillam*, *illyricam iridem & noſtratem*; id nimirum obſtat quod hæc potio lethargico jumento paratur; omnes autem irides ſomnum accerſunt, non auferunt: quod tute ſcis Dioſcoridem (de Med. Mat. l. 1. c. 1.), alioſque docuiſſe. Verum ut alia ſunt in hoc capite quæ emendationem deſiderant; ita mirum non eſſet, ſi quod alibi accidiſſe haud ſemel, oſtendimus, illud hic quoque contigiſſet, ut Librarii quidpiam ad ſuperiora pertinens capita, in hoc oſcitanter contruſiſſent.

§. 43. Veg. 3, 55, 8. Cap. 55. *Cum ſucco ptiſanæ in qua (atro) decoctum eſt*. In ora adſcriptum eſt: alias (acyo). Facile ſic emendandum crediderim: *in qua acron decoctus eſt*. Nam lib. 1. cap. 56. (ſ. 18.) cum ptiſanæ ſextario aliiſque *acronem ſalſum porci pinguis*, *vel ſi porcina defuerint*, *caput hædinum depilatum cum pedibus ſuis* &c. *decoqui* jubet *in aqua ciſternina*, *donec acron ille*, *vel certe caput hædi liqueſcat*, *& diſſolvatur ab oſſibus*; quod iterat lib. 4. cap. 8. Libro etiam hoc tertio cap. 66. *pinguis*, inquit, *porcinus acro decoquitur*, *donec omnis*, *caro ſolvatur*, *abjectiſque oſſibus univerſis* &c. In Hippiatria, ἄκρων χοίρειος. Apud Celſum (de Medic. l. 2. c. 20. l. 4. c. 7.), *trunculique ſuum*, *& ſumma trunculorum*.

§. 44. Veg. 3, 64. Cap. 64. *Poſt alumen*, *axungiam*, *ſalem in vino conteres*, *offas facies & ex melle dejicies*, *ita ut aqua calida* (*fomentetur*) *& ſi facultas ſuppetit*, *cum ejus decocto aſſidue fomentare non deſinas*. Ita Sambuci Codices. Ego vero malim quomodo primum editum fuerat, *ita ut aqua calida*, *& ſi facultas ſuppetit*, *cum eviſco decocta aſſidue fomentare non deſinas*. Quid enim hic eſt *ejus decoctum*? Eviſcum autem (etſi ita frequens herba eſt, ut mirum ſit de hac dici, *ſi facultas ſuppetit*) certe aliis quoque locis, ut libr. 4. cap. 14, & 27; memoratur a Vegetio, qui videlicet maluit Galenum (de Simpl. Fac. l. 6.) alioſve Græcos imitari ſcribentes ἰβίσκος, quam cum Latinis ſcribere *hibiſcum*: quanquam non modo Scribonius (Compoſ. Med. 80, 82.) *ebiſcum*, ſed & Plinius Valerianus, & qui Macri nomine circumfertur, Verſificator, *eviſcum* dixere, ut ab Rhodio (Not. in Scribon. Comp. 80.) quem miror hæc verſatiſſimi ab ipſo Auctoris Vegetii loca omiſiſſe, adnotatum eſt. Non negaverim tamen, lib. 4. cap. 14. extr. pro *eviſci uncias* 3, legendum fortaſſe *viſci uncias* 3; cum illo ipſo capite *viſci itali uncias* 3, & *viſci pondera* 2. diſerte editum habeamus.

§. 45. Veg. 3, 66, 1. Cap. 66. *Radicis tracontiæ unciam* 1, *gentianæ unciam* 1. Sambuci Codices habent *radicis tragonteæ*: Lego, *radicis dracontiæ*. Cujus nomine *radicis dracunteæ*, *& dracontii* (Samb. Cod. *draguntea*) pariter cum gentiana, & centaurea mentionem facit Vegetius lib. 1. c. 59, & 60. Adderem etiam II; niſi ibi Sambuci Codices haberent *draganti* pro *dracontii*.

§. 49. Veg. 3, 84, 3. Cap. 84. *Hac enim ſola ratione nec hydrophobus fiet*, *& imminens crimen evadet*. Reſcribendum *imminens diſcrimen*, præſertim cum ea antecedant: *Canis rabioſi morſus & jumentis*, *& hominibus exitium inferre conſuevit*; & alibi (l. 3. c. 15.) ſcriptum ſit: *Veſicæ indignatio urinæ difficultatem*, *immo præſens diſcrimen importat*.

Samſuci quoque grana, *vel ſuccum de foliis*, *aut de cortice exprimes*, *& cum vino veteri dabis in potu*. *Sed tunc efficax eſt hæc potio*, *ſi de eo ſamſuco dederis*, *quæ non in terra*, *ſed in alia arbore fuerit innata*. Sambucos innatas ſalicibus vidiſſe te, ſcio; quo magis credo aſſenſurum mihi ſic emendanti, *Sambuci quoque grana*, *& de ea Sambuco*. Dioſcorides (l. 4. c. 168.) quoque, & Plinius (Nat. Hiſt. l. 24. c. 8.) adverſus canum morſus commendant ſambucum: neque video qui poſſit de ſampſuchi cortice ſuccus exprimi, ſive parthenium, ſive marum, ſive amaracum ſampſuchi nomine intelligamus, aut etiam; ut cætera omittam; qui *in alia* enaſci *arbore*, quaſi ipſæ quoque arbuſculæ eſſent, humiles iſtiuſmodi herbæ dicerentur.

§. 47. Veg. 4, 6, 7. Lib. IV. cap. 6. Perſici equi *ſolius ambulaturæ quadam*

Digitized by Google

dum gratia diſcernuntur a cæteris, gradus eſt minutus & creber, & qui ſedentem delectet & erigat, nec arte doceatur, ſed naturæ veluti jure præſtetur. Inter colatorios enim, & eos quos totonarios vulgus appellat, ambulatura eorum media eſt, & cum neutri ſint ſimiles, habere aliquid creduntur ab utriſque. Certum eſt, legendum hic eſſe, *cum neutris ſint ſimiles*, an autem *colatorios*, & *totonarios* emendare neceſſe ſit, & potiſſimum qua ratione emendare deceat, incertum eſt. Primam tamen harum vocum facile crederem mutandam eſſe in *tolutarios*, modo hi a totonariis ſic ſatis differrent. De hac altera videndum eſt caput 56. libri primi; ſi tamen is locus integer eſt: Parthi *ipſos equos, quos vulgo Trepidiarios, militari verbo Tottonarios vocant, ita edomant ad levitatem, & quædam blandimenta vecturæ, ut Aſturconibus ſimiles videantur.* Hic Carolus du Freſne (Gloſſar.) *Trepidarios* legit, recte, ut opinor; deinde conjicit legendum eſſe *Trottonarios*, vel *Trotarios*, qua de re amplius videndum eſt.

§. 48. Veg. 4, 9, 6. Cap. 9. *Præterea fœni græci ſextarium bene purgatum fervere facies, primamque aquam inter initia fervores effundes, addeſque aquæ ſextarios V.* Apparet, ſcribendum omnino eſſe, *inter initia fervoris*. Eadem libro 3. cap. 70. ſic traduntur: *Præterea fœni græci ſextarium ſeparatim mittis in cacabum, & cum fervere cœperit, primum aquam fundes, poſt addis aquæ ſextar. V.*

§. 49. Veg. 4, 10, 2. Cap. 10. *Vini tenetani vel alterius auſteri ſextarios* 2. Vinum eo nomine, quod meminerim, nunquam legi. Hæc legi quidem apud Galenum (Meth. Med. l. 7. c. 6.) *Nobile* (vinum) *voco, quod auſterum eſt, non Sabinum modo, verum etiam Adrianum, & Albanum, & Arſinium, & Titacazenum, omniaque id genus.* Sed Titacazenum hic reponendum non affirmaverim. Litteris quidem huc tria magis accedunt, quæ a Martiale (Epigr. l. 1, 106. l. 10, 48. l. 13, 119. l. 1, 27. l. 7, 52. l. 2, 53. l. 3, 49.), aliiſque memorantur, Nomentanum, Laletanum, Vejentanum; an vero horum aliquod vi etiam, atque natura, in præſentia non decerno.

§. 50. Veg. 4, 11, 1. Cap. 11. *Cathimiæ butrotis ſelibram, reſinæ uſtæ ſelibram.* Videntur hæc ad eam quæ hic proponitur, *confectionem* non attinere. Certe lib. 1. c. 16. ubi eadem confectio tradita eſt, non reperiuntur. Verum quocunque ea pertineant; non *cathimiæ brutrotis*, neque, ut Sambuci Codices habent, *caſmiæ, butyri*, ſed facile *cadmiæ botryitidis* legendum eſt, ut nunc eſt apud Celſum (l. 6. c. 6. ſect. 6,) vel *botryodis*, ut olim erat, vel *botryitidos*, ut alicubi apud Scribonium (Comp. Med. 24.) Hæc illa eſt quæ judicio Dioſcoridis (l. 5. c. 46.), Plinii (Nat. Hiſt. l. 34. c. 10,), Aetii (Tetrab. 1. Serm. 2. c. 57.) optima exiſtimatur.

§. 51. Veg. 4, 13, 3. Cap. 13. *Scieni, piperis nigri, piperis longi, mannæ croci, betonicæ, catiæ nigræ.* Cum alia ſunt in hoc capite quæ emendationem deſiderant; tum vero hæc ſunt, in quibus pro *ſcieno* lego *ſchœni*, quod cum aliis aromatibus quæ ad hunc quoque pulverem requiruntur, memoratur a Columella (l. 12. c. 20.). Pro *catiæ* autem *nigræ* lego *caſiæ nigræ*, vel potius *acaciæ nigræ*, quæ videlicet ex maturo conficitur ſemine, ut Dioſcorides (l. 1. c. 115.) etiam adnotavit. Vegetius *acaciam nigram* libro quoque 2. memorat cap. 34; & nonnulla alia quæ cum acacia ſatis congruunt, in aliis etiam hujus Quadrigarii Pulveris deſcriptionibus reperiuntur.

§. 52. Veg. 4, 14, 1. Cap. 14. *Humectata ſiccat, laxata conſtringit, luxata parat, læſa confirmat.* Scribo, *luxata reparat.*

In Cauſtico Pelagonii, bituminis libram, armonici uncias 6, coſti uncias 6. Legendum *armoniaci* (id eſt ammoniaci) *uncias 6.* Hæc enim continuo ſequuntur: *Verum cætera decoquis in cacabo fictili novo, qui cum refrixerit, addis aſphaltum, & armoniacum, & coſtum pro menſura qua ſcriptum eſt.* Sic cap. 27, ubi Synchriſma primum deſcribitur, pro *armoniæ pond. 3*, lego *armoniaci*, vel *guttæ armoniacæ*, ſive *armeniacæ* (rectius *ammoniacæ*) pond. 3. Nam *guttæ armo-*

Digitized by Google

niacæ editum eſt apud Vegetium hoc ipſo cap. 14, & *guttæ armeniacæ* l. 3. c. 68. &c. *Guttam* autem *ammoniacam*, vel *ammoniaci* Scribonius Largus, Plinius Valerianus, Theodorus Priſcianus, aliique Medici Scriptores Latini ſæpenumero vocarunt id quod major Plinius (l. 12. c. 23. l. 24. c. 6.) *Hammoniaci lacrymam*, vulgo autem Ammoniacum, vel Gummi Ammoniacum appellitant.

Mox in Pelagonii ejuſdem Malagmate (ſ. 4.) *viſci pondera* 2, *glutis uncias* 3. Reſcribendum videtur *glutinis uncias* 3. Nam libro etiam 3. cap. 66. cum eſſet ſcriptum: *in cacabum mittis glutis taurini ſemiunciam, aceti acerrimi hemina dimidia conjungitur, & fervet ut quilon* (fortaſſe *chylos*) *fiat*; Joannes Rhodius (Lexic. Scribon. ad *Gluten*) emendavit, *glutinis taurini*, ut eſt apud Scribonium: quanquam Celſus (lib. 5. c. 2. &c.) (id quod neque Rhodium fugit, & magis huc pertinet) *gluten* ſimpliciter ſcripſit. Non ſum neſcius, Matthiam Martinium, & qui olim in Calepini Lexico augendo Martinium exſcripſere, hæc ex Soſipatro producere: *Hæc glus glutis, alii gluten dixerunt*. Quæ ſi certa ſunt, neque Rhodii neque noſtra emendatio neceſſaria eſt. Omnes tamen a nobis inſpectæ Soſipatri Editiones, videlicet princeps Napolitana, Baſileenſis, & Hanovienſis, *glus glutinis* habent, non *glus glutis*.

§. 53. Veg. 4 17. Cap. 17. *Calcis vivæ libras* 2, *ſinopidis Alexandrini libram, ficus ſiccæ uncias* 6, *axungiæ quantum ſufficit*. Lego *ſinapis Alexandrini* in hoc malagmate, quemadmodum in alio, quod ſemel atque iterum eſt apud Galenum (de Compoſ. Medic. Local. l. 9. c. 2.) invenio, *ſinapis Alexandrini, naſturtii, utriuſque ſextantem*. Plinius (l. 19. c. 8. l. 12. c. 7.) quoque *ſinapis ſemen optimum Ægyptium* dicit, qui etiam diſerte de *Alexandrino ſinapi* loquitur. Sed & apud Vegetium noſtrum idem memorari video libro 3. cap. 46, & præſertim hoc libro 4. cap. 27. in Traumatico *ad flegmonas tollendas*, in quo ponit, *ſinapis Alexandrini unc.* 6, *fici aſræ unc.* 3, *axungiæ veteris uncias* 6, *aceti crup.* 3; ut libro 2. cap. 49. ab ipſo adhibentur *ficus ſiccæ cum ſinapi contuſæ mixto aceto*, ſolemni videlicet, atque antiquæ Medicorum conſuetudine ab Dioſcoride (l. 2. c. 48.) etiam, Plinioque (l. 20. c. 22.) inculcata. Eſt viciſſim ubi pro *ſinapis* facile *ſinopidis* legendum ſit, ut libro 3. cap. 6. ſ. 2. Quod enim ibi legitur *ſinapis pontici*, videtur ſcriptum eſſe a Vegetio *ſinopidis ponticæ*, de qua Plinius (l. 35. c. 5.) *ſinopis inventa eſt primum in Ponto: inde nomen a Sinope urbe*, & de qua ipſe etiam Vegetius lib. 4. cap. 10. ubi *ſinopidis pontici paſtillos tres* addit potioni contra vermes, quod egregie conſentit cum iis quæ ab Aetio (Tetrab. 1. ſerm. 2. c. 5.) traduntur: *Lumbricos etiam pota detrahit* (rubrica). *Primas omnium habet Sinopica appellata*. Præterea libro quoque 1. cap. 44. duabus potionibus adverſus lumbricos, alteri *ſinopidis pontici paſtillos* totidem, alteri unciam Vegetius addiderat, quo in capite ut recte indicavit Rhodius (Not. ad Scribon. Compoſ. 42.) *ſinopidis ponticæ* eſſe legendum, ita in capite etiam 10. libri 4. faciendum eſt.

§. 54. Veg. 4, 22, 2. Cap. 22. *Propulei unc.* 3, *olei veteris uncias* 6, *axungiæ veteris libram, olei ſavirenſis lib. Olei ſavirenſis* mentionem apud alios; quod meminerim; inveni nunquam; *ſabini* ſæpiſſime.

Num Vegetius ſcripſit *ſavinenſis*? certe ſcribere ſolet *ſavinæ*, ut lib. 1. c. 17. lib. 3. c. 1. lib. 4. c. 13, & 27. Cæterum non *propulei* legendum hic eſſe, ſed *propoleos*, indicio etiam ſunt Codices Sambuci, in quibus capite 14. non eſt, ut in Editionibus, *propulei*, ſed *propoleos*, quomodo legendum eſſe etiam capite 27, & ſemel atque iterum capite 23; quanquam in hoc Sambuci editio habet *populei*, non multum credo dubitaturos qui loca hæc omnia inter ſe comparaverint.

§. 55. Veg. 4, 27, 9. Cap. 27. *Aliud iterum verumque commonentes, ut diligenti cura paſſionum occurratur exordiis. Nam etiam incurabiles ægritudines, ſi præſentes fuerint vi, medentis arte vincuntur. Inveteratas cauſas etiam faciles, curari ſæpe non poſſe legi.* Videtur reſcribendum, *ſi recentes fuerint*. Facile etiam pro *Aliud iterum verumque commonentes*, legendum

Digitized by Google

dum est, *Illud iterum iterumque commonentes*. Sic Quintilianus (Instit. Orat. l. 2. c. 13.) *id maxime præcipiam, ac repetens iterum iterumque monebo ;* imo sic Virgilius (Æneid. l. 3. v. 435.): *Unum illud tibi, nate Dea, præque omnibus unum Prædicam & repetens iterumque iterumque monebo.*

§. 56. Veg. 4, 28, 19. *Causticum ad nervorum dolores* conficiunt etiam *picis britiæ pond.* 1. *& semis, vini* (*inei*) *pond.* 1. *semis*. Legendum *picis brutiæ*, & ; nisi plurimum fallor ; *vini amminei*. Sambuci Codices cap. 14. s. 1, 15, 23. s. 2, 25. quibus omnibus in locis *picis britæ* editum est, recte habent *picis brutiæ* a Scribonio, Columella, Plinio, Dioscoride, Galeno memoratæ. Iidem Codices lib. 2. cap. 22. ubi editum est, *vini amenii veteris sextarii tres*, habent *vini aminæi*, qua ratione scriptum est apud Celsum lib. 6. c. 6. (sect. 22.), aliisque in locis a Rhodio (Not. in Scribon. Compos. 257.) adnotatis, in quibus ipse scribendum censet *aminei*, ut pariter in Scribonio, ubi editum erat *aminæi*.

Contra Keuchenius (Not. ad Samonici caput de Solut. Ventris) ex græcis latinisque monumentis plura profert quibus, improbata a Rhodio, scriptura servetur.

Sed cum utramque probari posse, Turnebus (Adverss. l. 29. c. 26.) ostenderit, videlicet *aminæi*, & *amminei* ; nos qui hujus vestigia in proposito loco invenimus, eandem hic nobis servandam existimavimus.

Malagma ad nervos claudos. Sepi hircini libram, mollicidenæ selibram, resinæ libram, æruginis selibram. Lego *molibdænæ*, sive *molybdænæ*.

Erant alia plura verborum monstra, nedum leviora errata, quæ in Vegetio emendari possent. Sed hæc mihi ob occupationes properanti in præsentia satis ; utinam ne tibi nimium multa. Vale.

Patavii XI. Kal. Majas M DCC XXIII.

PARTIS SECUNDÆ FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

JO. BAPTISTÆ
MORGAGNI
P. P. P. P.
OPUSCULORUM
MISCELLANEORUM
PARS TERTIA.



NEAPOLI MDCCLXIII.
EXPENSIS DOMINICI TERRES,
TYPIS JOSEPHI RAYMUNDI,
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Vade, liber: si veneris unde, requirent
Æmiliæ, dices, de Regione viæ.

Martial. lib. 3. Epigr. 4.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS ET NOBILISSIMIS VIRIS

VEXILLIFERO

AC CÆTERIS FOROLIVII

CONSERVATORIBUS

OMNIQUE

SENATUI FOROLIVIENSI

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.



QUOD in extrema illa Epiſtola poſui, qua Adverſaria Anatomica Sexta Veſtris, PATRES ILLUSTRISSIMI, Deceſſoribus ante hos tres & quadraginta annos dedicavi, ſi bonorum omnium largitor DEUS vitam mihi, vireſque ſuffeciſſet, futurum fortaſſe olim qui me, nullis aliis ſubſidiis, quam labore, & diligentia, inſtructum, nonnihil tamen in Re Anatomica egiſſe, nec fuiſſe omnium poſtremum, exiſtimaret; id nunc relegens, gratus quidem agnoſco, ab Divina Beneficentia datum eſſe mihi virium ſatis, vitæ autem vel plus quam ſatis; an aliquid tamen dignum Civitate noſtra adhuc præſtiterim, neque ſcio, nec, ſi ſciam, dicere auſim. Hoc ſcio, nihil me unquam ne ſubſecivis quidem horis ab Anatomes ſtudio abſtraxiſſe, niſi forte aut Eruditis Amicis, alia interdum ex me

Digitized by Google

quærentibus, non reſpondere non poſſem, aut fervida æſtas a cadaveribus perſcrutandis avocaret. Quo anni tempore cum haud ſemel iſtuc ſecederem; ipſe me cariſſimæ Patriæ, & vicinarum Urbium aſpectus hortari videbatur, ut quidquid daretur otii in ulteriori earum rerum inveſtigatione conſumerem, quibus de rebus jam duas Patavii Epiſtolas ſcripſeram. Itaque duodecim alias apud Vos ſcripſi, vel potius fudi, ſperans, datum iri tempus recenſendi, ſiquando, uti conſtitueram, ad Vos redirem, ut ubi primos egiſſem annos, ibi poſtremos abſolverem. Nunc vero cum me, præter jam ſummam ſenectam, affectamque valetudinem, haud una, minime Vobis ignota, cauſa conſilium mutare coegerit; pro me Epiſtolas ſaltem ipſas ad Vos remitto, quales eæ cunque ſunt. Nam, præter unam, aut alteram, non relegi qui ſcirem, niſi iſtic perfici non poſſe, alia videlicet, atque alia, in quibus hæſitabam, cum de proximis, tum de noſtra præſertim Urbe perquirendo, & ſciſcitando. Sed Docti, & hiſtoriarum, ac locorum periti tum noſtrates, tum ex reliqua Æmilia Viri quod mihi non licuit, ipſi præſtabunt tanto, opinor, libentius, quod me cognoſcent nuſquam plus Patriæ, quam vero, quantum mihi notum eſſe potuit, tribuiſſe. Neque enim falſas laudes, ſed veras tribuere, ea demum germana in Patriam pietas eſt. Quam ſi in aliis etiam, quibuſcunque permiſſum eſt, rebus me & præſentem, & abſentem præſtitiſſe, perſpectum habetis; quæſo a Vobis, PATRES ILLUSTRISSIMI, ut extremum hoc grati, obſequioſique erga Vos animi teſtimonium, benigne accipere, & qua me ſemper Humanitate, eadem meos quoque poſteros complecti velitis. Valete.

D. Patavii Poſtridie Idus Octobris CIↃ IↃCC LXII.

Epi-

Digitized by Google

Epiſtolæ hæ quatuordecim Hiſtorico-Criticæ nunc primum prodeunt, Æmilianæ dictæ, non modo quia pleræque olim ſcriptæ fuerant in Æmilia; ſed & quia omnes ad Antiquitates & Geographiam attinent partis non modicæ illius Provinciæ, ſicuti ſubjecta hic ſingularum argumenta, & ſumma capita ſtatim oſtendent.

I. 

OVUS Accuſator Flavii Blondi ſuper Patria Cornelii Galli refellitur. artic. 1, *& ſeqq. Accuſatoris errores oſtenduntur.* 10, *& ſeqq. Inter hæc, de verſibus agitur, Gallo ſuppoſitis.* 12, *& ſeqq. Quo Lycoris tempore Antonium in Galliam ſecuta ſit.* 15. *Quo anno Gallus ſit natus.* 16. *Et cur Forojulienſis eſſe non potuiſſe videatur.* 17. *Lycoris quæ fuerit.* 18, *& ſeqq. De ea Ciceronis loci, & Plutarchi adverſus Interpretes quoſdam illuſtrantur.* 19, *& ſeqq. Galli genus quale.* 24.

II. *Scribendi hanc Epiſtolam cauſa.* 1. *Errant qui Bedeſim, & Vitim eundem amnem fuiſſe, putant.* 2. *De duobus Forolivienſium fluminibus uter Bedeſis fuerit, quomodo inquirendum.* 3. *Nec Polentani, nec Veneti Ravennam his fluviis cinxerunt.* 4. *Neque horum infra Ravennam confluentes Plinii tempore, & pluribus inſequentibus ſæculis eſſe potuerunt. Ibid. & ſeqq. Inter hæc, Agnelli Ravennatis duo loci emendandi, & errores quidam Cluverii indicantur.* 6. *Montonum fuiſſe Bedeſim Plinio, Ronchum autem Vitim, conjicitur.* 7. *Et circa hunc hallucinationes Alberti, Ferrarii, Baudrandi oſtenduntur. Ibid. Cur Plinius Montonum omiſiſſe videri poſſit.* 8. *Ronchum ipſi fuiſſe Vitim, confirmatur.* 9, *& ſeqq. Quæ inter, error Cluverii, & Aſſeclarum de antiqua Solona evidentiſſime retegitur.* 10. *Geographi plerique, & eorum Tabulæ in duobus illis fluviis graviter peccant.* 11. *Vitis in Plinio ſit legendum, an Utis.* 12, *& ſeq. Quod art.* 7. *conjectum fuerat, confirmatur.* 14, *& ſeq.*

III.

Digitized by Google

III. *Hujus, & ſequentium Epiſtolarum argumentum.* 1, *& ſeqq. De quinque fluviis in Ravennæ æſtuaria olim influentibus primum Padus conſideratur. Unus de Padi alveis per mediam Ravennam ferebatur, non tamen, ut quidam Interpretes Dantis credunt, hujus ætate.* 3. *Unde is alveus inciperet, & Auguſta, non anguſta, Foſſa dicendus.* 4. *Hujus amplitudo quomodo contracta, ut nulla jam ſit, non ſine errore Geographorum.* 5. 6. *Agnelli de hac Foſſa loci illuſtrantur.* 7, *& ſeqq. Inter hæc, quædam de porphyretico Theoderici ſepulchro ab Agnello tradita, cum poſterorum autem Scriptis difficile concilianda, attinguntur.* 10. *Et Butrium ubi fuerit, conjicitur.* 12.

IV. *De ſecundo, & tertio flumine agitur, Anemone, & Bedeſi. De Anemone errores quidam Geographorum indicantur.* 2. *Errant qui italice* Amone *credunt, non* Lamone *eſſe dicendum, & quomodo vox illa prima nata ſit.* 3. 4. *& unde alia Anemonis nomina. Ibid. Circa ejus finem errores Geographorum.* 5. *Bedeſis. In duobus amniculis ex quibus oritur, error in Dante intelligendo: tum errores alii in Tabulis Geographicis.* 6. *Quo primum tempore ſupra urbem fuerint unum in alveum corrivati.* 7, *& ſeqq. Et quales huic, & quando pontes impoſiti.* 10. *De antiqua utriuſque amniculi per urbem via, & quæ hinc conſequantur.* 11. *Agnelli loci qui ad Bedeſim videntur ſpectare, conſiderati.* 12. 13. *Alia de Bedeſi.* 14.

V. *De quarto, & quinto flumine, Viti, & Sapi. Vitis nomen confirmatur.* 1. *Ronchi nomen ab Roncho caſtello deductum: de ponte alio alio tempore illi impoſito: & vetus Inſcriptio ad pontem quomodo legenda.* 2. *Unde Aquæductus ſit etiam vocatus, inquiritur: ubi de Templo, & rure ejuſdem nominis.* 3. *An ab Aquæductu Theoderici.* 4. *aut Romanorum potius: ubi alia de Aquæductu Ravennate.* 5. *Quæ Galeatæ ad Theoderici Palatium, & Aquæductum ſpectare poſſent, quæſita.* 6. *In marmoribus ad Templum de quo art.* 3, *& haud ita procul ſitis, fruſtra quæ ad Aquæductum ſpectarent, quæſita: ubi & de columella ad illud Templum conſpicienda agitur, indicaturque quid fuerit, & cur gemina Inſcriptione litteris inter ſe adverſis inſculpta.* 7. *Boccaccii de Fluminibus locus expenditur, indeque aliquid contra Cluverium deducitur.* 8. *Aliorum errores in aliis Ronchi nominibus.* 9. *Sapis. De hoc recentium Geographorum errata*

Digitized by Google

errata, an ob versum Lucani. 10. *De eo versu plura. Ibid. & seqq. Inter hæc aliæ aliorum hallucinationes notatæ.* 11. 12: *ubi & de Crustumio oppido, apud Anastasium Bibliothecarium memorato. Sapis quo tempore a Classensi portu, si unquam tamen in eum influxit, aversus fuisse videatur.* 14, *& seqq.*

VI. *Ravennæ æstuaria quibus limitibus circumscriberentur ad mare præsertim, & primum orientem versus.* 1. *Classensis portus amplitudo, & auctor.* 2. *Num Plinius, ut plurimi ajunt, scripserit, Pharum portus hujus fuisse maximum omnium Rom. Imperii: & num sacra turris S. Mariæ in Portu is Pharus fuerit: cujus Templi qui conditores credantur, & quo tempore.* 3. *Classensis Phari fundamenta, quæ alibi reperta dicuntur.* 4. *Musivum opus, in quo is Pharus repræsentari creditus est, describitur. Classis oppidi, & Cæsareæ limites indicantur.* 5. *Classis oppidum cur exstructum: & quod usque ad tempus apud illud fuerit classis Romanorum.* 6, *& seqq. Inter hæc quæritur, ad quem de tribus Valentinianis Vegetius libros miserit de Re Militari; nisi potius ad Theodosium II. misit.* 7. *Classense oppidum ad quod usque tempus perstiterit.* 9. *De Cæsarea & via, & oppido.* 10. *De ponte Candiani, & num fluvius ullus fuerit eo nomine, isque aquis præsertim copiosissimis.* 11, *& seqq. Inter hæc, errores notantur Geographorum, aliorumque.* 12. 13. *Quis fluvius in veteri Inscriptione videatur intelligendus nomine Badrini.* 14, *& seqq. De Vatreno flumine, & quomodo legendus, accipiendusque sit Martialis locus.* 15. 16. *De Vatreni influxu in Padum non semel mutato.* 17.

VII. *De littore Ravennate ad occidentem.* 1. 2. *Considerantur quidam Agnelli loci* 3, *& seqq. De portu Ravennate.* 6, *& seqq. Qualis locus ubi Ravenna primum condita est: & quomodo, & qua de causa non ipsa a mari; sed mare ab ipsa recesserit:* 8, *& seqq. & quibus seculis.* 11. *Causæ mutationum portuum Ravennæ. Ibid., & seqq. Qualis Ravennam missa fuerit Inscriptio quæ sub Pontificis Statua insculperetur.* 18.

VIII. *Argumentum sequentium Epistolarum.* 1. *In Padi primis duobus alveis errores Geographorum.* 2. *& in Vatreno.* 3. *& in Silva Lucana.* 4. *De Cotignolæ oppidi Conditoribus. Ibid.*

Digitized by Google

Ibid. *Errata Geographorum in Anemone fluvio.* 5. *Mutiliana an Caſtrum Mutilum Livii.* 6, *& ſeqq.* *Antiqua Solona ubi perperam quæſita.* 9. *Ubi fortaſſe quærenda ſit.* 10. *Errores Geographorum in fluviis Forolivienſibus.* 11.

IX. *Forum Livii quando conditum.* 1. *Neque obſtat Strabonis, & Melæ ſilentium.* 2. *Quatenus Livia dictum ſit, ubi de duabus Inſcriptionibus.* 3. *Cur paucæ ſuperſint. In his duæ celebres ob adſcripta Conſulum nomina.* 4. *Conditum Forum inter amniculos duos.* 5. *Ejus antiqua tum longitudo, tum latitudo modica; ditio autem olim ampla.* 6. 7. *Cur ejus viæ quatuor majores vocentur Suburbia.* 8. *De pontibus, alteri amniculorum impoſitis, & reſtitutis cum Inſcriptione, quæ quomodo legenda.* 9. *Peculiarium nominum quibus ſingula Suburbia, & Portæ appellantur, cauſæ inquiruntur.* 10. *Portæ olim plures quatuor. Muri, foſſæ, & tres Arces quibus urbs muniretur, quando incipi, aut reſtitui potuiſſe videantur.* 11. *De urbis foro antiquo, & novo, hujuſque ornamentis, & de multis in urbe turribus.* 12. *Cœnobia quædam pro tempore exædificata.* 13. *Epiſcoporum quatuor Forolivienſium nomina indicantur, Epiſcoporum Catalogo, in quo deſunt, addenda.* 14. *Quomodo eorum Chronologia reddi exactior poſſit.* 15. *& Prætorum Forolivienſium ſæculo XIII. nomina ad duodecim noſci queant. Ibid.* *Cauſæ recenſentur, quare antiquiora Civitatis Documenta interciderint, incendia præſertim, quorum maxima ſuo quoque tempore indicantur. Ibid.*

X. *De Cornelio Gallo Poeta, & primo Ægypti Præfecto rurſus agitur, & primum quomodo diſtinguendus ab aliis qui cum eo confuſi fuerant.* 1. 2. *Geſta aliorum, perperam ipſi tributa, & vera ipſius diſtinguuntur.* 3, *& ſeqq.* *Credibilior ejus mortis cauſa.* 6. *& modus certus.* 7. *Ejus Scripta quæ ſuppoſita, quæ dubia, quæ certa, & hæc quod uſque ad tempus ſervata.* 8. 9. *Quo in pretio fuerit apud alios Poetas. Ibid. &* 10. *Ad ea quæ de Cytheride, & de tempore quo Antonium ſecuta ſit, in I. Epiſtola ſcripta ſunt, adjungenda.* 11. *Alia de Gallo tum dubia, tum certa.* 12. *In ejus Patria definienda difficultates.* 13. *Eorum qui Forojulienſem fuiſſe, contendunt, rationes, & ad has reſponſio.* 14, *& ſeqq.* *Inter hæc, de multiplici vocis Forojulienſis ſignificatione.* 17, *&* 18, 19.

plu-

Digitized by Google

plura de Foro Julii Narbonenſi. Ratio, cur Forolivienſis potius credendus ſit Gallus. 20. 21.

XI. *De Blondo primum agitur: ejuſque nomen Flavium fuiſſe, confirmatur, & quod nomen Avo fuerit, oſtenditur, unde quædam deducuntur. 1. Blondi probitas: & quidpiam quod in Recineti Epiſcopum dixit, de Deceſſore, non de optimo ejus Succeſſore Nicolao Haſteo, omnino eſſe intelligendum. 2. Scriptum quoddam Blondi, quod ineditum Oxonii extare dicitur, eſſe Italiam ejus Illuſtratam videri: Hujus, & Romæ Inſtauratæ libri quam difficiles ſcriptu, & quam utiles eo tempore. Ibid. Quot occupationibus diſtentus, illos, & Hiſtorias ſcripſerit: Quanti, & a quibus ejus Scripta, & diligentia fierent; non pari tamen æquitate ab aliis quibuſdam. 3. 4. Patriam non plus quam æquum eſſe videretur, amaſſe oſtenditur. 5. Ejus fides in illa quoque Inſcriptione defenditur, quæ attinet ad Rubiconem. 6. 7. Quid cenſendum ſit, quæritur de tegula quadam Forolivienſi, ad Sextum Rufum Hiſtoricum ſpectare credita. 8, & ſeqq. De Hieronymi Mercurialis Vita, Meritis, & Scriptis editis, & ineditis plura, & circa hæc, illamve non paucæ quorundam hallucinationes notatæ. 11, & ſeqq. De Jacobo a Turre, aliiſque Forolivienſibus Philoſophis, Medicis, &c. 16, & ſeqq. De Cardinalibus, & Epiſcopis. 12.*

XII. *Reditur ad fluvios Forolivienſes. Agitur de Viti, oppidiſque ipſi adjacentibus, notatis erroribus Geographorum. 1. 2. Galeatæ varia nomina, quam fuiſſe olim Municipium, Mevaniolam dictum, confirmatur. Ibid., & ſeqq. Errata Geographorum. 6. 7. Arcis Meldulenſis Inſcriptiones tum editæ notatis erroribus, tum ineditæ cum adnotationibus proponuntur. 7, & ſeqq.*

XIII. *Primum de Pineto Ravennate, tum de Foro Popilii, & Bertinorio verba fiunt, erroribus ſive Geographorum, ſive aliorum adnotatis. 1, & ſeqq. Inter hæc, de poſitu illius Fori, & vicinarum urbium ſcribitur. 3. & de antiqui Ravennatis Anonymi Coſmographia. 4. tum de Inſcriptione, perperam ad Forum Popilii ſpectare credita. 5. Bertinorii priſcum nomen aliter ab aliis propoſitum. 7. 8. Nomen Petræ Honorii, illi datum, in quam gravem errorem quoſdam olim, & nuper induxerit. 9, & ſeqq.*

Digitized by Google

XIV. *Denique de Sapi fluvio, adjectiſque ipſi urbibus ſermo habetur, & primum de Sarſina. 1, & ſeqq. ubi errata notantur tum in ejus nomine ſcribendo, tum in ipſo, & Bobio intelligendo. Quid Sapina Tribus. 5. Cæſenæ nomen, erroreſque circa ipſum. 6. Cur dicta Curva, & Flavia Papia. 7. 8. De vinis Cæſenaribus. 9. Cervia nec pervetuſta, nec tamen valde recens urbs eſt. 11. 12. Quid locus fuerit dictus Ad Novas, & de vico ad Portum Cæſenatem. 13, & ſeqq. Ubi & dubitationes quædam ſuper controverſia de vero Antiquorum Rubicone. 15, & ſeqq.*

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA ÆMILIANA I.

Joannes Baptiſta Morgagnus Georgio Viviano Marcheſio Equiti, Viro Clariſſimo atque Eruditiſſimo S. P. D.



Xpectanti mihi jam diu certum hominem, per quem *Eruditas* E. M. A. G. *Epiſtolas*, ut Amici Auctoris a me petierant, ejus nomine ad Te mitterem, ſero, atque adeo tertio ante hunc factum eſt die, ut librum ipſum in faſciculum complicanti in oculos forte incurreret nomen, quod in illarum poſtrema crebro repetitum eſt, noſtræ Civitatis. Chartas explico, attente inſpicio, paginam unam, aut alteram perlego. Quid quæris? Dicam grandem invenio impactam Blondo noſtro, quod in iis qui *Italiæ Illuſtratæ* inſcribuntur, libris Cornelium Gallum fuiſſe docuerit Forolivienſem. Ea me res tamen vix mediocriter affeciſſet, niſi iis verbis actam vidiſſem, quæ non opinionem, ſed fidem Blondi, tanquam in manifeſta fraude, atque fallaciis deprehenſi, vehementer etiam atque etiam incuſarent. Nam civis noſter fuerit, an non fuerit Gallus, vos Hiſtorici videritis; nos in re iſtiuſmodi, nec primum modo, aut nudiuſtertius controverſa, utrum ſtatueritis, haud ita ægre laturi ſumus. Blondum vero, quem noſtrum fuiſſe quiſquam, quod ſciam nec unquam negavit, neque ullo modo negare poteſt, quis eripi nobis, æquo animo patiatur? Eripitur autem, cum ſciens in hiſtoriis eſſe mentitus, cum fucum omnibus facere voluiſſe, cum dolo malo codices Bibliothecæ Vaticanæ corrupiſſe dicitur, ut fallacias iſtas ſuas, atque mendacia comprobaret. Quis enim, obſecro, eſt Blondus? Hiſtoricus certe eſt, Hiſtoriæque Inſtaurator nobiliſſimus. Quis eſt autem Hiſtoricus? Nonne is, cui ſi fidem adimas, nihil omnino, niſi infamiam, relinquas? *Mendaci* enim *homini*, quod ait Tullius (1), *ne verum quidem dicenti credere ſolemus*. Nobis igitur Blondum eripit qui talia de Blondo affirmare, atque inculcare non dubitat. Neque modo ſummi Hiſtorici gloriam eripit; mendacis, & flagitioſi nebulonis, ſi Superis placet, ignominiam relinquit.

2. Multa ſane, ac varia de Blondo multorum judicia collegit Blountius (2). In iis tamen nemo unus eſt, qui fallacem hominis animum diſerte arguat, & iſtiuſmodi facinora objiciat. Non *deſunt*, inquit,

[1] De Divinat. l. 2. [2] Cenſura Cel. Author. pag. 465.

Digitized by Google

inquit, quod te non fugit, Sabinus, *qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant*. Num ab sciente, & per fraudem simulante? Nihil ejusmodi. Imo qui libere se loqui, profitetur, Gisanius *Omnia*, inquit, *ut libere dicam quæ sentio, meliore fide tradidit, quam eventu: ut pote is, qui nonnulla, quibus ea perquirenda dederat, temere crediderit. Nam per se omnia videre potuisse, absurdum est credere: cum nec ex autore uno, sed pene innumeris, atque illis ipsis ambiguis & variantibus, multa quærenda essent.*

3. At enim Eusebii codices minime variant; sed *omnes*, quod se ostendisse, ait Epistolæ Auctor, *omnes*, inquam, sive typis, sive calamo exarati in eo conveniunt, ut *Forojulienſem* Gallum habeant. Impositit igitur nobis Blondus, cum *Forolivienſem* Eusebio dici, affirmavit. Verum, ut typis exscriptos Eusebii codices, quos Blondus (id quod ostendemus infra (*)) videre non potuit, seponamus; qua tandem ratione demonstrare Accusator queat, in nullo eorum qui calamo scripti sunt, *Forolivienſem* legi? cum tu, Vir Cl. (1), in optimo illo qui Cæsenæ in celeberrima, vetustaque Bibliotheca asservatur, inveneris *Forolivien.* idemque luculenter scriptum viderit Parens tuus Vir Præstantissimus, & de patria historia non secus ac tu, egregie meritus (2), in aliis præterea duodecim, antiquis omnibus, aliis alio tempore, ub aliisque Scriptoribus exaratis, quos Romæ inspexit, sex quidem in Bibliotheca Vaticana, duos in Urbinate, quatuor in Palatina, præter eos quos in Parisiensi, in aliisque scriptos extare, indicaverat Præsul, & J. C. Eruditissimus Peregrinus Maserius (3). Quorum codicum etsi nullus extaret; non tamen hinc fieret, quin eorum qui Blondi temporibus extare potuerunt, & quibus ipse potissimum usus sit, plures ad istum ipsum modum se habuerint. Quinimo si omnes aliter se habuissent; tunc rogatus Blondus esset ab Doctis omnibus, ut exemplaria proferret quorum auctoritate id docuisset; ipsi vero nullum quod ostenderet, in promptu fuisset: quod Virum prudentissimum non vidisse, aut si ipse non vidisset, ne Doctos quidem cæteros homines jam tum continuo visuros fuisse, quis adduci possit, ut credat?

4. Quid? quod indicia minime desunt, Eruditos homines ante Blondum nostrum in Eusebii scriptis idem legisse. Ne longius quæram; bina in tuis probatissimis Libris (4) invenio. Alterum, a Francisco Petrarcha, ut tute in emendatissima ejus Editione animadvertisti, Gallum dictum esse *Forolivienſem*. Alterum, *Forolivienſem* quoque fuisse appellatum in Chronico quod Ferrariæ extat, Auctore quidem incognito, sed anno 1304. scribendi finem faciente. Tertium vero indicium ipse nobis Accusator suggerit, *Forolivienſem* item legi in Guilelmi Pastrengi libello, Venetiis quidem typis edito, sed Petrarchæ temporibus scripto. Nam quod ille subjicit, nullam ei libello habendam fidem propterea quia gravissimis scateat mendis; profecto id minime efficit, ut is ipse, de quo disceptatur, locus in mendo cubet.

5. Sed faciamus (quod facile tamen non est faciendum) faciamus, inquam, eorum culpa qui sive typis, sive calamo Pastrengum, Petrarcham, & incognitum illum Auctorem descripsere, *Forolivienſem* esse scriptum qui scribi debuerat *Forojulienſis*, perfacili sane, sed in utramque tamen partem, errore; quem haud semel accidisse, non unus animadvertit, & Accusator non ignorat; num forte ante Blondi ætatem eundem homines errorem admittere non potuerunt? At si potuerunt; qui fieri igitur possit, ut constet, omnes Blondi tempestate Eusebii codices *Forojulienſem* habuisse? Hoc vero nisi liquido constet; neque illud sane constare potest, Blondum quidem sic inveniſſe; sed *primum*, quod Accusator affirmat, ex *Forojulienſi Forolivienſem* Gallum feciſſe, in eumque finem Eusebii scripturam manifesto adulteraviſſe.

6. Sed tam gravis in talem Virum editæ accusationis, atque adeo condemnationis quænam præterea sunt argumenta? Enimvero hæc, tanquam ejus *fraudis indicia* certissima, sive ut diserte vocantur, *infallibilia*, adjiciuntur. Romæ in Ottoboni Cardinalis Amplissimi Bibliotheca calamo

[*] n. 7. [1] Vit. Viror. Illustr. Foroliv. l. 2. c. 5. [2] Supplem. Hist. di Forlì l. 2.
[3] Ibid. [4] Vit. cit. c. eod. 5.

Digitized by Google

lamo exaratos Eusebii codices habere *Forojulienſis* : quoſdam autem in Vaticana qui poſt Blondi ætatem ſunt ſcripti , binoſque item antiquiores habere *Forolivienſis* , in quibus tamen perſpicue apparet , vocem abraſam fuiſſe *Foroiulienſis* , ut littera L. alium in locum transferretur , & *Forolivienſis* legeretur. Hoc vero , inquit Accuſator , a Blondo , ut qui apud Pium II. Pontificem gratia florebat , *malitioſe* factum eſt ; infeliciter tamen : nam qui ut omnibus imponeret , omnia Euſebii ſive typis , ſive calamo ſcripta exemplaria corrumpere magna cum cura debuiſſet ; is ne in paucis quidem codicibus adulterandis ea uti potuit induſtria , ut in his ipſis *pravæ ſuæ voluntatis* , *auſique minime laudandi* veſtigia non relinqueret.

7. Permirum tibi videri , non dubito , hæc Erudito Viro excidiſſe . Neque id eo dico , quod nihil attinebat typis exſcripta Euſebiani codicis exemplaria hoc loco memorare , quæ non niſi circa annum 1475. (hoc eſt a Blondi obitu qui in annum incidit 1463. (1) , duodecimum) primum exiiſſe , Vir docet cum in aliis , tum præſertim in rebus ejuſmodi verſatiſſimus Joannes Albertus Fabricius (2) . Neque vero dico propterea quod a veri ſimilitudine alienum eſt , Blondo qui jam diu apud tres Pii Deceſſores eodem loco fuiſſet , non niſi poſtremis iis annis in mentem veniſſe , ut Pontificios vitiaret codices , nec potius ante , quam ex auctoritate Euſebii ſcriberet *Italiæ Illuſtratæ Regione VI.* Gallum fuiſſe Forolivienſem : hoc enim octo annis ante ſcripſiſſe , quam Pius Pontifex crearetur , qui anno eſt creatus 1458. non unus ejuſdem *Italiæ Illuſtratæ* locus indicat , ſed hi in primis duo , quorum alter *Regione III.* eſt , alter IX. Hic Veneti , inquit , *Veronam annos jam XLV. obtinent* , qua quidem anno 1405. eſſe potitos , ex ipſis Venetorum Hiſtoriis conſtat . In illo autem altero loco , *quartum præſenti anno celebratur Jubileus* , quem nemo neſcit anno 1450. fuiſſe celebratum . Quid ergo potiſſimum mirandum eſt ? Illud nimirum , quod in ejuſmodi in tantum præſertim Virum criminatione nihil penſi videtur habuiſſe Accuſator , ut quæreret ; certe nihil habuit , ut lectores doceret ; præter illos , quos dixit , duos , num ſint alii in Bibliotheca Vaticana Euſebii codices Blondo antiquiores , & qua in his ratione locus quo de agitur , ſcriptus ſit : num duo illi , Blondi ætate , qua Bibliotheca Vaticana longe minus libris inſtructa erat , in ea fuerint ; an poſtea , cum magnæ factæ ſunt acceſſiones , & unde illati : num ea tantum vox in iis codicibus , an aliæ quoque ; hæ autem eodem , an alio modo reſcriptæ inveniantur : præſertim vero ea mutatio num Blondi ætate recentior , an vetuſtior eſſe videatur quod poſtremum , ſi haud facile conſtitui poſſe , exiſtimet ; multo difficilius eſſe , fateatur , id conſtituere quod ipſe tamen ſine ulla dubitatione conſtituit , illam ſive doctæ manus emendationem , ſive imperitæ depravationem , Blondi malitioſæ calliditati eſſe imputandam : quanquam cujus fuiſſet calliditatis flagitium tantum ſic admittere , ut qua re inauditum antea , ut Accuſator contendit , mendacium ſtatim atque propoſitum foret , tuendum eſſet , ea ipſa re mendacium magis eo quidem tempore ſe proderet ?

8. Nam quod ait , ingenioſiſſimos , præſtantiſſimoſque homines facile ſuperbia obcæcati , ut nonnunquam audeant quæ nemo præter ipſos auderet , idque ad Blondum transferre non dubitat ; in hoc vero cogor perſpectam alibi ejus æquitatem deſiderare . Cum enim ex eo quem libello adjecit , Indice ſupra defendiſſe Triſſinum viderem ; inſpicere placuit , num ſuis æque ac alienis , infenſus foret . Hæc igitur inter alia inveni , Triſſinum quiddam , ſi minime verum eſſet , ſcripturum non fuiſſe ; neque enim tantum Virum decere potuiſſe id ſcribere in quo mendacii convinci poſſet : aliquot autem ante paginis , *præſumptionibus non eſſe judicandum , ſed clariſſimis argumentis , & probationibus l. fin. C. de probat.* Merito quidem , & recte hæc omnia . Illud non recte , quod pro Vicetino valeant , pro Forolivienſi non valeant : pro illo valeant , ne cujuſdam inventi laudem amittat ; pro hoc non valeant , ut flagitii turpiſſimi , & ab ejus genere , dignitate ,

[1] Ibid. c. 4. [2] Confer Biblioth. Græc. Tom. 6. & Biblioth. Eccleſiaſt. in cap. 81. Hieron. de Vir. Illuſtr.

Digitized by Google

tate, moribus omnino abhorrentis, damnetur.

9. Quid enim magis alienum ab homine (1) vetusta atque inclyta stirpe nato, & cujus fidem ita Patria spectatam habebat, ut adolescentem adhuc Mediolanum ad publica tractanda negotia legaverit; ita autem Prudentissima Venetorum Respublica, ut suos inter cives, atque Administros retulerit; ita Eugenius IV. Pont. Max. ut ad eandem, & Florentinam Rempublicam gravissimis de rebus legatum miserit, & sibi ad vitæ usque exitum a secretis habuerit; ita porro deinceps Nicolaus V. Callistus III. Pius II. ut hoc idem omnes tantum, & tam circumspiciendum Munus eidem concredere non dubitaverint; ita demum quicunque cum eo vixerant, ejusque integerrimos perspexerant mores, ut eo jam mortuo, tum videlicet cum liberiora hominum sunt judicia, vitam ejus Campanus vitæ Catonis esse crediderit comparandam. Quid, inquam, magis alienum ab ejusmodi homine qui toto longissimæ vitæ spatio tot, tam variis, tamque perspicacibus Dominis in ejus generis officiis atque negotiis fidem semper probavit suam, quam per fraudem, atque fallacias universis hominibus in historia imponere, ejusque rei gratia sanctissimæ Bibliothecæ codices adulterare?

10. Quid ergo est? Accusatorem, qui non minori hæc asseveratione affirmat, & toties inculcat, ac si intimis Blondi cogitationibus interfuisset, codicesque adulterantem vidisset, ipsum, inquam, Accusatorem facile sensurum fuisse, existimo, quantum hæc ejus criminatio a veri similitudine abhorreret, & quanto gravioribus opus fuisset argumentis ad talis tantique Viri famam, existimationemque honestissimam labefactandam, si aliquanto magis quam videtur feciſſe, ad ea quæ in istam conjiciebat Epistolam, attendere animum voluisset. Quod ne temere, aut rem aledicendi voluntate, a qua longissime absum, dixisse me, putes; quæso a te, ut saltem Dionem Cassium gravissimum Historicum in manus sumas, & quæ de Cornelio Gallo scripsit, attente relegas, tum vero cum his ea quæ de eodem Gallo in illa affirmantur Epistola, conferas.

11. Hunc igitur se interemisse *tertio & quadragesimo suæ ætatis anno*, affirmatur traditum *etiam ab Dione*, *& Ammiano Marcellino*. Verum cur neutrius testimonia proferuntur, aut loci indicantur? præsertim cum Vossii, cum Gyraldi, cum Criniti, cum Jacobi Philippi Bergomensis, cum Joannis Jacobi Hoffmanni solicite indicentur, & proferantur, qui ætate, & auctoritate tanto inferiores sunt Marcellino, multoque magis Dione, qui Eusebium ipsum antecessit, quem tamen Auctorem hi juniores, fere omnes, ad Galli annos *historiarum lumine illustrandos* producti, unum videntur exscripsisse. Quid quæris? Nihil quidquam de Galli annis invenio, mitto apud Marcellinum, qui ejus mortem sic in transitu attingit (2), sed ne apud Dionem quidem, ex instituto de hac scribentem (3). Quid ergo Auctori Epistolæ imposuit? Quantum ex iis quæ alio in loco affert, conjicio, verba imposuerunt Lil. Greg. Gyraldi, in eandem sententiam tradentis, Gallum *tertio & quadragesimo suæ ætatis anno sua sibimet manu*, *teste Dione*, *Eusebio*, *& Ammiano*, *mortem accersiisse*. Verum hos quos ipse quoque laudare voluit Auctores, si attente, ut par erat, diligenterque inspexisset; Gallum sibi quidem manus attulisse, ab his omnibus traditum vidisset, quo autem vitæ anno, hoc vero neque ab Dione, neque ab Ammiano traditum invenisset, gravemque hunc Gyraldi errorem (si tamen ipsius Gyraldi est; neque enim sic legitur in editissima, eademque accuratissima ejus Editione) convincere multo facilius potuisset, quam aliquanto leviorem alterum, quem paulo infra convincere magno labore conatus est.

12. Nimirum Gyraldus *a plerisque credi*, scripserat; non ipse affirmate asseveraverat; credi, inquam, Galli id epigramma, quod *de Virgilii morte ad Augustum legitur*,

Temporibus lætis tristamur, maxime Cæsar,
Hoc uno amisso, quem fleo, Virgilium &c.

Auctor vero Epistolæ, ut Galli non esse, evin-

[1] Vit. Supra laud. l. 2. c. 4. [2] Rer. Gestar. l. 17. [3] Rom. Hist. l. 53.

Digitized by Google

evincat, ſibi chronologicis accurate ſubductis rationibus conſtituendum exiſtimat, quo Virgilius anno, & quo item Gallus deſierint vivere. Sed ut quærere omittam, utrum in poſtremo hoc anno conſtituendo ſibi ſatis ipſe conſtiterit, qui infra conjici tantum, non conſtitui hunc poſſe, fateatur propterea quod ob variantes Chronologorum opiniones incertus ſit; ſane multo expeditius fuiſſet commemorare, Dionem (1), qui Galli mortem proponit *Auguſto VIII. Statilio Tauro Conſulibus*, eundem triennio poſt, ſive *Auguſto XI. Conſule cum Calpurnio Piſone*, mortem proponere, & nobile funus Marcelli, Octaviæ filii, quarum rerum Virgilium (2) quoque luculentam videmus mentionem feciſſe, & quod conſequitur, Gallo ſuperſtitem fuiſſe. Aut ſi ne hoc quidem ſatis expeditum videretur; mirum certe eſt, multo expeditiſſimam ejus epigrammatis Gallo abjudicandi rationem Auctorem Epiſtolæ non attendiſſe, qui ſemel, iterum, ſæpius ex multorum, ſed ex Donati præſertim auctoritate, cui Servii (3) quoque auctoritas addi potuiſſet, inculcaverit, quartum Georgicorum librum, quà a medio uſque ad finem laudes Galli continebat, jubente poſtea Auguſto, fuiſſe a Virgilio in Ariſtæi fabulam commutatum.

Cur enim id juſſit Auguſtus? Nimirum quia Gallo, ut Veteres illi indicant, & Auctor fatetur, Auguſtus ex amico jam factus erat inimicus, quæ & mox Gallo cauſa moriendi fuerat. Quid igitur aut jam mortuus de Virgilii obitu, aut inter inimicos habitus, amice ad Auguſtum ſcribere potuiſſet, ac cætera quidem læta, id ſibi unum triſte accidiſſe, ſignificare, quod Virgilius migraſſet e vita?

13. In ea quoque Elegia quæ nomine inſcripta Cornelii Galli ab juniore Aldo edita eſt, perlegenda, & cum Dione, aliiſque Hiſtoricis conferenda ſi paulum modo attentum animum adhibuiſſet; Galli eſſe illam poſſe, nullo modo judicaſſet. Nam primum omnium, ipſum Elegiæ repugnat initium, quod ne exſcribere quidem poſſum, quin continuo fucum ſentiam, & alterius, unde ſumptum eſt, initii, Epiſtolæ videlicet M. Cœlii (4), veniat in mentem. Sic enim ea incipit Epiſtola, *Tanti non fuit Arſacen capere, Seleuciam expugnare;* Elegia autem ſic,

Non fuit Arſacidum tanti expugnare Seleucen,
Italaque ultori ſigna referre Jovi:

At vero annis aliquot poſt Galli mortem interjectis, hoc eſt *M. Apulejo, P. Silio Conſulibus*, tum demum a Dione (5) de ſignis ſcribitur a Parthis ad Auguſtum remiſſis; remiſſis, inquam, non per bellum unquam, aut *expugnationem* relatis; imo Parthorum Rege *verito, ne bello ab Auguſto impeteretur*, Auguſto autem *hanc rem magnæ ſibi laudi ducente, quod præliis prius amiſſas res citra ullum certamen recepiſſet.*

14. Neque magis cætera conveniunt quæ in eadem Elegia memorantur,

Pingit & Euphratis currentes mollius undas,
Victriceſque Aquilas ſub Duce Ventidio.
Qui nunc Craſſorum manes, direptaque ſigna
Vindicat Auguſti Cæſaris auſpiciis.
Parthe tumens animis, & noſtra clade ſuperbe,
Hic quoque Romano ſtratus ab hoſte jaces.

Quæro hic, ecquando Ventidius *Auguſti auſpicis* Patthos profligaverit? Neque enim tum dici poteſt, cum aut Labieno, aut Pharnapate, aut Pacoro ipſos cientibus, aut ducentibus, profligavit. Nam tunc Ventidius, homo Antonianarum ſemper partium, ideoque cum M. Antonio a Ciceronе (quem Romæ comprehendere voluiſſet, docet Appianus (6)) in Philippicis (7) proſciſſus, & ab Senatu hoſtis eo tempore judicatus (8), deinde vero auſus Cæſaris, tunc Triumviri, milites Alpium tranſitu prohibere (9), & a Planco deſertos Antonianos poſt Peruſiam captam colligere (10), tum, inquam, in Antonii ejuſdem provincia, atque adeo, ut diſerte in

[1] Ibid. [2] Æneid. l. 6. [3] Comment. in Bucol. Virgil. Eclog. 10.
[4] inter Familiar. Cicer. l. 8. Epiſt. 14. [5] Rom. Hiſt. l. 54.
[6] De Bell. Civ. l. 3. [7] XII. XIII. XIV. [8] Vid. A. Gell. Noct. Attic. l. 15. c. 4.
[9] Vid. Dion. l. 48. [10] Vid. Appian. de Bell. Civ. l. 5.

Digitized by Google

in Liviana Epitome (1), & L. Flori (2) libris, & Appiani (3) positum est, *Antonii legatus*, hujus, non Cæsaris, auspiciis Parthos superavit; quamobrem Antonio, non Cæsari, ob eas Ventidii victorias decretas esse supplicationes, & triumphum, ab Dione (4) traditum est. Reliquum est igitur, ut quis dicat, mortuo Antonio, Cæsare autem (quod versus iste significat) Augusti appellatione ornato, novam hanc Ventidium, Seleucia expugnata, relatisque Crassi, & Antonii signis de Parthis victoriam reportasse. Verum, ut Dione etiam sepositio, Paterculum (5), Plutarchum, (6) Justinum (7), Appianum (8), A. Gellium (9), Julium Frontinum (10), L. Florum (11), Sext. Ruffum (12), Orosium (13), Eutropium (14), atque alios, quos sciens prætereo, inspiciamus qui de Ventidio mentionem fecere, ut prima illa prælia commemorari videmus, sic de hoc postremo nihil invenimus; sed ne invenire quidem possumus, cum de signis ab Rege Parthorum, non vi, & præliis, imo potius belli metu compulso, ad Augustum remissis, ab Dione cæteri, quos nos quidem legisse meminimus, Historici non dissentiant. Quod si id inveniri etiam posset; nihil tamen ad Gallum. Elegia ista pertineret, quippe qui ab Antonii morte Ægypto præfuit; non sub Ventidio militavit, quod de se indicat, vel potius fingit quicumque Elegiæ auctor est, parum, ni pessime fallor, in Romana Historia versatus, qui istam Gallo Elegiam supposuit.

15. Et tamen hæc quæ de Ventidio in ista attinguntur, non dubitat Epistolæ Auctor iis ipsis convenire temporibus quibus Gallus Lycoridem maxime deperibat: quæ tempora cum ea nimirum sint quæ Virgilius X. Ecloga designavit,

— *indigno cum Gallus amore periret;*

certe si eam ipse attente Eclogam perlegisset; non id facile censuisset. Nam etsi ejus initium, & finis Eclogæ post alias omnes, atque ideo post C. Asinii Pollionis Consulatum, cujus quarta meminit, scriptam significant; tamen quibus de temporibus in ipsa agatur, satis illa erudito homini indicant,

Galle, quid insanis? inquit, tua cura Lycoris
Perque nives alium, perque horrida castra secuta est,

itemque illa, quæ cum proximis *versus Galli esse de ipsius translatos carminibus*, in Commentario Servius docet,

Alpinas ah dura nives, & frigora Rheni
Me sine sola vides: ah te ne frigora lædant.
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

Quæ sicuti cum proximis versibus poeticum simul & amatorium Galli ingenium longe melius, fideliusque nobis exhibent, quam quæ sub ejus nomine circumferuntur; ita iis temporibus ostendunt (mitto, num Lycoris, quod Elegia ista obtrudit, *desiderio curaque* Galli ægrotaret) num quidquam negotii Parthis cum Ventidio esse posset. Cur enim istum *alium*, de quo Virgilius, testatur Servius, fuisse *Antonium euntem ad Gallias*; nullum poterit isti rei tempus aptius inveniri, quam cum Antonius Quæstor creatus, ad Julium Cæsarem in Galliam ulteriorem ab Urbe reversus est: quo de reditu hæc in Ciceronis Philippica II. *Quæstor es factus: deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi: id enim unum in terris egestati, æri alieno, nequitiæ, perditis vitæ rationibus perfugium esse, ducebas.* Nam quo primum tempore in Galliam Antonius ad Cæsarem iverat, non ex Urbe, se *ex Ægypto* (quod eadem Philippica docet) profectus erat. Ex quo autem Romam venerat e Gallia ad Quæsturam petendam, hujusque voti compos factus, ad Cæsarem redierat, inde Romam nisi confecto bello Gallico, reversum non esse, ex duobus postremis de Bello hoc libris intelligitur, ex quibus cum in Alesiæ

[1] l. 127. & 128. [2] De Gest. Rom. l. 4. c. 9. [3] l. de Bell. Parth.
[4] l. 48. & 49. [5] Hist. l. 2. c. 78. [6] in Anton.
[7] Epit. l. 42. c. 4. [8] l. cit. [9] c. 4. cit.
[10] Strategm. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 2, & 5. [11] c. cit.
[12] De Hist. Rom. [13] Hist. l. 6. c. 16. [14] Hist. Rom. l. 7.

Digitized by Google

siæ obsidione, tum deinceps in proximis hibernis, annoque insequenti in vastandis Eburonum finibus, in Bellovacis in officio continendis, denique rursus in hibernis usque ad Comii Atrebatis deditionem, quod ultimum Gallici belli opus fuit, fideli, & assidua Antonii opera esse usum Cæsarem, cognoscimus. Porro annus in quem incidit Alesiæ obsidio, is fuit, quod libri VII. initium ostendit, quo propter P. Clodii cædem Cn. Pompejus Magnus Consul. III. creatus est: paulo autem ante eam cædem Antonium Romæ Quæsturam petiisse, ex laudatæ Philippicæ duobus locis perspicue apparet, si cum ejus Orationis loco quam Tullius edidit pro Milone, conjungantur. In hac enim legimus, *nuper* a M. Antonio eundem quem Milo tunc occiderat, Clodium *nuper*, inquam, eo compulsum fuisse, ut *se*, *fugiens*, *in scalarum tenebras abderet*. In illa vero, *eum tu*, M. Antoni, Clodium *in foro*, *spectante populo R. gladio stricto insecutus es*, *negotiumque transegisses*, *nisi ille se sub scalas tabernæ librariæ conjecisset*: deinde, aliquot interjectis paginis, *tu a me observatus in petitione quæsturæ: quo quidem tempore P. Clodium*, *approbante populo R. in foro es conatus occidere.*

16. Noli mirari quod fusius hæc persequar, Vir Cl. Neque enim eo dumtaxat pertinent, ut intelligatur, ubi fuerit, & quid egerit Antonius isto temporis intervallo quod Plutarchus in ejus Vita transilivit, aut (quod ad susceptum sermonem attinet) quo Gallus tempore maxime Lycoridem deperibat, eo tempore nihil Ventidio cum Parthis fuisse, quorum hi tunc ferme Crassos cæciderunt, & Romana signa, ademerunt, Ventidius autem, ut Gellius (1) docet, cum Julio Cæsare in Galliis est versatus. Sed eo etiam pertinent, ut magis magisque suspicemur, Gallum, cum se ipse interfecit, aliquanto majorem natu fuisse, quam plerique existimant, & Epistolæ Auctor contendit. Ab eo namque anno quo Pompejus Consul III. fuit, numerandi initio facto, fine autem in eo quo Consul VIII. fuit Augustus, quo nimirum tempore Galli mortem ab Dione proponi, supra memoratum est; anni certe sunt septem & viginti. Hos igitur si de tribus & quadraginta, quam Gallo ætatem tribuunt, detrahamus; relinquetur nempe, ut natus annos circiter sexdecim, non modo jam totus esset in amoribus, horumque causa usque adeo insaniret; sed, quod multo minus credibile est, tantum poeticis studiis jam excelleret, *ut divinus poeta* a Virgilio ipso vocari posset, atque Apollo induci qui cum illo colloqueretur. Quæ atque alia ejusdemmodi siquis forte malit sic intelligere, ut illi conveniant tempori quo Virgilius scripsit, non tempori isti de quo scripsit; haud satis scio, quantum in omnibus id liceat, præsertim cum Gallus isto ipso tempore sic loquens inducatur,

Ibo & Chalcidica quæ sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.

Verum hæc satis sit attigisse, cum Veterum nemo, ut supra ostendimus, proferatur qui Galli ætatem definiverit præter Eusebium; hujus autem exemplaria, quod Auctor Epistolæ confitetur, inter se non consentiant, eaque fortasse causa fuerit, quod alii XLIIII. alii LXIII. plerique XLIII. annos tribuant: quibus tamen in numeris describendis quam facile potuerint librarii peccare, frequentissimi eorum in ejusmodi rebus errores demonstrant.

17. Quanquam sive major, sive minor placeat istorum numerorum, cum major eo nos ducat, ut Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone Coss. minor vero, ut Q. Hortensio, Q. Cæcilio Metello Coss. natum Gallum inveniamus, Julius autem Cæsar non nisi post Consulatum suum Primum, hoc est undecimo post hos, ano & tricesimo post illos Consules anno, in Galliis, & Illyrico cum imperio fuerit; apparet certe, planius fuisse declarandum ab iis qui Com. Gallum, non *Forolivienſem*, sed *Forojulienſem* maluerunt, quid sibi vellent, aut qua ratione rem intelligerent; ab iis, inquam, qui cum Auctore Epistolæ

[1] Supra cit. l. 15. c. 4.

Digitized by Google

læ confitentur, *utrumque Forum Julii ab Julio Cæsare fuisse fundatum*. Sed hæc tu melius persequi poteris, Vir Cl. atque item quærere, an *Gallus Cornelius*, quem Asinius Pollio, in litteris ad M. Tullium (1), *familiarem suum* dicit; & quem Sebastianus Corradus, ac Bernardinus Rutilius Cornelium Gallum fuisse, putant (2) de quo Asinius idem in litteris superioribus, *quod familiarem meum in tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius est: invideo illi tamen, quod ambulat, & jocatur tecum;* quærere, inquam, poteris, an Poeta is fuerit, de quo in præsentia sermo est: certe nec tempora prohibent, & doctissimis hominibus ejusmodi Virorum amicitiæ conveniant.

18. Jam enim mihi, his omissis, illud vicissim ostendendum est, quam alia, atque alia, in proposita Elegia ei non conveniant Lycoridi quam Gallus adamabat. Nam hæc certe, quod Servius docet suis tum in laudatam Virgilii Eclogam X. tum in VI. Commentariis, in Theatro cantabat, nec secus atque Origo, & Arbuscula, quæ nobiles eodem tempore meretrices erant, & mimæ, ipsa quoque scortum, & mima erat, Cytheridis cognomine in Urbe, & per Italiam notissima. Erat eadem præterea, quod ibidem tradidit Servius, Volumnii liberta, illius, opinor, Volumnii, ad quem, & de quo nonnullæ extant Ciceronis Epistolæ, illa in primis quæ huc maxime pertinet, ad Papirium Pætum (3). *Accubueram hora nona. Dices ubi? Apud Volumnium Eutrapelum: & quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares mei. Miraris, tam exhilaratam esse severitatem nostram? — Audi reliqua. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. In eo igitur, inquis, convivio Cicero ille, Quem adspectabant, cujus ab ore Græci ora avertebant sua? Non me hercule suspicatus eram, illam affore: sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, quum esset objectum, habere eum Laida. Habeo, inquit, non habeor a Laide.* Hunc Volumnium ipsum quoque mimum fuisse, inveniemus, si cum Petro Victorio (4) eundem esse, censebimus, quem in Philippis captum in Antonii, & Cæsaris castris, Bruti milites occiderunt. Sic enim de eo Plutarchus (5), *Inter hos viri quidam erant Volumnius mimus, & Sacculio histrio captivi.* Sane intimum fuisse Antonio, cum propter Cytheridem verisimile est, tum vero ex M. Tullio satis constat sive in Philippicis, ut mox apparebit, sive ubi ad Atticum scribit (6), *Quod autem aditus* ad Antonium *difficilior esse dicitur; scripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas litteras redderet.* Neque est cur miretur aliquis, M. Tullium apud mimum accubuisse, aut ad mimum ejusmodi Epistolas, quales in extremo libro septimo (7) videmus, scripsisse. Nam & mimus esse potuit litteris instructus, salibus vero etiam magis debuit, & iis temporibus quibus id factum, scriptumque in parte per se ipsæ Epistolæ ostendunt, Volumnii Amicis qui tum sane plurimum poterant, ipsique propterea Volumnio Cicero blandiebatur, aliter post cædem Julii Cæsaris, & in illa rerum Antonii inclinatione sentiens, alioque in numero hominem habens, ut in Philippica XIII. *Addite illa naufragia Cæsaris amicorum Barbas, Cassios, Barbatios, Polliones: addite Antonii collusores, & sodales, Eutrapelum, Melam, Cœlium, Pontium, Crassicium, Tironem, Mustelam, Petissium, Crassicum, Tironem, Mustelam, Petissium, comitatum relinquo: duces nomino.* Erat autem *præfectus fabrum Antonii* P. Volumnius (si modo hic Eutrapelus est) quem Cornelius Nepos in Vita Attici iterum, ac tertio memoravit, & quantum familiaritate ac potentia Antonii (id quod timuerat Cicero) in proscriptione abusus sit, exemplo ostendit L. Julii Calidii, quem *multo elegantissimum poetam, — neque minus virum bonum, optimisque artibus eruditum, — propter magnas ejus Africanas possessiones, in proscriptorum numerum* P. Volumnius *absentem retulit.*

19. Cæterum sive Volumnii Eutrapeli, mimi videlicet mima, Cytheris liberta fuit, sive coliberta; profecto cum Volumnii

[1] in Epist. Famil. Cicer. l. 10. Epist. 32. [2] Adnot. in ejusd. l. Epist. 31.
[3] l. 9. Epist. 26. [4] In l. 7. Epist. 33. [5] in M. Bruto.
[6] l. 15. Epist. 8. [7] Epist. Famil. cit. 33. & prox. præced.

Digitized by Google

lumnii alicujus liberta fuerit ; nomen illi ab nomine patroni Volumniam fuiſſe, de eaque illud intelligendum cenſeo, quod in II. Philippica exprobratur Antonio, *aperta lectica, Mima portabatur: quam ex oppidis municipales homines honeſti, obviam neceſſario prodeuntes, non noto illo & mimico nomine* (id eſt Cytheridem) *ſed Volumniam conſalutabant: ſequebatur rheda cum lenonibus, comites nequiſſimi: rejecta Mater amicam impuri filii, tanquam nurum, ſequebatur*. Quin imo ſic eſſe omnino intelligendum, Ciceronis optimus interpres ipſe Cicero docet, hæc ſcribens ad Atticum (1), *Hic tamen Cytheridem ſecum lectica aperta portat: altera uxorem. Septem præterea conjunctæ lecticæ amicarum; hæ ſunt amicorum? Vide quam turpi letho pereamus!* Eodemque pertinent quæ ad eundem in Epiſtolis proximis, (2) *Tu Antonii leones pertimeſcas, cave. Nihil eſt illo homine jucundius*: & (3) *Hoc quidem melius, quam collega noſter* (in Auguratu videlicet) *Antonius; cujus inter lictores lectica Mima portatur.*

20. Nec vero eſt (ut quando cœpimus, nonnullos Ciceronis locos de Antonii vita, & Cytheridis conditione magis illuſtremus) non eſt, inquam, cur in eo multum hæreamus, quod in Philippica *mater*, in Epiſtolis *uxor*; in illa *lenones*, in his *leones* commemorentur. Neque enim hæc ejuſmodi ſunt, ut alterum ab altero excludatur: eſſe una omnia potuere; modo uxorem intelligamus, non Fulviam P. Clodii (ut Paulus Manutius (4)) cujus nimirum alter vir Curio etiamtum vivebat, & quæ cum Cleopatram abſentem non tulerit, multo minus Cytheridem præſentem pellicem tuliſſet; ſed faciliorem aliam aliquam de prioribus Antonii uxoribus, ſive Fadiam (5) ex qua liberos ſuſcepit, Q. Fadii libertini hominis filiam, ſive Antoniam illam de qua in II. Philippica, *filiam ejus* (id eſt *patrui* tui) *ſororem* tuam ejeciſti, alia conditione quæſita, & ante *perſpecta*: quem ad locum haud ſatis video cur hæc adnotaverit Lambinus „ ſo„ rorem tuam) *immo* uxorem tuam *le„ gendum, Octaviam ſcilicet, quam exegit „ Antonius, Fulvia domum intromiſſa* „ nam ſi filia patrui; ſoror igitur patruelis: itaque mox iterum de eadem Cicero, *ſororı & uxori tuæ*: item ſi filia patrui; filia igitur alterius Antonii; Antonia igitur certe: num vero etiam Octavia appellata? quam vereor, ne quis Lambinum, pereruditum alioquin hominem, ſuſpicetur, uxores Antonii, & tempora confudiſſe! Nam certe Antonius Octaviam exegit; ſed C. Octavii, non C. Antonii patrui, filiam, neque ut Fulviam domum intromitteret, qua videlicet jam mortua, aut, quod nonnulli tradunt, dimiſſa, Octaviam duxerat (6). Fuit tamen aliquando cum ita cogitarem, poſſe aliquem fortaſſis prima illa ex Epiſtolis verba ad hunc modum legere, *Cytheridem ſecum lectica aperta portat alteram uxorem*; ut perinde ſit, ac ſi uxor eſſet, aut loco uxoris, quomodo alibi idem ſcripſit non tantum (7) me — *ſicut alterum parentem — obſervat*, verum etiam (8) *qui alterum ſe Verrem — putaret*, &, *dixiſſet*, — *non ſe decumanum eſſe Apronium, ſed Verrem alterum*. Eam autem lectionem, videbantur commendare quæ II. Philippica non objicit ſolum, ut eo quem produximus, loco, *Mater amicam impuri filii, tanquam nurum, ſequebatur*; verum etiam exaggerat, ut his, *aliquid enim ſalis ab uxore Mima trahere potuiſti: & frugi factus eſt. Mimam illam ſuam ſuas res ſibi habere, juſſit: ex duodecim tabulis cauſam addidit: exegit. Quam porro ſpectatus civis, quam probatus, cujus ex omni vita nihil eſt honeſtius, quam quod cum Mima fecit divortium*. Huc illud addebam, quid id in Philippica de Matre exprobraſſet, eum multo minus de Uxore ſuam ipſa pellicem ſequi coacta, ibi fuiſſe taciturum.

21. Quod vero ad *leones* attinet; non me fugit, ex eo Epiſtolarum loco ſuſpicatum eſſe Petrum Victorium (9) id quod

[1] l. 10. Epiſt. 12. [2] Epiſt. 15. [3] Epiſt. 18.
[4] Comment. in hunc locum. [5] Philippic. II. III. XIII.
[6] Vid. Plutarch. in Anton., Dion. l. 48. & 50., & Livian. Epit. l. 127.
[7] l. 5. Epiſt. Famil. Epiſt. 8. [8] In Verr. l. 5. & 3.
[9] Explic. ſuar. in Cicer. Caſtig. in l. 10. Epiſt. ad Attic.

Digitized by Google

poſtea adverſus Hieronymum Ferrarium defendit (1), etiam in Philippica II. legendum eſſe *rhedam cum leonibus*. Illud miror, cum ei defenſioni duo Veterum Scriptorum teſtimonia obſtare viderentur, alterum Plinii majoris, Plutarchi alterum; hujus Virum Doctiſſimum non meminiſſe, illi vero in hunc modum ſatisfeciſſe ut diceret: *id negligentiæ illius ſcriptoris aſſignandum, qui in temporibus lapſus ſit, ut in multis aliis rebus ſæpe peccat: & certe majorem fidem Ciceroni habendam eſſe rerum, quæ ipſius ætate factæ ſunt, quam Plinio, qui multis poſtea ſæculis vixit;* quaſi vero non conſtaret ex Suetonio (2), & Xiphilino (3), eam Veſevi montis conflagrationem, qua Plinius, ut Sororis Filius (4) docet, ſex & quinquaginta annos natus occubuit, ſub Tito contigiſſe, Ciceronem vero eodem quo Panſa, atque Hirtius Conſules, anno interfectum fuiſſe, ex Dione (5), aliiſque non liqueret: ex quibus intelligi poſſet, inter Ciceronis finem, & Plinii vivendi initium ne ſeptuaginta quidem annos interceſſiſſe. Sed *multa, multa*, inquam, *ſæcula* num ſic forte ibi accepiſſe Victorium putabimus, ut in II. de Officiis (6) (neque id, ſi recte legamus, neceſſario) accipiebat (*) Muretus? Cæterum hæc Plinii (7) erant verba, poſterius, quam is Philippicæ locus ferat, tempus deſignantia. *Jugo ſubdidit leones, primuſque Romæ ad currum junxit M. Antonius, & quidem civili bello, cum dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus jugum ſubire illo prodigio ſignificante; nam quod ita vectus eſt cum mima Cytheride, ſupra monſtra etiam illarum calamitatum fuit.* Plutarchus quoque (8) non niſi poſt Pharſalicam pugnam hæc narrat de Antonio: cujus Auctoris verba primo loco proferam, ut latine ab Leonardo Aretino reddita ſunt, qui ut vitioſiſſimis uteretur Plutarchi codicibus; tamen vel ex Cicerone intelligere poterat, quam falleretur ſic vertens. *Erat inter maxime familiares* Antonii *Sergius mimus, & Citheris quidam ex eadem palæſtra mu-lierculam amans. Hoc comitatu Antonius peragrabat Italiam lectica delatus, quam haud pauciores quam matris ejus comitati ſequebantur. — Ducebantur & leones ad rhedam ligati.* Quanto melius qui poſtea (9) ſic reddidere. *Erat Sergius mimus unus ex iis qui plurimum apud* Antonium *poterant, & Cytheris ex eadem palæſtra, quam mulierculam adamabat. Hanc, urbes peragrans, circumducebat lectica. Lecticam ejus non minor comitatus, quam matris ipſius, ſequebatur. — Leonibus junctí currus.* Jam vero ſiquis malit Victorio quadantenus adſtipulari; per me licet, ſic tamen ut Plinium non plus dicere concedamus, quam dicat. Scilicet hoc ait quidem, poſt Pharſalicum prælium id primum Antonium feciſſe Romæ; at extra Urbem tamen idem feciſſe, aut certe attentaſſe anno ante, neque ipſe, neque vero Plutarchus negat. Cicero viciſſim, ut id factum indicat anno ante; ſic poſt Pharſalicam pugnam non modo iterum factum non negat; ſed dat nobis tanquam anſam ad idem conjiciendum, cum in Philippica II. poſtquam illam ſuperioris anni itinerum Antonii cum Cytheride peragrationem deſcripſit, quam pauciſſimis interjectis verſibus, in quibus pugnam illam deſignat, hæc ſubjicit. *Victor e Theſſalia Brundiſium cum legionibus revertiſti. — Veniſti Brundiſium, in ſinum quidem, & in complexum tuæ Mimulæ.* — Italiæ rurſus percurſatio, eadem comite *Mima;* ut cætera quæ paulo antea, atque adeo modo dixerat, etſi ipſe faſtidii vitandi cauſa fortaſſe reticeat, nobis tamen proclive ſit ſuſpicari.

22. Cæterum illas Antonii cum Cytheride percurſationes primas cum inter ea poſuerit Tullius, *quæ notiora omnibus eſſent, qui in Italia tum fuere, quam* ſibi, *qui non fuit;* fuerit tamen & ipſe, ut Epiſtolæ ad Atticum oſtendunt, cum menſe Majo ejus anni qui annus prælium Pharſalicum anteceſſit, per Campaniam fierent; hinc licet intelligi, reliquis menſibus per cæteras Italiæ regiones productas eſſe: ut revera Antonius *horum flagitiorum*

[1] Variar. Lect. l. 16. c. 3. [2] [3] In Tito. [4] l. 3. Epiſt. 5. & l. 6. Epiſt. 16.
[5] l. 47. [6] c. 17. [*] Var. lect. l. 10. c. 8. [7] Nat. Hiſt. l. 8. c. 16.
[8] In Antonio. [9] Ex Edit. Xylandri, & Cruſer.

Digitized by Google

rum veſtigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impreſſerit. Alteræ autem percurſationes, aut certe famoſæ Antonii cum iſta meretricula volutationes non ante deſiere, quam (1) ab Julio Cæſare, a bello Africano in Urbem reverſo, caſtigatus, tandem aliquando *turpi iſta vita relicta, uxorem accepit Fulviam*, cui, diſerte narrat Plutarchus, per ludum ſervili ipſum veſte litteras illas amatorias reddidiſſe, quæ in II. Philippica exagitantur, quarum erat litterarum caput, *ſibi cum illa Mima poſthac nihil futurum: omnem ſe amorem abjeciſſe illinc, atque in hanc transfudiſſe:* quanquam fidem non religioſiſſime præſtitiſſe, ſignificare videtur Cicero, qui poſt Cæſaris cædem cum ad Atticum fictis, ut ſæpius ſolet, nominibus ſcribit, (2) *Hic autem noſter Cytherius, niſi victorem, neminem victurum;* a Petro quidem Victorio cum aliqua, a Paulo autem Manutio ſine ulla dubitatione dicitur (3) ſic *a Cytheride mima Antonium appellare.*

23. Quorſum a nobis hæc omnia ſatis ſuperque de Cytheride congeſta ſunt? Nimirum ut tanto clarius appareat, num iſti ultimæ ſortis, & inquinatiſſimæ fœminæ ullo modo conveniant quæ in ſuppoſita Gallo Elegia quaſi de ingenua puella, & Auguſto jam rerum potito, adhuc intacta, pudicaque ſcribuntur,

Æqua tamen matris cauſa eſt; cupit illa paternam
Impleat ut pulchra filia prole domum.

& infra,

Quid loquor ah demens? roſeæ nec flore juventæ,
Nec capitur miſſis lux mea muneribus

Et tamen Lycoridem cum meretricem tum certe Volumnii fuiſſe libertam, Epiſtolæ Auctor non ignorabat. Sed ut parum attente Elegiam iſtam legerit, illud quoque indicio eſt, quod in ipſa de Lycoride eſſe dictum, non dubitat, quod de lena, ut proxime ſuperiora cætera, tam aperte dictum eſt, quam quod apertiſſime,

Multa quoque affingit, mentitur & omnia.

Sed nimis multa de verſibus.

24. Nunc quæ de Galli tum genere, tum Præfectura, tum criminibus ſcribit, ex parte ſaltem aliqua cum vetuſtis Hiſtoricis, præſertim vero cum Dione conferamus. Igitur etſi apud Petrum Crinitum legerat, *fortuna* Gallum *tenui fuiſſe, peneque infima;* nihilo tamen minus *nobiliſſimum* cenſet, nonnullis ductus argumentis, quæ hic expendere longius foret. Mihi vero Suetonii verba, ex quo Crinitum ſumpſiſſe id video, cum Dione conferenti, non levis hæret dubitatio. Siquidem cum ille hæc ſcripſerit (4). Auguſtus *Salvidienum Rufum ad conſulatum uſque, & Cornelium Gallum ad præfecturam Ægypti, ex infima utrumque fortuna provexerat;* Dio in Salvidieno quid *infima fortuna* fuerit, his verbis oſtendit (5). *Salvidieno, obſcuriſſimo genere nato, paſcenti gregem, flamma e capite emicuit.*

25. Verum de Galli genere cum certiora non ſuppetant; de Præfectura videamus.

Quærit Epiſtolæ Auctor, cur Auguſtus Corn. Gallum neque Conſularem, neque Prætorium Virum, neque adeo Senatorem Ægypto præfecerit. Cujus exempli ut novitatem animadverſam, ita cauſam indicatam ab ſummo Noriſii Cardinalis ingenio fuiſſe, arbitratus, Viri hujus longe Eruditiſſimi verba profert, eique adſtipulans plaudit. Verum ſi de Gallo ſcripturus, eum Hiſtoricum ex quo plura, eaque certiora de Gallo habemus, ſibi paulo attentius inſpiciendum exiſtimaſſet; alibi, & jure quidem meritoque, peracre Noriſii ingenium laudaſſet, hic autem ſatis ſibi eſſe, credidiſſet, Dionem, cujus Noriſius ipſa fere verba, non modo ſententiam ſequitur, hæc ſcribentem (6) producere. *Ægypto autem tributaria facta Cornelium Gallum* Auguſtus *præfecit. Multitudo ſane hominum, urbium, ac agrorum, ac mores ejus gentis leves, tum copia annonæ, & pecuniæ efficiebant, ut non modo committere provinciam Senatori nulli auderet, ſed & proficiſcendi in Ægyptum poteſtatem, niſi ipſe nominatim alicui permiſiſſet, omnibus adimebat: adeo enim ſuſpectos Ægy-*

[1] Vid. Philippic. II. & Plutarch. Vit. cit.
[2] l. 15. Epiſt. 22.
[3] Explic. & Comment. cit. in hunc locum.
[4] In Auguſto c. 66.
[5] l. 48.
[6] l. 51.

Digitized by Google

gyptios ſtudii novarum rerum habebat, &c. 26. Attamen hic recte credidit Noriſio. Quid? ubi male de Galli criminibus Gyraldo credidit, illa affirmanti: *ſcribit & Dion hiſtoricus lib. LIII. Proculejum, cum aliquando Cornelio Gallo occurreret, naſum & os manu compreſſiſſe, id ſcilicet ſignificantem, non alicui tutum eſſe, illo præſente, nec loqui, nec reſpirare; tantæ namque fuit Gallus inſolentiæ. Alius quoque, licet ignotus, ad eum cum teſtibus quibuſdam acceſſit, &c.* Profecto neque hæc Epiſtolæ Auctor inter Galli crimina retuliſſet, neque ad ejus *ambitionem* pertinere, exiſtimaſſet, neque hinc argumenta trahi poſſe, cenſuiſſet, e quibus intelligeretur, Gallum ex ulteriore Gallia fuiſſe; ſi laudatum a Gyraldo Hiſtoricum potius, quam Gyraldum, hunc perperam deſcribentem, ſibi legendum, atque attendendum putaſſet. Nam apud Dionem tantum abeſt, ut illa de Gallo ſcripta ſint; de proditore, & accuſatore Galli Valerio Largo ob iſtam ipſam Galli ſocii, & convictoris ſui delationem ſcribuntur (1). Ea enim Largi adverſus Gallum perfidia expoſita, hæc ab Dione ſubjiciuntur. *Certe Proculejus ita de Largo ſenſit, ut obviam eo forte facto, nares ſuas, oſque manu compreſſerit, iis qui ſecum erant, ſignificans, ne reſpirare quidem, Largo præſente, quenquam tuto poſſe. Alius quidam Largum accedens, adhibitis arbitris, Largo ipſe ignotus, percontatus eſt, notuſne ei eſſet, & abneganze id Largo, rem in tabulis adſignavit: quaſi vero homo improbus non poſſit etiam ignotum calumniis impetere.*

27. Erant alia quæ iſtam curſim legens Epiſtolam, animadverteram, unde conſtaret, minus diligenter, minuſque attente ſcriptam eſſe, ut ubi Joannem Gobellinum Auctor redarguit, quaſi Blondi mortem quinquennio maturius poſuiſſet, quando eo reapſe anno quo mortuus eſt, 1463. poſuiſſe, adverſus Voſſium admonuerant Viri Eruditiſſimi a quibus *Litteratorum Italiæ* Ephemerides (2) conſcribuntur: vel ubi ex eo quod Henricus Palladius Corn. Gallum ſine ulla dubitatione Aquilejenſem fecerit, ex eo, inquam, continuo infert, *recte eos ſcripſiſſe qui* Gallum *Forojulienſem; perperam qui Vicetinum, Forolivienſem, aut Tuſcum vocarint*, præſertim cum ipſe mox neget, hanc ſe *probare Palladii opinionem poſſe nullius veteris Scriptoris auctoritate ſubnixam:* aut ubi ex Q. Æmiliani Cimbriaci facto qui Forijulii Civitatem quam vulgo appellant, ipſe *Julium* appellabat, *indicium evidens* eſſe, pronunciat, *Forumjuli nihil eſſe aliud quam iſtam ipſam Civitatem;* cum tamen continuo hoc addat, *ſe* vero *Julium, & Forum julium diverſas eſſe urbes cenſere*: ex quo intelligitur, dicendum fuiſſe, illud Æmiliano ſic eſſe viſum non ſic eſſe. Erant hæc, atque ejuſdemmodi alia, quæ a me præterita ſunt libenter, cum temporis anguſtiæ plura perſequi prohiberent, & ea quæ attigi, ſatis eſſent mihi in primis, non inſectandi cauſa hæc proferenti, ſed dumtaxat demonſtrandi, non ea animi attentione iſtam ab Erudito Viro conſcriptam Epiſtolam fuiſſe, ut mirari plurimum oporteat, quod in Blondi noſtri exiſtimationem, & fidem nonnulla exciderint, quæ, ſi ſe ipſe collegiſſet, ſi in quem ſcriberet, quid ſcriberet, quibus argumentis ſcriberet, ſecum reputare voluiſſet; nunquam facile, iſta præſertim ratione fuiſſet ſcripturus. Teſtatur hoc probus Viri animus, & honeſte ac liberaliter inſtitutus, eaque in primi modeſtia, atque docilitas teſtantur, quibus finem ita facit Epiſtolæ ſuæ, ut ſiquid humani in ea ſcribenda paſſus ſit, non id ſe pertinaciter defenſurum, imo libenter verum, ſiquis forte oſtendat, agniturum profiteatur. Ego vero, ut ipſi de eruditione, cæteriſque ornamentis omnibus concedam: in eo certe me ab ipſo vinci nunquam patiar quod ad honeſtiſſimum veri ſtudium, & facilem demonſtrati erroris confeſſionem attinebit. Quamobrem tibi, Vir Cl. tuique ſimilibus Viris de his quæ, ut potui, properanter dictavi, cum judicium libenter permitto, tum polliceor, quod a vobis judicatum fuerit, eo me libentiſſime ſaturum. Vale.

D. Patavii VII. Kal. Jun. CIↃ IↃCC XXVIIII.

EPI-

[1] l. 53. [2] Tom 12. pag. 277.

Digitized by Google

EPISTOLA ÆMILIANA II.

Joannes Baptiſta Morgagnus Simoni Mariæ Poggio e Soc. Jeſ. Viro Clariſſimo Eruditiſſimoque S. P. D.

SUperiore autumno cum forte eſſem Forolivii, meque inde ſecum JULIUS ALBERONIUS Cardinalis Ampliſſimus, Flaminiæ Legatus, Ravennam duxiſſet, novumque illorum Fluminum alveum, Cataractam, Pontem, & navigabilem Foſſam mihi ipſe (quæ ſumma ejus eſt benignitas) commonſtraſſet; primum quidem tanta ſubiit admiratio, quantam utique hinc tot Operum magnitudo, hinc temporis quo præſertim Pons ejuſcemodi perfectus fuerat, brevitas incredibilis poſtulabat. Ut vero admirationem illam non ſuſtulit quidem, ſed minuit ejus qui curaverat, Legati eximia ſolertia, providentia, mentiſque præſtantia in multo maximis rebus ſpectata; alio paulatim, ut fit, atque alio animum, cœpi & cogitationem convertere, interque hæc ad fluviorum quibus erat Pons impoſitus, antiqua nomina, quæ ſtatutis nuper ad caput utrumque Pontis marmoribus inſcripta legebam, *Bedeſis*, & *Vitis*. Eorum enim veniebat in mentem, quæ multa, & varia, atque adeo inter ſe pugnantia de illorum vocabulis perſæpe in Scriptorum monumentis jam olim, cum aliud agerem, animadvertiſſe mihi videbar: pigebatque eo tempore, ac propemodum ſubpudebat, longe aliis, quibus diſtentus ſemper fueram, occupationibus factum eſſe, ut, ſiquis forte ex me quæreret, necdum reſpondere pro certo poſſem, quemadmodum Latini eos appellare amnes conſueſſent, quos ego primos omnium aſpexiſſem, ut qui meam quoque Patriam, ut probe noſti, quamvis laxius in parte, quam Ravennam, intercipiunt. Quæ me cura magis ſolicitum habuit, cum mox Patavium redeunti negotium ab Legato Ampliſſimo datum eſt, ut quoniam CLEMENTI XII. P. M. tot, tantorumque, de quibus ſupra dictum eſt, Operum Auctori Munificentiſſimo Statua quamprimum Ravennæ in foro ponenda erat, de verbis ei Statuæ ſubſcribendis cogitarem, ageremque etiam; ſi mihi videretur; cum Joanne Poleno Marchione, & Jacobo Facciolato Viris Clariſſimis, mihique & publice docendi officio, & amicitia conjunctiſſimis. Hæ fuerunt cauſæ, cur meorum Anatomicorum libris pauliſper ſepoſitis, Geographos, & Hiſtoricos in manus ſumpſerim, hiſque diligenter inſpectis, plura quidem, commodius olim, & cum plus otii fuerit examinanda (*), in medio reliquerim; nonnulla autem de priſcis memoratorum fluminum appellationibus, quantum quidem licuit per anguſtias temporis, quantumque eſſet rei præſenti ſatis, conſtituerim. Quæ quando abs te, Vir Eruditiſſime, atque Humaniſſime, requiri, certior fio, protinus, qualia ea cunque ſunt, ſimul inſerviendi, ſimul tui exquirendi judicii cauſa, libentiſſime exponam.

2. Apud Græcos Scriptores fruſtra nomina quæſivi noſtrorum amnium. Ex Latinis autem qui utrumque nominaverit, præter Plinium reperio neminem. Ejus hæc verba ſunt (1). *Ab eo* (Rubicone) *Sapis, & Vitis, & Anemo; Ravennæ Sabinorum oppidum cum amne Bedeſe*. Quibus ex verbis illud contra quorundam opinionem, plane efficitur, de quo a te ſcio primo loco eſſe quæſitum, alium Vitim eſſe, alium Bedeſim.

3. Uter autem, quod ſecundo loco quærebas; is ſit quem nunc *Ronchum*, uter quem

[*] Videantur nunc Epiſtolæ ſequentes.

[1] Natur. Hiſt. l. 3. c. 15.

Digitized by Google

quem *Montonum* vocitamus, id vero longe difficilius mihi quidem videtur posse constitui. Neque enim locus est ullus, quod sciam, Latinorum Scriptorum, unde alterutrum perspicue appareat: quo fit, ut minus sit nobis mirandum, posterorum alios in alias, atque inter se adversas, iviſse sententias. Siquid tamen video; in hac tanta difficultate is omnium optimus conjector fuerit, qui invenire possit, Ronchus an Montonus Plinii ætate propius Ravennam affluerit. Quid enim tunc propius affluebat, eum Bedesim a Plino vocatum esse, intelligitur.

4. Non me fugit, Blondo civi meo longe aliam de Bedesi sententiam fuisse. *Cingunt*, inquit, (1) *Ravennam amnes duo Bedisum facientes: quorum qui ad dexteram, Montonus: qui ad sinistram, olim Vitis, nunc Aquaductus dicitur:* & alio in loco (2), *amnem, quem juncti sub urbis mœnibus* ii *torrentes efficiunt, Bedesum veteres appellant Scriptores*. Quibus ex verbis duo consequuntur, quorum ut alterum probari, sic alterum facile improbari non potest. Nam si primi omnium Polentani; quod postremo a te quærebatur, aut Veneti iis fluviis Ravennam cinxissent; Blondus certe, qui intra centesimum annum ex quo primi imperare cœperant Ravennatibus, in vicina urbe natus erat, Venetis autem imperantibus, scribebat, rem adeo ignorare non potuisset, ut vel Plinii tempore ad eundem modum se habuisse, existimaret. Verum ut in illo errare non facile poterat, ita in hoc erraviſse, complura indicant, quæ hic a nobis haud unam ob causam attendi juvat.

5. Primum quidem cum Strabonis ætate (id quod minime ignoras) (3) *intra paludes* ita *Ravenna posita esset*, ut *aquis diffusa, pontibus, ac lembis peragraretur;* veri non est simile, intra septuaginta circiter annos rerum faciem usque adeo fuisse mutatam, ut non modo fluviorum alveis duobus, ut nunc, cingeretur, sed & tertius infra urbem extaret alveus in quem uterque confluerent, & sic ad mare, ut adhuc conspicimus, pervenirent, quando, Strabone quidem scribente (4), *cum a mari fierent inundationes* non *mediocrem* urbs ipsa *acciperet maris partem, adeo ut universa cœnositas, hinc fluctu marino, hinc fluminibus alluentibus, tetrum medicaretur odorem*. Certe is qui paulo post Plinium, Ravennæ fuit, Martialis non ita locorum mutatam faciem significat, cum & *æquoream* Ravennam vocat (5), & dulcis illic aquæ penuriam non uno joco satis indicat (6). Sed neque is qui anno prope quadringentesimo a Plinii morte, Ravenna transiens, Sidonius reticuit (7) *se se hinc falsum portis pelagus impingens, hinc cloacalem pultem fossarum*, ut *in medio undarum sitiret: quia nusquam vel aquæductuum liquor integer, vel cisterna defœcabilis, vel fons irriguus, vel puteus inlimis*. Porro insequenti etiam sæculo & Cassiodorus, & Procopius, quorum hic se Ravennæ cum Belisario fuisse, testatur (8), ille autem ibi & natus est & diu vixit, haud multo aliter urbis ejus situm proposuerunt. Cassiodorus enim; quantum ex Jornande intelligimus, qui ejus *Chronica de Gothis* in compendium redegit (9), urbem illam *inter paludes & pelagus* descripsit (10) *in modum insulæ, influentium aquarum redundatione concluſam*. Procopius autem ab illa, inquit (11), *pedestrem exercitum excludunt aquæ, quibus Padus amnis, quem & Eridanum vocant, e montibus Gallicis eo decurrens, aliique fluvii navigabiles, & lacus urbem illam undique ambiunt;* tum illas quotidianas marini æstus reciprocationes describit, quas antea Claudians (12) indicaverat, utque *accessum muris expectarent* qui *res vitæ usibus accommodatas* e mari *in urbem commercii gratia, alianve ob causam inferre volebant*.

6. Quæ si omnia diligenter attenderimus; fluvios quidem in æstuaria, sive, ut Silius (13) loquitur, in *stagna paludosæ Ravennæ* se se effudisse, intelligemus; cer-

[1] Ital. Illustr. Reg. 6. [2] Hist. Dec. 3. l. 8. [3] De Situ Orbis l. 5.
[4] Ibid. [5] l. 13. Epigr. 21. [6] l. 3. Epigr. 55 56. [7] l. 1. Epist. 5.
[8] De Bello Goth. l. 2. c. 29. [9] Præf. ad Hist de Reb. Goth. [10] c. 29.
[11] l. 1. c. 1. [12] Panegyr. de VI. Consul. Honor.
[13] De Bello Punic. Sec. l. 8.

Digitized by Google

certos autem, ut nunc, alveos habuiſſe, quibus ejus cingerent mœnia, & tertium præterea infra urbem, in quem, ut adhuc videmus, confluentes, ad mare tenderent, qui Bedeſis vocaretur, non facile exiſtimabimus (*), præſertim cum Padus accederet, iſque, ſi quis alius, proxime Ravennam ambiret. Audi enim Sidonium (1). Ravennæ *oppidum duplex pars interluit Padi, cætera pars alluit: Qui ab alveo principali molium publicarum diſcerptus objectu, & per eaſdem, derivatis tramitibus exhauſtus, ſic dividua fluenta partitur, ut præbeant, mœnibus circumfuſa, præſidium, infuſa commercium*. Padum autem, hoc eſt Padi aquarum certam partem etiam eo quo Plinius ſcribebat, tempore Ravennam perveniſſe, hæc ejuſdem verba docent (2). Padus *Auguſta foſſa Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur, quondam Meſſanicus appellatus* (**). Quibus in verbis etſi quædam ſunt ab aliis aliter & deſcripta, & intellecta, aliis in hac Foſſa, & circumjectis ſtagnis, aliis in eo unde hæc deducebatur, Spinetico Padi alveo Paduſam agnoſcentibus, de qua Virgilius (3), & Servius (4), & apud hunc Valgius, tum etiam Vibius Sequeſter (5), Claudianus (6), aliique meminerunt; tamen quod nobis hic ſatis eſt, ab nemine video in controverſiam vocari, præſertim cum Padum Ravennam perveniſſe, & alii poſtea, quos ſupra laudavimus, ſuis ipſi oculis conſpexerint, & Jornandes ex Caſſiodoro idem vel fuſius doceat (7), cujus verba operæ pretium fuerit perpendiſſe. Nam primum *a ſeptemtrionali plaga*, inquit, *ramus illi* (Ravennæ urbi) *ex Pado eſt, qui foſſa vocatur Aſconis*. Unde corrigendus, aut certe explicandus fuerat, ab Rubeo (8) etiam dico, duplex Ravennatis Agnelli locus (9), videlicet *extra portam S. Victoris non longe a fluvio, qui vocatur Foſſa-Sconti: & extra civitatem in loco, qui dicitur Foſſa-Sconii, juxta fluvium*. Deinde Jornandes continuo hæc ſubjicit. *A meridie idem ipſe Padus, quem ſolum fluviorum regem dicunt, cognomento Eridanus, ab Auguſto Imperatore altiſſima*, ſive, ut alii habent codices, *latiſſima foſſa demiſſus, qui ſeptima ſui alvei parte mediam influit civitatem. Ad oſtia ſua amœniſſimum portum præbens, claſſem CCXL*, ſive, ut in aliis libris, *CCL. navium, Dione referente, tutiſſima dudum credebatur recipere ſtatione*. Non ego quidem, ut Cluverius (10), Jornandem, vel potius Caſſiodorum, Virum doctiſſimum, quaſi *barbarum, & omnis abſtruſioris antiquitatis ignarum*, hic reprehenderim. Neque enim, ut Cluverius, intelligo inducentem Padum in urbem a meridie; ſed poſtquam eam interluerat, jam a meridie ſpectandum proponentem in ea videlicet Foſſa, quam Cluverius ipſe (11), fretus pervulgato ab ea ferme plaga *Fluminis veteris* cognomento, ab Auguſto conjicit in Claſſenſem uſque Portum fuiſſe productam. Itaque (niſi quid præterea a librariis forte peccatum eſt) paulo aliter Jornandis verba interpungerem; unde is facilius, quem propoſui, intellectus exiſteret. Inducto autem a ſeptemtrionibus in urbem Pado, in oppoſitam autem plagam uſque ad Claſſem perducto eâ aquarum copiâ quæ tanto Portui eſſet utilis, non video ſane, quî per Padum traduci exiguæ præſertim, ut perſæpe ſunt, aquæ, alveique noſtrorum fluminum poſſent, ut Ravennam primum, quod nunc faciunt, a ſeptemtrionibus, & a meridie ambirent, deinde in communem alveum coirent, qui Bedeſis appellaretur; nedum qui *portum conſtitueret*, ut Rubeus (12) loquitur, *quem Plinius Beſedum appellavit*: Quanquam nec *Beſedum* in optimis quidem exemplaribus, ſed *Bedeſim*, & hunc non portum, ſed *amnem* Plinius memoravit: & qui ante Auguſtum ad Ravennam, neque exiguus, fuerat portus, is aut commune univerſi illius ſtagni, non peculiare certi amnis, oſtium fuit, aut ſi certi amnis, cur fuiſſe eorum fluminum potius, quæ ſæpenume-

[*] Videri nunc poteſt etiam Epiſt. IV. n. 14.
[**] De hac Foſſa videri nunc poteſt Epiſt. III.
[1] Epiſt. cit. 5. [2] l. 3. c. 16.
[3] Æneid. l. 11.
[4] in eum locum. [5] De Flumin. [6] Panegyr. cit [7] c. 29. cit.
[8] Hiſtor. Ravenn. l. 3. [9] Libr. Pontific. P. 2. in Vita S. Maximiani c. 2. & 5.
[10] Ital. Antiq. l. 2. c. 35. [11] Ibid. c. 28. [12] Hiſt. cit. l. 2.

Digitized by Google

ro, ut torrentes ſolent, nullam propemodum aquam convehunt, quam illius Foſſæ cenſebitur, quæ multo, ut credunt, Auguſto antiquior, apud Plinium tamen Auguſtæ Foſſæ nomen tulit? Hæc enim, ſive, ut pleriſque placet, pro oſtio primo Padi a Plinio propoſita fuit, ſive non fuit; certe aquam jugiter, quippe ex Pado acceptam, vehebat. Cæterum in tanta rerum vetuſtate, ac tot mutationibus illius oræ, per mihi mirum videtur, non dubitaſſe Cluverium tradere (1), vel *IↃC annis ante Chriſtum natum*, imo etiam prius, *oſtium* eam *Foſſam habuiſſe idem, quod* Montonem & Ronchum *amneis apud Ravennam in mare effundebat: qui nunc*, inquit, *Ravennatium dicitur portus, vulgo porto di Ravenna:* quando ex Rubeo (2) ſcire poterat, anno 1563. id eſt annis ante vix LX *cum portus Ravennas ad Orientem hibernum poſitus, oblimatus arena, naves non exciperet, alio facto Viti, Montonique fluminibus alveo, ad Orientem æſtivum traductum eſſe:* tantum abeſt, ut quod ante duo & viginti ſæcula fuiſſet, pro certo poſſet conſtituere! Mihi vero ea omnia quæ diximus, perpendenti, ne Plinii quidem ætate hæc videntur flumina ſuum ſibi communem alveum infra urbem, oſtiumve habere potuiſſe.

7. Quem ergo, inquis, fluvium deſignare voluit Plinius, cum ſcripſit *Ravenna cum amne Bedeſe?* Illum videlicet, ut ſupra dixi, qui de fluviis duobus noſtris in paludes propius Ravennam tunc influebat. Uter autem eo tempore propius influeret Montonus, an Ronchus, quædam poſſunt conjecturæ indicare. Mitto illam quæ ex Rubeo capi fortaſſe poteſt, ſcribente (3), *primum* Ravennæ *baptiſmatis fontem in ea urbis parte conſtitutum ferri, quæ ad Arietem dicebatur, a fluvio, cui proxime accedit, nomen ſortita: quem nunc fluvium vulgari vocabulo Montonem appellamus.* Mitto alias, quæ ab Ronchi longe majori, quam Montoni, Ronchi, inquam, & Claſſenſis Portus; in quem aquam inferre oportebat, vicinitate trahi conjecturæ poſſunt, ut illuc potius quam Ravennam deflexiſſe Ronchum, putemus: & ſane Deſiderius Spretus (4) qui in ea Civitate ante extremum ſæculum XV. florebat, cum de Claſſenſi Portu vel ſuo tempore jam prorſus inutili, atque adeo nullo verba faceret, hujuſque rei cauſam, de qua in parte amplius videndum eſt (*), Blondum (5), ſecutus, fuiſſe, non dubitaret, *Sapis fluvii, & aliorum qui portum illum facere conſueverant, averſionem; nam aliud*, inquit, *in mare oſtium, quod Gervaſium dicitur multis ante ſæculis ſibi Sapis fluvius effecit: alii vero ad Urbem declinantes, Adriaticum mare aliud per oſtium influunt;* his quidem verbis etſi Ronchum pariter, Montonumque indicare voluit; qui tamen curſum utriuſque per ſuperiora loca perſpectum habeat, is intelliget, olim Montonum Ravennæ propiorem, quam Ronchum, fuiſſe. Sed his, aliiſque præteritis, ea potius conjectura in præſentia utemur, quam *Aquæductus* nomen ſuppediat, quo Ronchum accolæ, non Montonum, vocitarunt. Nam etſi Leander Albertus, qui, ut plures alii, mirum in modum quæ hos ad fluvios attinent, confundit, utrumque Aquæductum appellari, ſcribit (6); tamen & Blondus (7), & Rubeus (8), qui, non de alienis, ut illi, ſed de propriis loquebantur fluminibus, ut Forolivienſes quoque Hiſtorici (9), oſtenderunt, id nomen Roncho fuiſſe peculiare. Itaque vel Albertus ipſe, non de Montono, ſed de Roncho diſerte hæc tradidit, quæ latine hic reddam. *Apud ipſum Ronchum (quem Ravennates Aquæductum appellant propterea quia hic ejuſdem fluminis alveus artificum manu factus fuit ad multa paſſuum millia, ſicuti etiam perſpicue apparet) tribus a Ravenna mill. paſſ. aſpera illa & cruenta contigit pugna ſacratiſſimo die Paſchatis Reſurrectionis Chriſti anno* 1522. (ſic) *inter Gallos & Hiſpanos &c.* Certum eſt, apud Ronchum anno 1512. (non apud Montonum anno 1513. ut ſcribunt (10) Ferrarius, & Baudrandus, qui in anno tamen non errat) pugnam

[1] c. 35 cit. [2] Hiſt. cit. l. 10. [3] Ibid. l. 1.
[4] De Urbis Raven. amplitud. l. 1. [*] Videri nunc poteſt Epiſt. V. n. 16.
[5] Ital. Illuſtr. Reg. 6. [6] Deſcrit. di tutta Italia Reg. 14. [7] Reg. cit. 6.
[8] Hiſtor. Raven. l. 1. [9] Benoli Iſtor. di Forlì l. 2.
[10] Lexic. Geogr. ad vocem Vitis.

Digitized by Google

gnam illam eſse pugnatam. Haud equidem inficias iverim, Montonum olim *per Gattinellam villam ſecundo ferme ab urbe* Ravenna *lapide, in paludes influxiſſe*, quando Rubeus (1) *ejus rei cum vetuſta ipſa monumenta ſane multa fidem facere*, teſtatus eſt, *quæ* ipſe *anno a partu Virginis MCCLIIII. ſcripta, in Divi Vitalis Tabulario legit, tum fluminis ſepta, & molas frumentarias, juxta Divi Michaelis viam, ſecundo ab urbe milliario, dum ad coquendos latetes fornax ab illis Monachis effoderetur, repertas*. Non ideo tamen neceſse eſt, ut fluvius, cujus violentiam ex Forolivienſibus Hiſtoriis (2) ſcimus, alias etiam, & nominatim anno 1461. ruptis aggeribus, novum ſibi alveum feciſse, agroſque vel prope Ravennam inundaſſe; non, inquam, neceſſe eſt, ut quo monumenta illa indicant, eodem antea quoque influxerit, totus præſertim; neque enim facile Blondus, ut ſupra a nobis poſitum eſt, novum tantæ deductionis opus ignorare potuiſſet: aut ſi eodem totus influxit; non ei tamen alveus *ad multa paſſuum millia*, ut Roncho, parari debuit, nec certe ipſe, ut hic, Aquæductus vocatus eſt. Hæc de utriuſque fluminis ad Ravennam antiquiore curſu, quæ etiam abs te quærebantur, mihi ad hoc tempus comperta, faciunt, ut Bedeſim Plinio Montonum potius, quam Ronchum, dictum fuiſſe, conjiciam. Quod ſi ille Bedeſis; hic igitur Vitis Plinio fuerit.

8. Illud hoc loco me interrogari poſſe, ſcio, cur Plinius igitur, cum (*) *Sapim, & Vitim, & Anemonem* ordine memoraret, non Bedeſim Viti, & Anemoni interjecerit, quando Montonum inter hos duos fluere, neque ipſis minorem, videmus; ſed a Viti continuo ad Anemonem; ab Anemone autem Ravennam, & ad Bedeſim tranſiliverit? Ego vero id a Plinio ob eam rem eſſe factum, cenſeo, quæ ut Montono, non Roncho, peculiaris eſt, ita Montonum, non Ronchum, Bedeſim a Plinio nominatum eſſe, confirmat.

Scire licet, Montonum fieri ex amniculis duobus, quorum nomina quæ apud Maginum (3) legantur, neque vulgus, neque noſtri agnoſcunt Hiſtorici. Sed dexterum, Dantis (4) ætate, dictum *Acqua cheta* eſſe, conſtat; ſiniſter, id eſt Roncho propior, olim *Aequa viva* appellatus eſt (5). Hi non, ut modo videmus, ita & quondam ſupra Æmiliam viam, ſed infra hanc confluebant. Dexter enim dexterum; ſiniſter ſiniſtrum vetuſti Fori Livii perſtringebat latus; unde videlicet factum eſt, ut quæ utrinque additæ ſunt poſtea, urbis partes Suburbia vocatæ ſint, hodieque vocitentur, alterum quidem *Sclavoniæ*, alterum *Gottognorum*, quarum appellationum cauſas, in vulgus editas, hic referri nihil attinet, præſertim cum minus ſint fortaſſe probandæ. Sed de his alias (**): nunc ad ammiculos redeamus. Quorum ſiniſtrum ſecundum dexterum latus olim fluxiſſe ejus campi, qui ampliſſimum nunc eſt urbis noſtræ Forum, cum Paulus Bonolus (6) oſtendit prolatis verbis ex antiquo *Sermone* qui ſub nomine S. Petri Damiani circumfertur, nempe S. Mercurialis corpus *ſepultum eſt non longe a Livienſi Urbe ultra Amnem in optimo Mauſoleo, ubi ad laudem ſui nominis Baſilica eſt conſtructa*; tum illud idem ex vetuſtis monumentis conſtare, docuit Generoſus Eques, utrique, dum viveret, Minervæ deditus, Sigiſmundus Marcheſius (7), qui & unum produxit, unde non obſcure qui loca probe norunt, intelligant, eundem *fluvium* tunc *vocatum* fuiſſe *Befeze*, qua in voce antiquiſſimi nominis veſtigia mihi quidem apparere videntur, *Bedeſe*. Dexterum autem amniculum ea tranſiiſſe, qua depreſſus locus, & fortaſſe etiam nomen indicat Monaſterii S. Mariæ *della Ripa*, præclare pons demonſtrat antiqui operis, qui a proximis olim ædibus Gentis nobiliſſimæ, Moratinorum nomen ſervat, ab Romanis quondam, cum Æmiliam viam munirent, impoſitus, ut magni lapides, iique in vetuſtiſſimum fornicem commiſſi, oſtendunt, nunc, quamvis in eadem via, plane inutilis, aggeſtaque humo, & adjunctis ædificiis pene obrutus, ut vix nobis civibus ſit notus. Cum ergo priſcum

[1] l. 1. cit. [2] Marcheſi Supplem. Iſtor. l. 8. [*] Vid. ſupra, n. 2.
[3] Italia. Tav. 36. [4] Dante, Inferno Cant. 16. [5] Bonoli l. 1. cit.
[**] Videri nunc poteſt Epiſt. IX. n. 16. [6] l. eod. 1. [7] Supplem. cit. l. 8.

Digitized by Google

Livii. Forum inter amniculum utrumque non multo aliter ac usque adhuc Ravennam vidimus inter duos amnes, jaceret; non secus ipsi ac Ravennæ, contigit, ut incolæ ab redundantibus utrinque aquis pericula subinde veriti, detrimenta aliquando experti, de utroque superius conjungendo, amovendoque cogitarent. Itaque ergo qui antea infra Æmiliam viam confluebant, jam supra hanc unum in alveum, urbis portam quæ ad occidentem solem spectat, ut nunc videmus, prætergredientem ante aliquot sæcula coacti sunt, cujus facti memoriam ut olim supra urbem locus servabat, ab novo alveo *Flumen novum*, quod ex antiquis apparet monumentis, vocatus, sic infra urbem locus qua siniſter amniculus antea ferebatur, hodieque retinet, quem *Flumen mortuum* appellitamus. Hæc cum ita sint; plane intelligis, quî Plinius, cum aliquanto majora flumina, quæcunque in eo tractu Æmiliam intersecabant viam, ordine memoraret, duos illos; ut qui, si cum iis conferrentur, parvi erant amniculi, potuerit, ut solebat, omittere; eosdemque posteaquam in unum, cæteris æqualem, amnem confluxerant, cum propius Ravennam in ea stagna influentes videret, ibi denique commemorare. Quod cum ita proprium Montoni fuerit, ut Roncho nunquam convenerit; sane & nobis hæc peculiaris causa est, cur Montonum potius, quam Ronchum, Bedesis nomine a Plinio esse designatum, existimemus. Quid vero Geographum eruditum Abrahamum Ortelium permoverit, ut constanter, siquis alius, in hac maneret sententia, plane ignoramus. Sed certe ipse cum diserte scripsisset (1), *Bedesis fluvius prope Ravennam*, *Plinio*. Montone *H. Rubeus vocat*, cumque multis post annis, secundis curis (2) plura in perdifficili Opere mutavisset; in his quidem verbis nihil mutavit.

9. Igitur ut Montonus Bedesis, ita Ronchus Plinio Vitis fuerit, præsertim cum ad cæteras conjecturas accedat servatum apud superiores Ronchi accolas Vitis nomen. Quod enim Bonolus (3) sua ætate a Meldulensibus etiam tum fieri, adnotavit, ut Ronchum ipsi Vitis nomine designarent, idem vel ulterioribus in locis hoc quoque tempore servari, sum certior factus ab Josepho Verlicchio, Docto Medico, meique amantissimo. Cum enim is in præsentia Galeatæ versetur, quam Mevaniolam (*) Romanorum Municipium fuisse, non dubito, ad Ronchi ripam, neque ita procul ab ejus fontibus, positum; quærenti mihi per litteras, quibus vocabulis non modo ejus loci incolæ, sed & agricolæ id soleant flumen appellare, continuo respondit, *vulgo vel ab agricolis ipsis vocari* Bidente, *&* Viti, *ab nonnullis autem Etruscis* Vbidiente. Cum vero *Bidentis* nomen & ipsi, & mihi inde ortum videatur, quod ad confluentes ejus fluminis fontium situm, atque adeo interjectum erat Bledæ oppidulum, de quo plura quæ hujus loci non sunt, Forolivienses Historici attigere, *Pieda*, aut *Bida* in communiore accolarum sermone dictum; non est cur id vocabulum, aut alterum in quod est corruptum, hic nos moretur, in iis *Bedesis*, quod plures faciunt, vestigia incassum quærentes. Reliquum est igitur Vitis nomen, quod unde natum sit apud agrestes præsertim homines, nisi a vetusta illa, quasi per manus tradita, Vitis appellatione, haud facile reperies.

10. Sed ne forte credas, me hodiernis vocabulis plus æquo tribuere ad res antiquissimas inquirendas, non cogitantem fortasse, quam sæpe ejusmodi ratio minus cautos homines in errorem conjecerit; sic habeas velim, non modo id me cogitare, sed & vereri maximopere consuevisse ex quo animadverti, fucum inde esse factum Viris gravissimis, & in Re Geographica exercitatissimis Cluverio (4), Sansonio (5), Cellario (6), & cæteris qui hos sequuntur. Ne enim longius abeamus ab iis fluminibus de quibus nobis sermo est; *Solona*, inquit Cluverius, *a qua oppidani* Solonates *haud dubie id fuit oppidum, quod IIII. millia supra Forum Livii in siniſtra Montonis amnis ripa, vulgo hodie*

[1] Synonym. Geogr. ad vocem Bedesis. [2] Thesaur. Geogr. ad eand. vocem.
[3] l. 1. cit. [*] Vid. Epist. XII. n. 4. & seqq. [4] Ital. Antiq. l. 2. c. 28.
[5] Tab. inscripta Ital. Antiq. [6] Notitia Orbis Antiq. l. 2. c. 9. n. 89.

Digitized by Google

die adpellatur Città del Sole; *quidpe pleraque per Italiam oppida, quorum nomini vox* Città, *sive* Cività, *id eſt* Civitas *adpoſita eſt, eâ ipſâ antiquitatis ſuæ indicium faciunt. Et fuiſſe hoc tractu* Solonam *circa Sarſinam, & Ariminum, antiquus quoque teſtatur lapis.* Teſtatur certe, ideoque a nobis propius has urbes quæſita eſt, ut alias dicemus (*); ibi vero ubi Cluverius, recenti nomine deceptus, *haud dubie* inveniſſe credidit, nullo modo quærenda fuit. Nam quod nos a Majoribus accepimus, idem confirmatum leges ab Hiſtorico non ignobili Scipione Admirato (1), qui ubi narrat, Coſmum Magnum Etruriæ Ducem anno 1565. conſtituiſſe novum ædificare oppidum, quod ſibi propugnaculi loco eſſet, prope Salſubium ad fines Agri Forolivienſis; hæc ſubjicit, quæ in latinum ſermonem vertam: *cujus oppidi cum primus lapis ſecundum conſuetos Eccleſiæ ritus a Sacerdote ponendus eſſet, repente autem cœlum undique nubibus eſſet opertum; ea tantum pars, ubi novum oppidum fundandum erat, Solis radiis aperta relicta eſt. Quod ſignum cum fauſti loco ominis haberetur; inde illa* Civitas Solis *eſt nuncupata.* Itaque oppidum non e ruinis excitatum, ſed in nudo agro tunc primum conditum annis vix quindecim antequam Cluverius naſceretur, tantum huic nominis fallaciâ impoſuit, ut pro vetuſtiſſima *Solona* habendum eſſe, non dubitaret. Quod minus tamen eſt mirum, quam ejuſmodi hallucinationem intra annos centum, & quod excurrit, necdum fuiſſe animadverſam, cum in Scriptis & Tabulis vel recentiſſimis Virorum alioqui Eruditiſſimorum retineri videamus: quos, & eos quos ſupra nominavi, ſilentium ſaltem admonere debuerat Leandri Alberti, & præſertim Blondi, qui ei loco adeo vicinus erat. Cum enim vel exigua quæque Italiæ oppidula, & ea in primis quæ antiquiora eſſe, ſuſpicabantur, cum alibi, tum in ea vicinia, ut Caſtrum Mutilum, de quo alias (*) fortaſſe videbimus, perceſſerent; veri ſimile non erat, Solonam, ſiqua ejus rudera, aut ſi modo nomen ibi eorum ætate ſupereſſet, nedum ſi tunc Civitas iſta Solis extaret, fuiſſe omnino præterituros. At ſi in agnoſcenda Solona tantos Viros nominis decepit ſimilitudo; quanto magis mihi cavendum eſt, ne in antiquo Vii internoſcendo præſens mihi Vitis nomen imponat. Igitur ita aliquid tribuo præſenti nomini, ut cæteris conjecturis plus tribuam: quanquam multis ante ſæculis idem nomen eidem flumini datum video in Vita SS. Hilari, & Olybrii, Rubeo (2) nota. Hi enim Theoderici regis ætate prope Galigatam (nam ſic etiam aliquando ea quam ſupra memoravi, Galeata dicta eſt) vixiſſe ſcribuntur (3) *in excelſo atque edito monte, ſub quo Vitis amnis defluit, ab incolis, ut aliqui arbitrantur, Bidens adpellatus.* Non ſum neſcius, hæc a Cluverio (4) exagitari. *Haud procul* inde, inquit, *eſt fons fluvii, qui ſupra Æmiliam viam & oppidum Faventiam* (*Forum Livii* voluit ſcribere, ut ante me animadvertit Holſtenius (5)) *vulgo* Ronco, *infra vero* Bedeſo *vocatur. Hunc imperiti illi geographiæ antiquæ barbari* Bidentem *adpellarunt, eundemque opinati ſunt eſſe, qui apud Plinium vitiato jam tum vocabulo legebatur* Vitis: *quum diſertiſſimis verbis Plinius longe diverſum faciat ab hoc Bedeſim.* Quod ultimum ſicut ultro fateor; ita Ronchum *Bedeſo* ab accolis uſquam appellari, neſcio. Verum ut qui eam Vitam ſcripſerunt, barbari fuerint; non inde tamen conficitur, quin eo jam tempore ei flumini *Vitis* nomen tribueretur. Quod ſi illi barbari; num & Blondus (6), & Guicciardinus (7), & Jovius (8), & Rubeus (9); ut plures alios ſciens præteream a quibus idem factum eſt; imperiti, & barbari fuerunt? Cum his noſtri Hiſtorici ſummo conſenſu fecerunt, & faciunt: nec memini in doctum aliquem ex noſtratibus Virum incidiſſe, qui non idem cenſeret.

II. Nec tamen nego, fuiſſe ex Italis, atque

[*] Videri nunc poteſt Epiſt. VIII. n. 9. & ſeq.
[1] Iſtor. Fiorent. P. 2. l. 35.
[2] Hiſt. Ravenn. l. 3. [3] apud Cluver. c. 28. cit. [4] Ibid.
[5] Annotat. in Ital. Antiq. Cluverii ad hunc loc.
[6] Ital. Illuſtr. Reg. 6. & Hiſt. Dec. 3. l. 3. [7] Iſtor. d' Ital. l. 10.
[8] Vit. Leon. X. l. 2. [9] Hiſt. Rav. l. 1. l. 8. &c.

Digitized by Google

atque Externis, ſed ex his præſertim, complures quibus contra ac nobis viſum ſit; ut Montonum Vitis, aut certe Ronchum Bedeſis nomine deſignaverint. Quorum plerorumque auctoritas ut in cæteris apud me habet, ita in hoc quoque magnum pondus haberet, ſi in his fluviis deſignandis, deſcribendis, delineandis eoſdem ſibi probe cognitos fuiſſe, oſtenderent. Verum ex quo Leander *in* eorum *deſcriptione*, ſi Rubei (1) verbis uti licet, *caeutivit*, dici non poteſt in quanta plerique alii rerum confuſione verſentur, cum recentia ipſa, atque inter accolas certa, & pervulgata fluviorum vocabula, ac loca unde originem capiunt, aut qua fluunt, incredibilem in modum permiſceant, & pugnantia inter ſe loquantur (*). Quid vero de Tabulis dicam? quarum in aliis Ronchus, in aliis Montonus, in quibuſdam Anemo prorſus omittitur. Nempe ex harum inſpectione videtur factum, ut Vir cæteroquin Eruditiſſimus Montonum fuiſſe Anemonem crediderit, Ronchum Bedeſim, ignobilem autem torrentem Vitim. Sunt qui Anemonem Ravennæ a meridie appingant: ſunt qui in Anemonem Montonum pingunt deſinentem: ſunt qui Sapim fuiſſe Vitim, exiſtimare videantur. Quidam Ronchum ſic delineant, ut ab oriente ſole perſtringat Bertinorium: quod ut Forum Druentinorum eſſe potuerit; ſic cum Procopii *Petra Pertuſa*, quam nunc *Furlo* vocitamus, in hac tanta Geographiæ luce, qua Leonardus Aretinus carebat, confundi poſſe (**), non putabam. Nonnulli, & Præſtantiſſimi quidem Viri, eundem proponunt Ronchum, Ravennam a ſeptemtrionibus alluentem. Neque minus Illuſtres ſunt, qui Montonum Ravennæ appingunt ad meridiem, non minori profecto hallucinatione, quam cum Vatrenum, & Anemonem ſuæ quemque urbi ab occidente ſole. Denique alii Ronchum adeo ad Forum Livii admovent, ut Sapim ad Cæſenam: alii idem Forum inter Ronchum, & Montonum pari intervallo medium faciunt: alii Montoni confluentes Solonæ illi commentitiæ propiores, quam ei Foro: ne quidquam de iis dicam, qui Forum ipſum Ravennæ, quam Faventiæ, vicinius delineant. Ab his ego, aut ab aliis qui eoſdem ſequuntur, alia omnia diligentius perveſtigata eſſe, credam quam antiqua nomina eorum fluminum, quorum præſentia vocabula, origines, curſum, poſitum uſque adeo intelligam negligenter eſſe quæſita, cum hæc tamen ſint in propatulo; illa jaceant in obſcuro: hæc ipſis auribus, atque oculis percipiantur; ad illa non niſi per conjecturas accedere poſſimus. Quarum ut noſtras accepiſti, ita ſi eorum viciſſim quæras; multum vereor, apud eorum quidem pleroſque, ullas ut poſſis invenire. Nam aut nullas proferunt, aut iis ferme videntur niti, quæ ex illis quæ ſupra dicta ſunt, facile convellantur.

12. Sed quoniam Philippus Cluverius eorum ſententiæ eſt conſtantiſſime patrocinatus, neque is in præſentibus rebus inquirendis eadem quam in pleriſque aliis notavimus, negligentia fuit; quid tandem proferat Geographus certe, ſiquis alius his poſtremis ſæculis, doctiſſimus, & in veteribus monumentis verſandis exercitatiſſimus, a quo dudum in hac controverſia pendent cæteri, præſertim qui ſunt inter ipſos doctiores, atque illuſtriores, videamus. Quod ita faciemus, ut ſimul vox *Vitis* ſitne in Plinio retinenda, an vero in *Utis*, ut Cluverio placet, mutanda, diſpiciamus. *Inter hunc amnem* (Anemonem) *& Sapin duo ſunt flumina memoratu digna* (inquit Cluverius (2), qui hæc ne relegiſſe quidem videri poteſt) *uno ore in mare exeuntes apud Ravennam, quam utrinque cingunt, ab occaſu, vulgari vocabulo* Montone, *ab ortu* Bedeſo; *ſed qui ſuperiore ſui parte* Ronco *vocatur. Hic quum ſit ille Plinii* Bedeſis; *ſine controverſia alter erit is, qui in omnibus exemplaribus hactenus vitiato vocabulo legitur* Vitis: *quod haud dubie ipſe Plinius ſcripſit* Utis: *unde obliquus caſus fiebat* Utentis; *ut in Bruto agro* Trais Traentis *erat, qui nunc eſt vulgo* Tronto; *& in Trojano Aſiæ agro Simois* Simoentis: *nempe Græca formatione*. Duo hic præcipua affirmat Cluverius, alterum, Ronchum eſſe Plinii *Bedeſim*; alterum, Plinium non ſcripſiſſe *Vitis*,

[1] l. eod. 1. [*] De his, & ſequentib. videri paſſim poterunt quæ ſequuntur Epiſtolæ.
[**] Vid. Epiſt. XIII. n. 9. & ſeqq. [2] Ital. Antiq. l. 1. c. 28.

Digitized by Google

tis, ſed *Utis*. Ab hoc incipiamus.

13. Locus eſt Livii (1), ut præclare noſti, ubi Gallorum tranſitu aliorum alio tempore, in aliaſque inter Alpes & Padum Italiæ partes expoſito, tum Bojorum Lingonumque, qui *cum jam inter Padum, atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modo, ſed etiam Umbros agro pepulere; intra Apenninum tamen ſe ſe tenuere*; ad extremum hæc in vulgatioribus libris addebantur. *Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Uſente flumine uſque ad Atheſim fines habuere.* Cum duo hæc ultima fluviorum nomina cum iis minime convenirent, quæ cæteri Hiſtorici, neque cum his quæ Livius ipſe aut modo docuerat, aut mox erat traditurus; Sigonius (2) extitit qui id princeps animadverteret, profitereturque, *ſibi dubium non eſſe, quin eſſet legendum pro* Atheſim, Æſim; hunc enim Senonum extremum fuiſſe terminum, Veteres Scriptores prodidiſſe. De altero autem flumine in quo Livius citeriores ſtatuit Senonum fines, hoc eſt inter ipſos, & Bojos Lingoneſque, qui jam Etruſcos, atque Umbros ultra Apenninum expulerant, ſic cenſuit Sigonius. *De Uſente in iis locis flumine nihil adhuc comperi. Veteres libri habent* Utente, *mira inter ſe conſenſione, ut* Vite *legendum eſſe videatur*. Vitis *autem amnis meminit Plinius in iis locis. Uſens eſt in Campania*. Neque in aliis præterea Scriptis, ſiquando hæc aut de Livii ſententia, aut de ſua attigit, aliter, quod ſciam, ſcribendum putavit. Nam & Livium docere, ait (3), Senones *ab Vite flumine uſque ad Æſim fines habuiſſe*, & ipſe ita ſcripſit (4), *Boii quidem a Tanaro amne uſque ad Vitim; Senones autem a Viti uſque ad Æſim*, & (5) *Ultra Æſim tenuerunt Galli Senones, ut opinor, uſque ad Vitim*. Igitur Sigonius quidem apud Livium potius *Utente* mutandum eſſe cenſuit in *Vite*, quam apud Plinium *Vitis* in *Utis*. Cluverius contra, *haud dubie ipſum Plinium ſcripſiſſe* Utis, affirmare non dubitat. Vidimus antea cum pariter affirmaret, Solonam *haud dubie* ibi fuiſſe, ubi nunquam fuit. At enim *antiqua* Livii *exemplaria mira conſenſione habent* ab Utente: quod præter Sigonium, & Cluverium, confirmat is qui Livium, *MSS. Codicum collatione recognitum* Oxonii edidit, Th. Hearnius. Ego vero cum id non omnino (*) diffitear; Plinii tamen Codices & vetuſtos, & recentes vel multo majori conſenſione habere *Vitis*, mihi contendere poſſe videor, quando præter Cluverii ipſius confeſſionem, *in omnibus exemplaribus* ita *legi*; non modo olim Dalecampius, qui *cum manuſcriptis codicibus attentiſſime* Plinium contulit, & Gelenius item, ac Pintianus, qui idem ſe feciſſe profeſſi ſunt, ſed neque Joannes Harduinus, incredibili Vir eruditione, & diligentia præditus, qui Plinium noſtra ætate accuratiſſime recenſuit, variantem ullam lectionem ad eam vocem adnotavit. Quin ne conjecturæ quidem Cluverii tantum tribuit, ut ipſam memoraret. Itaque neminem, quod ſciam, ad hoc tempus habemus, qui Plinium ediderit aliter, ac *Vitis* ſcribentem. At id vocabulum, inquit Cluverius, *in omnibus hactenus exemplaribus vitiatum eſt*. Sic tamen in longe etiam vetuſtiſſimis legebatur, quippe cum in perantiqua illa SS. Hilari, & Olybrii Vita ſupra viderimus diſerte fuiſſe ſcriptum, *monte, ſub quo Vitis amnis defluit*, indicio manifeſtiſſimo, quemadmodum apud Plinium vel iis ſæculis id vocabulum legeretur. At *apud Plinium vitiato jam tum vocabulo legebatur* Vitis. Hæ nimirum ſunt Cluverii reſponſiones, atque rationes, cur Plinianus *Vitis* in *Utis* mutandus ſit; quaſi vero nemini viciſſim liceret haud diſſimili ratione ſuſpicari, vitium fortaſſe in Liviano *Utente* deliteſcere, præſertim poſtquam Sigonius, non mediocri Vir judicio, ibi *Vite* eſſe legendum, exiſtimavit. Quid ergo eſt? Etſi cum Cluverio pro eo ac meretur, liberaliter agere mihi placet, ultroque hoc addere, multo facilius ab oſcitantibus librariis *Utis* in *Vitis*, quam *Vite* in *Utente* mutari potuiſſe; tamen ejus ſententiam ſi quis conjecturæ loco proponat; non improbabo: ſi ut monitum neceſſario ſervandum; non ac-

quie-

[1] Hiſtor. Dec. 1. l. 5. [2] in Scholiis ad eum Livii locum.
[3] De antiquo Jure Ital. l. 1. c. 16. [4] Hiſt. Bonon. l. 1.
[5] De ant. Jure Ital. c. cit. [*] Vid. Epiſt. V. n. 8. in fin.

Digitized by Google

quiescam. Nam quid Plinius ipse haud dubie scripserit, nescio; quid in omnibus ejus codicibus legatur, video.

14. Nunc ad alterum, quod Cluverius pariter affirmat, veniamus, illum Plinii *Bedesim* esse Ronchum. Quid ita? Quia Ronchus ad Ravennam vulgari vocabulo *Bedeso* appellatur. Quod Cluverius ex Leandri Alberti Descriptione (1) videtur sumpsisse. Rubeus (2) tamen, qui certe, ut dixi, Ravennas erat, neque ita multo post Leandrum scribebat, id ignorabat; nam *Ronchum* quidem, vel, ut ab aliis, *Aquæductum* vocari, dixit; *Bedesum* non dixit: imo Leandrum ea in parte *cæcutivisse*, ut ante etiam retuli, pronunciavit. Verum fac, *Bedesum*; quod nec ipse tamen unquam audivi; ad Ravennam appellitari. Si quis propterea esse *Bedesim* Plinii, affirmet; at ego ex contrario esse Plinii *Vitim*, contendam propterea quia ab superioribus accolis revera, ut ostensum est supra, dicitur *Viti*. Igitur cum ista Cluverii ratio facile concidat, qua una, ut videtur, permotus, Ronchum esse Plinii *Bedesim*, affirmavit; simul & hoc concidit, & illud quod hinc colligebat, alterum flumen esse Vitim, sive, ut ipse malebat, Utentem illum, quo a Boiis Senones dividebantur: nisi forte ex hoc ipso posse alteram duci rationem multo firmiorem, putabat, cur Montonus Vitis, &, quod consequeretur, Ronchus esset Bedesis existimandus. Ego vero ut Livii Utentem fateor Bojos a Senonibus divisisse; ita ex hoc non video sequi, Utentem in Montono potius, quam in Roncho, esse agnoscendum. Quin veri similius putaverim, quando quidem nihil est in Veterum Scriptorum locis quod aliter hic rem se habuisse, præclare ostendat; veri similius, inquam, putaverim, fuisse ejusmodi fines ex conventione inter amicam utramque gentem constitutos in paulo majori flumine, quale est Ronchus, quam in minori, quale videlicet magna ex parte est, fuitque Montonus, quippe ab ostio confluentes usque par Roncho, inde vero ad summum usque Apennini jugum in duos illos amniculos divisus. At enim si in Roncho eos fines constituimus; Ravennam Boiis, eumque agrum in quo Forum Livii est, assignabimus: quæ Cluverius adjudicavit Senonibus? Nos vero, si non Cluverium; at Ptolemæum fortassis sequemur, tanto clariorem Geographum, tantoque vetustiorem, quem Cluverius ipse (3) fatetur, *hæc ex Veterum monumentis desumpsisse*, videlicet *Senonum; Æsis fluminis ostium, Sena Gallica, Fanum Fortunæ, Pisaurum, Ariminum. Bojorum Gallorum; Rubiconis amnis ostium, Ravenna, Padi fluminis ostium*. Quo in loco si Ptolemæus illos Bojorum fines spectavit, qui, deletis Senonibus, fuerunt; non inde tamen liquet, Ravennam quoque non ad Bojos antea, sed ad Senones attinuisse; quando Livius, cujus verba produximus supra, ante Senonum adventum, docuit, Bojos Lingonesque, *Pado ratibus trajecto, non Etruscos modo, sed etiam Umbros*, quorum fuisse Ravennam constat, *agro pepulisse*. Sin Ptolemæus eos attendit Bojorum terminos, qui, florentibus Senonibus, fuerant, quod potius ejus sermone videtur significari; tum vero Livianum Utentem propius Rubiconem esse quærendum, apparet de Ptolemæi quidem sententia: qua sane quicunque standum censeret, is minime probaret; si Cluverio plus æquo obsequentes, ex fluvii nomine qui ab Ravenna longius abesset, de Ravennatium fluviorum nominibus ita, ut ipse, statuissemus; aut in Plinio censuissemus, haud dubie *Vitis* in *Utis* esse mutandum: Quanquam si Ravennam, & Forum Livii Boiis potius, quam Senonibus, tribuerimus; non Ptolemæum tantummodo, verum etiam ipsum Cluverium sequemur. Neque enim hic semper in contraria videtur perstitisse sententia, quippe qui alibi (4) Boiis, non Senonibus, *Forum Livii* diserte attribuit, Senonesque non semel ait (5) *inter Ravennam & Anconam urbes incoluisse*.

15. In hac tanta rerum antiquitate, atque obscuritate non imprudenter ab Italis Doctissimis factum censeo, ut postquam Cluverium perlegissent, in nostris tamen flu-

[1] Descrizione di tutta Italia Reg. 14. [2] Hist. Ravenn. l. 1.
[3] Ital. Antiq. l. 1. c. 18. [4] Introduct. in Geograph. l. 3. c. 25.
[5] Ital. Ant. l. 1. c. 17. & 18.

Digitized by Google

fluviis latine appellandis eam quam a Majoribus quasi per manus acceperant, consuetudinem non desererent, aut si forte novitate capti; deseruissent, ad eandem postmodum se referrent. Sic Cæsenatum Historicus, Vir in primis doctus atque eruditus, Scipio Claramontius, qui Montonum *Vitim*, Ronchum *Bedesim* in quibusdam quidem Scriptis (1), contra autem in aliis (2), ut nos solemus, nominaverat, Simeoni filio procul dubio auctor fuit, ut in Apologia quadam pro se scribenda (3) consuetudinem Rubei, Ronchum cum Blondo *Vitim* vocitantis, non improbaret. Sic; ut alios præteream; Vir ætate hac nostra singulari eruditione, doctrinaque ornatissimus Benedictus Bacchinius, cum in iis quæ ad Agnellum Ravennatem adnotavit (4), Ronchi meminisset, Rubeumque laudasset, sine ulla addita animadversione, Ronchus, inquit, *qui Vitis Antiquorum creditur*.

16. Hæc igitur omnia cum ita essent; mihi, atque his quos in consilium adhibui, Clarissimis Viris præstare visum est, ut quid Cluverius censuisset, Iis quidem quibus par erat, commemoraretur, at sub Statua tamen quæ Ravennæ in Foro ponenda erat, ita, ut Iidem videretur, utriusque fluminis nomina perscriberentur; ut communior apud nostrates sententia fert, utque jam gemino in lapide ad Pontis capita legebantur, ne forte qui alia in Foro, alia ad Pontem animadverteret, non de iisdem utrobique fluminibus agi, existimaret. Tu vero, Vir Eruditissime, si præter ea de quibus quæsiveras, multo plura in his Litteris invenies; pro tua Humanitate sic reputabis, me propter occupationes cæteras, & angustias temporis non satis spatii habuisse, ut, seligendo, brevior essem, tum illud spectasse, ut quæ es Prudentia, & Eruditione, quanto plura essent quæ tecum communicarem, tanto plura forent, de quibus judicium acciperem tuum. Vale.

D. Patavii XVIII. Kal. Quinctiles CIↃ IↃCC XXXVIII.

EPISTOLA ÆMILIANA III.

AD AMICUM.

ÆGre tuli, te qui sæpius in Patria esse soleas, hoc potissimum tempore abesse. Huc enim veneram ea mente, ut super iis rebus longos sermones conferremus quas annis ab hinc quatuor nunquam ex me quærere destitisti. Ex quo enim me inter Academicos nostros hic differentem audiveras secundum ea quæ duabus Epistolis, tecum postmodum communicatis, altera ad Marchesium (5), altera autem ad Poggium (6) scripseram; primum coram, tum deinde per litteras sæpenumero petiisti, ut quidquid in singulis prætermittens, in aliud tempus rejecissem, id tecum omne communicarem. Igitur quod gravioribus assidue distentus occupationibus, facere antea non potui, habebam in animo nunc facere, cum hic videlicet otii aliquid futurum esset, tuaque me doctrina, & eruditio non mediocriter in ejusmodi perquisitionibus, sicuti sperabam, juvare posset. Verum quando sic accidit, ut quæ per colloquia non liceat, ea per epistolas sint tractanda; noli tu committere, ut si meis ipse partibus non defuero, tu desis tuis; sed postquam omnia

[1] Cæsen. Hist. l. 8. & 12. & 14. [2] Apparat. Hist. P. 2.
[3] Contest. Apolog. de Cæsenæ Triumph. l. 1. [4] Observat. ad Vitam S. Apollinar.
[5] Epist. I. [6] Epist. II.

Digitized by Google

omnia perſcripſero, tu viciſſim de ſingulis quid ſentias, candide, ut ſoles, diligenterque reſcribito.

2. In Epiſtola ad Poggium; in ea enim præſertim ſunt plura, quæ fuſius alias examinanda reliquimus; illud præcipue occurrit cum per ſe dignum quod inquiratur, tum ad cætera ordine perſequenda ſatis commodum, quæ olim facies rerum eſſet late undique circum Ravennam. Etſi enim in illa Epiſtola attigimus quæ tunc propoſito ſatis eſſent; tamen & quædam accuratius poterant, & ſingula fuſius perquiri. Igitur cum recte ab Rubeo (1) ſcriptum ſit, fuiſſe eam urbem *inter marinas undas, & in æſtuariis ſitam, & quinque fluminibus, Pado ſcilicet, Anemone, Montone, Viti, & Sapi, circa eam olim confluentibus, cinctam*; nunc juvabit hæc ſingula expendere, & a fluminibus, atque adeo a Pado initium ducere.

3. Plinius (2) ubi illud ſcripſit, Padus, *quia largius vomit, ſeptem maria dictus facere*; ibi continuo, quaſi ejus ſeptem oſtia enumeraturus, hæc ſubjicit. *Auguſta foſſa Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur, quondam Meſſanicus appellatus. Proximum inde oſtium magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur. — Hoc ante Eridanum oſtium dictum eſt, aliis Spinæticum ab urbe Spina, quæ fuit juxta. — Auget ibi Padum Vatrenus amnis ex Forocornelienſi agro. Proximum inde oſtium Caprafiæ, dein Sagis, dein Volane. — Inde oſtia plena. Carbonaria, ac foſſiones Philiſtinæ, quod alii Tartharum vocant.* Niſi in ea voce *plena*, de qua nonnunquam dubitavi, ſubeſſe mendum, ſuſpicemur, ſexti oſtii nomine ſic depravato; neceſſe eſt, ut, ſicuti indicavit Sabellicus (3), & diſertius Volaterranus (4), unum Padi oſtium fuiſſe agnoſcamus ad Ravennam; quo ſeptem illorum oſtiorum conſtet numerus. Hæc ſententia poſtea Hondii (5) fuit, & ante hunc Cluverii (6), qui huc traxit non modo quod in Itinerario eſt, Antonino adſcripto, *ab Arimino recto itinere Ravennam M. P. XXXIII. Inde navigantur ſeptem maria*, ſed & illa quæ in Epiſtola ad Poggium (7) produximus, Jornandis verba, de Ravenna loquentis, Padus *SEPTIMÆ ſui alvei parte mediam inflait civitatem*. Quin etiam ii qui apud Rubeum (8) indicantur, verſuum Dantis Interpretes, quibus verſibus Franciſcam illam Guidonis Polentani, Ravennæ domini, filiam, ſuam Patriam ſic deſcribentem induxit (9).

Siede la terra, dove nata fui,
Sù la marina dove il Pò diſcende,
Per aver pace, co' ſeguaci ſui,

plerique exiſtimabant, Dantem ſequutum fuiſſe veterum curſum, quo Ravennam circumdabat, atque interfluebat Padus: quamquam, ut facile videre potes, minus neceſſaria hæc erat interpretatio, nec Franciſcæ conveniens, cum hujus ætate Dantes, quippe Ravennæ verſatus, ibique, non multo pluribus, quam triginta, annis poſt ipſam mortuus, egregie ſciret, non amplius Padum Ravennam interfluxiſſe; Montonum enim, ut alias ad te ſcribentes (10) demonſtrabimus, non in Padum eo tempore, ſed in mare influxiſſe, Dantis alii verſus oſtendunt. Neque tamen vel priſcis temporibus neceſſarium eſt, ampliorem quandam, ſi cum cæteris Padi conferas, hujus partem illuc ſe inferentem intelligere; quando Plinius haud aliud ſcripſit, quam Padum *Auguſta foſſa Ravennam trahi*. Quæ primum foſſa quanta fuerit, deinde vero quanto contractior facta ſit, ac demum ut nulla, videamus.

4. Ex Spinetico, qui diu fuit omnium maximus, Padi alveo foſſam de qua Plinius loquitur, initium cepiſſe infra Vatreni fluminis confluentes, ex ipſo propoſito (11) Plinii loco manifeſtum eſt. Ille enim alveus ordine erat ex ſex reliquis Ravennæ propior, augebaturque Vaterno amne ex Forocornelienſi agro, quod minime fieri potuiſſet, ſi foſſam poneres ſupra confluxum incepiſſe ejuſdem amnis. Neque enim amplius ei confluxui fuiſſet locus, interjecta hac inter Vatrenum, & Padum foſſa. Itaque in ſtagna, non in Pa-

[1] Hiſt. Raven. l. 1. [2] Nat. Hiſt. l. 3. c. 16. [3] Rer. Venet. Dec. 4. l. 1.
[4] Comment. Urban. l. 4. Reg. Tranſpad. [5] Ital. hodiern. Deſcript.
[6] Ital. Antiq. l. 1. c. 28. & 35. [7] n. 4. [8] Hiſt. cit. l. 6. ad A. 128.
[9] InfernoCant. 5. [10] Epiſt. IV. n. 6. [11] ſupra, n. 3.

Digitized by Google

Padum, influxiſſet Vatrenus haud ſecus ac proximi, quos poſtea memorabimus, fluvii ex Faventino agro, & Forolivienſi: quos quidem in Padum haud confluxiſſe, non modo ſilentium Plinii indicat, de Vatreno fluvio, non adeo his majori, cæteroquin loquentis, imo illius alvei Padi oſtium *portum Vatreni dictum* eſſe, ſcribentis; ſed etiam Forolivienſis agri longior ab eo alveo diſtantia, & declivior in ſtagna Ravennatia ſitus confirmant. Inde igitur, unde indicavimus, deducta foſſa Ravennam fuit; non *a Ferraria uſque*, unde, niſi benignius interpreteris, deducere videtur Philippus Ferrarius (1). *Paduſa*, inquit, *Padoa Polybio*, Canal di S. Alberto, *foſſa Padi, quæ & Meſſanicus fluvius, & Foſſa anguſta, teſte Plinio, vocatur, qua a Ferraria Ravennam uſque navigatur*. Et alia ſunt in his verbis quæ aliter dicta vellem; ſed illud præſertim, quod hic perpendendum eſt, *Foſſa anguſta*. Nam qualis ea cunque fuerit ante Auguſtum; tamen ne ducentis quidem ante hunc annis anguſta eſſe potuit, ſi vel tunc pro uno Padi alveo, & oſtio acceptam fuiſſe, recte conjicit Cluverius (2). At Plinii tempore, quod cum Ferrario ſpectamus, pro ejuſmodi alveo, & oſtio acceptam, *largius* certe *vomuiſſe*, & unum ex *ſeptem* illis *maribus* fuiſſe, intelligis: quo igitur modo *anguſta* fuerit, ſive ad Ravennam in Adriaticum Sinum ſe effunderet, ſive potius ſecundum Cluverii conjecturam ex Jornandis loco, a nobis alias (3) deſcripto, ad Claſſenſem illum ampliſſimum portum efficiendum ab Auguſto producta eſſet? Ab hujus igitur nomine totam fuiſſe deinde Foſſam *Auguſtam* vocatam, nec niſi oſcitantia librariorum mutata aliquando in Plinio litterula, *anguſtam* ſcribi cœpram eſſe, multo veri ſimilius eſt, præſertim cum ignorarent illi, quam latos alveos effoſſos Latini ſæpe foſſarum nomine deſignaſſent, ut alibi cum *Foſſam Marianam*, *Druſianam*, *Papirianam*, *Clodiam* dixere; imo hic etiam in Padi alveis, cum unum, qui nunc eſt omnium maximus, *Foſſiones Philiſtinas*, ut propoſitus Plinii oſtendit locus, vocarunt. Cæterum plures Docti etiam Viri, qui ſæculis ſcripſere huic noſtro propioribus, *anguſtam* legere perrexerunt, iis quas ipſi videbant, & ego infra commemorabo, hujus Foſſæ anguſtiis, ut opinor, in errorem inducti.

5. Igitur neque rem incredibilem in modum amplifico, ut Foſſam hanc unum quendam ex latiſſimis Padi alveis fuiſſe, credam, neque contra uſque adeo extenuo, ut cum Rubeo (4) ipſis Virgilii, Plinique temporibus fuiſſe cenſeam *modicum rivum, & foſſam, atque amniculum, quo Padi aqua Ravennam derivabatur, olim Meſſanicum appellatum*, ſic ut; quod etiam ſcribit (5); *neque ea in mare foſſæ influeret, ſed per paludem, in qua ſita Ravenna --- erat, funderetur, diſpergereturque*. Scilicet quid priſcis illis eſſet, fieretque temporibus, minime ex iis erat quæ deinceps acciderunt, exiſtimandum. Limus enim ſimul cum aqua tum ex Spinetico Padi alveo, tum ex Anemone demum, & Bedeſi in foſſam hanc ſenſim quidem, ſed per ſæcula invectus, primum fecit qualem Rubeus, vel initio fuiſſe, credidit, pro uno ex ſeptem Padi alveis non agnoſcendam, tum deinde ſæculis aliis additis, effecit denique ineptam illi navigationi, cujus tandiu præbuerat uſum. Nam certe ſub ipſa ferme Auguſti tempora hæc ab Strabone (6) ſcripta ſunt. Ex Placentia *Ravennam per Padum navigatio eſt dierum duorum, noctiumque totidem*. Sæculo autem V. quo Sidonius (7) navigationem pariter per Padum deſcripſit ſuam, etſi ex certo hujus verbo, de quo diſputare hic nolo, viſa eſt Rubeo (8) illa arctior foſſa, & fortaſſe in parte facta jam erat; tamen & Padum ea ratione qua a me alibi (9) ſcriptum eſt, memoravit, qui interlueret, allueretque Ravennam, & quam expedito itinere ad hanc appulerit, non obſcure oſtendit. *Brixillum oppidum*, inquit, *dum ſuccedenti Æmiliano nautæ decedit Venetus remex, tantum ut exiremus, intravimus, Ravennam paulopoſt curſu dexteriore ſubeuntes*.

[1] Lexic. Geogr. ad vocem Paduſa. [2] Ital. Ant. c. 35. cit.
[3] Epiſt. II. n. 6. [4] Hiſt. cit. l. 1. [5] l. 6. [6] De Situ Orb. l. 5.
[7] l. 1. Epiſt. 5. [8] l. 6. cit. [9] Epiſt. II. n. 6.

Digitized by Google

Sub initium quidem Sæculi IX. fossam hanc Rubeo (1) crediderim jam *navigari nisi minoribus navigiis*, non potuisse, sic tamen ut rursus *multo quam esset antea*, sæculis videlicet proximis, *navigabilior* facta sit. Certe Liutprandum (2) sæculo X. scripsisse, video, Othonem I. Cæsarem *Papiæ navim conscendisse, ac per Eridani alveum Ravennam usque pervenisse*. Sed non sic facile eidem Rubeo (3) credam, sæculo XIV. *ostium* hujus fossæ, *in quod Padus influebat, obstructum* fuisse, & jam tum *alveum remansisse paludis aquæ plenum, quod & nunc*, inquit, *cernimus*. Namque ut minime hic quæram, num id revera significent verba, quibus nititur, Joannis Boccaccii in libello de Fluminibus, neque iis alia opponam ex ejusdem Philocopo (4) ubi Phileni iter narrans, Ravenna, ait, per Padum Mantuam venisse; Blondus (5) utique, & Spretus (6), quorum alter post medium sæculum XV. est mortuus, alter ante extremum idem sæculum Ravennæ florebat, Rubeo non obscure adversantur, cum Blondus hanc fossam *in Padum* tunc scripserit *navigia perferre*, Spretus autem *in fluvium Eridanum derivare*.

6. Cæterum jam ante Blondi ætatem non negavero tum limo usque & usque convecto, tum ob aquarum in Spinetico alveo imminutionem, aquæ etiam quæ in fossam hanc influebat, copia magis magisque imminuta, fossæ & altitudinem, & latitudinem usque adeo decrevisse, ut pro uno Padi alveo amplius agnosci non potuerit. Nec tamen propterea ab eodem Blondo (7) scriptum oportuit, constare, *a Pado semper duodecimo milliario abfuisse* Ravennam, & hoc nomine arguendum Procopium, quod eam urbem tradiderit *a Pado mediam fuisse divisam*. Nam neque is, sed ut alias (8) utriusque prolatis verbis ostendimus, Sidonius, & Jornandes hoc tradiderunt, & vere quidem: nec eum Procopius (9) Ravennam decurrere Padum, scripsit; aliud quam quod ipse, & tot veteres Auctores conspexerant, scripsit; quamvis Blondus ob tantam rerum mutationem nec videre amplius posset, neque agnoscere. Hujus tamen ætate *Ravennæ mœnia secus Montonum amnem* illa etiamtum fossa *attingebat* (10): quo post initium quoque seculi XVI. propemodum pervenisse, ex ipso Rubeo (11) apparet. Tunc enim cum Ravenna immanissimo direpta est, *ad Hadrianam ferme urbis portam* fuisse *Ferrarienses naves*, commemorat, *quæ a Pado per Fossam Messaniam commeatum Gallo exercitui Ferraria devehebant*; ut ne tum quidem obstructum fuisse ad Padum ejus fossæ ostium videatur. Idemque *ad* eandem illam *portam sua ætate* eam *fossam* pervenisse, confirmat (12) quæ tamen tunc cum scriberet, jam *distabat secundo ferme ab urbe lapide*. Verum ante medium illud sæculum XVI. cum eadem fossa *ob cœnum fundo inhærens, jam esset navigationi inepta — per fossam percolam — usque a D. Petri in armentario, inde per — paludes breviore via novam* fuisse *perductam*, idem Rubeus (13) docuit. Quem si diligenter ii qui ab eo tempore ad hunc diem scripserunt, Geographi perlegisent Ortelius (14), Merula (15), Cluverius (16), Hondius (17), Ferrarius (18), Baudrandus (19), Cellarius (20): ut alios, & in his recentissimos præsertim omittam; haud commisissent, ut qua via, sua quisque ætate *Canalem S. Alberti* duci, cernebant, eadem quoque ductam illam vetustissimam Fossam credidisse viderentur. Sed & is Canalis, quem jam *stagnantem, vadosum, arctumque* adeo, ut *remis non pateret locus*, nonnulli eorum conspexerant, is, inquam, obstructo ad Padum ostio, denique eo redactus est, ut ne ipse quidem, etsi ab recentissimis ponitur, occurrat amplius, vix aliquo sui, ut superiore mense vidi, alicubi vestigio relicto.

7. Miraris fortasse, me super hac Fossa nullum

[1] Hist. cit. l. 5. [2] Hist. l. 6. c. 6. [3] Hist. cit. l. 1. [4] l. 4.
[5] Histor. Dec. 3. l. 8. [6] De Urb. Ravenn. amplit. &c. l. 1.
[7] Hist. Dec. 1. l. 4. [8] Epist. II. n. 5. 6. [9] De Bello Goth. l. 4. c. 1.
[10] Italiæ Illust. Reg. 6. [11] Hist. Ravenn. l. 8. [12] l. 1. [13] l. 9.
[14] Synon. Geogr. in Paduſa [15] Cosmogr. P. 2. l. 4. c. 11.
[16] Ital. Illustr. l. 1. c. 35. [17] Ital. universal. Descript.
[18] [19] Lexic. Geogr. in Paduſa &c. [20] Notit. Orb. ant. l. 2. c. 9. n. 226.

Digitized by Google

nullum produxiſe locum Ravennatis Auctoris, qui IX. ſcribebat ſæculo, eamque Foſsam, nec ſemel, commemoravit, ut a me in alia Epiſtola (1) indicatum eſt. Ego vero de induſtria huc diſtuli, ne ſeriem temporum longius abrumperem, ſi antea locos illius proferrem, hoſque illuſtrare, quo ad ejus poſsem, conarer. Is fuit Abbas S. Mariæ ad Blachernas, cujus Liber Pontificalis a Viro Doctiſſimo ætate noſtra editus, & Præfationibus, atque Obſervationibus ornatus eſt; Agnellus, qui & Andreas appellatus. Nam & ipſe de ſe in Vita S. Maximini ſcripſit, *nomine Agnellus, qui Andreas vocabatur*, & Scholaſticus quidam in verſibus ei libro præfixis,

nomine dictus
A puero Agnellus fuit, Andreaſque juventa.

Quod ne factum credas cum in ſacram Monachorum Familiam adſcriberetur; animadverte quod de ipſo Viri Eruditiſſimi tradiderunt, *fuiſſe Ravennatem, & Presbyterum, non Monachum, etſi Abbatis titulum geſſit*. Vide igitur, num attinere id forte poſſit ad aliquam Ravennatis Eccleſiæ conſuetudinem; non ad eam tamen quam ex ſæpius laudato Rubeo (2) didici ad ſua uſque tempora viguiſſe, ut *alterum infanti nomen imponeretur, cum ſacro tingebatur lavacro —, altero nomine appellaretur, cum inducebatur in templum, adhuc ante fores exiſtens: ſic ut omnibus eſſent Ravennatibus duo nomina, cum tamen eo deinde ſolo uterentur, quo appellabantur ad baptiſmatis lavacrum. Hoc ritu me*, inquit, Rubeus, *qui dum Divino beneficio ſacro fonte* abluerer; *Hieronymi nomine ſum vocatus, ad ipſas templi fores, Euſebii — nomine appellarunt*. Nunc quando is vetus Scriptor quis fuerit, vidimus; quid de fluviis ſcripſerit Ravennæ proximis, videamus. Plura ſunt in Vita Felicis (3), in quibus ante hoc decennium Cl. Weſſelingius (4) non illaudabilem operam poſuit. Illa cum Blondus (5) olim legiſſet, recte quidem in parte cenſuit, *magnam oſtendere fluviorum, populorum, & locorum regionis mutationem*; ſed illud in primis non recte, *Padum Bononiæ tunc propinquum ea Agnelli deſcriptione plane oſtendi*. Scilicet Blondum illa in errorem adduxerunt verba, *Coriandri campos, & loca omnia circa phalanges armatæ, Bononienſes tranſmiſſo Eridano parte Lionis ſervent*, ſive, ut cum Weſſelingio malumus legere, *portum*, de quo alibi (6), *Leonis*. Apparet autem minime neceſſe eſſe, ut propterea Padus tunc eſſet Bononiæ vicinior, quando & Sarſinates, procul diſſita in montibus civitas, paulo ante juſſi fuerant ad *littora & portus*, ſive ad *Cerviam*, ut Weſſelingius mavult, urbem maritimam, *excubare*. Contra apparet ex aliis etiam Agnelli verbis in eo capite, & proximo ſuperiore, Padum fuiſſe non procul Ravenna: ad cujus defenſionem tot populi acciti fuerant adverſus Theodorum patricium, & Siculæ claſſis præfectum, ut vel ex Blondo eodem (7) conſtat, & Bernardo Juſtiniano (8). Hunc Theodorum, *ignotum quendam* ex ſilentio, opinor, Agnelli, hujus Editor, alioquin Eruditiſſimus, vocat (9). Qui egregie huc adnotat (10), ex memoratis ab Agnello excubiis omnibus *fortaſſis agnoſci poſſe, qui per ea tempora* (poſt initium ſcilicet ſæculi VIII.) *eſſent Exarchatus fines, a Sarſina videlicet Ravennam uſque. Faciem* præterea *circumpoſiti Ravennatis agri agnoſcere proclive, & Eridanum non longe ab urbe fluxiſſe intermedio campo, quem Coriandri vocabant, ad cujus fluminis Oſtia Portum extitiſſe, ubi merces, militeſque exponi ſolebant*. Sed de his, & de aliis quæ in Felicis Vita ſunt, alibi (11) erit opportunior ſcribendi locus.

8. Nunc quæ in Joannis, qui Felici ſucceſſit, Vita (12) ab Agnello ſcripta ſunt, diligentius expendamus. Simul enim quædam ex modo indicatis, ſimul plura alia illuſtrabuntur, ad propoſitum attinentia. Primo capite mentio fit *Portæ, quæ dicitur*

[1] II. n. 6. [2] Hiſt. Raven. l. 11. [3] P. 2. c. 3.
[4] Adnot. ad Veter. Rom. Itinerar. ad Iter ab Urbe Mediol. [5] Hiſt. Dec. 1. l. 10.
[6] Epiſt. VII. n. 7. [7] l. modo cit. [8] De Orig. Urb. Vener. &c. l. 9.
[9] Obſ. ad Felic. Vit. n. 3. [10] Ibid. n. 4. [11] Epiſt. VII. n. 7.
[12] P. 2.

Digitized by Google

aut Vicus ſalutaris, quæ erat juxta fluvium Pantheum, mox vero & alterius *Portæ, quæ pergit ad Vicum Leproſum, ubi eſt pons ex baſibus factivis*, ſive, ut habet Codex, *factus*. Altero autem capite hæc, a nobis magis attendenda, ſcribit Agnellus. *Ravenniani egreſſi ſunt ad eum* (Ducem quendam Græcum) *more præliandi in campum Coriandri. Qui ſimulata fuga terga dantes, cum perveniſſent ad ſtadium Tabulæ, ubi pro ſigno terminus lapideus fixus eſt, reverſi &c.* Tum narrat, ut Græci revera ipſi *cœperint fugere, infra dromonibus putantes ſe liberare. Tunc* noſtri, inquit, *circumdederunt eos cum cymbis & carabis, & irruentes ſuper Byzantios, omnes interfecerunt, & corpora eorum in Eridanum præcipitaverunt; & ſic fuit, ut per annos VI. ex Patheremo* (vel ut Codex habet, *Pathereno*) *nullus inde unquam piſcem comederet*. Unus, an plures, & qui fluvii utroque capite ſint ab Agnello deſignati, & prope, an procul Ravenna, & ad quam plagam hæc quæ narrantur, acciderint, tunc conjiciemus, cum prius quid huc adnotaverit Doctiſſimus Editor (1), modeſte, & pro veri dumtaxat ſtudio in rebus perobſcuris expenderimus. *Fluvius*, inquit, *qui hic non longe a Padi oſtiis fluxiſſe indicatur, primum quidem Pantheon corrupte, ſecundo Patheremus dicitur. Foſſam fuiſſe cenſeo ex vicino Paduſæ ſtagno fluentem, quæ piſcoſa Ravennatibus, uti Paduſa ipſa, de qua Virgilius „ piſcoſove amne Paduſæ. „*

9. Quam ad plagam eſſet fluvius Pantheus, a Porta juxta quam erat, intelligendum eſt. Ea duxiſſe videtur ad Vicum Salutarem, ut altera, ubi pons erat, ducebat ad Vicum Leproſum, ſeu Leproſorum. Agnelli Editor non ignoravit, *dubitaviſſe notarum marginalium* (in Codice) *Auctorem an* ea quæ ibi dicuntur, *intelligi deberent de Civitate Claſſis, quæ per eam occaſionem ſubverſa ſit; ob id fortaſſis, quod porta Vicus Leproſi ad Claſſenſem urbem* ingreſſum *præberet*, nec Editor negat, *potuiſſe tum Claſſem primum occupari*; Ravennam deinde. Ego vero etſi ex Agnelli contextu video, duas illas Portas unius fuiſſe ejuſdemque urbis; nam dum omnes cives concurrerent ad defendendam primam illam Portam quæ ad Vicum ſpectabat Salutarem, alteram quæ ducebat ad Vicum Leproſorum, aperuit proditor; tamen in hoc arguendo non immorabor; imo duos illos Vicos ad urbem Claſſenſem attinuiſſe, comprobabo. Nam primum hæc apud Rubeum (2) lego, *ſe ad Claſſenſe oppidum conferret, in vicum, cui Leproſorum cognomentum erat*, tum illa quoque (3) *Sepultus* (S. Severus) *eſt in Claſſe oppido, haud procul a regione, quam ſalutarem vocabant, quo loco — inſequentibus temporibus ejus nomini erectum templum eſt*. Ipſe autem Agnellus in Vita S. Severi (4) hujus *Eccleſiam* memorat *ſitam in civitate dudum Claſſis, non longe a regione quæ dicitur Salutaris uſque in præſentem diem*, ſive, ut alio in loco (5) *in regione, quæ vocatur Vico Salutaris*. Itaque ex his qui producti ſunt, Rubei, atque adeo Agnelli locis ſatis comprobatum vides, illas quas ex ipſo memoravimus, Portas, &, quod conſequitur, fluvium Pantheum, quem juxta alteram eſſe, dixit, ad eam ſpectaſſe plagam aquæ Claſſenſe oppidum poſitum erat. Igitur ſi Patheremum, locumque pugnæ, ab Agnello indicatum, ad diverſam plagam fuiſſe, oſtendero; dubitabis continuo, num ex corrupta Patheremi voce factus ſit Pantheus, & num uterque unus idemque fuerit fluvius.

10. Id vero ex aliquot conficiam Agnelli locis, cum eo de quo hic quærimus, collatis, in quibus, veluti in eo, *Coriandri campus*, & *ſtadium Tabulæ* memorentur, ſimul autem indicetur Porta, aut Ædes aliqua, aut fluvius denique, cujus poſitum ad diverſam fuiſſe Ravennæ partem, non ignoremus. Igitur cum in Vita S. Liberii III. (6) legamus *extra Portam Artemetoris non longe ad ſtadium Tabulæ prope campum Corianthri*; patet, id quod quærimus, planum fore, ſi conſtet, quo Porta illa pertineret. Conſtabit autem ex Vita S. Johannis I. (7). In hac enim poſtquam Agnellus de Theoderico rege multa narravit, quæ hujus loci non ſunt, in

[1] Obſ. ad Johan. Vit. n. 5. [2] Hiſt. Ravenn. l. 1. [3] l. 2.
[4] P. 1. c. 2. [5] in Vita Petri Sen. P. 2. c. 1. [6] P. 1. [7] Ibid. c. 3.

Digitized by Google

in iiſque quod *ejus temporibus a parte Aquilonis ab omnibus viſum fuerit cælum ardere*, quæ Borealis, ut opinor, Aurora videſis num inter cæteras connumeretur, ex hiſtoriis non ita pridem collectas; tum illum ſubjicit, *ſepultum eſſe in Mauſolæum, quod ipſe ædificare juſſit extra portas Artemetoris, quod uſque hodie vocamus ad Farum, ubi eſt Monaſterium S. Mariæ, quæ dicitur ad memoriam Regis Theuderici*. Igitur liquet, portam Artemetoris ad tam diverſam a Claſſenſi urbe partem ſpectaſſe, quam illa diverſa eſt, ubi Ædem ſacram videmus *Rotundam* vulgo appellatam, illam videlicet cui pro tecto ſaxum unum impoſitum eſt ea amplitudine, & craſſitudine, ut quamvis in ejus dimenſionibus recentes Scriptores non mediocriter inter ſe diſcrepare, animadvertamus; mirum tamen omnibus ſit, illuc attolli potuiſſe. Ex iiſdem Scriptoribus etiam eſt qui „ credibile eſſe, ajat, hanc Ædem fuiſſe „ olim Mauſolæum, & probabiliter Theodorici „ an oblitus, id pro certo eſſe ab Agnello traditum? an huic fidem non adhibens? quem tamen antiquum Auctorem rudem quidem, ſed diligentem, ac fidelem, in patriis præſertim rebus, ab Eruditis hominibus haberi, conſtat. Ille idem quoque cenſuit recens Scriptor, magnum illud vas *porphyreticum* quod apud Ravennates habitum ſemper eſt, hodieque habetur pro loculo in quo ejus Regis corpus conditum fuerit „ non ſatis firma ratione pro eo ha„ beri; cum perſimile labri ſit cujuſdam „ fontis „. De hoc tamen vaſe poſt ea quæ paulo ante deſcripſimus, continuo hæc ſubjecit Agnellus. *Sed, ut mihi videtur eſſe, ſepulchro projectus eſt* Theudericus, *& ipſa urna, ubi jacuit, ex lapide porphyretico valde mirabilis, ante ipſius Monaſterii aditum poſita eſt*. Quod ego tum factum crederem, cum Mauſolæo illo pro ſacra Æde Catholici uti volugrunt, ſepulchro videlicet impii hominis extra ipſam aſportato; ut minus intelligam, a quibus, aut quando poſt Agnelli tempora, imo poſt annum 1286. quo vivebat Auctor *Chronicæ*, Agnello adjectæ, quippe eadem quæ Agnellus, de loco ubi tunc erat id ſepulchrum, confirmans; a quibus, inquam, evectum id fuerit in ſummum verticem ejuſdem Ædis, præſertim cum in eo vertice ne antea quidem Agnellus fuiſſe dicat. Et tamen non modo Rubeus (1), ab Agnelli Editore (2) propterea notatus, ſcripſit, anno 1509. tormenti ictu ex eo vertice dejectum eſſe; ſed & Thomajus (3), Rubeo ætate major, id „ ſuo propemodum tempore „ accidiſſe, teſtatus eſt, in hoc uno diſcrepans, quod ille caſu, hic militum avaritia factum, ajat, & æris, quo illud affabre elaborato opertum erat, cupiditate. Addit hic ſepulchri dimenſiones, docetque, a quibus, cum ibi jaceret humi, in forum poſtea translatum ſit. Nunc autem haud procul a S. Apollinaris Templo quod in urbe eſt, ſpectatur ad imam veteris cujuſdam palatii partem quod Theoderici ipſius fuiſſe, dictitant, adjecta eadem Inſcriptione quam Thomajus, cum primus eſſet inter ſuæ Civitatis *Sapientes*, de horum conſilio in marmore inſculpendam curaverat. Sed omnes, quaſi ſic in tranſitu attigi, de ſepulchro Theoderici dubitationes, tibi diſcutiendas relinquo, & cæteris qui forte Rubeum, a quo certe Agnellus perlectus fuerat, nihilominus tueri velint.

11. Portam autem (ut illuc redeam) Artemetoris circa eum locum fuiſſe, liquet, ubi fuit, & adhuc eſt Porta Anaſtaſia. Hæc enim apud Spretum (4) lego. *In Mariæ, ut appellant, in rotundo, eidem portæ Anaſtaſiæ ſatis propinquo*. Hanc Hadrianæ, ſive (ut idem (5) mavult dictam ab antiqua Familia) Andrianæ portæ proximam, poſtea, ut nunc etiam, *Clauſam*; tametſi iterum recluſit Julius II. Pont. Max. unde Julia quoque dicta eſt, vocitatam eſſe, ſcio (6). Sed num in voce *Artemetoris* mendum latet, legendumque eſt *S. Victoris?* Suſpicionem hanc mihi ingerit ad primum propoſitum maxime faciens Agnelli locus (7) *morabatur extra portam S. Victoris non longe a fluvio, qui vocatur Foſſa Sconti in Baſilica B. Euſebii in Epiſcopio, quod Vvimundus Epiſcopus* tem-

[1] Hiſt. Rav. l. 8. [2] Obſ. ad Vit. S. Joh. I. [3] Hiſt. di Ravenna P. 2. c. 1.
[4] De Urbis Ravenn. Amplit. l. 2. [5] Ibid. [6] ex Rubeo Hiſt. Rav. l. 7.
[7] P. 2. in Vita S. Maximian. c. 14.

Digitized by Google

temporibus Theodorici Regis ædificavit. Ædes autem hæc B. Eusebii erat prope eum quem supra memoravimus, Coriandri Campum: itaque in Litteris Pontific. A. 1262. inter cæteras ad Ravennatem Ecclesiam spectantes hæc quoque ita nominata est *S. Eusebii prope Campum Coriandri*, ut apud Rubeum (1) legisse memini. Quam ne aliam forte esse credas, quam quæ modo ex Agnello memorata est; hæc ejusdem cum prioribus verba confer (2) *Ecclesiam S. Eusebii* ---, *quæ sita est non longe a Campo Coriandri extra urbem* ---, *quam ædificavit Vvimundus Episcopus anno* 23. *Theodorici regis*.

Sed non tam laboro de porta *Artemetoris* fortasse in *S. Victoris* mutanda, quam de fluvio qui vocabatur *Fossa-Sconi* pro *Fossa Asconis*, ut indicavi alias (3), accipiendo, aut etiam in hanc commutando, præsertim cum alter Agnelli locus (4), quamvis aliqua fortasse verborum mutilatione, aut transpositione vitiatus, in eo certe quo de agimus, magis ad propositam a me lectionem accedat: hæreticos *ejecerunt extra civitatem* (Ravennæ) *in loco, qui dicitur Fossa-Sconii, juxta fluvium, lapidibus obruerunt &c.* Fossa autem illa, Augusta olim apud Plinium vocata, cujus gratia tot Agnelli verba perpendenda suscepimus, postea dicta etiam est Fossa Asconis, ut primum, quantum novimus, ex eo apparet Jornandis loco quem alibi (5) produximus. Quod nomen a Geographis creberrime usurpatum, servare malumus, quam ex noviſſime prolatis Agnelli verbis conjicere in *Fossa Asconii* esse mutandum, aut quam suspicari, factum esse ex corrupta apud eos qui Plinium quondam descripserint, voce *Messanicus*. Scripsit enim, ut initio (6) posuimus, Padus *Augusta fossa Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur, quondam Messanicus appellatus*: sive autem hoc nomen Spinetico Padi alveo tribuit, ut contendit Cluverius (7), sive Augustæ eidem fossæ, ut plures intellexerant, hodieque intelligunt; nihil prohibet quo minus credamus, ut hi alteri sequioribus sæculis, ita alios superioribus accipere, & librarios postea vitiare potuisse. Sed hæc tu videris: nos hic, ut diximus, maxime usitatum nomen servare malumus Fossæ Asconis; quanquam Fossa ista, quocunque modo apud Jornandem, & Agnellum legamus, eadem videtur esse apud utrumque cum ob scripturam non ita absimilem, tum ob locum præsertim in quo ab utroque designatur. Jornandes enim sic indicat, *A septentrionali plaga ramus illi* (Ravennæ) *ex Pado est, qui fossa vocatur Asconis*. Agnellus autem ponit, ut vidimus, *non longe a campo Coriandri*, quem ut *stadium Tabulæ*, fuisse *extra portam artemetoris*, hanc autem eodem quo illa quæ nunc *Clausa* dicitur, & quod consequitur, ad septem triones spectasse, ostendimus.

12. Itaque & locus pugnæ illius quæ ab Agnello narrata est (8), ad eandem attinebat plagam. Nam Ravennates egressi sunt ad præliandum in *campum Coriandri*, & mox, simulata fuga, *ad stadium Tabulæ* pervenerunt. Quem igitur fluvium ibi dicemus illum fuisse, quem Patheremum Agnellus vocavit? Editor *fossam fuisse* censet *ex vicino Paduſæ stagno*, & quidem *non longe a Padi ostiis, fluentem*. Quam ego conjecturam minime video cum Agnelli narratione consentire. Ravennates enim ait a stadio Tabulæ reversos, in hostes irruisse, omnesque interfeciſſe, & *corpora eorum in Eridanum præcipitaviſſe, & sic fuiſſe, ut per annos VI. ex Patheremo nullus inde usquam piscem comederet*. Si corpora dixisset in Padulæ stagnum, aut in fossam ex hoc deductam præcipitasse; pateret utique, cur pisces in hac captos abominarentur. Sed præcipitasse in Eridanum, dixit; igitur abominatio illa in pisces cadit, qui in Eridano caperentur. Itaque ne diutius te morer; Fossam ego Augustam, sive Asconis, quam in isto loco fuisse, vidimus, tum *Eridanum*, tum *Patheremum* ab Agnello hic dictam esse, credo, Eridianum quidem; nam Padi erat alveus, ut supra (9) demonstratum est; Patheremum autem, sive, ut in Codice est, Patheremum, ut voce uteretur, apud Ra-

(1) Hist. cit. l. 6. (2) P. 2. in Vita S. Agnelli c. 2. (3) Epist. 2. n. 6.
(4) in cit. Vita S. Maxim. c. 5. (5) Epist. 2. n eod. 6. (6) n. 3.
(7) Ital. Antiq. l. 1. c. 35. (8) Vid. supra, n. 8. (9) n. 3. & seq.

Digitized by Google

Ravennates suos magis tunc nota, ut opinor, atque usitata, certe nunc quoque haud omnino obsoleta, cum in recentissima topographica ipsorum Tabula (1) hujus Fossæ vestigia inscripta videam utroque nomine *Fossa Augusta*, *& Badareno*. In hac autem voce erunt fortasse qui tum Padi, tum Ravennæ, quæ Zosimo auctore (2) *Rhene* dicta est, utrumque vocabulum sibi videantur invenire, *Paderhenum* quasi Padum Ravennatem interpretantes; aut si *Paderemum* legas, quasi Padum per eremum traductum. Nam & templum V. an VI. ab Ravenna lapide S. Petro ædificatum sæculo IV. ideo *in Eremitario* dictum fuit, ut Rubeus (3) scribit, quod *locus ille — prope fossam*, qua de loquimur, *Messaniam*, *solitudo*, *& eremus quidam est*. Nec tamen eremum semper fuisse, ostenderunt urnæ sepulchrales viginti duæ, & antiquæ Inscriptiones amplius sexdecim, quas suo tempore, anno videlicet 1665. haud ita procul ab loco ubi sacra illa Ædes fuerat, effossas scribit Seraphinus Pasolinus (4), tum luculentius demonstraverant *multa ibi marmorum vestigia, pontiumque, & intercolumniorum sub aquis* ab Rubeo (5) *olim conspecta, unde a pene immemorabili ævo submersam illic regionem populosissimam* credebat significari. Quem Rubei locum si Cluverius (6) animadvertisset; hæc fortasse attinere existimasset ad Butrium: quod ut fretus ipse Tabula Itineraria, ibi ponit VI. ab Ravenna lapide, & ad Asconis Fossam appingit; sic velim scire, quibus Auctoribus recentissimus Scriptor nitatur, qui „ etiam„ num Butrium illud extare contendit, oppidulum agri Ravennatis. „ Unum igitur fluvium; ut illuc revertamur; in loco prælii, ab Agnello narrati, fuisse, diximus, & quo nomine, & quam ad Ravennæ plagam; ut nihil restet aliud, nisi ut procul, an prope urbem fuerit, conjiciamus. Non procul autem fuisse, credimus primum ex duobus illis Agnelli locis (7) inter se comparatis, altero de Theodorici Mausolæo *extra portam Artemetoris*, altero de stadio tabulæ prope Campum Coriandri *extra portam Artemetoris*: nam si eadem utrobique locutione usus, *extra portam* in primo significat Mausolæum portæ vicinum; cur in altero illud stadium, & illum Campum procul dissita significaverit? Deinde cum dixit in prælii narratione *ad stadium Tabulæ*, *ubi pro signo terminus lapideus fixus est*, sive septem hæc ultima verba ab Agnello ipso scripta sunt, sive ex codicis ora in qua olim, explicationis causa, adjecta essent, in textum irrepserunt; mihi videtur stadii unius ab urbe intervallum significasse: in eoque, & in illo alio loco ubi *ad stadium Tabulæ* nunc legimus, malim legere *ad stadii Tabulam*, hoc est ad marmoream tabulam, stadium (ut lapides in viis solebant millia passuum) indicantem.

13. Nunc illud abs te interrogari me posse, scio, fluvius ille Pantheus, quem Agnelli Editor (8) ab hac ipsa parte fuisse, censuit, nos autem ab omnino diversa, id est a Classis parte, fuisse, ostendimus, quis igitur esse videatur, Nempe idem fortasse, sicut ille credidit? Patherenus, cujus nomen librariorum culpa in *Pantheus*, si ita velis, mutatum sit; sed non ea tamen sui alvei parte prope quam prælium, & victoria Ravennatum ab Agnello descripta sunt, imo illa ulteriore alvei parte qua, postquam per mediam urbem fluvius traductus fuerat, ad diversam omnino plagam pergebat, quemadmodum supra (9) a nobis commemoratum, alia autem Epistola (10) Sidonio, & Jornande auctoribus, ostensum est. Qui fluminis per urbem transitus Agnelli quoque auctoritate videtur posse confirmari, ubi in Vita S. Neonis (11) describens triclinium *infra* (hoc est, ut intelligere solet *intra*) *Episcopium Ursianæ Ecclesiæ*, ait, *in pariete, parte Ecclesiæ pingere jussit, & in alio pariete super amnem posito &c.* Eodemque fortasse attinet quod in Vita legimus S. Barbatiani Confessoris Ravennatis, cum Agnello ex antiquo *Lectionario* edita; *non longe a fluminis ponte*. Adibat autem tunc Barbatianus illud Templum quod ipsius *rogatu*, *Placidia D. Joanni*

(1) Ragguaglio Istor. delle Diverf. de due Fiumi Tav. I.
(2) apud Rubeum Hist. Ravenn. l. 1.
(3) Ibid. l. 2.
(4) Lustri Ravennati P. 6.
(5) Hist. cit. l. 5.
(6) Ital. Ant. l. 1. c. 28.
(7) Vid. supra, n. 9.
(8) Vid. supra, n. 8. & 9.
(9) n. 4. & 6.
(10) II. n. 4.
(11) P. I. c. 1.

Digitized by Google

ni Baptiſtæ — juxta domum ſuam, extruendum curaverat, ut Rubeus (1) ad annum 438. idem factum paulo aliter narrans, ſignificat. Verum quia etiam S. Neonis obitus tribus ante ſæculis accidit, quam id acciderit cujus occaſione fluvius ille Pantheus eſt ab Agnello memoratus, & ſæculis pariter fere tribus antea Sidonius Ravenna tranſierat, ante duo autem, ut creditur, Jornandes ſcripſerat; idcirco ad interrogationem tuam dubitanter reſpondi.

Nam quod alicui videri poteſt huc attinere Rubei locus (2). Anno 1208. *urbis Ravennæ fluvios defodientes, atque expurgantes, illum præſertim, qui ante ædes, quæ fuerant Joannis Ducis, ad pontem Caurellum, ante domum Bonhomi erat, uſque ad portæ Urſicinæ Gatulum*; vereor, ne malint alii hæc de Bedeſi, Vitique accipere, qui, magis magiſque tot ſæculorum intervallo æſtuariis ac ſtagnis quæ circum erant, imminutis, jam producti eſſent ad Ravennam intercipiendam; & quibuſdam etiam locis, ab additis poſtea ſuburbiis, aut ſuburbanis ædibus ſejungendam.

14. Sequitur, ut de Anemone, cæteriſque amnibus, olim in ea ſtagna influentibus, ſermonem habeamus. Hunc vero in proximas Litteras rejiciemus. Vale.

EPISTOLA ÆMILIANA IV.

DE quinque fluminibus, ſuperioris Epiſtolæ initio propoſitis, quæ priſcis temporibus circa Ravennam confluebant, primo, quod ex Pado erat, eadem Epiſtola, quod ad ejus licuit, expoſito, proximum eſt, ut de Anemone, Montono, Roncho, & Sapi verba faciamus.

2. Anemonis Tullium meminiſſe libro III. de Natura Deorum, ſcripſit Ortelius (3), quod ad oram quoque Lexici Geographici Philippi Ferrari (4) adſcriptum video: ſed in Tullio non invenio. Sic cum Leander (5) Anemonem affirmaſſet Antonino dictum; Paulus quidem Merula (6) confirmavit, nec tamen in Itinerario quod vulgo Antonini vocitant; ſed in Tabula Itineraria *Animo* legitur. Plinius (7) poſt Sapim, & Vitim revera Anemonem memoravit. Sed non omnes, ut nos, & plerique, pro Faventino; quidam certe pro Forolivienſi amne acceperunt, eo videlicet quem *Montone* appellitamus, ſive quod Pliniani vocabuli Anemonis veſtigia ſibi in ea Italica voce invenire videantur, quaſi non magis extarent in hac altera *Lamone*, qua Faventinum fluvium vocamus; ſive quod in nonnullis Tabulis veterem Italiam repræſentantibus, ut in quadam Ortelii (8), in aliaque a P. Bertio (9) edita Cluverii nomine nullum ad Faventiam appictum flumen conſpexerint; ſive tandem quod alius alium, & Exteri præſertim hac in re Italos ſequuntur. Sic Jo. Harduinus (10) Vir cæteroquin Eruditiſſimus, credere potuit Coronellio (11), hic autem Malateſtæ Portæ (12): quem tamen jure meritoque ob id fuiſſe reprehenſum a Scipione Claramontio (13), nihil poteſt magis oſtendere, quam inepta, ut in manifeſtis defendendis erroribus neceſſario accidit, Jacobi Villanii (14) reſponſio ad illam Claramontii reprehenſionem. Hunc autem ideo manifeſtis erroribus accenſeo, quia ſi id ponas; conſequatur neceſſe eſt, a Plinio amnem cæteris quos ibi nominat, haud minorem, Faventinum videlicet, omiſſum eſſe. Quæ una poterat animadverſio recentiſſimo Scriptori dubitatio-

(1) Hiſt. Ravenn. l. 2. (2) Ibid. l. 6. (3) Theſaur. Geogr.
(4) ad *Anemo*. (5) Deſcr. d' Ital. Reg. 14. (6) Coſmogr. P. 2. l. 4. c. 23.
(7) Nat. Hiſt. l. 3. c. 15. (8) in Theatr. Orb. (9) Theatr. Geogr. veter. T. 2.
(10) ad cit. Plin. loc. not. 12.
(11) Teatro delle Città &c. Tav. intitol. Pianta di Ravenna colle le propoſ. &c.
(12) Epiſt. ad Clementin. (13) Apparat. Hiſt. P. 2. (14) Ariminen. Rubic.

Digitized by Google

tionem eximere, nihil, ut videtur, inter propoſitam paucorum opinionem, & eam quæ pleriſque communis eſt, ſtatuenti.

3. Sed ut plerique Plinianum Anemonem agnoſcere in Faventino fluvio non dubitant; ſic eorum qui in utralibet ſententia ſunt, alii quidem italicum nomen ejuſdem fluminis eſſe *Lamone*, ſine ulla hæſitatione cenſent; alii vero, & præſertim; id quod in vocabulo mireris noſtro; Externi ſentiunt aliter, & *Amone* omnino eſſe, contendunt. Quorum pleriſque impoſuiſſe credo majorem vocis hujus, & Anemonis ſimilitudinem; ut L litteram non ad ipſam, ſed ad italicum ſpectare articulum, exiſtimarent. Verum ea littera, quantum video, longe aliam ob cauſam addita eſt. Scilicet ſequioribus ſæculis regionis hujus homines pro Anemone dicere cœperunt *Alamonem*. Conſtat id ex Faventinorum, & Forolivienſium *Chronicis* manu exaratis. Nam in una illarum, ad ſæculum XIII. attinente, hæc verba produci video a Franc. M. Salicto (1) *fecit ædificare unum aliud caſtrum ab alia parte fluminis Alamonis:* in altera autem, quæ ex noſtris eſt, & ob Auctorem vulgo appellitatur *Chronica Moratina*, inter ea quæ ad illud idem ſæculum ſpectant, hæc lego; *Cluſa Communis Faventiæ, quæ erat in flumine Alamonis*, & rurſus infra, *fluminis Alamonis*. Vides igitur, ut ex corrupta latina facta ſit ab noſtratibus vox *Lamone*. Quod cum dico, non illud nego, me in eadem Moratina Chronica mox legiſſe *in valle amonis*, & Julium Cæſarem Tondutium (2) tradere, Jo. Galeatium *primum ex Manfredis Comitem Vallis Amonis, & Faventiæ Vicarium inſtribi cœpiſſe*. At ſimul ajo, eundem Tondutium (3) docere, in latine exararis Faventinorum monumentis pro *Anemo* ſcriptum eſſe per compendium, aut ſyncopen *Amo*: neque propterea in communi uſu fuiſſe video, ut italice dicerent *Valle d'Amone*, ſed *Val di Lamone* (4): quin eos video qui e re finitimorum eſſe exiſtimarunt, ut hæc Vallis primo potius, quam altero, nomine vocaretur, non illud ab Anemone fluvio, ſed ab Lybico, ſi Superis placet, Hamone repetendum eſſe, contendiſſe (5).

4. Cæterum hujus fluvii apud nos vocabulum ſiquis forte Italis nonnullis credidit eſſe *Amone*; is minime attendit, Ferrarium (6), Maginum (7), Coronellium (8), & ſi quis eſt alius ejuſcemodi, ſua, quod haud inficior, laude dignus; eum tamen neque ſingulari linguæ noſtræ, neque peculiari hujus, hujus, inquam, Italiæ partis notitia, neque auctoritate, cum his qui *Lamone* ſcripſerunt, eſſe comparandum. Princeps eſt Dantes, Vir ſuo ſæculo doctiſſimus, & linguæ noſtræ in primis parens, & in hac regione verſatus, cujus verſus ita ſcriptus eſt, ut ſuſpicari non poſſis, operarum culpa articulum voci temere adhæſiſſe (9)

La città di Lamone, e di Santerno,

pariterque ſcripta eſt præclari ejus Interpretis Chriſtophori Landini expoſitio, *Intende Faenza, appreſſo della quale corre il fiume Lamone: & Imola, ove corre Santerno:* nec aliter ſcripſit Interpres alter Alexander Vellutellius. Quod ſi Geographos quæris; Raphaelem Volatterranum (10) lege, ac Leandrum Albertum (11); & vide, num, quod aliquis videtur obtrudere, *Amone* ſcripſerint, an potius *Lamone*: quos cum Abr. Ortelius (12), & Paulus Merula (13) ſecuti ſint, Cluverius (14) quoque, & Cellarius (15), & his recentiores Exteri ſequi potuiſſent; non ſcribere, Anemonem *vulgo nunc Armone, Ammone*, & *Amone* dici. Hiſtorici denique noſtrates, & ii præſertim, quibus in his maxime ſtandum eſt, Faventini Cavina (16), & Tondutius (17) non alio paſſim eum amnem appellant nomine, quam *Lamone*. Quos ſi Cluverius, quippe

(1) Neoter. Hiſt. Favent. Script. Conſut. (2) Favent. Hiſt. Breviar.
(3) Hiſt. di Faenza. (4) Vid. Repliche del Cavina in diſeſa &c.
(5) Vid. Salict. cit. (6) Lexic. Geogr. cit. (7) Italia. Tav. Romagna.
(8) Corſo Geogr. Univerſ. Tav. Territor. di Ravenna.
(9) Inferno Canto 27. dell'ediz. dell'Accad. della Cruſca. (10) Comment. Urban. l. 4.
(11) Deſcriz. d'Ital. Reg. 14. (12) Synon. Geogr. & Theſaur.
(13) Coſmogr. P. 2. l. 4. c. 23. (14) Ital. Ant. l. 1. c. 28. & 36.
(15) Notit. Orb. Ant. l. 2. c. 9. n. 92. (16) (17) locis cit.

Digitized by Google

posteriores, vidisse non poterat, at Rubeum poterat, gravem sane vicinæ Civitatis, & totius pene Æmiliæ Historicum. Hic autem diserte scripsit (1) *Anemo, quem Fantinum, Lamonem, Rasanarium, & Santernum vocant*. Unus esse error primum videtur in ultimo nomine, ut omnes jamdiu suspicari vel ex iis potuerunt, quæ apud Dantem, ejusque Interpretes legi, diximus. Cætera nomina sine ulla dubitatione vera sunt, alterum, uti ostendimus, in regione universa notum, duo reliqua in agro potissimum in quem is amnis defluit, Ravennate, primum quidem, quasi Faventinum per syncopen dicerent, tertium autem a Rasanaria, ut opinor, deductum, castello Ravennatum proximo finibus Faventinorum, quod non semel ab his captum, & incensum, ab illis autem restitutum, & ab his denique dirutum Tondutius (2) memorat sæculo XI. & XII. Id castellum ad Anemonem fuisse, indicat Blondus (3), cum, *trajecerat*, inquit, *Anemonis vada, quæ vocant Rasanaria, sexto* (a Zagonaria) *milliario distantia*, ab Ravenna autem decimo. Nam & Rubeus ipse (4) *Anemonem fluvium*, ait, *eo loco Rasanarii nomen accipere*, qui est *decimum circiter lapidem ab urbe* (Ravenna) *remotus*. Ad idem autem exemplum opinari licet, factum esse Anemoni ultimum nomen in ea saltem parte agri Ravennatis, qua rus præterfluebat *Santerna* dictum. Id rus in Magini Tabula (*) indicatum videbis.

5. In stagna autem quæ erant circa Ravennam, influxisse Anemonem Plinii tempore, superiore Epistola (5) mihi videor ostendisse. Secunda autem (6) propositum de hoc & proximis amnibus Plinii locum sic illustrasse, ut cum jam liqueat, cur ipse Bedesim non inter alios, sed seorsum memoraverit ad Ravennam; credere non possim, te Cluverio (7) adstipulaturum, qui eum locum censuit *paullo incuriosius a Plinio consignatum*, multoque minus causam, quam protulit judicii sui, probaturum, nimirum quod *Anemo non in mare Hadriaticum inter Ariminum, & Ravennam, ut reliqua ista flumina, sed ultra Ravennam in Padum defluat*. Scilicet quid fieret Plinii ætate, ex eo existimabat, quod fieri videbat sua, non secus ac quia Anemo nostro tempore in mare influit, non defuerunt Viri Docti qui, senescente Romano Imperio, in mare pinxerint defluentem. Ille vero etiam Blondi (8) temporibus *nec Adriaticum mare, nec Padum attingens, in eam primus delabebatur paludem*, quæ supra Augustam Ravennatem Fossam incipiebat: & vix denique *averum* Rubei (9) *ætate in Padum est traductus*. Atque ut intelligas quo ipsum loci natura ferret; vel postea ruptis aggeribus, in eandem iterum paludem effluxit, unde *paulo ante* Rubei ipsius (10) *tempora denuo* in suum alveum, & in Padum retrahendus *fuit*. Quin denique natura vicit, Padoque prorsus relicto, Anemo ubi paludes fuerant, illac ad mare via facta, in hoc influxit, & adhuc influit ostio antea paulo minus, nunc autem, idque Artis opera (11), magis a Ravenna dissito; ut si Dantes ad nos rediret, id quod ceu peculiare Montoni scripserat (12), sibi intelligeret esse mutandum, & ad Anemonem transferendum.

6. Ejus enim tempore jam per se in mare contendebat Montonus, quod non petiisse cum Plinius viveret, sed Bedesis nomine in stagna influxisse, & propius quidem urbem Ravennam quam fluvios cæteros, proxime ante ipsum ab eodem Plinio memoratos, non hic a nobis est repetendum. Confirmanda potius ea sunt, & magis magisque illustranda quæ de hujus amnis duplici origine, & singularum nominibus ac progressu, & in unum alveum tum vetere, tum recentiore confluxu, de aliisque ejuscemodi Secunda Epistola posita sunt. Quorum aliqua tametsi per se ipsa leviora videri possunt, non sunt tamen cum a Forolivienſi ad Forolivienſem scribantur, patriarum antiquita-

tum

(1) Hist. Rav. l. 1. (2) Hist. cit. (3) Hist. Dec. 3. l. 2.
(4) Hist. cit. l. 7. (*) Tav. cit. (5) n. 4. (6) n. 2. & seqq.
(7) Ital Ant. l. 2. c. 36. (8) Ital. Illustr. Reg. 6. (9) Hist. Rav. l. 1.
(10) Ibid. (11) Ragguaglio della Diverſ. dei due Fiumi. (12) Vid. n. seq.

Digitized by Google

tum ſtudioſum. Igitur verſus, quos paulo ante indicabamus, Dantis hi ſunt. (1)

Come quel fiume c' hà proprio camino
Prima da monte Veſo in ver levante
Dalla ſiniſtra coſta d' Apennino,
Che ſi chiama Acqua cheta ſuſo avante
Che ſi divalli giù nel baſſo letto,
Et a Forlì di quel nome è vacante,
Rimbomba là ſopra San Benedetto
Dell' Alpe, per cadere ad una ſceſa;

& quæ ſequuntur. Quibus in verſibus cum quidquam quod improbarent, nec Guicciardinus (2), nec Bonolus (3), nec alii, quod ſciam, offenderint, haud ſatis intelligo, præſertim poſtquam ne quis hoc loco ſic erraret olim admonuerat Landinus (4); haud ſatis, inquam, intelligo, quî Viro, alioquin Docto, veri diſſimilitudo, atque adeo falſitas ineſſe viſa ſit, quaſi Dantes hujus originem fluminis poneret in monte Veſo, id eſt Veſulo, qui mons ultra Auguſtam Taurinorum eſt; cum aliud non ſignificet, niſi hoc unum, ſi quis ab eo monte incipiens, ſpectare pergat fluvios omnes, quicunque inde ad nos uſque ex ſiniſtro Apennini latere naſcuntur, fore ut inveniat, hunc de quo loquimur, primum eſſe qui non per Padum, neque per Paduſam, ſed proprio alveo ferretur in mare, Dantis quidem tempore. Hic igitur fluvius, qui ſuperiore illa parte, haud procul a montano olim S. Benedicti Cœnobio, *Acqua cheta*, facile per ironiam, ut ex productis verſibus mihi videtur, appellatus, cum ad urbem noſtram acceſſerat, non eodem amplius, ſed alio, Montoni videlicet, nomine deſignabatur. Infra hanc autem cum altero olim confluebat, quem *Acqua viva* dictum fuiſſe, ab noſtris Hiſtoricis (5) traditum eſt, & tum denique ex duobus iſtis amniculis juſtum flumen efficiebatur. Nunc vero eorum ſingulis alia eſſe nomina, primo quidem *Fagnone*, alteri *Fiumana*, ut Magini quidem Tabula (6) indicat, Geographos video non dubitare. Sic Cluverius (7), ſic Baudrandus (8), ſic alii præterea utuntur altero eorum nominum. Sic recentiſſimus Scriptor utroque utitur, diſerte Maginum ſequens. Nobis vero unde hic ea vocabula acceperit, ignotum eſt, quando neque Majoribus ex eorum ſcriptis, neque montanis accolis ex ipſorum reſponſionibus cognita eſſe, nedum uſitata, deprehendimus. Quæ de *Fagnone* potiſſimum dicta volumus. Nam *Fiumana* vici ſaltem eſſe nomen, propter quem primus labitur amniculus, nemo ignorat Forolivienſium. Quem ad vicum an olim caſtellum, ſive oppidum attineret, quod in tabulis teſtamenti nobilis Dvnaſtæ Franciſci Paulucci (9) ſic memoratur *Salti di fiumana di Raibi*, tu videris. In iis enim tabulis ſequuntur *Flumana* proxima Caſtella *S. Caſſiano in Pennino*, *Pietra d' Appio*, *&c.*, ſimulque videris, num forte conjici inde liceat, quid eſſet *aqua Rabi*, amniculus videlicet de quo loquimur, an potius canalis ex eo deductus, in quo uno excipitur, anno 1212. a Prætore, & Senatu Forolivienſi, ne frumentariæ molæ ponantur a Monachis S. Mercurialis (10).

Bini enim Canales, ut noſti, ſinguli ex ſingulis illis amniculis molendi potiſſimum cauſa a Forolivienſibus deducti ſunt, alter, iſque multo longior, ut per urbem traductus, ad Ronchum uſque flumen pertineat ab *Aqua viva*, alter vero brevis ab *Aqua cheta* in Montonum derivatus: quorum hunc etſi Alexander Paduanius (11) inchoatum ajat anno 1443., tamen intelligere ex eodem (12) poſſis, tunc utiliorem potius redditum eſſe aqua altius deducta, & certe antea fuiſſe; cum anno 1356. ab Ægidio Cardinali ſcribat caſtra eſſe poſita inter eum Canalem, & flumen. Sed breviore hoc Canali ſepoſito, de altero dumtaxat longiore verba fieri, intelligito, cum infra, Canalem nominabimus. In quo recentiſſimus ille Geographus deceptus eſt, cum aquam accipere ſcripſit a duobus amniculis, *Fagnone*, & *Fiumana*;

(1) Inferno Canto 16. (2) Iſtor. di Italia l. 10. (3) Iſtor. di Forlì l. 1.
(4) Comm. ſopra queſto luogo di Dante. (5) Vid. Epiſt. II. n. 8. (6) Ital. Tav. 36.
(7) Ital. Ant. l. 2. c. 4. (8) Lexic. in Civit. Solis.
(9) Vid. Vecchiatzan. Hiſt. di Forlimpop. P. 2. l. 3. (10) Vid. in cor. Codice *Gambero* p. 51.
(11) Croniche di Forlì M. S. (12) Supplem. alle ſteſſe.

Digitized by Google

na ; sed in his magis, cum postquam infra Civitatem Solis inter se communicarunt, se cedere iterum, ait, ut rursus inter se accedant ad Forum Livii. Illi enim amniculi semel, haud amplius, inter se accedunt, communicant, & in unum confluunt, idque passibus, ut nostis supra hanc urbem circiter quingentis; non, ut in illa Magini Tabula, bis mille quingentis. Quæ Tabula cum eandem perperam & Canalis, & communis amniculorum alvei latitudinem proponat, alveus autem ad Canalem accedat; facile impositit, in eumque errorem adduxit, a quo veracior Coronellii Tabula (1), vel obiter inspecta, opportune abducere potuisset.

7. In communem autem alveum, non illum dico, quem infra urbem antiquissimis temporibus fuisse, alias (2) demonstravi, sed hunc quem videmus, ut artis opera corrivatos amniculos fuisse, constat; sic quo tempore id factum sit, repugnantibus inter se Majorum monumentis, non liquet. Nam Bonolus (3) quidem id factum scripsit ante annum 1057. a Scarpetta I. Ordelaffo, non Domino illo scilicet, sed *Capitaneo* Forolivii, qui & Canalem eadem fere via qua fluviolus *Aquaviva* antea perrexerat, in civium commodum perduxerit, eique Canali pontes imposuerit duos, alterum a Pane, alterum ab Equitibus nomen ferentes. Et sane in antiquis Chronicis, quæ, cum hæc scriberem, in manibus habebam, ab ipso Alexandro Paduanio descripta (4), eadem quæ tradidit Bonolus, illi Ordelaffo tribuuntur, nisi quod pontes ii duo ita memorantur, ut antea fuisse, & sub ipsis flumen transisse videatur. Cæterum in tabulis testamenti cujusdam, ab eodem Bonolo (5) indicatis, mentio fit anno 1178. Fluminis novi, & Molendinorum *Calanchi*: & ipse in Tabulario Reverendissim. Canonicorum Forolivienſium Documenta esse, scio, Canalem commemorantia A. 1193. & 1194. prope Molendinum, quod in urbe adhuc est, Ripæ nuncupatum. Sed his omnibus, atque aliis ejuscemodi, quæ postea indicabuntur, plura sunt quæ adversari videantur. Primum in antiquis Cæsenæ Chronicis hæc legimus, *Anno Dom. MCCV. ductum est canale aquæ per medium Civitatis forlivii*. Quæ secutus est Claramontius (6): Alexander autem Paduanius (7) non modo aliis ex Chronicis hoc descripserat, *A. Dom.* 1205. *derivatio ex flumine ducta per urbem forlivii*; sed & in propriis Chronicis scripserat, eo ipso anno id factum, deducta aqua ex flumine *Calancho*, sic videlicet eundem appellans amniculum, quem *Aquaviva* fuisse olim, diximus, & in collectis quoque ab eo Chronicis nuncupatum videmus. Sed præter hanc tantam, quam & Bonolus (8) animadvertit, & discutere conatus est, in Canalis deductione discrepantiam, plura extant Documenta quæ post annum illum 1057. in urbe fluvium commemorant, ut in Tabulario Monasterii S. Mercurialis quoddam est quo anno 1092. mentio fit de *fluvio percurrente* a latere domus *positæ in hac Civit. Livi*: *quæ vocantur figline*: qua in ultima voce etsi tanto magis hæreo, quod & infra habetur, *in Civitate Figline quæ vocatur Livia*; tamen nullum est dubium, quin utroque loco sit Forum Livii intelligendum: itemque alterum, quod anno 1202. diserte memorat *duas domos positas in Forlivio in Burgo nostro super flumen constituto*. Mitto alia sciens, quæ vel serius in urbe fluvium designant, ut testificationes, & sententiam latam die 22. Octobris A. 1231. (9) ex quibus intelligas, tunc flumen haud ita procul fuisse dissitum ab sacra Ædæ, non S. Thomæ Apostoli, quemadmodum alter ex Historicis nostris credidit, sed, ut ibi diserte scriptum est, *S. Thomæ Cantuarienſis*, condita circa A. 1208. a Tederico Malgenero, instaurata autem postea, ut nunc videmus, eodem illo urbis nostræ loco. Quonam igitur modo credibile sit, ante annos 174. illud ipsum flumen supra urbem fuisse alio corrivatum, quod flumen etiamtum per urbem flueret, suumque primum servaret alveum? cui, nec sane plurimis ante illam sententiam annis, novum pontem imposuisset Prætor Forolivienſis,

(1) Territor. di Forlì. (2) Epist. II. n. 8. (3) Istor. di Forlì l. 3.
(4) Raccolta di Croniche &c. (5) Istor. cit. l. 3. (6) Cesen. Hist. l. 8.
(7) Raccolta cit. (8) l. 3. cit. (9) in Tabulario Canonicor. Foroliv.

Digitized by Google

vienſis, non ita dignum, ſi non flumini, ſed Canali fuiſſet impoſitus, marmoreo adjecto monumento, & iis quidem verbis, de quibus alias (1) ad te ſcribam.

8. In diſſidio tamen hoc tanto cum illud inter plures conſtet, quod paulo ante (2) indicatum eſt, Canalem fuiſſe, ſi non circa A. 1057. at certe A. 1205. per mediam, ut videmus, urbem perductum; ſatius eſt, ut conjecturis quæ in contrariam ſententiam rapiunt, minus tribuentes, inde illud primum eliciamus, flumen igitur abductum alio fuiſſe aut eodem anno 1205. aut antea potius; cur enim Canali opus eſſet in ea urbe per quam pergeret amnis fluere? aut quanam fieri ratione poſſet, ut eundem per hanc alveum, & Canalis. & amnis haberent? Tum deinde videndum eſt, quo liceat modo diſſidium tollere, conciliatis inter ſe diſcrepantibus monumentis. Quid igitur, ſi dicamus, vel poſtquam abductum fuerat flumen, ei tamen unde abductum fuerat, loco, ob diuturnam conſuetudinem manſiſſe, ut fit, nihilominus fluminis nomen? Quid, ſi Canalem ipſum fuiſſe nomine fluminis vocitatum? Sic animadverti, vicinum quondam noſtrum Matthæum Vecchiazzanum (3) in Documento quodam ſcripto anno 1214. quo ſuburbia, aliæque partes Fori Popilii deſcribuntur, verba hæc *juxta aquam fluminis, & uſque ad flumen* de canali eſſe interpretatum, non ſecus atque in Brevibus, ut vocant, Litteris Honorii Pontificis anno datis 1223. Quin etiam cum illam eandem ſententiam referat (4) quam in Forolivienſi Æde S. Thomæ latam diximus (5) anno 1231. non flumen ipſe memorat, ſed canalem.

9. Re igitur utro volueris modo explicata, facile diſſolves pleraque omnia, quæ me olim retinebant, ne amniculum *Acquaviva* crederem ante annum 1231. in alterum qui ſuperiore parte Danti fuit *Acqua cheta*, eſſe derivatum. Hoc vero factum eſſe ante annum 1205. ex iis quæ mox ſubjicientur, teſtimoniis intelliges, unde & quædam altera tolli poſſit dubitatio. Erit enim qui forte quæret, num fluvius hic in quem ſupra urbem fuerat corrivatus amniculus *Acquaviva* primis quidem poſt eam corrivationem temporibus eodem perrexerit alveo fluere, & ſub Romano ponte, quem Moratinorum vocant, ſubire; an continuo in novum effoſſum alveum, quem videlicet etiam nunc cernimus, exceptus, ab eoque ponte abductus fuerit. Dubitandi cauſam hinc affert Bonolus (6), qui olim quidem unum modo amniculum, poſtea autem utrumque ſub eo ponte fluxiſſe, affirmat; inde vero tollit illa ipſa ratio, quæ una movere potuit ad corrivationem alterius amniculi in alterum efficiendam, metus videlicet, ne in urbem aqua redundaret. Quod enim fuiſſet conſilium, quam metuerent duos in alveos diviſam, eam omnem, unum in alveum conjunctam, per urbem traducere? Accedit non facilis in urbe alvei dilatatio, nec ſana ſpes utriuſque fluvioli aquas poſſe tranſire ſub illo uno fornice, qui olim ab ſapientiſſimis hominibus conſtructus eſſet ad alterius tantummodo tranſmittendas. Certe ex ipſo Canali quem ab altero derivatum diximus, effuſa aqua anno 1595. omnem inundavit urbem (7): ex communi autem amniculi utriuſque alveo, extra ipſam quidem, ſed nimis prope ipſam perducto, nonnunquam adeo redundavit, ut per proximam urbis portam ingreſſa, plures uſque ad illum pontem dirnerit domos anno 1384. (8) anno autem 1461. uſque ad ſacras Ædes pervenerit S. Hieronymi, & S. Blaſii. (9)

10. Igitur ex illo ipſo facto unde primam conjunctorum amniculorum notitiam habemus, alvei quoque habemus utrumque extra urbem perducentis. Anno 1201. inquit Rubeus (10) *ſe ſe Faventini magno impetu in Forolivianos pedem referentes ad amnem Montonem, qui ante ſuburbium Sclavoniæ fluit, intulerunt*. Hoc autem factum cum referant non una vetera monumenta, ab Alexandro Paduanio collecta (11), & hic quoque in propriis Chronicis, & Claramontius (12), & Tondutius (13) in ſuis

(1) Epiſt. IX. n. 9. (2) n. 7. (3) Hiſt. di Forlimpop. P. 1. l. 11.
(4) Ibid. l. 12. (5) n. 7. (6) Iſtor. cit. l. 1. (7) Marcheſ. Suppl. l. 11.
(8) Chronic. M. S. Paduan. (9) Marcheſi Supplem. cit. l. 8. (10) Hiſt. Rav. l. 6.
(11) Raccolta di Cronich &c. (12) Cæſen. Hiſt. l. 8 (13) Hiſt. di Faenza P. 2.

Digitized by Google

ſuis quiſque Hiſtoriis commemorenti nemo ipſorum eſt qui Montonum ibi non ponat anno illo eodem 1201. Eo igitur anno jam Montoni alveus extra urbem erat, ubi donec ſinguli amniculi ſuos intra urbem ſervarunt alveos, certe eſſe non potuerat. Antea igitur in unum corrivati fuerant alveum, & hic extra urbem perductus. Quod ſi pontibus opus fuerat qui ſingulis antea imponerentur; tanto magis ponte opus fuit qui utrique. Sed quo hic primum tempore exſtructus fuerit, non liquet. Illud tantum liquet, jam anno 1384. lateritium fuiſſe, cum tanta aquæ vis, quantam eo anno, Paduanio auctore, fuiſſe, diximus (1), lateritium Montoni pontem, ut idem ſcribit (2), dejecit. Pro eo autem ligneum pontem A. 1389. eſſe factum, confirmat. Qui cum ſæpe eadem cauſa abreptus, ut A. 1433. & A. 1483. & ſæpe quoque refectus eſſet; de lateritio rurſus exſtruendo cogitatum eſt ante A. 1513. Sed & hunc qui, uno fornice nixus, pulcherrimus, commodiſſimuſque perfectus fuerat, vis aquæ abſtulit A. 1557. Denique is quem nunc cernimus, magis fortaſſe pulcher, & commodus, trino autem fornice ſubnixus, architecto Cæſare Mengolo Ravennate, cum A. 1610. inchoatus fuiſſet, A. 1613. abſolutus eſt. Quæ ſingula ex eodem Paduanio (3) excerpere, & hic univerſa commemorare neque ab re alienum eſſe, & tibi certe pergratum fore viſum eſt.

11. Antequam hæc de qua diximus, utriuſque amniculi in unum alveum corrivatio ſupra urbem artis opera efficeretur, alter fuerat eorum confluxus, a natura, ut videtur, nec multo infra urbem, effectus. Jam enim in ipſa urbe alterum ad alterum valde convergere cœpiſſe, indicia ſunt, ſi hinc quidem paulo infra ampliſſimum urbis noſtræ forum Canalis flexum occaſum verſus ſpectemus, quem Canalem magna ex parte deductum ajunt qua amniculus *Aquaviva* defluxerat, inde vero ſitum illius pontis quem alteri amniculo ab Romanis fuiſſe impoſitum, cum Æmiliam munirent viam, Fabius Oliva (4), Alexander Paduanius (5), & quotquot ex noſtratibus inſpexerunt, nunquam dubitarunt. Quem ego pontem, quantum pars ſinit quæ adhuc extra humum exſtat, cum attente inſpicerem, magnoſque, ex quibus conſtructus eſt, lapides valde inter ſe diſpares cernerem, & minus affabre commiſſos, ſi latus pontis excipias quod ſpectat ad ſeptemtriones, animadverti, fornicem non recta, ſed valde oblique poſitum, eoque ſimul converſum, & alveum cui impoſitus fuerat, evidenter oſtendat ab occidente ſole ad orientem inclinaſſe, & quod conſequitur, non ante, ſed pone vetuſtam Ædem, quæ proxima eſt, Divinæ Triadi ſacratam, perrexiſſe. Qua ex animadverſione tria proclive eſt deducere. Primum, cum Moratina, ut & noſtrates appellant, Chronica hæc habeant, *ſepultus fuit* (S. Mercurialis primus Forolivienſium Epiſcopus) *in Eccleſia S. Trinitatis de Forolivio, quæ tunc erat Eccleſia Cathedralis, & extra ac juxta civitatem prope flumen, & ſtratam Flamineam;* contra autem Paduanius (6) ſcribat, amnem inter ſuburbium, & Templum illud Cathedrale fluxiſſe, ſicque id Templum intra antiquam urbem fuiſſe; videri in hoc diſſidio illis potius Chronicis, quam Paduanio, aſſentiendum. Alterum, quod ex primo ſequitur, *Ædis* S. Mariæ *Ripæ* appellationem, non a proxima, ut quondam ſuſpicabamur (7) ripa fluminis eſſe ortam, quippe quod ab ea vel magis diſtaret, quam a fronte vicini Sacroſanctæ Triadis Templi, ſed ut Paduanius (8) docet, illuc id nominis ſecum Moniales attuliſſe, quæ antea degerent ad Canalis ripam, ubi vel olim Ædes fuerat, S. Joannis, ut apud Marcheſium (9) *in flumine;* vel, ut in Canonicorum Tabulario eſt ad A. 1123. *ſuper flumine* quondam vocitata, ſive fluminis nomine Canalem accipias, ut ſupra (10) indicavimus, ſive amniculum, de quo loquimur; nam etſi ante A. 1205. ex plurium conſenſu deduximus, extra urbem fluxiſſe; tamen ſi cuidam ſingillatim monumento habere fidem velimus, nullum profecto extare novimus, quo freti id multo

(1) n. 9. (2) Chronic. cit. (3) Ibid. & Supplem.
(4) Vita M. S. di Catterina Sforza. (5) Chronic. M. S. cit. (6) Chron. cit.
(7) Epiſt. II. n. 11. (8) Chron. cit. (9) Supplem. l. 9. (10) n. 80.

Digitized by Google

to ante A. 1178. (1) indicari, affirmemus. Tertium eſt denique, eundem fluviolum, quantum ex memorato pontis ejus poſitu æſtimare licet, eam ipſam Ædem verſus, quam modo dicebam, S. Joannis contendiſſe; non, opinor, ut ibi cum altero confluëret; neque enim Canalis quem illuc ab oppoſita plaga ferri videmus, toto tractu ſecundum *Aquavivæ* amniculi alveum perductus dicitur; ſed dumtaxat ut ad hunc alterum convergeret, mox non ita multo infra urbem, ut inveteratum ibi nomen indicat, *fluminis mortui* (2) confluxurus.

12. Cum duo igitur amniculorum confluxus fuerint, priſcus infra urbem, novus autem ſupra, quem adhuc videmus; ab utro, an ab neutro ſit deductum Montoni nomen, videndum eſt. Paulus enim Bonolus (3) ex novo repetit, duobus videlicet amniculis, tanquam duobus arietis cornibus, in unum alveum convergentibus; quaſi vero non idem de priſco quoque confluxu dici poſſet, aut confluxus ejuſmodi non pluribus aliis quorum nullus ſic vocatur, amnibus communes forent, quando hæc videlicet cauſa fuit, ut Bonolus quidem exiſtimat, quamobrem Priſci pleroſque Fluvios bicornes finxerint. Mihi igitur id nomen ex neutro confluxu repetendum videtur, ex novo autem multo minus, ſi quidem hæc Agnelli (4) verba, S. Apollinaris *in Baſilica Beatæ Euphemiæ, quæ vocatur ad arietem, primitus baptiſmum fecit*, ſecundum ea ſint quæ Rubeus, (5) ſcribit, intelligenda. *Primum baptiſmatis fontem*, inquit Rubeus, *in ea urbis parte conſtitutum ferunt, quæ ad Arietem dicebatur. a fluvio, cui proxime accedit, nomen ſortita: quem nunc fluvium vulgari vocabulo Montonem appellamus, in ipſius Tribuni domo, quam* S. Apollinaris *templum fecit ac conſecravit*, & infra, *Tribuni domum ad Arietem amnem, jam diu a ſe templum conſecratam, Divæ Euphemiæ* (Aquilejenſi) *dicavit*. — *Is autem locus extra urbem dicebatur, quod urbs ab ea parte nequaquam mœnibus erat circumdata*. Facile qui hæc cum iis conferant quæ de primo Forolivienſium Templo Divinæ Triadi ſacro paulo ante (6) dicta ſunt, extra urbem, & ad flumen exſtructo, tanto veriora exiſtimabunt, quod utrobique primos illos Epiſcopos cernent urbium frequentiam vitaſſe, fluminum autem vicinitatem, baptiſmatis ritui, qui tunc erat, maxime opportunam, eſſe ſecutos. Verum antea præſtat Eruditiſſimum Agnelli Interpretem (7) audire, qui adverſus Rubeum animadvertit, tunc S. Apollinarem latere oportuiſſe, itaque non templa, nec baſilicas extruxiſſe; ſed Agnellum *locum, ubi primum Fideles baptizati ſunt, exprimere, Eccleſiamque, quod ſolet, poſt evoluta tempora ibi erectam indicare intendiſſe, & nil præterea*. Quid igitur? ſi nos quoque, Doctiſſimi Interpretis exemplum ſecuti, animadvertamus, non ea quæ Rubeus habet, Agnellum ſcripſiſſe, nec de amne, prope eum locum, tempore S. Apollinaris, fluente, nec de nomine quod amni, aut ei loco eſſet illo quidem tempore: potuiſſe autem & flumen, quod tunc ſatis abſuiſſe, oſtendimus (8), propioribus Agnello temporibus ad eum locum accedere (quanquam ne id quidem Agnellus dicit) & id nominis utrumque accipere: itaque Agnellum, ut eum omnibus indicaret locum; non quo S. Apollinaris ætate, ſed quo ſua vocabatur, nomen poſuiſſe. Nec vero dicas, quo igitur modo ibi baptizabat, ſi id aberat flumen? ideo enim aberat, quod alterius fluminis, id eſt Padi, aquæ tunc paſſim Ravennam circumfluebant (9). Et ſane eum ipſum locum diu poſt ſæculum illud primum aquis fuiſſe circumfuſum, Agnellus indicat in Vita Martini (10) qui poſt initium vivebat ſæculi IX. *Munivit*, inquit, *hic Antiſtes Eccleſiam B. Euphemiæ, quæ vocatur ad Arietem, quam olim aqua dominabatur*. Quibus ex verbis *diſcimus*, inquit Agnelli Interpres (11), Eccleſiam hanc *antiquitus aquis circumfuſis inædificatam, quæ Martini ævo in ſicco erat, quod jam tum ex alluvionibus excreſcente ſolo mare*

(1) Vid. ſupra, n. 7. (2) Vid. Bonol. Iſtor. di Forli l. 2. (3) Ibid. l. 1.
(4) Lib. Pontif. P. 1. c. 1. (5) Hiſt. Rav. l. 1.
(6) n. 11. (7) Obſ. ad cit. Agnelli locum n. 3. (8) Epiſt. II. n. 7.
(9) Ibid. n. 6. (10) P. 2. c. 1. (11) Obſ. ad Martin. Vit. n. 1.

Digitized by Google

distaret. Sed huic mare fuisse vicinum, haud crediderim; neque enim ut ab hac distinguerent alteram Beatæ Euphemiæ *Ecclesiam*, potuissent a mari discrimen accipere, ut factum videmus ex Vita S. Probi (1): *juxta Ardicam Beatæ Euphemiæ, quæ vocatur ad mare*. Qua de altera Ædicula Rubeum (2) quoque video meminisse.

13. Sed gravior mihi oritur dubitatio super interpretatione prioris illius Agnelli loci. Neque enim tantummodo *ad Arietem*, sed & *in Bedente fluvio*, & *in mare* S. Apollinarem, ait *multos baptizavisse*. Ibi autem Interpres duplici nomine unum eundemque fluvium non dubitat indicari; *quod fere cum Montonis Italica significatione & Arietis, & Bedentis, seu Bidentis vocabula conveniant*: quanquam ex Rubeo (3) sciat, *Bidentem ab incolis dictum alterum fluvium, Ronchi nomine aliis indigitatum*. Verum ne hoc quidem animadvertit Vir alter Doctissimus, qui de Bedente alia Agnelli verba in Vita Felicis (4) interpretans, *Bedentem veterem amnem appellat*, inquit, *qui Plinio Bedesis, Bidens recentioribus*: & infra, *Bidens est, quem vulgus Montonem nominat; cur autem „ vetus amnis?„ Arbitrer de„ ficere vocem „ Utentem „: quem enim medio ævo Bedentem, & dein Montonem, quod ejusdem significationis vocabulum, dicebant, eum veterem fuisse Utentem, a Sigonio & Cluverio felici opera Livio L. V. c. 35. redditum, existimabant, sicuti ex Actis S. Hilarii & Olybrii cognitissimum est*. Scilicet *Bedesim*, & *Utentem*, quem in Plinio pro Viti contendit reponendum esse Cluverius (5), & quem tamen alium ac Bedesim, recte ex Plinii ipsius verbis (quod & nos evidentissimum ducimus) esse, non dubitat, Bedesim, inquam, & Utentem eundem, si Superis placet, fuisse amnem ponamus, necesse est, si Montonum Bidentem esse, & huc attinere Acta velimus Sanctorum illorum: in quibus nimirum sic memoratur *Vitis amnis, ab incolis, ut aliqui arbitrantur*, & mox ab ipso Actorum Scriptore *Bidens adpellatus*, ut nemini qui sciat, quid *Galigata* sit, quæ ibidem ei fluvio proxima dicitur, dubium esse possit, quin ibi Ronchus, non Montonus, significetur. Sed & Blondus (6) Ronchum Bidentis nomine diserte designavit, illum Scriptorem, aut potius montanos accolas secutus, quos propter vicinitatem vel magis quam Rubeus (7), audivisse poterat utentes, ut etiamnunc, eo vocabulo, apud ipsos, ut opinor, nato ob eam facile causam quæ a me alias (8) indicata est. Quo ut quemquam non memini esse usum cum iis Auctoribus sive antiquitate, sive auctoritate comparandum, ut Montonum significaret; sic etiam quod Agnellus ait, S. Apollinarem *in Bedente fluvio baptizasse*, non de Montono ipse quidem ausim intelligere; sed de Roncho potius, ut quem eo tempore Ravennam pedibus adiri potuisse, conjicio, ut alio loco (9) declarabo.

14. Montonum autem propius Ravennam quidem tunc defluxisse, ut Plinii Bedesis fuerit, in stagna tamen exceptum, & per hæc ab urbe divisum, & alias (10), ostendimus, & continuo, scrupulis, siqui forte restant, exemptis, confirmabimus. Suspiçari enim fortasse potes, Montonum, & Ronchum, tametsi in æstuaria influerent, Ravennæ circumjecta, suum vel per hæc alveum singulos, suumque itet servasse, non secus ac per Veneta æstuaria Medoacus; cujus fuisse alveum affirmant, qui magni Canalis nomine mediam Venetiarum urbem interfluit, ejusque demum portum efficit: Sic igitur olim Ravennam quoque, ut annis superioribus cernebamus, intercipi utroque amne potuisse, & infra illam ex utriusque confluxu Bedesim fieri, & vetustissimum Ravennæ portum, ut Blondus (11) opinabatur, adstipulante magna ex parte Cluverio (12) ubi *ostium*, scribit, *Asconis fossam habuisse idem, quod Utentem, & Bedentem amneis (vulgo nunc sunt Montone & Ronco) apud Ravennam in mare effundebat*, aut ubi (13) hos fluvios in ipsis æstuariis delineat in mare contendentes. Ego vero

(1) P. 1. (2) l. cit. (3) Ibid. (4) P. 2. c. 3.
(5) Vid. Epist. nostr. II. n. 12. & seqq. (6) Hist. Dec. 3. l. 1. (7) Hist. Rav. l. 3.
(8) Epist. II. n. 9. (9) Epist. V. n. 16. (10) Epist. II. n. 6.
(11) Ibid. n. 4. (12) Ital. Ant. l. 1. c. 35. (13) Tab. Gall. Circumpad.

Digitized by Google

vero ut in Medoaco, aliiſque fluminibus perenni aquarum copia præditis id facile agnoſcam; non idem tamen de illis dicam, quæ, ut noſtra hæc, torrentium in modum nonnunquam ſint plena, ſæpius autem, æſtate præſertim, perexilia, & pene ſicca; ut arenæ, æſtu maris in ſtagna invectæ, ipſorum alveos prius oppleant, quam nova tandem aliquando a fluviis importata aquarum copia eandem queat per æſtuaria tenere viam. Quod ſi certos illos per æſtuaria alveos hi noſtri ſervaſſent Plinii tempore; cur, quæſo, alterum dumtaxat ad Ravennam, non utrumque memoraſſet? aut ſi Bedeſis nomine, ut Blondus cenſuit, neutrum, ſed cæcum quendam, & ſub æſtuariis latentem utriuſque alveum deſignavit, alveumque ejuſmodi, quod difficile creditu, *amnem* appellavit; cur igitur inter Sapim, & Anemonem alterum tantummodo recenſuiſſet noſtrorum amnium? Nec vero hoc factum putes propterea quod Montonus fortaſſe tunc influeret in Anemonem, quemadmodum Tabula quadam pingitur, hoc ſæculo edita, quæ Italiam *medii ævi* repræſentare dicitur, aut quod influeret in Spineticum Padi alveum, ut in ea Cellarii (1) Tabula quæ inſcribitur *Italia Propria*, delineatur. Hoc enim ſatis, ut opinor, a me ſupra (2) rejectum eſt; illud vero nullius, quod ſciam, auctoritate Scriptoris, nulloque monumento nititur, quod noſtrates Hiſtorici, aut Faventini, aut Ravennates commemoraverint. Quin ne tunc quidem cum Forolivienſes A. 1217. (3) inimicitias, ut ſæpe olim, cum Faventinis exercentes, disjectis Montoni aggeribus, hujus curſum in hoſtium agrum avertiſſent, in Anemonem influxiſſe, reperio; ſed ut declivitas ſoli ferebat, magnam ejus agri partem ſeptem ipſos annos late inundaſſe, & denique, ſi huc ſpectant, ut arbitror, multa illa monumenta quæ ſe Rubeus (4) legiſſe, ſcribit; *per Gattimellam villam ſecundo ferme ab urbe* Ravenna *lapide*, *in paludes influxiſſe*. Sic etiam A. 1461. (5) cum ſibi ob ingentem aquæ vim novum alveum feciſſet; multa, ferme Ravennam uſque, rura obruit, neque in Anemonem tamen deflexit. Igitur, ne Plinium ſine cauſa damnemus, reliquum eſt, ut ad illa redeamus, ſecundum quæ alias (6) oſtendimus, Montonum, propius Ravennam in æſtuaria excipiendum, Bedeſim ab ipſo fuiſſe nominatum.

15. Tunc autem ſimul oſtenſum eſt (7), non eadem cadere in Ronchum, quem cæteroquin haud ignoramus a multis creditum eſſe Bedeſim, Montonum autem Vitim, ſive, ut alii malunt, Utentem, ſic tamen ut aliqui inconſtantia ipſa ſua dubitare videantur, in quibus præter Coronellium (8), eum quoque invenies qui annis ſuperioribus *de vero Rubicone* librum emiſit, ſi quæ ſcribit nomina cap. 14. (9) & 17. (10) cum iis conferas quæ cap. 1. (11) & quæ ter habet cap. 20. (12), & quæ in Tabula inſcripſit quam exhibet cap. 8. Scio quoque, inter illos haud deeſſe qui Ortelii (13) non ſcripturam, neque ſententiam; utraque enim pro nobis eſt; ſed tria quæ is habebat (14), Plinii exemplaria ſecuti, *Beſedis* ſcribant. Verum ut Cluverius, qui antea (15) ſcripſerat ad eundem modum, poſtea meliores, puto, codices nactus, *Bedeſis* paſſim (16) ſcriptum reliquit; ſic facere alios video fere omnes; ſunt enim adhuc qui Gaudentium Merulam (17) mendoſo, ut videtur, codice uſum, in Tabula ſequuntur non ita pridem vulgata *Italiæ Antiquæ*, Roncho nomen *Hedeſis* inſcribentes. Sed quæ ad Ronchum, & Sapim attinent, proximis Litteris habebis. Vale.

(1) Notitia Orb. Antiq. (2) n. 5. (3) Raccolta di Cron. M. S. &c.
(4) Hiſt. Rav. l. 1. (5) Cron. M. S. del Padovani: e Marcheſi Supplem. l. 8.
(6) Epiſt. II. n. 7. (7) Ibid.
(8) Ravenna con le propoſte Diverſ. &c. e Deſcriz. di Forlì. (9) n. 4. (10) n. 11.
(11) n. 7. (12) n. 13. (13) Synonim. Geogr. (14) Theſaur.
(15) in Tab. Ital. edita in Theatro Geogr. Vet. P. Bertii T. 2. (16) Ital. Antiq.
(17) De Gallor. Ciſalpin. Antiq. l. 2. c. 18.

Digitized by Google

EPISTOLA ÆMILIANA V.

ETsi Ronchum flumen, de quo, & Sapi has tibi Litteras pollicitus sum, a pluribus scio, & præstantissimis quidem Viris, qui Montonum fuisse Vitim, existimant, Bedesim appellitari; causæ tamen quæ superioribus Epistolis propositæ sunt, illis me assentiri, non sinunt. Itaque Bedesis nomen, ut in proximis etiam extremis Litteris constituimus, Montono relinquentes; jam, quod consequitur, Ronchum a Plinio vocatum fuisse Vitim, non dubitabimus, hac ipsa consecutione, ac rationibus alias productis, & Illustrium etiam Virorum, quos videlicet, si opus sit, illis opponamus, consuetudine, & auctoritate permoti. Blondus enim, Jovius, Guicciardinus, Rubeus, Claramontius, Bacchinius in his fuere alias (1) a nobis laudati. Quibus ut præluxerat antiquus Actorum Scriptor Sanctorum Hilari, & Olybrii (2), sic Blondo præterea astipulati sunt suo quisque tempore alii aut nostræ, aut vicinarum Civitatum Historici, Fabius Oliva (3), Alexander Paduanius (4), Paulus Bonolus (5), Sigismundus Marchesius (6) nostrates, Ariminenses autem Malatesta Porta (7), & Jacobus Villanius (8), & Foropopilienſis Matthæus Vecchiazzanus (9). Qui omnes, ut laudati Rubeus, & Claramontius, Ravennatum, & Cæsenatum Historici, tanto facilius, ut opinor, exemplum Forolivienſis Blondi secuti sunt, quod & ipsi Ronchum scirent Galeatæ, & Meldulæ non ab oppidanis modo, sed & ab agricolis *Vitim* appellari. Ut vero supra Galeatam monticolæ illi vel in Actis Publicis *Bidentem* vocant, sic inde vulgo nominari *Vitim* etiamnunc, scio, non secus atque in agro Forolivienſi, & Ravennate, & in Civitate utraque nunc dicitur Ronchus, aut Ronchi flumen, Blondi (10) autem ætate, & postea quoque (11) Aquæductus vocitabatur.

2. Ronchi nomen Rubeus (12) ab oppido deductum tradit, quod is fluvius alluebat, ab rure autem ipsi attiguo Bonolus (13). Utrumlibet ego veri similius existimo, quam ipsum flumen ei ruri, aut oppido nomen dedisse. Ipsum enim fluvium multo sæpius nostrates solent *flumen Ronchi* appellitare, quam Ronchum, quo nomine rus potius attiguum designant, aut tumulum terreum satis grandem, in quo sacra Ædes ejus ruris exstructa est, olim autem erat, non oppidum, quod sciam, sed militare castellum A. 1283. ut Marchesius (14) scribit, ædificatum, quod ut apud ipsum, ita apud Alexandrum Paduanium (15) ad A. 1331. *la bastia al ponte del Ronco* video nominari, parvam quidem arcem, sed opportuno loco positam. Scilicet ibi secundo, ut nosti, ab urbe lapide is fluvius intersecat Æmiliam viam, ut ponte fuerit jungenda. Primam impositi pontis notitiam Chronicis antiquis deberemus Cæsenatibus, libro cum ad alia nostratibus utili, tum ad multorum nomina cognoscenda qui Forolivienſium *Capitanei* sæculo XII. & duobus insequentibus fuere; in iis enim, & in Prætoribus recensendis minus solicitos Historicos fuisse nostros, quam Faventinos, videor animadvertisse; huic igitur libro notitiam deberemus illius pontis exstructi A. 1263; nisi lapis id docens, qui Paduanii (16) ætate latebat, rursus exstitisset antequam Bonoli prodirent Historiæ (17). Quæ scripta sunt

(1) Epist. II. n. 10. (2) Ibid. & n. 13. (3) Vita M. S. di Catterina Sforza.
(4) Supplem. alle Croniche M. S. (5) Istor. di Forlì l. 1.
(6) Supplem. delle stesse l. 1. (7) Vid. Clementin. Raccolt. Istor. l. 1.
(8) Ariminens. Rubic. (9) Hist. di Forlimpop. P. 1. l. 2. (10) Ital. Illustr. Reg. 6.
(11) Epist. II. n. 7. (12) Hist. Ravenn. l. 1. (13) Ist. cit. l. 1. (14) Supplem. cit. l. 4.
(15) Cron. M. S. (16) Ibid. (17) Ist. cit. l. 4.

Digitized by Google

ſunt in eo lapide, ad te mitterem, niſi mallem, a te, cum in Patriam redieris, legi; in pariete enim extat contra illam ſacram Ædem, neque a me qui perattente olim, & nuper inſpexi, verbum ultimum lineæ ſextæ quæ de *Capitaneo* eſt populi Forolivienſis, viſum fuit eſse, ut Bonolus habet, *Gratiani*, multoque minus, ut Chronica illa Cæſenatia, & ex iis Paduanius, Grardnnj; ſed evidenter GRAIDANI. Quod cum tu quoque perſpexeris; a te petam, ut ſiquid forte de illa nobili, ut opinor, Stirpe, aut de ejus Patria notum habeas, mihi ſignificare ne graveris. Cæterum eum tunc pontem lateritium fuiſse, idem tradidit Paduanius (1), quod ex eo lapide non apparet. Quin Paduanius ipſe (2) ſcribit, A. 1432. lateritia pilarum fundamenta jacta eſse, quibus pilis ligneus pons imponeretur: quod porro iterum factum eſse, perhibet, A. 1584. (*) cum uſus deſiit ratis qua tranſeuntes ultro citroque tranſvehebantur. Pons enim tum A. 1483. (3), tum A. 1491. (4), eoque anno bis, ut ligneum tunc fuiſse, facilius credas, aquarum vi disjectus fuerat. Quod periculum cum A. 1619. immineret (5); Forolivienſes lateritium fecerunt, quo adhuc utimur, commodiſſimum, & prælongum pontem, quippe fornicibus ſeptem ſubnixum, quorum tres medii ampliſſimi ſunt. En tibi collecta quæ apud Hiſtoricos diſperſa legi ad pontem Ronchi attinentia; Ronchi, inquam; nam *Ronconis* nomen, quo appellari hunc amnem, Ortelius (6) prodidit, Forolivienſibus ignotum eſt.

3. *Aquæductum* vero, quod idem habet, Blondi temporibus fuiſse vocatum, & certum eſt, & nos quoque diximus paulo ante (7). Sed quando, & quam ob cauſam ita cœperit appellari, operæ pretium eſt inquirere. Ante annum 897. ita fuiſſe nominatum, credat aliquis fortaſſe ex Documento Donationis Dominici Archiepiſcopi Ravennatis (8), in quo fundus quidam *a quarto latere* dicitur terminatus *Aquæducto* (ſic). Qua de re nobis pronunciare nihil licet, cum tres cæteri, qui nominantur, termini hoc tempore ſint ignoti. Nec minus, vel potius magis antiquum uſum ejus nominis alii exiſtimabunt, qui pervetus Templum ſciant, Roncho flumini ſatis propinquum, Sanctæ Mariæ *Aquæductus* a multis jam ſæculis vocitatum fuiſſe, hodieque cum toto illo rure, quod tertio circiter lapide ab urbe abeſt, Forolivienſibus vocitari. Nam in Canonicorum Tabulario præter Documenta plura quæ A. 1100. & 1101. id Templum ſub eo nomine commemorant, membranæ extant ſcriptæ quidem A. 1220. ſed in quibus Luttifredus Archipresbyter Plebis *Aquæductus* ſe Documenta *antiquiſſima* vidiſſe, teſtatur, quæ oſtenderent, annis amplius quingentis Plebem *Aquæductus* ad Canonicos ſpectaviſſe. Verum eſſe poſſunt qui Aquæductus appellationem, non a propinquo flumine, ſed aliunde ortam eſſe, contendant. Primum namque animadverto, Alexandrum Paduanium (9) iter deſcribentem Pontificii Exercitus paulo ante cladem Ravennatem, tradere, Forolivio digreſſum, caſtra metatum eſſe ad flumen Ronchi, qua „ rivus influit, dictus Aquæ„ ductus, indeque ad rus uſque Durazani „ ſe extendiſſe „ iterumque annis poſt quinque iter Ducis Urbinatis narrantem, ſcribere, „ motis caſtris trajeciſſe Ronchi „ flumen prope aquæductum „ & rus petiiſſe quod vocamus *Fornò*. Itaque ex narratione utraque patet, majorem quandam foſſam quæ in fluvium aquam infert ex ea parte ruris Aquæductus quæ ad extremam viam attinet quam *Baronzole* nuncupamus, Aquæductum vocitatam eſſe, & facile ei ruri nomen tunc dare potuiſſe, cum vel multo amplior fortaſſe, & profundior olim eſſet, quam nunc videamus. Sed & aliam eſſe video cauſam multo vetuſtiorem, multoque digniorem, unde iſta non ejus dumtaxat Templi, ſed & ipſius fluminis appellatio duci potuerit: in cujus cauſæ diſquiſitione ſi paulo fuſius, & diligentius hic morer; id tibi non modo non moleſtum, ſed gratum potius futurum ſpero.

4. Cluverius (10) ex Vita, ſæpius a nobis

(1) Cron. cit. (2) Supplem. ejuſd. (*) Cron. cit. (3) (4) (5) Ibid.
(6) Synonim. Geogr. (7) n. 1. (8) in Tabulario S. Mercurial.
(9) Cron. cit. (10) Ital. Antiq. l. 1. cap. 28.

Digitized by Google

bis commemorata, Sanctorum Hilari, & Olybrii *confessorum*, ut inquit, *Ravennatium* hæc profert. *Præsidente Symmacho Romæ, Olybrius quidam Ravennas — monachus factus, in Galigatensi cœnobio vigebat: per hos enim dies adolescens Etruscus, Hilarus nomine, diligentius Deo operam & studium navaturus, passibus mille juxta Galigatam, Ravennatis diœcesis, in excelso atque edito monte, sub quo Vitis amnis defluit, ab incolis, ut aliqui arbitrantur, Bidens adpellatus, se se constituit.* Et infra. *Verum tanta solitudinis ab Hilaro atque Olybrio plurimum expetitæ quies ab Throderico rege perturbata est: qui ad eas radices Apennini, unde, ut aliqui putant, Ravennam aquam adduxerat, juxta Bidentem amnem ædes sibi magnificas, quo succedere (sic) interdum solebat, constituit: cœpit enim frequentari Hilari cœnobium.* Antiquum hoc sane est cum rerum aliarum, tum aquæ a Theoderico Ravennam ductæ monumentum. Nam quod Cluverius, cujus opinionibus *Vitis* nomen hic refragatur, ex his ipsis verbis *apparere*, ait, *haud perinde antiquum esse auctorem, qui hæc conscripsit: quippe qui diu post Theodericum regem fuerit*; non aliunde, opinor, hoc potuit arguere, nisi ex iis verbis, *ut aliqui putant*, diu post ea tempora scribentem significantibus. Quid vero? si ea verba, sicut illa quoque *ut aliqui arbitrantur*, diu postquam cætera scripta fuerant, ab aliquo secus opinante adscripta, ex ora, ut fit, inter ipsa Auctoris verba translata sint. Quæ si tibi suspicio, propositum veteris hujus Scriptoris locum relegenti, non improbanda videatur; nihil jam hoc quidem loco prohibebit, quo minus eam Vitam a Paulo, Hilari discipulo, scriptam putes, sicuti ab Rubeo (1) traditum est. Qui cum simul confirmet, anno 502. Theodericum *aquam Ravennam deduxisse*, *cujus formam (hoc nomine*, inquit, *aquæductum appellabant) suo sumptu instauasset, quæ longis ante temporibus solo æquata fuerat*; nimirum nobis ad memoriam reducit vetustius hujus æquæductus testimonium, quippe Cassiodori (2), vivente Theoderico, atque adeo, ut ex formula *D. N.* apparet, regnante, hæc scribentis. *His Coss.* (Avieno Jun. & Probo) *D. N. rex Theodericus aquam Ravennam perduxit, cujus formam sumpta proprio instauravit, quæ longis ante fuerat ad solum redacta temporibus.*

5. Verum si hic aquæductum instauravit; quis antea Ravennam perduxerat? Augustus? an Tiberius Claudius? qui eam urbem muro cinxit, ut ex litteris ad portam auream incisis Flavii Blondi (3), & Bernardi Justiniani (4) temporibus, & postea apparebat. Namque ut Ravenna stagnantibus circum aquis obsideretur; ea erat Romana potentia, ea opes, ut vel per paludes fundamenta jacere fornicum non dubitarent, quibus niti aquæductus possent: quin priusquam Julius Cæsar Rempublicam invaderet, via aliqua fuerit, necesse est, qua videlicet Ravenna ipse discedens, *e convivio*, ut Appianus (5) scribit, *& curru* invectus, sive *mulis*, quod ait Suetonius (6), *e proximo pistrino ad vehiculum junctis* profectus est. Quod si illi, aut successorum alius aquæductum Ravennam perduxerant; at hic Martialis ætate collapsus aliqua ex parte jam esset, oportet, illic non semel, ut alias (7) commemoravimus, dulcis aquæ penuriam significantis. Sin eo tempore necdum aqua illuc fuerat deducta; at fuit certe inter illius, & Sidonii ævum, imo ante Sidonium diu, quippe qui Anthemio Romæ imperante; ut ex iis quæ de nuptiis Ricimeris attingit libro I. Epistola V. colligere proclive est; Ravenna transierat, hoc est sex circiter lustris priusquam Theodericus aquæductum instauraret *longis* antea, ut dixi (8) collapsum *temporibus*. Et sane quam Sidonius dulcis aquæ inopiam Ravennæ invenerit, eadem. alias quoque (9) a nobis laudata, ostendit Epistola, & iis quidem verbis, quæ tunc male habitum possint aquæductum significare. *Nusquam*, inquit, *vel aquæductuum liquor integer, vel cisterna defæcabilis, vel fons irriguus, vel puteus illimis.* Sed post Theodericum quam diu aquæductus Ravennæ manserit, aut

(1) Hist. Rav. l. 3. (2) Chronic. (3) Hist. Dec. 1. l. 3.
(4) De Orig. Venet. l. 5. (5) De Bell. Civil. Rom. l. 2.
(6) De duodec. Cæsar. l. 1. (7) Epist. II. n. 5. (8) n. 4. (9) Epist. II. n. 5.

Digitized by Google

aut rursus instaurari potuerit, ex Inscriptione intelligi posset Ravennate (1), si SMARAGDUM, cujus nomen in ea legitur, Smaragdum Exarchum fuisse, constaret, quod propter lapidis, in quo cæteroquin hæc sunt AD NECESSARIAM IN-AQUÆ DVCTUM EJUSD. CIVI-, non unum ob temporis injurias defectum scire non licet. Animadverti quoque, ab Agnello (2) in cujusdam funeris descriptione hæc narrari. Puer *mortuus est in villa, quæ dicitur Aureliacus, longe ab urbe* (Ravenna) *milliario XII. juxta Aquæductus prope Herculem. - Herculenses antecedebant -- & ibant — per viam Aquæductus —, & pervenerunt usque ad pontem Odionis. -- Tunc exeuntes omnes de civitate &c. Tunc collo levatus virorum, perductus in Monasterium S. Euphemiæ in S. Callinico, ibi sepelierunt eum. Tunc ingressa in civitatem turba plorante &c.* Sed ubi esset *Aureliacus*, ubi *Hercules*, ubi *pons Odionis*, & ubi *Monasterium* illud *S. Euphemiæ*, cum Interpres omnino sileat, nec alii quos hactenus consului, libri indicent; haud aliud mihi videor hinc posse discere quod ad rem facere queat, nisi illam Aquæductus partem XII. saltem lapide ab Ravenna fuisse dissitam, & fuisse in Ravennate agro viam, Aquæductus nuncupatam. Quæ si ad propositum spectat, ut opinor; eo minus contemnenda sunt, quod non modo hac nostra, sed & Blondi (3) ipsius ætate *nullum* Ravennatis Aquæductus *extabat vestigium*, quod sæculo IX. quo Agnellus scripsit, videtur extitisse, & si non a Galeata usque, quod oppidum, si rectam lineam ducas, XXVII. lapide ab Ravenna abest; certe satis longe ab hac urbe deductum fuisse.

6. Et sane si a fonte aliquo; non a flumine; ducenda Ravennam aqua fuit; non est dubium, quin longo intervallo fuerit petenda: quæ enim montium radices ab Ravenna propius absunt, eæ recta pariter linea ducta, lapide absunt, minimum, XVII. Quærenti autem mihi, an indicia ulla prope Galeatam extarent aquæ inde usque deductæ, Verlicchius meus, jure meritoque in alia Epistola (4) laudatus, dum Medicum olim ibi ageret, cum alia respondit ad S. Hilari Cœnobium, & Theoderici Palatium juxta eum locum attinentia, tum præsertim plura, unde pronum sit de aquæ illinc deductione existimare. Eorum omnium summa huc redit. Galeatæ oppido mons imminet ad occidentem solem, in cujus vertice Templum est, S. Hilari dictum, cujus ibi corpus jacet. Sed Cœnobium nullum supereſt, inde olim fortasse ad radices ejus montis translatum meridiem versus, ubi supra Galeatam locus est *Monasterium* adhuc vocatus, unde marmora, columnæ, bases, & ejusmodi alia ædificii magni indicia eruta sunt. Porro infra Galeatam ad septemtriones locus est alius quem vocant *Sagittam*, ex quo etiamnum inter crassissima fundamenta, nobilium marmorum laminæ; & tesselati operis fragmenta educuntur, quo loco nemo incolarum est, quin constanter ajat, Palatium fuisse Theoderici regis: & vero multo minus quam locus quem Monasterium appellant, a Galeata distat, & ab Roncho fluvio, quem ibi Bidentem, aut Vitim vocitant; ab hoc enim, ad orientem solem adsito, centum circiter abest passibus, ab illa autem ducentis: quæ sedes videlicet perbelle congruit cum iis quæ de eo Palatio in Vita S. Hilari, itemque in perantiquo lapide scripta sunt, qui in ædicula visitur, ab hujus Templo non multum dissita, quo in lapide illud, quod REX THEODERICVS condidit PALAVIUM JVXTA FLVVM (sic) BIDENTEM GALIGATE (sic) PARTIBVS, diserte memoratur. In eo igitur loco quem *Sagittam* diximus appellitari, marmoreum non mediocris magnitudinis labrum, & plumbeos etiam tubos, sed diametro senis circiter digitis transversis non majori, annis superioribus repererunt. Aquæ autem ductus, quali opus fuisset ad aquam Ravennam usque deducendam, nulla aut ibi, aut circa ea loca extant vestigia, nec unquam extitisse, meminerunt. Et plures quidem in iis regionibus scaturigines sunt optimarum aquarum; sed deductioni recto tramite Ravennam versus saxei interjecti montes obstant, per quos si forte

(1) Vid. Maffei Offer v. Letter. Tom. 4. (2) Libr. Pontific. P. 2. in Vita Johannis VII.
(3) Hist. Dec. 1. l. 3. (4) Epist. II. n. 9.

Digitized by Google

te immanibus ſumptibus via fuiſſet aquæ excavata ; perdifficile foret , ne in longis adeo tractibus cuniculi , ſic diutiſſime duraturi , uſquam eſſent animadverſi . Quæ cum ita ſint ; reliquum eſt , ut ſi Theodericus quas ſibi ſalubres Galeatæ aquas expertus erat , eas voluit Ravennam verſus deducere , & in veterem , ab ſe inſtauratum , Aquæductum inferre , eaſdem lateritio opere concluſas ſecundum declivem fluminis curſum ad priſcum uſque Aquæductus initium perduxerit , quod ad radices montium , ut diximus , eſſe oportuiſſe , manifeſtum eſt , ſi a fontibus ipſis aqua arceſſebatur . Nam ſi a fluvio ; ne illud quidem opus erat , ut ad XII. ab Ravenna lapidem Aquæductus perveniret .

7. In hac tanta rei perantiquæ obſcuritate ſicuti quidquam pro certo affirmare non licet ; ſic viciſſim liberum cuique eſt conjicere , Aquæductum ad magnos ſaltem tractus ſecundum Ronchi fluminis ripam , ubi magis recta eſt , potrahi potuiſſe , eoque murum craſſiſſimum fortaſſe attinuiſſe , quem in ejus ripa ſecundo , an tertio ab Ravenna lapide vi aquæ nuper eſſe retectum , accepimus . Conjicere quoque licet , inde huic nomen flumini Aquæductus eſſe factum : pariterque illi de quo ſupra (1) diximus , S. Mariæ Templo Aquæductus Appellationem adjunctam fuiſſe , quod juxta illud aqua duceretur , aut in amplum quodpiam caſtellum , Aquæductui inſerviens , reciperetur . Quæ conjectura an forte comprobari poſſet inſpectis , lectiſque marmoribus quæ ibi , aut non ita procul extare audiveram , cum aliquando ſcire averem , & ea loca adiiſem , etſi nihil ad illam rem deprehendi ; tamen quæ viderim , hic tibi non reticebo . Apud Templum illud marmorea columna eſt : quam ſtatim ac conſpexi , inter milliares referri poſſe , exiſtimavi . Neque enim quod paſſuum numerus haud appareat , propterea non illarum ſimillima eſt : qui fuiſſe poteſt is numerus aut temporum , aut hominum injuriis ſublatus ; utrarumque autem manifeſta non deſunt indicia ; prætereaque inferior columnæ pars inter ſaxa abdita eſt , ut inſpici nequeat tota . Nec quia Imperatorum nomina inſculpta habuit , ideo non milliaris credenda eſt ; imo vero ob id magis . Solebant enim ejus generis columnis eorum Imperatorum nomina inſcribere , qui aut illac tranſituri eſſent , aut vias inſtaurandas , aut collapſos vetuſtate milliares lapides reſtituendos , ut ex Antiquitatis monumentis conſtat , mandaſſent . Quod ſi noſtrates Hiſtorici , & ii qui ab ipſis laudantur , videre tot ejuſmodi lapides potuiſſent , quot ætate hac noſtra in publicum Veronenſe Muſeum importati ſunt , neutiquam mirati eſſent , cur in columna de qua loquor , ad ſingula extrema ſingulæ extarent Inſcriptiones litteris in altera alteri adverſis , ut quæ nunc inferior eſt , & Imperatoris Conſtantii nomen perſpicue adhuc inſculptum ſervat , non , ut ſuperior , recte poſitas litteras legenti offerat , ſed inverſas : neque id Sculptoris ludibundo ingenio , aut ſæculi ignorantiæ tribuiſſent : neque oblitteratum in ſuperiore Inſcriptione nomen idem fuiſſe , quod inferior habet , Conſtantii , exiſtimaſſent , imo alterius , & facile ejus qui ipſi , aut Magno Conſtantino patri inimicus fuiſſet , puta Magnentii , aut Maxentii . Scilicet victis qui antea regnabant , eorum nomina aut eradebantur e milliari lapide , aut hic ſaltem invertebatur , defoſſaque ea quæ ſuperior fuerat , parte , ut legi illa non poſſent , in oppoſita , quæ exſtabat , parte nomen inſcribebatur victoris . Sic in Muſeo Veronenſi columella ſpectatur quæ prius in Maxentii honorem ſculpta , converſa poſtea fuerat ad Criſpi , & Conſtantini gerenda nomina , quemadmodum legere poteris apud Virum Cl. Amicum meum Joſephum Bartolum (2) nunc Regium Auguſtæ Taurinorum profeſſorem , qui ut de aliis ad illud Muſeum attinentibus , ſic pererudite de his quoque rebus ſcripſit . Tu cum in Patriam redieris , fac noſtram inſpicias columnam , ſi forte in tertio ejus , quæ nunc contra ac deberet , ſuperior eſt , Inſcriptionis verſu facilius ſit tibi , quam mihi fuit , LIBERTATIS legere , non LIBERALITATIS , quo in verbo , ſicuti & in columnæ longitudine , minus probo alterum noſtrorum Hiſtoricorum , quem in verbis aliis quibuſdam magis fortaſſe probare poſſim , in aliis neutrum . Hæc de co-

(1) n. 3. (2) Differtaz. I. P. 2.

Digitized by Google

columna. De marmoribus autem per Templi proximi pavimentum disjectis certior factus sum, nullas usquam in iis litteras apparere. Porro si flumen transgressus, rus adieris non paulo longius ab urbe nostra dissitum, S. Petri, ut appellant, *Quinti*; majores quidem columnas e græco marmore videbis, quæ hinc & hinc fores ornant ædium Nobilis Monsignanæ Gentis, quibus in ædibus mensas etiam spectavi, e crassissimo porphyretico marmore non ita pridem exsectas, quod marmor antea non bene cognitum, ideoque impolitum, neglectumque in via jacebat, ut columnæ illæ quoque prope Templum jacuerant ejusdem ruris. Sed nusquam litterarum quidquam invenies, ne in Templi quidem limine eam C. CLODI PAVLINI sepulchralem Inscriptionem, quam apud Marchesium (1) habemus. Ex quo enim ibi pridem conspexeram, postea Ravennæ, quo translata fuerat, inter tot alias agnovi quæ parietes atrii cujusdam ornant Palatii illius Archiepiscopalis. Sed etsi marmora alia quædam ex eo rure Forum Livii translata esse novimus (2) sub finem sæculi XV. ex quibus in Cathedrali Templo sacræ aquæ vasa ab excellentibus Sculptoribus efformarentur: nulla tamen eorum, præter Clodianum illud, litterata ibi fuisse, scimus, & quod consequitur, nihil inde erui a nobis potuisse, quo conjecturam illam nostram confirmaremus.

8. Cæterum ea conjectura, de causa videlicet, unde Aquæductus nomen Roncho flumini impositum fuerit, non ea denique censenda est, ut facile ejusmodi causa sit illi causæ anteferenda, quam ab Ravennatibus, ut videtur, acceptam, Leander tanquam manifestam produxit, nosque alias (3) probavimus, & adhuc probamus, nimirum quia ejus *fluminis alveus artificum manu factus fuit ad multa passuum millia*, sicuti etiam Leandri ipsius ætate *perspicue apparebat*, idcirco Aquæductum esse appellatum. Alveum autem ideo parandum fuisse, credimus vel ut Ronchus a Classensi portu averteretur, vel ut stagna, Ravennæ circumjecta, in quæ se antea effuderat, multo facilius siccarentur. In Montonum igitur deductus infra, sed propius Ravennam, hinc cum eo diu ad mare defluxit donec minus urbi periculosum creditum est, si longiore infra hanc intervallo confluerent: id quod anno 1647. præstitum legimus (4). Nec vero ab his quæ modo scripsi, me illa retrahunt, quæ Amicorum aliquis interdum objecit, verba Joannis Boccaccii (5). *Usens fluvius est Galliæ cisalpinæ: inter quem & Athesim fluvium hisesones* (sic) *habitavere: qui Romanos apud Alliam expugnare* (sic), *qui ex alpibus cadens fluit in Padum. Usens alter a superiori fluvius est Volscorum haud longe a Terracina in Tyrrhenum defluens*. Quæ objiciens verba, ut minime obscurum esse ex Livio, & Sigonio, in alia Epistola (6) a me laudatis, qua ratione videantur hæc emendanda; ita ex illa Epistola eadem (7) constare, ajebat, Usentem de quo Boccaccius primo loco dicit, Ronchum esse debere, aut si cum Cluverio facias, Montonum: &, quod consequitur, a Boccaccio dici, non in mare, non in circumjecta Ravennæ stagna, sed *fluere in Padum* alterutrum nostrorum fluminum, contra atque a me superioribus etiam Litteris (8) statutum esset. Hæc igitur objicienti sic respondi: verba illa Boccaccii *qui ex alpibus cadens fluit in Padum*, ad Athesim, ut illis temporibus, a me credi esse referenda: at si illi secus videretur; me Boccaccii quidem auctoritatem ejusmodi in rebus magni esse faciendam, non minus fateri, quam Rubeus [9] cum illum dixit *horum locorum fuisse maxime peritum, & frequentare consuevisse urbem Ravennæ*: Boccaccium tamen quis dicere auderet, harum rerum fuisse Dante peritiorem, qui Ravennæ domicilium constituit? Dantem autem, ut demonstrassem [10], Montonum recta & per se in mare influentem descripsisse. Quî fieri igitur posset, ut Boccaccii ætate, qui annis duobus & quinquaginta post Dantem est mortuus, adhuc in Padum Montonus flueret? aut

(1) Supplem. Istor. l. 1. (2) Vid. Vecchiazzan. Hist. di Forlimpop. P. 2. l. 15.
(3) Epist. II. n. 7. (4) Ragguaglio della Diverſ. de' due Fiumi.
(5) Tract. de Flumin. (6) II. n. 13. (7) Ibid. (8) IV. n. 6.
(9) Hist. Rav. l. 1. (10) Epist. IV. n. 6.

Digitized by Google

aut si in mare hic fluebat, qui inter Padum., & Ronchum est interjectus, quî fluere in Padum tunc posset Ronchus?

Cæterum etsi in producto Boccaccii loco, quod ad nomina attinet, quædam a librariis vitiata sint, ut cum pro *Senones* scripserunt *hisasones*; non ipsos tamen, sed vetustos quibus ille utebatur, Livii codices culpandos esse, manifestum est, in quibus nisi pro *Æsim Athesim*, & pro *Utente Usente* legisset, non illa de Pado, neque illa de Volscorum Usente scripsisset. Cum enim ait *Usens alter a superiori*, superius quoque *Usens* dixerit, necesse est. Unde nimirum discamus licet, non omnes igitur antiquos Livii codices *ab Utente flumine* habuisse, ut illi ponunt qui miro eorum consensu freti, propterea in Plinio *Utis*, non *Vitis*, contendunt (1) esse legendum.

9. Sicuti autem vetustius id nomen *Vitis* apud Forolivienses quidem, & Ravennates olim intercidit, sic etiam alterum *Aquæductus* quacunque de causa, & quandocunque impositum fuerit, denique prorsus obsolevit; ut jam diu ex his, aut illis nemo sit qui alio quam recentiore vocabulo, Ronchi videlicet, non utatur. Itaque haud unam ob causam displicet Clementinii (2) locus, *Acquedotto, già chiamato Ronco, Fiume, e dagli Antichi Riso*. A quibus enim, quæso, *Risum* unquam dictum esse, inveniisti, aut a quo nostratum superiore etiam sæculo *Aquæductum* potius, quam *Ronchum*? Quod si ita Clementinius; minus utique mirandum esset, quod ab externis Clarissimis Viris hoc tempore scribatur „ vocari nunc *Fiume Acquedotto* „ nisi Auctorem laudarent Maginum [3], qui certe in ea Tabula qua ipsi nituntur, inscripta *Romagna*, huic ita flumini nomen adscripsit *Bedese, o Ronco già fiume acquedotto*. Sed de Roncho, ut nunc quidem, satis.

10. De Sapi, qui postremus est quinque amnium, circa Ravennam olim, ut Rubeus [4] scripsit, confluentium, hæc nuper tradiderunt iidem Clarissimi, quos modo indicabam, Viri „. *Sapis*, Italiæ flumen „ prope urbem *Isaurum*: nomen illius „ nunc est *Savio*, & quoniam hoc flumen „ Cæsenam transit, vocatur quoque *Rio* „ *di Cesena*. „ Sed nulla præter Sarsinam, & Cæsenam urbs est prope quam hic amnis fluat: neque ulla in Italia urbs quæ Isaurum appelletur .. Quod si Pisaurum scribere voluerunt, cujus flumen, Pisaurum pariter nuncupatum, Isaurum dictum legimus apud Lucanum [5]; nimis longo ab ea urbe intervallo, pluribusque interjectis fluviis, hic Sapis distat. Num fucum fecit vexatissimus ille ejus Poetæ versus [6].

Crustumiumque rapax, & junctis Isapis Isauro?

Quo de versu cum meam alias sententiam quæsiveris; hic ita aperiam, ut quamvis nonnulla alio attinentia videri possim interjicere; fere omnia tamen ad rei pleniorem explicationem faciant, pleraque autem ad Sapim spectent, de quo dicere instituimus. Isapim pro Sapi apud Strabonem [7] legi, negari non potest. Dubium tamen est, num ita ille scripserit, an potius I littera temere ab librariis præfixa sit, uti videtur Casaubono (8). Cluverius (9) certe dubitat, ut qui non modo in Itineraria Tabula *Sabim* legat, sed neminem præterea Veterum videat qui *Sapim* non scripserit. Sic enim Plinius (10), Silius [11], Lucanus ipse [12]. Nam in proposito versu non omnes Codices habent *Isapis*, sed aliquot *Sapis*, ut duo certe qui ab Hugone Grotio (13) laudantur, propterea non ita ut vulgo, quod aliqui videntur credere, sed *juncto Sapis Isauro* hic legente, & auribus quidem minus ægre ferentibus, quem *Isapis Isauro*; minus, inquam; nam in lectione etiam Grotii, aut Cluverii [14] *junctus Sapis Isauro*, ingratus restat duarum ultimarum vocum concursus non secus atque in ea quæ mox proferetur, Blondi, *junctus Idaspis Isauro*. Itaque; ut me prorsus aperiam tibi, suspicatus sæpius sum, describentium culpa concursum hunc natum esse, cum Lu-

(1) Epist. II. n. 13. (2) Raccolt. Hist. di Rimin. l. 5. (3) Italia.
(4) Vid. Epist. III. n. 2. (5) Pharsal. l. 2. (6) Ibid. v. 406.
(7) De Situ Orb. l. 5. (8) apud Brasch. de vero Rubic. c. 2.
(9) Ital. Ant. l. 1. c. 28. (10) Nat. Hist. l. 3. c. 15. (11) De Bello Punico l. 8.
(12) vers. cit. (13) Not. in Lucan. (14) c. 28. cit.

Digitized by Google

Lucanus fortaſſe ſcripſiſſet, ea tamen ratione, quam infra dicam *Piſauro*. Hoc enim verum, & certum nomen eſt, non urbis modo, ſed & fluminis, ut paulo ante indicabam, urbem illam præterfluentis, quod ex Plinio, Vibio, & Siculo Flacco liquet, ab Ortelio (1) laudatis, itemque ex Aggeno, quem addit Cluverius (2). Sed Iſaurum quoque dici, apud unum, quod ſciam, ex Antiquis eſt, Vibium [3], idque ex uno hoc Lucani loco: quem ne propterea ita ſcripſiſſe, contendas, tum adnotatio faciet Franciſci Heſſelii (4) admonentis, in membraneo optimo Vibii Codice, qui Revii fuerat, id ipſum deeſſe, tum animadverſio inſuper noſtra, non alibi facile apud Vibium adeo interrumpi ſententiam, ut ibi, ſi id additamentum Auctoris ſit, non aliorum, a quibus hunc Heſſelius cenſet [5] multis eſſe in locis interpolatum. Quod ſi tu mecum ſuſpicaris, Lucanum *Piſauro* ſcripſiſſe, neque cum Cluverio [6], quem tamen aliqui ſequuntur, inducere in animum potes, *metri cauſa* dixiſſe Iſauro; ſuſpiceris quoque neceſſe eſt, alium quam *Sapis*, aut *Iſapis*, aut *Idaſpis*, proxime ſcripſiſſe vocem, ut puta *& juncta Apruſa Piſauro*. Exempli gratia hoc dico; non quod mihi exemplum hoc placeat [non una enim de cauſa diſplicet] ſed ut veri ſimiliora tu excogites. Namque hæc eo dumtaxat pertinent, ut vel magis quam apud alios hactenus fuerit, dubiam tibi reddant propoſiti verſus lectionem.

11. Veruntamen fac, certum eſſe, atque ita omnino, ut vulgo hic legitur, ſcripſiſſe Lucanum; qua tandem ratione explicabis, cur disjunctos adeo conjungat fluvios Iſaurum, & Iſapim? Neque enim hic circa Piſaurum eſt, nec *circa Arimi-num*, quod Ortelio [7] excidit, propterea apud Ferrarium [8] notato; ſed juxta Cæſenam: neque Iſaurus *haud longe a Cæſena* eſt, ut ſcripſit Boccaccius [9]; ſed millia paſſuum circiter XXXV. quod ait Porta [10], vel potius aliquanto plura: ne XXXV. cum Braſchio [11] dicamus; hæc flumina diſtant inter ſe, & interjecta habent alia plura, nempe ut nulla niſi celebriora, & a Plinio [12] memorata ſpectemus, Rubiconem, Apruſam, Ariminum, & ipſum, quod Lucanus in eodem verſu recte disjungit, ut mox dicemus, Cruſtumium. Nec vero te latis mihi facere poſſe, exiſtima, ſi Lucanum dicas in fluviis nominandis qui in mare influunt ſive hoc ſuperum, ſive inferum, quaſi de induſtria, ut Poetam fere decet, ordinem quo natura diſpoſiti ſunt, neglexiſſe: Virgilium quoque, ut animadvertit ſummus alioquin ejus admirator Macrobius [13], *nullum in commemorandis regionibus ordinem ſervaſſe, ſed locorum ſeriem ſaltibus laceraſſe*: quin illum pariter quem Vir Doctus excipit, Silium anxiæ iſtiuſmodi obſervationis ſecurum in iis ipſis fuiſſe verſibus [14] qui e contrario indicantur quaſi ex ordine flumina Umbrorum deſcribentes; niſi forte cum ait, *Hos Æſis, Sapiſque lavant*, & mox interjectum Metaurum nominat, ordinem ſervaſſe credendus eſt, aut cum ab his ad ea quæ in Tyberim influunt, tranſgreſſus, ad Rubiconem redit, & hinc revertitur ad Tyberim. Nam ut vera hæc eſſe, fatear, mirumque propterea non eſſe, ſi Lucanus quoque ab illis Italiæ fluviis qui ſunt ad orientem ſolem, ad eos qui ad occidentem ſunt, interpoſitos tranſiliendo, decucurrerit, & mox ad eos quos diverſa omnino parte prætermiſerat, ad eos, inquam, quamvis non omnes, etiam haud ignobiles, reſiliverit; illud tamen adhuc mirabor, & abs te quæram, cur in tanto numero non alios quam Iſapim, & Iſaurum *junctos* eſſe, diſerte ſcripſerit: qua voce ſi quod Porta [15] credidit, nihil aliud, niſi *etiam*, *pariter*, *ſimiliter*, *necnon*, ſignificare voluiſſet, hoc eſt non ſecus unum quam alterum, ex Apennino oriri, & in Hadriaticum mare deſcendere; quærendum adhuc reſtaret, cur de his duobus potiſſimum id dixiſſet, quod commune eſt cæteris ad idem mare perti-

(1) Theſaur. Geogr. (2) Ital. Ant. l. 2. c. 5. (3) De Fluminib.
(4) ad hunc locum in ſua Vibii Edit. (5) Ibid. in Præfat. (6) loc. cit.
(7) Theſaur. cit. & Synonym. Geogr. (8) Lexic. Geogr. ad *Iſapis*.
(9) Tract. de Fluminib. (10) apud Clement. Raccol. cit. l. 1.
(11) De vero Rubic. c. 11. n. 16. (12) Nat. Hiſt. l. 3. c. 15. (13) Saturnal. l. 5. c. 15.
(14) De Bello Punico l. 8. (15) loc. cit.

Digitized by Google

nentibus. Quæ omnia cum Blondus [1], opinor, videret, in hoc autem verſu, ut diximus, *Idaſpis* legeret; hoc eſſe cenſuit torrentis nomen qui a regione Montis Abbatis *Iſauro* revera *jungitur*. Leander [2] vero ſententiam eandem ſecutus eſt, niſi quod cum *Sapis* legeret in Lucano, cum autem torrentem qui contra Montem Abbatis Iſaurum ſubit, *Albs* vocari audiret; huic quoque *Sapis*, non *Idaſpis*, fuiſſe nomen, commentus eſt, cum melius fortaſſe, quando aliquid comminiſci volebat, *Salbis* fuiſſe, aut *Salpis* dicere potuiſſet, idque a librariis in notius ſibi vocabulum *Sapis* poſtea mutatum. Verum utriuſque, & Leandri in primis opinionem vel nuper notatam fuiſſe, video ab aliis quidem propterea quod Sapis, qui Cæſenam alluit, non influit in Iſaurum, quaſi vero non de alio Sapi qui in eum influeret, Leander diceret; ab aliis vero quia *flumen Maceratæ quod eſt Uſens* (Chiento *nunc*) *Sapim Lucani interpretetur*, quod non *intrat Iſaurum*, quaſi ea quam ibi, Leander nominat, Macerata urbs eſset ad *Chientum* ſita; non oppidum, Macerata quidem & ipſum dictum, ſed, ut diſerte Leander loquitur, *Macerata montis Feretrani*. Ipſi vero fluvium qui in Iſaurum influat, *quærendum* eſſe, admonentes, *Amnis eſt*, inquiunt, *oriens ex monte, Urbinum prope, boream verſus excurrens, & Iſaurum ingrediens, ut in tabulis præſertim Magini 46. Ducat. Urbini. Anonymus eſt: cur non is antiquitus Sapis dictus, vel Iſapis?* Quid vero, ſi hic idem confluxus indicaretur, quem tanto antea Blondus, atque adeo reprehenſus ab ipſis Leander propoſuerant? Eundem autem eſſe, invenies, ſi in illa ipſa Tabula minorem fluviolum ſecutus qui prope Urbinum Hortenſe natus, inde Boream verſus deſcendit, animadvertas, quo loco in majus denique influat, & multo altius ortum flumen, Iſauri videlicet nomine infra deſignatum. Confluxus igitur locum eundem eſſe quem Blondus, & Leander indicaverant, eſſe, perſpicies, nempe contra Montem Abbatis, ut nominatim docet non ea modo, ſed & altera Magini Tabula, quæ inſcribitur Picenum. Dixi autem Urbinum Hortenſe, ut latine id quod *Urbino* vulgo nunc vocant, ſignificarem; alterum enim fuit Metaurenſe, Hortenſi ſuperius ultra Metaurum: quod cave, ne tibi, ut Cellario (3), aliiſque, eſſe videatur *Caſtellum Durante*. Hoc enim Clementinius (4) docet, anno demum 1284. ædificari cœptum eſſe a Gulielmo Durante, quem Juriſconſulti *Speculatorem* appellant, ut eo traduceret incolas Caſtelli Riparum, quod ante biennium ab hoſtibus Pontificis Maximi diratum fuerat.

12. Nolim tamen, quæ pro Leandro dixi, immerito accuſato, in eam partem accipias, quaſi ejus, aut Blondi ſententiam probarem. Cur enim Lucanus, qui nobiles Amnes, ut diximus, prætermiſiſſet, de torrente ejuſmodi, vel fluviolo ſolicitus eſſet? aut unum hunc Iſauro immiſſum indicaret, qui fluvios in majores alios influentes in omni iſta ipſorum enumeratione nuſquam memoraſſet? neque enim veri ſimile eſt, cum Rutubam poſuit, aliam quam Liguſticam, a Plinio (5) quoque commemoratam, quæ per ſe in mare delabitur, voluiſſe, quando altera quæ in Tyberim defluere credita eſt, uno, quod ſciam, inter Veteres auctore nititur Vibio, iſque ubi hanc *in Tyberim fluere*, ſi vulgatis libris credimus, ſcripſit, ibi a Simlero *in Tyrrhenum* legitur, quod ex Heſſelio (6) didici. Credas fortaſſe, Lucani Interpretes Sulpicium Verulanum, & Omnibonum Vicentinum aliquod lumen ad propoſitum verſum recte explicandum attuliſſe. Ego vero neutrum conſului, cum certior factus eſem, Sapim, primo fluvium credi Mitionem ab Auximo defluentem, alteri autem Cæſenæ flumen: eidemque Cruſtumium, unde is verſus incipit, *fluvium* dici, *qui præterlabitur Ariminum*. Hic vero non Cruſtumium eſt, ſed Ariminus. Cruſtumium autem non eſt quidem *inter Anconam, & Piſaurum*, ſicuti quodam loco Cluverio (7) excidit, ſed

(1) Ital. Illuſtr. Reg. 5. (2) Deſcrit. di tutta Italia Reg. 13.
(3) Notitia Orbis Antiq. l. 2. c. 9. n. 233. (4) Raccolt. Iſtor. cit. l. 3.
(5) Nat. Hiſt. l. 3. c. 5. (6) in eit. Vibii Edit. Adnot. ad hunc locum.
(7) Ital. Ant. l. 1. c. 28.

Digitized by Google

ſed inter Piſaurum, & Ariminum, a quorum illo ſecundum Magini Tabulam (1) millia paſſuum abeſt circiter novem, ab hoc duodecim, & quemadmodum utrique huic urbi ſuum eſt flumen, ſingularum nomen retinens apud Latinos, ſic Cruſtumium quoque dicitur idem cum appoſito olim oppido habuiſſe nomen, nec latine ſolum, verum etiam italice, ut Concha utrumque appellaretur. Sed Cluverius (2) etſi Cruſtumium oppidum noverat a Vibio, & ab Sulpicio, de quo modo dictum eſt, diſerte poni, veretur tamen, ne iſta Piſauri, & Arimini ſimilitudine decepti, ex ſuſpicione id potius, quam ex vero, ſcripſerint, *quum nulla*, inquit, *hujus rei apud hiſtoricos, geographos, itinerarios, aliosve auctores ne leviſſima quidem extet ſuſpicio*. Veteres autem, opinor, intelligit. Nam Boccaccium (3); quanquam hic ſæpius deſcribere Vibium ſolet; Blondumque (4), & Leandrum (5) illud agnoviſſe oppidum, non poterat ignorare: imo utrumque horum tradidiſſe, *abſorptum mari oppidum Concham eminentes aquis muros, turreſque per æquoris tranquillitatem oſtendere:* quæ Blondus cum ſcriberet, in Monte, ut mox ait, Scutolo degebat, ne decimo quidem lapide illinc diſſito; ut vere, an ſecus hæc dicerentur, perfacile poſſet ſciſcitando cognoſcere. Omitto Franciſcum Berlinghierium, qui in Geographia ſua [6] etruſcis verſibus deſcripta, & anno, ſicut audio, edita 1470. hæc habet

Hor vedi Concha rio, che ſi dilegua,
Il quale hà Concha ſommerſa nell' onde.

Omitto alios multo his recentiores, & nominatim Maginum (7), qui Concham in mari proximo exſtantem paululum appinxit his adſcriptis verbis *Conca Città profondata*. Hoc autem is minus mirabitur qui aliis urbibus idem accidiſſe, non ignoret, neque Italis ſolum, ſed & exteris, ſicuti vel ex hoc apparet Ovidii loco (8)

Si quæris Helicen, & Buran Achaidas urbes,
Invenies ſub aquis: & adhuc oſtendere nautæ
Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis.

Sed ſi Cluverio, ut diximus, non ſatis antiquus auctor videbatur Blondus, cui extitiſſe id oppidum, crederet; at erat certe longe vetuſtior Blondo Anaſtaſius Bibliothecarius (9), qui *Ravennam*, *Ariminum*, *Piſaurum*, *Concam*, *Fanum* commemorat in optimis quidem Codicibus (10)? quanquam & in iis qui habent (11) *Piſaurum*, *Concaſſano*, aut (12) *Penſaurum*, *Conſanum*, aut ejuſmodi aliud, quid legendum ſit, ex prioribus obſcurum eſſe non poteſt.

Qua autem ratione, & cauſa id oppidum, ſive priſcis, ſive, ut ex Plinii ſilentio arguitur, ſequiore conditum ætate, ita aquis dirutum, & opertum ſit, nulla ut ejus veſtigia nunc maneant, incertum eſt. Mare enim, ut ad Ravennam patet, ſuperioribus ſaltem ſæculis ab littore potius receſſiſſe, veriſimile eſt, quam hoc, oppidumque occupaſſe: ut reliquum ſit, vel terræ magno aliquo motu littus ſubſediſſe, vel etiam incurrente fluminis vi oppidum ſenſim dejectum eſſe, atque abſumptum. Cruſtumium enim non ſine cauſa ab Lucano *rapax* dictum eſt, quippe ob multiplices, & ſæpe mutatos alveos latum, & tranſeuntibus periculoſum, quandocunque in ſubitum, & rapidiſſimum curſum imbribus incitatur, in vicinos, unde oritur, montes ſe effundentibus. Nec longius inde abeſt prælatus ille ampluſque mons, a Carpegno oppido, ut Blondus (13) ſcribit, nominatus, prope quod, ſed diverſa ex parte ſitum idem memorat *Monaſterium Sextini*, ubi quæ dicit *multa extare vetuſtatis monumenta*, ſcias velim, non omnia periiſſe, cum apud me videre poſſis tredecim latinarum Inſcriptionum exempla, non ita pridem ex marmoribus ejus oppiduli ſingulari diligentia deſcripta. Quæ ab Docto, & elegantis ingenii Medico Camillo Brunorio eo libentius accepi, quod cum Inſcriptionum illarum quædam ſub hujus initium ſæculi fuerint effoſſæ; non omnes adhuc eſſe editas, puto. Cæterum Carpegnum oppidum id fuit, unde Guido

(1) Romagna. (2) Ibid. l. 2. c. 5. (3) Tract. de Flumin. (4) Ital. Illuſtr. Reg. 6.
(5) Deſcrit. di tutta Ital. Reg. 14. (6) l. 3. c. 4. (7) Tav. cit. Romagna.
(8) Metamorph. l. 15. (9) Vit. Pontif. in Stephano III.
(10) Reg. Maz. & Thu. Ambroſian. 2. & 3. (11) Ambroſian. 4. (12) Ambroſian. 1.
(13) Ital. Illuſtr. Reg. 6.

Digitized by Google

Guido ille dictus est, quem nobilem, & liberalem Virum non „ Areostus quidem „ in suo XIV. de Purgatorio Cantu „ ut Externi quidam Viri Clarissimi scribunt; sed Dantes, Poematis ejus auctor, laudavit. Jam vero illuc revertamur.

13. Nam de flumine Crustumio, inquies, satis explicasti Lucani versum; de Isapi autem, se cum Isauro conjungente, necdum quid sentias, aperuisti. Ego vero cum ostenderim, cur nulla mihi ejus conjunctionis placere possit expositio, eo redeam necesse est, ut in versu quem satis incertæ lectionis supra (1) demonstravi, non id scripsisse Lucanum, credam; aut si forte scripsit, idem hic illi accidisse, ajam, quod alio in fluvio, Timavo videlicet, accidisse, nunc inter doctissimos quosque constat. Et sane si quæ de Timavo hinc ab Historicis, & Geographis, inde vero a Poetis scriptum habemus, quorum pleraque omnia olim collegerat Leander (2), attente perpendamus; facile intelligemus, non ut Virgilium (3), sic & Lucanum (4) explicari, & defendi posse, ut qui nimis diserte cum Aponi fontibus Timavum conjunxit, C. mill. pass. intervallo disjunctum, non secus ac si proximus fuisset Medoacus: quibus in rebus alios post se tum Poetas, tum Geographos in errorem induxit, hos autem vel postquam admonuerat Boccaccius (5), id *falsum esse*. Quæ animadversio cautiores facere debebat eos præsertim qui hinc „ Poetarum geo- „ graphiam haud semper esse valde exactam „ non ignorant, ne propter Lucanum facile Isapim, & Isaurum conjungerent, sive Sapim tum prope Pisaurum, tum juxta Cæsenam fluere, existimarent.

14. Nolim hic quidem expectes, ut de Sapis origine, & superiore alveo, unde Sapiniæ Tribui nomen est ortum, aut de lateritio ponte, ipsi olim apud Cæsenam imposito, sermonem habeam; hæc enim in nostris dumtaxat fluviis spectavimus.

De Sapi igitur illud reliquum est, ut quo ipse olim, & alii vicini amnes influerent, videamus. Sapim autem illuc olim influxisse, ut amplissimum illum, & celeberrimum faceret Classensem portum, a Blondo nostro traditum est. Cum enim hunc perangustum, & nullum propemodum sua ætate factum videret; *hujus rei causam esse, non dubitabat, Sapis fluvii, qui illum facere consuevisset, aversionem*, quippe qui *decem ab eo portu passuum millia aliud in mare ostium quod Gervasium dicitur, multis ante sæculis sibi effecisset*, quemadmodum scripsit in Historiis (6). In Italia autem Illustrata (7) sæculorum eorum numerum definivit, cum Sapis, inquit, *ad annum nunc plus minus sexcentesimum ipsam illabebatur Candiani vallem, efficiebatque portum in primis Italiæ celeberrimum*. Quod volumen cum circa medium sæculum XV. conscripserit, ut alias (8) demonstravimus; appareret, annum indicasse circiter 850. sive medium sæculum IX. Quod tempus nimis amplificaverit, an potius contraxerit Blondus, videndum est.

15. Rideas procul dubio, si scribam, in aliquem me incidisse, qui de Sapis aversione a Candiani valle acciperet hunc Rubei (9) locum. Anno 1504. *Aloysius Diedus Patricius Venetus deducto Sapi, quæ Cervienſem, Ravennatemque agrum interfluit, molisque frumentariis prope rus Canutium, pari civitatum, atque accolarum commodo, suo sumptu extructis, ædem etiam pro tempore excitavit*. Manifestum est, de Sapis aqua in canalem deducta, qua molæ frumentariæ agerentur, hic verba fieri. Sapim enim ipsum inter Cervienſem, Ravennatemque agrum diu antea fluxisse, præter Blondi, aliorumque testimonium, vel Rubeus (10) indicare poterat, cum A. 1116. donatos memoravit *agros illos omnes -- , ubi D. Gervasii Hospitium ædificatum erat, omniaque illa quæ cum essent juris Ecclesiæ Cervienſis -- a vado Buccamezzo ad portum fluminis Sapis* pertinebant, *termino horum prædiorum -- usque ad medium Sapis* adscripto. Sed hujus cursum a Candiani valle fuisse ad mare jam aversum vel prius quam Blondus statuerit, ex Agnello probare me posse, credo. Hic enim cum in Vita Felicis (11) qui anno obiit 716. hæc jussa

(1) n. 10. (2) Descriz. cit. Reg. 18. (3) Æneid. l. 1. v. 244.
(4) Pharsal. l. 7. v. 192. & seqq. (5) Tract. de Flumin. (6) Dec. 1. l. 4. (7) Reg. 6.
(8) Epist. 1. n. 7. (9) Hist. Rav. l. 8. (10) Ibid. l. 5. (11) Lib. Pontif. P. 2. c. 3.

Digitized by Google

ſuſſa ponat, *Popilienſes viri adhæreant Sapis portu* -- . *Coloni decumani ſpeculentur juxta portus Candiani* ; profecto indicat, jam tunc alium Candiani, alium Sapis fuiſſe portum. Quod ſi ob hujus fluminis averſionem jam tum portus Claſſenſis tantum acceperat detrimenti ; imo vero ſi circa medium ſæculum VI. vel potius ante ejus initium eo redactus erat, ut qui *aliquando portus fuerat, ſpatioſiſſimos hortos oſtenderet arboribus plenos, verum de quibus, ut Fabius ait, non penderent vela, ſed poma* ; credendum videtur, jam tunc inde Sapim averſum fuiſſe, cum hæc ſcripta ſunt verba ; ſcripta autem ſunt eo quo indicabam, tempore non tam ab Jornande (1), quam a Caſſiodoro, cujus Chronica de Gothis ſic ille in compendium redigebat. At ſi hæc quæ deſcripſimus, non a Caſſiodoro fuiſſe ſcripta, ſed ab Jornande interjecta, ſuſpicaris propterea quod apud Procopium (2) legeris, Beliſarium *claſſem frumento, aliiſque rebus ad victum commodis onuſtam celeriter navigare juſſiſſe ad portum Claſſis ; ita autem Romanos vocare Ravennæ Suburbia, ubi portus eſt* ; animadvertas velim, inter annum 536. in quem is cadit Procopii locus, & annum 552. quo ſcripſiſſe Jornandem, cenſent, non ſatis quidem intervalli eſſe, ut credi poſſit, tantam illam rerum mutationem accidiſſe : itaque ad ejuſmodi locos qui ad annos etiam ſpectent non paulo poſteriores, ſatius fortaſſe dici poſſe, tantam etiamtum partem ampliſſimi ejus portus ſuperfuiſſe, ut claſſi mediocri excipiendæ par eſſet, etſi pars reliqua multo major poſt averſum alio Sapis curſum in hortos mutata eſſet. Ne vero hæc a me temere dicta putes ; Itinerarium, quæſo, inſpice Hieroſolymitanum, ſive *iter Burdegala Hieroſolymam A. 333. factum deſcribens*, ut ex Cl. Ceillierio memoratur in Actis Eruditorum Lipſienſibus (3), ſive quod *ſcriptum videtur circa poſtremos Imperii M. Conſtantini annos*, quæ ſententia eſt Cl. Weſſelingii (4), ſatis ad priorem accedens ; Magnus enim Conſtantinus anno obiit 337 ; in eo certe Itinerario hæc invenies. *Ravenna, Sapis XI. Ad Novas XI. Rubico fl. III.* Quæ ſi conferas cum recentiore Cluverii (5) per idem littus, *Ravenna, Claſſe III. Ponte di Savio VIII. Santa Maria del Pino III. Cervia II. Porto Ceſenatico V. Fiumicino III* ; reperies nimirum, quinque ante quam Blondus poſuerit, ſæculis ibi Sapim fuiſſe ubi nunc videmus, & quod conſequitur jam tum a Claſſis portu ad mare inter Claſſem, & Cerviam, ſeu locum mavis, ubi Cervis poſtea condita eſt, curſum avertiſſe.

16. Eo rem adduxiſſe videor, ut non modo fatearis, contractum nimis a Blondo fuiſſe tempus, ex quo Sapis deſierit in Candiani vallem influere. Claſſenſem portum facturus ; verum etiam, ut fortaſſe ſuſpiceris, num unquam influxerit, & ad portum illum pertinuerit, præſertim cum ante Blondum id nemo, quod ſciamus, docuerit, diſtetque adeo ab illo portu ejus oſtium fluvii, tantumque abſit, ut ejus portus gratia illuc is fuerit deducendus, ut avertendus potius inde fuerit, ſi natura eo deſcendiſſet, quippe qui, ut ejuſmodi amnes, & proximi certe quique ſolent, arenæ terræque tantum invehere potuiſſet, ut portum deniqne totum oppleret. Nec tamen eæ ſunt hæ rationes, ut ſuſpicioni iſti plurimum credam tribuendum. Namque ut ab noviſſima incipiamus ; innumera ſunt in rebus ejuſmodi, quæ utilia antea viſa, ob idque effecta, experientia demum inutilia, atque adeo noxia deprehenduntur. Itaque hujus etiam fluminis in illum portum deductio ex eo cenſu eſſe potuit, ut noxa, temporis decurſu dumtaxat agnita, poſteros permoverit, ut inde eum amnem averterent, quo decepta ſpes Majorum induxerat, & , quod conſequitur, non averſio, ut creditur, ſed inductio ejuſdem illum portum labefactarit. Quod vero nunc Sapis oſtium ab loco ubi is portus fuerat, intervallo tanto diſtet, minime licet inficiari ; ſed perbreve intervallum eſt, nec paſſuum 1300. ſi Coronellii inſpicias Tabulam (6) qua Ravennatem agrum proponit, quo intervallo Sapis alveus a *Maſulli*, ut nunc appellant, Valle diſterminatur, in quam influeret, ſi eadem

(1) Hiſt de Reb. Getic. c. 29.
(2) De Bello Goth. l. 2. c. 29.
(3) Supplem. Nov. Tom. 2. Sect. 5.
(4) in diſſert. illi Itinerario præfixa.
(5) Ital. Antiq. l. 1. c. 28.
(6) Corſo Geogr. Univ.

Digitized by Google

eadem linea pergeret, nec mare versus se se inflecteret; ejus autem Vallis extremum alterum a Templo S. Apollinaris in Classe 800. passibus non distat; ut pronum sit intelligere, Sapim olim in stagna, Ravennæ circumjecta, facile influere, & per ea ad Classensem portum deduci potuisse. Postremo quod ad Veterum attinet testimonia, nulla quidem produci video; sed quondam tamen prisca non defuisse monumenta, arbitror, unde id didicerit Blondus, & quibus permoti sint, ut cum eo facerent, tot Clari Viri, in quibus Volaterranus (1), & Leander (2) fuere, & ex Ravennatibus Thomajus (3), & hoc major Spretus (4), cujus verba ita Blondo adstipulatum ostendunt, ut insuper docuerit, non *Sapim* dumtaxat *fluvium*, *sed & alios portum Classensem feciſſe*, ab hoc autem aversos pessumdediſse, cum *aliud in mare ostium -- sibi Sapis fluvius effecit, alii vero ad urbem declinantes, Adriaticum mare aliud per ostium influere* cœperunt. Quod ego de Roncho potissimum dictum accipio, ut quem & propiorem Classi esse scimus, & si in laudata Coronellii Tabula spectemus, defluxurum fuisse, cernimus, juxta memoratum S. Apollinaris Templum, si eodem, quo superius, cursu mare versus perrexisset, neque inflexus per alveum, ut supra (5) dictum est, manu paratum, Ravennam deductus esset. Itaque si olim e re esse, crediderunt, ut Sapim in Classensem portum inducerent; e re quoque credere debuerunt, ut & Ronchum in eundem immitterent: quem propterea, quippe per oppidum Classis; aut juxta illud traductum, Ravenna pedibus adiri potuisse, conjicimus. Neque ab hac conjectura abhorruisse videtur Ortelius (6), cum ei flumini quod Roncho respondet, ad Cæsaream, hoc est inter Classem, & Ravennam, impositum Candidium pontem indicavit. Quo de Ponte, quem alii Candiani fluminis fuisse, ajunt, simulque de cæteris quæ in illo eodem littore olim spectabantur, proximis Litteris videbimus. Vale.

EPISTOLA ÆMILIANA VI.

DE quinque Fluminibus quæ circa Ravennam olim confluebant, Epistolis tribus superioribus tantum scripsimus, quantum tibi satis fore, existimavimus. Stagna autem, & æstuaria, in quæ se illa primis temporibns effundebant, & in quibus, interque ipsas marinas undas ea fuerat urbs condita, quibus limitibus continerentur ab ea quidem plaga quæ nunc Faventiam, Forum Livii, & Cæsenam spectaret, non est facile constituere; quanquam *tanto spatio, quantum expeditus viator uno die conficiat*, maris æstu affluente, se extendisse tum etiam cum Procopius (7) scripsit; ni forte mendum aliquod subest, videantur. A plaga autem opposita, quæ ad mare videlicet conversa erat, etsi veri simile est, non multo aliter se rem habuisse, quam in iis littoribus quæ inter Veneta æstuaria, & mare interjecta cernuntur; pauca tamen pro certo affirmari possunt, eaque ferme ad Cæsarum tempora, & quæ deinceps consecuta sunt, pertinentia. Sic proxima ostensum Epistola est (8), Julii Cæsaris ætate viam fuisse per quam curru vectus Ravenna discederet ad R. P. opprimendam. Quæ quoniam via ad Rubiconem ducebat; proclive est intelligere, per littus fuisse ductam, ubi Classis postea, & inter hanc, & Ravennam Cæsarea conditæ sunt. De eo igitur littore quod inter mare, & eam stagni partem interjectum erat, quæ Sapi flumi-

(1) Comment. Urb. l. 4. (2) Descrit. cit. Reg. 14. (3) Hist. di Rav. P. 1. c. 3.
(4) De Urb. Rav. Amplit. l. 1. (5) n. 8.
(6) Theatr. Orb. Terr. in Tab. alias inscripta Italia Gallica. (7) De Bello Goth. l. 1. c. 14.
(8) n. 5.

Digitized by Google

flumini erat propior, primum ut se haberet cum duobus illis oppidis, & celeberrimo portu ornatum esset, deinde ut postea, & nunc se habeat, sermonem instituemus; ut initio inde sumpto, deinceps ad Ravennam ipsam, & ad illa quæ huic ab opposita plaga adjacebant, aut adjacent, transeamus.

2. Et primum de Classensi portu, ut qui non modo ante duo illa oppida factus esset, sed causa fuit cur ipsa postea conderentur, verba facturus, principio illud pono quod ex Jornande (1) habemus, *Eridanum ab Augusto Imperatore altissima*, sive, ut in aliis est codicibus, *latissima fossa demissum, qua septima sui alvei parte mediam influeret Ravennæ civitatem, ad ostia sua amœnissimum portum præbuisse, classem CCXL.* sive, ut alii habent codices, *CCL. navium, Dione referente tutissima dudum creditum recipere statione*. Hæc autem cur Augustus, jam rerum potitus, fecerit, licet ex Suetonio (2) intelligere. *Classem Miseni, & alteram Ravennæ*, inquit, *ad tutelam superi & inferi maris, collocavit*. Nam etsi Cluverio (3) concederemus, quæ ipse ex M. Tullio, Vegetio, & Tacito produxit, eam vim habere, ut adversus Suetonium ostenderent, non id primum ab Augusto fuisse institutum, ut classis in statione esset apud Ravennam: etsi ipsi cum Rubeo (4) ex Appiano (5) addamus, Augustum, cum adhuc in eo esset, ut Sexto Pompejo obsisteret a fœdere discedenti, *naves longas ex Ravennis* accersiviſſe; non inde tamen sequeretur, aut hinc sequitur, Ravennatum quoque veterem portum eum fuisse, ut posset tot simul, quot diximus navibus, quandocunque opus esset, aut si non tot, multis saltem, æque commodam, ac tutam stationem præbere. Et Lucas quidem Holstenius (6) ubi Horatius (7) scripsit

Debemur morti nos nostraque, sive receptus
Terra Neptunus classes aquilonibus arcet,

censuit, *sine dubio intellexisse portum Ravennatium ab Augusto extructum ad tutelam Classis Superi maris*, cum vetus Scholiastes Ostiensem portum intellexisset, a Cluverio (8), ab ipsoque Holstenio redargutus, ab illo quidem propterea quod Ostiensis portus ab aliis post Augustum Imperatoribus exstructus fuit; ab Holstenio autem quod non aquilonibus, sed austro potius objectus est, *Ravennas* vero *directe* oppositus est *septemtrioni*. Verum, ut Holstenio tamen respondere Scholiastes posset, aquilones Poetam pro quocunque vento dixisse; ita scire ex te aveo, an se pariter tueri iis liceat qui de Classensi portu loquentes, nimis, quasi Plinio auctore, id ædificium extollunt quod ad ejusdem ostia exstructum fuerat ad salutem non eorum qui in portu erant, sed illorum qui ipsum petebant.

3. Scilicet ex quo Blondo (9) excidit, nimis, ut opinor, fidenti memoriæ suæ, *scripsisse Plinium, in hujus portus ostiis turrim fuisse pharcam omnium maximam, quas Romanum ubique habuit Imperium*, idque in Historiis quoque (10) iteravit; hoc ipsum ex Plinii auctoritate Desiderius Spretus (11), Bernardus Justinianus (12), Thomas Thomajus (13), Hieronymus Rubeus (14), aliique confirmarunt: ut nostro etiam tempore non defuerint qui affirmarent, *superasse ergo* hanc turrim *Pharum Alexandriæ, cui locus fuit inter septem mirabilia Orbis terrarum*. Nunc tu si de Pharo hoc Ravennate quidpiam in Plinio esse, inveneris præter hæc (15) *Usus ejus*, id est Phariæ turris, *nocturno navium cursui ignes ostendere ad prænuncianda vada, portusque introitum: sicut jam tales compluribus locis flarant* (an flagrant) *ut Puteolis, ac Ravennæ*; fac sciam. Sed Rubeus cum denique in Historiarum suarum Indice (16) hæc scripsit; *Pharos ad Candiani focem quomodo esset exstructa, cognosci ex Herodiano potest*: illudque addidit, *cum sacra turris D. Mariæ in portu Ravennati, ea fere ædificata ratione videatur, quam de-*

(1) Hist. de Reb. Get. c. 29. (2) in August. c. 49. (3) Ital. Ant. l. 1. c. 28.
(4) Hist. Rav. l. 1. (5) De Bello Civil. l. 5. (6) Annot. in Ital. Ant. Cluver.
(7) Art. Poet. (8) Ital. Ant. l. 3. c. 3. (9) Ital. III. Reg. 6.
(10) Dec. 1. l. 4. (11) De Urb. Rav. Amplit. l. 1. (12) De orig. Urb. Venet. l. 5.
(13) Hist. di Raven. P. 1. c. 3. (14) Hist. cit. l. 1. (15) Nat. Histor. l. 36. c. 12.
(16) ad vocem Pharos.

Digitized by Google

ſcribit Herodianus, facile adducor, ut conjiciam, Pharon eſſe potuiſſe; tunc ſane videtur oblitus, ſe iiſdem in Hiſtoriis (1) Plinium de Pharea turri ad ejuſdem portus oſtia teſtem laudaſſe, tanta videlicet *ut majorem ullam Imperium Romanum non haberet*. Quid enim turris ejus Templi ad illam Alexandriæ, cujus magnitudo ab Luciani Scholiaſte (2) cum Ægypti pyramidibus comparatur, eaque fuiſſe dicitur, ut cum incredibili eſſet altitudine, inferioris tamen partis latitudinem haberet, quæ dimidium altitudinis æquaret? Videſis hanc ſacram turrim a Coronellio (3) delineatam, qui & ipſe; ut recentiores alios omittam;„ ad ant quiſſimum Pharon re„ fert ab Romanis ad portus Candiani „ oſtia exſtructum, ſicut Herodianus de„ ſcribit „ intelliges ſane ubi ejus magnitudinem turris ex appicto Templo æſtimaveris, haud eſſe dignam, non dico quæ cum Alexandrina illa conferatur, ſed quæ ad celeberrimum Claſſenſem portum attinuiſſe exiſtimetur. Certe ne illius quidem proportionem dimenſionum oſtendit, quæ proportio modo commemorata eſt. At enim ad Pharorum formam accedit, ab Herodiano (4) deſcriptam, qualem in pleriſque nummis conſpicimus ad Cæſarum conſecrationem attinentibus, ut imo ſuggeſto ampliori alia deinceps, atque alia imponantur eo anguſtiora ſemper, quo ſuperiora. Accedat ſane; quanquam ex duobus, haud amplius, ſuggeſtis id ſatis æſtimari non poteſt; & Pharos quoque, ſi vis, fuerit. Sed num Claſſenſis? an ejus potius ad quem Templum illud exſtructum eſt, portus, unde ipſum videlicet cum adjuncto Cœnobio *Portuenſis* nomen accepit? Utrumque autem, nimirum & Cœnobium, & Templum circa initium ſæculi XII. ædificatum eſſe *in portu Ravennati*, ex Rubeo (5) conſtat, qui Petri conditoris obitum ponit A. 1119. hunc a S. Petro Damiani R. E. Cardinali diſtinguens contra, ac fecerat Thomajus (6): Dantem [7], ſed non omnino, ſecutus: cujus Poetæ interpretes Landinus, & Vellutellius obliti videntur, non ſemel *peccatoris* cognomen virtutis cauſa ſibi ſanctiſſimos Viros ſumpſiſſe. Num idem quod Thomajus, voluiſſet antea Spretus (8), cum *Templum Mariæ in portu* ſcripſit *Petrum quendam peccatorem Romanæ Eccleſiæ Cardinalem erexiſſe*, an quod poſtea Hieronymus Fabbri (9) qui Petrum de Honeſtis conditorem hujus Templi poſuit, *a Petrarcha* [quod ipſe ait, ego in iis quæ hic laudat, *de Vita Solitaria* Scriptis invenire necdum potui] *etiam celebrati*, denique an minori ibi extructa ædicula Andreas Septemcaſtellius Sancto illi Cardinali, quod Thomajus ſcribit, præiverit, an cum Petro de Honeſtis, quod ajunt alii, ſe *peccatorem* nominante, majorem Ædem inchoaverit, non hic mihi neceſſe eſt quærere, cum de tempore quod indicavi, nemo repugnet, quod ſciam, Thomajus autem aperte conveniat. Quo ſane tempore Claſſenſem portum eo demum redactum fuiſſe, ut portus nomine poſito, minime ipſe intelligeretur, cum ex iis conjici poteſt quæ Litteris ſuperioribus [10] ſcripta ſunt, tum ex iis magis poterit quæ his ipſis [11] ſcribentur.

4. Huc illud accedit, alium hujus portus qui Templo de quo dicebamus, nomen dedit [12], alium fuiſſe Claſſenſis locum. Itaque Blondus [13], & Juſtinianus [14] Phari Claſſenſis *nulla fundamenta, nullas reliquias extare, ſed cum omnibus veſtigiis interiiſſe*, ſcripſerunt, cum eo videlicet loco quærerent, ubi eum fuiſſe oportebat. Quo loco tamen Deſiderius Spretus [15] ejus Phari *fundamenta nuper reperta* memoravit, quemadmodum & *molem quandam* etiamtum conſpici, affirmabat *miræ magnitudinis, ac ſtructuræ*, quæ, ut apparebat, pro portu olim *aquarum fluctibus objecta fuerat*. Quæ etſi, ut optandum fuerat, minime docuit, quo intervallo a S. Apollinaris Templo, & quam ad plagam diſtarent; tamen fuiſſe *in claſſenſi loco* ſignificavit, confirmavitque cum de muſivo anti-

(1) l. cit. (2) M. S. cit. ab Jo. Voſſio ad Pomp. Mel.
(3) Ravenna Ant. e Mod. (4) Hiſt. l. 4. (5) Hiſt. cit. Rav. l. 5.
(6) Hiſt. cit. P. 1. c. 4. (7) Paradiſo C. 21. (8) l. 1. cit.
[9] Sagre Memorie di Ravenna. [10] n. 15. [11] n. 12. [12] Vid. Epiſt. VII. n. 12.
[13] [14] Hiſtor. loc. cit. [15] l. 1. cit.

Digitized by Google

antiquo opere quod Ravennæ in S. Martini in cælo aureo nunc etiam visitur, sermonem habens, in eo, simul cum Classis oppido, & portu, maximam illam turrim phaream *evidentissime ostendi*, non dubitavit [1]. Quam etsi ego non facile, ad indicatam autem ab Herodiano formam, ibi nullam prorsus agnosco; tamen haud ita procul a Classensi oppido ab Spreto fuisse intellectam, manifestum est.

5. Nunc quando in musivi hujus operis mentionem incidimus, non a Spreto dumtaxat, sed a Blondo quoque [2] tantopere laudati, ut *elegantissimum omnium veterum, aut novorum in Italia* esse, dicat; quale haud ita pridem spectaverim, non reticebo, cum ad Classis portum, de quo loquor, & oppidum, de quo sum mox locuturus, attinere existimetur; ut quorum nulla vestigia nunc extant, imagines saltem eorum, tunc cum utrumque extabat, descriptas, non neglexisse videamur. Igitur id quod novissime dixi. Templum, quod nunc S. Apollinaris in urbe vocant, ingressis; & ad lævam suspicientibus occurrit statim illud quod dicebam, musivum opus, sane pervetus, sed coloribus, aureo præsertim, satis vividis. Portam a sinistris altam exprimit, parallelogrammi forma, quasi auro clausam. Attigua ei portæ a dextris sunt mœnia oppidi, ut videtur, cujusdam, & ad horum dexteram est mare, non valde patens in latitudinem, quippe quod inter illa mœnia, & columnam, vel potius pilam quasi quandam apparet, qua picturæ latus dexterum absolvitur. Eam pilam, etsi ab longi temporis injuriis nonnihil detrimenti retulit, ad lineam tamen vides ascendere, nec quodquam ostendere indicium Phari, pro quo, ut opinor a Spreto accepta est. Cæterum in mari illo tres oblongæ naves in transversum positæ spectantur; *dromones*, & *triremes* appellat Blondus quas in portu pictura indicet, qua *& Classense oppidum quale fuerit* indicetur, idque *tantis*, ut idem ait, *ædificiis ornatum*, *ut stupendum sit*, *nulla ipsius fundamenta*, *nullam partem præter ædem S. Apollinaris*, *quæ adhuc extat*, *insignis*, *alicubi* nunc *inveniri*: quanquam hanc S. Apollinaris Ædem, de qua, ceu de Classis parte, Leander (3), Cluverius, (4), Baudrandus (5), aliique passim ad eundem modum loquuntur, extra muros Classis fuisse, ex Rubeo, qui & corpus S. Apollinaris docuit (6) extra eosdem muros sepultum esse, intelligi potest, ut contra, S. Severi corpus conditum esse, ejusque Templum exstructum intra Classis muros, vel ex iis patet, quæ in alia Epistola (7) a nobis producta sunt. Quod S. Severi Templum cum distare videamus (8) a Templo S. Apollinaris *perticis* Ravennatibus circiter trecentis; hinc licet intelligere simul ubi certa pars Classis esset simul quam ad plagam pars reliqua extenderetur ejusdem oppidi, scilicet meridiem versus, cum ejus spatii quod ad oppositam plagam inter Ædem S. Severi, & Ravennam interest, videlicet quingentarum perticarum, magna pars relinquenda Cæsareæ sit, quam inter Classem, & Ravennam fuisse, constat. Sed de Cæsarea dicemus postea.

6. Jam vero ut cætera quæ ad oppidum Classis attinent, absolvamus, porta, & mœnibus instructum fuisse, cum musivum illud opus ostendit, tum causa propter quam exstructum fuit, confirmat. *Castra* enim *hiberna Classiariorum*, ut Pighius (9) loquitur, paranda fuerant in perpetuum tempus; itaque & tutelæ, & disciplinæ causa muro cingenda. Nec dubito, quin Navalia etiam fuerint muro comprehensa, eaque, ut pro tanta classe, non modica, quo videlicet & infirmæ naves subduci, ac refici, & novæ construi, & ubi armamenta parari, & servari possent. Ad naves autem construendas opportuna adeo erat Pineti vicinitas, ut tunc primum aut consitum, aut excultum fuisse credi possit: qua de re videbimus alias (10). Ad milites igitur, ad turmas, ad socios navales, ad fabros maximæ classis excipiendos, locumque his præbendum idoneum quo suum exercerent munus, iis ca-

[1] l. cit. [2] Hist. l. 4. cit. [3] Descrit. di tutta Ital. Reg. 14.
[4] Ital. Ant. l. 1. c. 28. [5] Lexic. Geogr. in Class. [6] Hist. Rav. l. 4.
[7] III. n. 9. [8] Ragguaglio della Diverf. dei due Fiumi Tav. 1.
[9] Hercul. Prodic [10] Epist. XIII. n. 12.

Digitized by Google

ſtris opus fuit quæ oppidi magnitudinem æquarent. Fuiſſe autem *apud Miſenum, & Ravennam* cum claſſibus *ſingulas legiones, & ad præfectum claſſis Ravennatium* quot *tribuni*, & *navarchi* pertinerent, atque ut hi aſſidui eſſent in *gubernatoribus, atque remigibus, & militibus exercendis*, Vegetius (1) docet: extantque Inſcriptiones adhuc multæ ad claſſem Ravennatem, & ad eos qui in ipſa militabant, aut munera gerebant, ſpectantes, quemadmodum quæ ad Miſeni claſſem attinent, apud Capaccium (2) leguntur. Sed illarum, cum eſſem Ravennæ, non paucas vidiſſe memini, ſi cum iis conferas, quas Spretus (3) edidit non diligenter deſcriptas, ut puta quæ L. Licinii memoriam ſervat, in qua ut mendas omittam cæteras, exempli gratia ut qui vixerit *Ann.* XXXV. (idem militaverit *Ann.* XXV.), certe *Tr. Claſſ. Patr. Raven.* fuiſſe non poteſt, qui continuo natione Dalmata dicatur, ſed Claſſis Prætoriæ Ravennatis; ut facile ſcriptum fuerit quod in alia vidi CLASS. $\overline{PR}$.

Sed de Ravennatibus hujus generis Inſcriptionibus ſi plura cupis, Maffeii Litterarias Obſervationes (4) lege. Porro ut Miſenatum, ſic & Ravennatum militum caſtra fuiſſe etiam Romæ, ſive ut in Urbem aliqua de cauſa venientes haberent ubi diſciplinam ſervarent, ſive ut tironibus, ad ſupplendam alterutram claſſem conſcriptis, præſto eſſet locus in quo degerent, donec Miſenum, aut Ravennam mitterentur, invenies unde credas apud Famianum Nardinum (5). Cæterum de claſſe ipſa Ravennate cum ſæpius meminerit Corn. Tacitus (6); hic juvat unum, aut alterum ex ultimis duntaxat locis proferre. *Lucilius Baſſus claſſis Ravennatis præfectus, ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatæ, Pannoniique erant, quæ provinciæ Veſpaſiano tenebantur, partibus ejus aggregaverat*: & mox, *Trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt, &c.* Denique poſt multa ac varia interjecta, *ad has copias e claſſicis Ravennatibus legionemque jam* pro Veſpaſiano *militiam poſcentibus optimus quiſque adſciti Claſſem Dalmatæ ſupplevere.* A tempore autem Veſpaſiani ad Severi uſque ætatem minime dubium eſt, quin ibidem claſſis fuerit, hæc ſcribente Spartiano (7), *dum hæc egit Julianus, Severus claſſem Ravennatem occupat.* Sed ab eo anno, qui fuit 193. ad quem uſque annum perſtiterit, minus facile dixero, quam ante annum 455. jam prorſus deſiiſſe. Quod ut oſtendam, quo tempore libros de Re Militari Vegetius ſcripſerit, mihi antea videndum eſt.

7. Cum enim hos miſerit ad *Valentianum* Auguſtum, hoc eſt ad Valentinianum (Valentianus enim Auguſtus nullus eſt) Valentiniani autem tres fuerint, quorum primus anno eſt mortuus 375. alter anno 392. tertius anno 455.; mentionem autem Vegetius (8) faciat *Divi Gratiani*, mortui videlicet, hujus autem mors contigerit circa annum 383. recte propterea cum Cellario (9) negant, Valentiniano primo ſcripſiſſe Vegetium. Sed *alteri*, ajunt, eoque ponunt ante annum 400. Mihi vero conjecturæ ſunt, non alteri ſcripſiſſe, ſed tertio, qui anno imperare cœpit 425. Nam ſi ſecundo ſcripſiſſet; non ejuſmodi in loco (10) Gratianum nominaſſet, quippe hujus fratrem; erant enim eodem Valentiniano I. patre, alia matre; ſed nomine Gratiani omiſſo, tempus, vel potius rem duntaxat indicaſſet; oſtendit enim, quanto detrimento a Gratiano id peditibus quod poſtulabant, indultum ſit, ut ferreos thoraces, galeaſque deponerent; nam ſic *congreſſi contra Gothos, multitudine ſagittariorum* fuerant, ut ait, *ſæpe deleti*, & *tot clades* contigerant, *quæ uſque ad tantarum urbium excidia pervenerant*. Non videtur autem illud militibus a Gratiano permiſſum, niſi poſt annum 378. quando Valente patruo, quocum imperaverat, mortuo, ipſe cum Valentiniano II. tum ſeptenni, Imperator eſſe perrexit. Valente enim imperante, milites in ejus exercitu *armorum gravatos ſarcinis* oſtendit Ammianus Marcellinus (11), eundemque exer-

[1] De Re Milit. l. 5. c. 1. &c. [2] cit. ab Holſten. in Annot. ad Ital. Ant. Cluver.
[3] cum libris de Ravenn. Amplit. [4] Rom. 2. [5] Roma Antica l. 3. c. 10. & l. 7. c 21.
[6] Annal. l. 4. l. 18. l. 19. [7] in Didio Juliano. [8] l. 1. c. 20.
[9] Prolegom. ad Gur. Poſt. de Barbariſm. [10] c. cit. [11] Geſtar. rerum l. 31.

Digitized by Google

exercitum A. 378. munitum *vallo, ſudibus foſſaque firmato*. Quibus ex rebus duabus indicia duo exiſtunt, ad Valentinianum II. minime ſcripſiſſe Vegetium, ut qui ajat (1), *multos annos eſſe quibus nullus foſſa, vel aggere, valloque manſurum circumdet exercitum*, & infra, hæc *ex libris diſcenda* quæ *uſu antea ſervabantur, ſed omiſſa diu nemo quæſivit*. Vide enim, num hæc illi narrare poſſet qui anno ſit mortuus 392. Alterum autem indicium petendum eſt ex illis *tot cladibus* exercituum, & *tantarum urbium excidiis* per Gothos illatis, quæ ſi ab anno 378. ad annum 392. accidiſſe, non legis, legis autem poſtea ſub Honorii imperio quæ Radagaiſus, quæ Alaricus, quæ Athaulfus, Gothorum reges, Italiæ, & Romæ detrimenta, clades, excidia attulerint; nimirum intelligis, ſignificari a Vegetio non quæ ante Valentiniani II. mortem, ſed quæ ante Valentiniani III. imperium fuere. Huc illud accedit, poſt Gratiani mortem, nihil fere de Valentiniano II. legi, niſi fugam, reſtitutionem, & necem; ad III. autem Valentiniani imperium, ut gravia quædam, ſic læta etiam ſpectare, ut præſertim victoriam de Attila Hunnorum rege in bello adverſus hunc primo, aliaque in Italia, in Gallia, in Perſia proſpere geſta. Utrum igitur a Vegetio (2) dictum credemus *continuis victoriis ac triumphis — domitorem omnium gentium barbararum*, & (3) *cunctos Imperatores felicitate — præcellere* Valentinianum II. an III.? Ut enim aliquid adulandi conſuetudini datum velis; tantum tamen datum eſſe, non credes, ut mendaciis apertiſſimis rideri potius Imperator videretur, quam laudari. Quin ego, ne tecum quidquam diſſimulem; cum præter *felicitatem*, præcellentem *moderationem*, *caſtimoniam*, *indulgentiam*, *ſtudiorum amorem* illi ad quem ſcribitur, tribui (4) videam; ſuſpicatus interdum ſum, an non potius allocutus Vegetius ſit Theodoſium II. qui cum Valentiniano III. annos imperavit viginti quinque, laudemque promeritus eſt clementiæ, religionis, ſapientiæ, ſacræque doctrinæ. Et ſane P. Scriverius (5) teſtatur, Palatinum Vegetii codicem optimæ notæ habere, non *ad Valentinianum*, ſed *ad Theodoſium*. Ad quem ſi malles Vegetium ſcripſiſſe; non tamen id primis illis factum eſſe temporibus crederes, cum anno 408. cœpit cum Honorio imperare, ſed annis poſterioribus, in quos magis ea cadunt omnia quæ commemorata ſunt. Igitur, ut concludam denique; ad utrumlibet Vegetius ſcripſerit, non ante annum ſcripſiſſe videtur 400. ſed annis potius poſt id tempus non ita paucis, nec tot tamen, ut ultra Martium excurratur anni 455. quo menſe Valentinianus, quincto poſt Theodoſium anno, mortuus eſt.

8. Vegetius autem non modo illud ſcripſit (*) *de navalis belli artibus ideo pauciora dicenda ſunt, quia jamdudum pacato mari, cum barbaris nationibus agitur terreſtre certamen;* ſed hoc etiam (6) vel magis a nobis attendendum, *Apud Miſenum ergo, & Ravennam ſingulæ legiones cum claſſibus ſtabant*. Cur enim non dixiſſet *ſtant*, ſed *ſtabant*, niſi jam ſtare deſiiſſent? deſierant autem, quia *jamdudum pacato mari*, in promptu habere expeditas claſſes, & diligenter exercitatas non erat opus. Itaque & cætera quæ ad naves ſpectabant, quibus præerant præfecti utriuſque claſſis, ſic poſuit omnia, ut dixerit (7) *pertinebant, erant, habebant, exhibebant;* ut appareat, non quæ tum eſſent, ſed quæ antea fuiſſent, memoraſſe. Quando autem eſſe deſiiſſent, pro certo non conſtat: etſi producta Vegetii verba jam diu indicant deſiiſſe ante Valentiniani III. tempora; nam quid paulo dumtaxat ante hujus ætatem fieri conſueſſet, non opus alioquin fuiſſet ſignificare. Sed quandocumque deſierint; ab eo uſque tempore veri ſimile eſt in conſervando portu, & ſive amnium, ſive Auguſtæ Foſſæ ad eum pertinentium influxu minorem adhiberi curam & diligentiam cœptam eſſe, ut ſenſim minus capax claſſium fieret, & denique eo redigeretur, ut Blondi (8) ætate *nec ſcapham piſcatoriam, lembumve perferret*. Quamvis autem ante initium ſæculi

VI.

[1] l. 3. c. 10. [2] Prolog. l. 2. [3] Prolog. l. 4. [4] Ibid.
[5] Animadv. 2. ad Vegetium. [*] Prolog. l. 5. [6] l. 5. c. 1.
[7] Ibid. c. 2. [8] Hiſtor. Dec. 1. l. 4.

Digitized by Google

VI. ut alibi oſtendimus (1), magna portus ejus pars videatur *in ſpatioſiſſimos hortos* fuiſſe mutata; ibidem tamen indicatum eſt, tantam ejus ſuperfuiſſe partem, ut eo ipſo ſæculo, ſi non ingentes, aliquas tamen claſſes, ut a Beliſario miſſam, exciperet: quod & muſivum confirmat opus de quo ſupra (2) dictum eſt, triremes, & dromones, ut Blondus (3) loquitur, in Claſſenſi portu oſtendens, ſi *factum* quidem eſt, ſicut idem tradit, & Spretus (4) conjicit, *tempore Theodati regis Gothorum, adverſus quem a Juſtiniano Beliſarius eſt miſſus*. Nam Thomajus (5) ipſum, in quo eſt, Templum ab Juſtiniano conditum ſcribit, cujus imaginem ſupra Templi portam interius ad ingredientium dexteram, Uxoris autem ad ſiniſtram, muſivo pariter opere expreſſam memorat, ſed vel tum brevi, ut verebatur, perituram: Juſtiniani tamen faciem adhuc extare, certior factus ſum, cernique poſſe ab iis qui podium Muſicorum, ſupra eandem portam nunc conſtructum, aſcendant. Idem quoque Thomajus fuiſſe indicat, qui ſacram illam Ædem a Theoderico Gotthorum rege ædificatam cenſerent: quibuſcum ipſe facere non videtur. Ego in re incerta nihil definio, niſi quod ob Juſtiniani, & Uxoris imagines, muſivo pariter opere effictas, minus longe a veri ſimilitudine abire credo qui in proximo pariete, eodem picturæ genere expreſſum Claſſenſe oppidum quoque, & portum, Juſtiniano imperante, fuiſſe ajat. Siqui tamen eſſe malint, aut poſt hujus tempora additum; aut Theoderico regnante, pictum; ut hi in tempus non multo anterius retrahent, ideſt ante ſæculi VI. initium, ſic illi retrahent in tanto poſterius eo quod cum Blondo diximus, quanto magis ab Juſtiniani ætate ad inferiorem accedent.

9. Claſſenſis tamen oppidi imaginem ex vero deſcribi poſt annum 722. non potuiſſe, certum eſt. Manſit illud quidem vel poſtea quam Romana claſſis in eo portu ſtare deſiit. Quin etſi hujus claſſis cauſa, ut ſupra (6) indicavi, oppidum portui additum eſſe, non dubito; tamen, ut verum fatear, nullum, quod meminerim, apud veteres Scriptores de oppido teſtimonium extat, donec Romani in eo portu claſſem habuerunt. Nam quod nonnulli Clariſſimi Viri, Ortelium (7) ſecuti, Spartianum laudant, quaſi in Didii Juliani Vita id oppidum memoraſſet; profecto Spartiani verba, quæ ſuperius quoque (8) producta ſunt, Severum *Claſſem Ravennatem occupaſſe*, non oppidum, ſed naves ſignificant: neque enim ita oppidi unius occupatio ad ſummam rerum attinebat, ut in tanta brevitate a Spartiano, qui urbes ibi provinciaſque omnes ſilet a Severo occupatas (9), commemorari debuiſſet. Sed poſt illa tempora, manentis oppidi plures meminerunt. Sic Rubeus (10) Auctores habuit, ut ſcriberet, Alaricum initio ſæculi V. inter Ravennam, & Claſſem oppidum caſtra locaſſe. Sic Procopius, cujus locum ſuperiore Epiſtola (11) protulimus, ſæculo VI. *Claſſem vocari*, dixit, *Ravennæ ſuburbia ubi portus eſt*. Eodemque ſæculo Jornandes ſcribens (12), de tribus tum manentibus Ravennæ partibus ultimam eſſe *Claſſem*, docuit. Agathius (13) autem quæ illo ipſo contigerant ſæculo deſcribens, Aligernum *ad Claſſes caſtellum in Ravennati agro ſitum, ubi Narſetem morari, didicerat*, venientem proponit. Poſtea vero, ſed eodem ſæculo, a Clephi, Longobardorum rege, Claſſenſe oppidum captum, & majori ex parte ſpoliatum, ut ea gens tenuerit vel poſt Clephis mortem duce Feroaldo, memorat Blondus (14), qui & Claſſem ſcripſit (15) *cum antea, tum maxime beati Gregorii temporibus* Epiſcopum habuiſſe. Eodemque auctore (16) novimus, alterum Feroaldum Spoletanorum ducem, idem oppidum furto cepiſſe, Liuthprandi autem juſſu illæſum dimiſiſſe. Sed poſtea (17) Liuthprandum ipſum aggreſſum oppidum Claſenſe, civium inter ſe diſſidentium proditione occupaſſe, diripuiſſe, & diruiſſe.

[1] Epiſt. V. n. 15. [2] n. 5. [3] l. cit. [4] De Rav. Amplit. l. 1.
[5] Hiſt. di Rav. P. 1. c. 4. [6] n. 6. [7] Synonym. Geogr.
[8] n. 6. [9] Vid. eund. Spartianum in Severo. [10] Hiſt. Rav. l. 2.
[11] n. 15. [12] Hiſt. de Reb. Get. c. 29. [13] De Bello Goth. l. 1.
[14] Hiſt. Dec. 1. l. 8. [15] Ital. Illuſtr. Reg. 6. [16] Dec. 1. cit. l. 10. [17] Ibid.

Digitized by Google

se... Id vero factum esse A. 722. Cluverius (1) agnoscit, apud quem laudatos non uno loco Auctores invenies, unde sua acceperat Blondus, cui in præsentia maximus credere, quam illos pervolutare. Illuc tamen & Anastasii (2), si recte legatur, locus attinet: *Luitprandus — Ravennam progressus — castrum pervadens classes captas abstulit plures:* ubi Cl. Vesselingius (3) legendum censet *Classe capta;* sed quid, si sic, *castrum pervadens Classis, captos abstulit plures.* Quin etiam vox illa *pervadens* ex alia aliqua male descripta nata esse credenda est, ut puta *pervertens*, quando cum iis quos laudavimus, non dubitamus tunc evertisse. Itaque Guido Presbyter Ravennas, aut quicunque is fuit qui *Geographiam* illam confarcinavit, quæ nunc sub Anonymi Ravennatis nomine circumfertur, vel revera scripsit sæculo VII. vel si IX. aut post IX. ut aliis videtur, alienis additamentis corruptus est, cum quasi suo tempore extantes ponat (4) *Civitatem Cæsaream*, & *Classis*. Aguellus enim, qui sæculo scripsit IX. *væ tibi*, inquit (5) *Ravenna misera vicina destructæ Classis*, idemque significans, ait (6) *in civitate dudum Classis*.

10. Ab eodem autem Liuthprando pessundata eodem tempore Cæsarea est, sicuti tradit Thomajus (7). Quam ut *Civitatem* ab Anonymo fuisse positam, modo dicebamus. *De hac*, inquit Rubeus (8) *magnum invenio apud omnes scriptores silentium*. Antiquissimos, opinor, intelligit. Sed nec eos qui Classense oppidum memorarunt, antiquissimos fuisse, ostendimus (9). Quin Sidonius, qui ante Procopium, & Jornandem scripserat, cum de Ravenna loquens, ait (10) *veterem civitatem, novumque portum*, hoc est Classensem, *media via Cæsaris, ambigas utrum connectat, an separet;* ideo videtur mihi verbo usus illo *connectat*, quod non via nuda esset, sed crebris utrinque in urbis modum ædibus ornata. Certe pro Ravennæ urbis parte Cæsaream posuit Jornandes (11). *Trino*, inquit, *urbs ipsa vocabulo gloriatur, trigeminaque positione exultat, idest, prima Ravenna, ultima Classis, media Cæsarea*. Nec vero in hoc hallucinari potuit, ut Ortelius (12) censuit, quod *ex tribus unicam faceret; hæc enim potius* Ravennæ *suburbia fuisse*. Nam Cassiodorum describebat Ravennatem: quanquam id nobis satis est quod dat Ortelius, suburbium fuisse; suburbium enim via profecto nuda non est. Sed nec diu nuda esse utique potuit, cum domus, tabernæque haud procul a Classensi portu, & oppido parandæ fuerint, quibus exciperentur suis cum mercibus mercatores incolæ, advenæque, & qui victui opportuna militibus venditarent; neque enim propolis, & mercatoribus in Romanorum castris, sed extra ipsa erat locus.

Porro Cæsaream a Longino Exarcho fuisse *fossa, valloque septam*, ex Blondi auctoritate Pighius (13) scripsit, tunc opinor, cum sub rege Clephi Longobardi, ut diximus, Classense oppidum tenentes, Exarchum, ut Blondus (14) ait, *in prope contigua civitate Cæsarea — dies noctesque agitabant:* quam & Feroaldo duce agitare perrexerunt. Desiderius autem Spretus (15) Ravennates scribit Cæsareum *castellum, parum ab urbe distans, condi esse: quod postea etiam muris cinxerunt, quorum adhuc fundamenta visuntur*. Certe cum Alberonius Cardinalis Amplissimus annis superioribus novo amnium alveo inter Ravennam, & Classem ducto pontem imponendum curaret, jaciendisque fundamentis altius humus effoderetur, saxeum stratum inventum est quasi antiquæ cujusdam viæ, Cæsareæ fortassis illius, de qua Sidonii verba produximus. Minus autem dubitaremus, si eadem omnibus de ejus, & Cæsarei oppidi loco sententia esset. At Pighius (16), ut Classense oppidum fuisse, censet, *in superiore portus ac faucium cornu e regione Ravennæ*, ita *in medio portus vertice versus mediterranea Cæsaream oppidulum; ut continuis fere trium oppidorum ædificiis semicirculari forma portus* clas-

[1] Ital. Ant. l. 1. c. 48. [2] Vit. Pontif. in Gregor. II.
[3] Adnot. in Itinerar. ubi de Ravenna. [4] l. 4.
[5] Lib. Pontific. P. 1. in Vita S. Severi. [6] Ibid. [7] Hist. di Rav. P. 1. c. 3.
[8] Hist. Rav. l. 4. [9] n. 9. [10] l. 1 Epist. 5.
[11] Hist. de Reb. Get. c. 29. [12] Synonym. Geogr. [13] Hercul. Prodit.
[14] Hist. Dec. 1. l. 8. [15] De Ravenn. Amplitud. l. 1. [16] l. cit.

Digitized by Google

Classensis *locupletissime coronaretur*. Blondus vero, & Leander, si Ortelio (1) credimus, & Rubeus quoque, si Ortelio, & Ferrario (2), Cæsaream fuisse, ajunt, ubi nunc S. Maria in *Portico*, nimirum S. Maria in *Portu*; in *Portico* enim apud Leandrum est per errorem, quem Ortelius, & Ferrarius, & Maginus (3) retinuerunt. De Cæsarea autem Cellarius mentionem non fecit, quod viderim.

11. Nunc quando de Classensi portu, & de oppidis duobus quæ in littore erant ad eum portum attinente, satis dictum est; de fluminibus quæ ad idem littus pertinebant, nonnulla adjiciamus. De Sapi autem & de Roncho, & de fossa a Pado in portum illum producta, cum satis jam videamur dixisse (4); reliquum est, ut de aliis qui in eo littore ponuntur, amnibus verba faciamus. Et pontem quidem in littore illo fuisse a pluribus memoratum Scriptoribus, certum est. Eorum primus est Cassiodorus (5), qui Odoacrem *cum Erulis Ravennæ egressum nocturnis horis ad pontem Candidum* a Theoderico memorabili certamine superatum esse, tradidit. Sed Jornandes (6) etsi post illum scripsit; eum tamen pontem fuisse ante annos octoginta, idest initio sæculi V. indicavit, cum Alaricum *nullo penitus obsistente*, *ad pontem*, ait, *applicuisse Candidiani*, *qui tertio milliario ab urbe aberat Ravennæ*. De eodem ponte utrumque locutum esse, non videtur dubitandum ob aliquam nominis varietatem. Libariorum enim culpa factum est, ut aliis in exemplis aliter legamus, ut & *Candidium* in Cassiodoro, & *Condiniani* in Jornande. Certe Rubeus (7) qui hanc scripturæ varietatem animadvertit, eundem esse pontem, non dubitavit, *inter Ravennam*, *& Classem oppidum*. Blondus autem (8) de iisdem rebus loquens, eundem locum designaverat, Halaricum videlicet *Ravennam inter*, *& Classem oppidum in loco qui dicitur Candianum*, *consedisse*, pariterque (9) Theodericum *in patentibus Candiani campis bis prælio* Odoacrem *superasse*, & paulo ante, Theoderici castra *secundum littus ad orientalem plagam* fuisse *in loco cui Candiano est*, *eratque tunc nomen*. Et sane vel nunc idem nomen servat locus, & sæculo saltem IX. haud aliter vocatum esse, ex Agnello (10) constat, qui Theodericum memorat *in campo*, *qui vocatur Candiani*, & alibi (11) nominat *portus Candiani*; ut evidens mendum sit apud Ortelium (12), Ferrarium (13), & recentissimos quosdam, scribentes ex vitioso aliquo Blondi exemplari *Cardiano* pro *Candiano*. Quæ cum ita sint; facile ego quidem Cluverio (14) dabo, Cassiodorum quoque scripsisse *Candianum*, Jornandem autem *Candiani*. Sed non propterea aut illi, aut aliis continuo assentiar, Candianum fuisse fluvium, indeque Pontem, & Portum, & Campum Candiani dictum. Nam Candianum ut est, sic Blondo auctore, etiam erat, non fluvius, sed locus: quem autem *campum* vulgo dicimus aut Padi, aut Tiberis, aut alterius fluminis? Portum vero sæpius a loco, & pontem quoque aliquando nominamus. Itaque & quod ex portu Classensi supererat, Candiani portum, & pontem qui aut Sapi, aut Roncho, aut Augustæ Fossæ prope Classem esset impositus, Candiani pontem dicere potuerunt.

12. At enim *fluvius hodieque apud Classem*, inquit Cluverius (15) *vulgo vocatur Candiano*, *aquis copiosissimis*, *non tam e fonte suo*, *quam e circumjectis paludibus collectis*, *in portum Augusti defluens*. Permirum esset, si portus Augusti, quem Blondi temporibus jam nullum fuisse, vidimus (16), centesimo & quinquagesimo post anno iterum per se extitisset, ut videri a Cluverio posset, itemque cum Blondus (17) *parva Candiani sive vallis*, *sive stagni ostia* esse, dixerit, in eamque vallem *influere parvos torrentes*, *Avelam* (sive, ut paulo infra, *Avexam*) *& Bevanum appellatos*, hosque parvos esse, Leander

[1] Synonym. cit. [2] Lexic. Geogr. [3] Italia. Tav. Romagna.
[4] Epist. V. n. 14. & seqq. & supra, n. 2. & Epist. III. [5] Chronic.
[6] Hist. de reb. Get. c. 29. [7] Hist. Rav. l. 2. & 3.
[8] Hist. Dec. 1. l. 1. [9] l. 3. [10] Lib. Pontif. P. 1. in Vita S. Jo. I. c. 8.
[11] P. 2. in Vita Felic. c. 3. [12] Thesaur Geogr. in Classis.
[13] Lexic. cit. in Classis. [14] Ital. Ant. l. 1. c. 28. [15] Ibid.
[16] supra, n. 8. [17] Ital. Illustr. Reg. 6.

Digitized by Google

ander quoque (1), & Rubeus (2), & quicunque viderunt, ſumma, ut in re evidentiſſima, conſenſione affirmaverint; Cluverium tamen ibi flumen *aquis copioſiſſimis* conſpexiſſe. Quid? quod Avexa, ſive ut vulgo appellitant, Aveſa illuc non pervenit. Deſcendens enim ex agro Bertinorienſi, Æmiliam quidem viam, ut recte Blondus (3) indicat, & Leander (4) diſerte tradit, interſecat, Forum Popilii ad orientem ſolem perſtringens; inde vero contra atque ipſi docuere, ne paſſus quidem ter mille emenſa, in Ronchum influit duodecim, minimum paſſ. mill. ſupra Candianum, ut vel melius a Coronellio (5), quam a Magino (6) oſtenditur, qui tamen & ipſe in Ronchum, ſed paulo inferius, immittit. Male igitur hac etiam de cauſa quis credat Paulo Merulæ (7) ſic oram illam maritimam deſcribenti, *Candiani Amnis, nunc Paludis, oſtium ſequitur. Inde Torrens eſt Aveſa, mox Bedeſis fluvius*, aut Jodoco Hondio (8) qui ſic, *Candianus, Aveſa, Bedeſis*. Unde vero Blondi errorem extitiſſe, dicemus? Ex eo fortaſſe, quod de duobus parvis torrentibus quos in Candiani vallem videbat influere, cum alterum Avellam ab accolis vocari, audiret, hunc, nominis ſimilitudine, ut fit, deceptus, haud alium eſſe, quam notam ſibi in Æmilia via Aveſam exiſtimaverit. Ravennatem Rubeum (9) audiamus. *Candiani palus*, inquit, *ſenſim ipſa quoque in continentem degenerat. Quanquam enim Bevanus, & Avella, ſeu, ut ajunt, Bevanella, parvi torrentes, aliquot aliis in ſe exceptis torrentibus, in hanc confluant, & vicini in eam agri aquas emittant --- ; tamen --- exigua palus reliqua eſt, quæ in dies minuitur*, ſemperque magis minuta eſt. Quod certe, ſi *copioſiſſime*, ut brevi poſt Rubeum tempore ſcripſit Cluverius, per eam *aquæ* defluerent, non facile accidere potuiſſet. Vides præterea, nullum ab Rubeo Candianum fluvium, qui illac tranſeat, memorari, nullum a Coronellio (10) appingi; ſed *Bevanum* tantummodo, & *Bevanellam*. Quin hanc animadvertes a Coronellio *Foſſo*, illum *Condotto* nominari; quanquam Maginus (11), qui ex parte aquarum utriuſque Candianum fecit; omnibus *f* litteram, quaſi fluvii eſſent, adſcripſit. Sed cum Bevanus ipſe torrens ſit parvulus, quid Bevanellam eſſe, credes?

13. Verum cum littera illa *f*, a Magino adſcripta, facile impoſuerit Joanni Harduino Viro quidem Eruditiſſimo, ſed regionum harum non ſatis perito, ut cum Plinium (12) explicaturus, quæreret (13), quis poſt Sapim verſus occidentem ſolem fluvius proxime ſequatur, apud Maginum autem forte videret proximum a Sapi Bevanum pro fluvio propoſitum; ſcribere non dubitaverit *Vitis eſt Bevano*. Quam ejus opinionem cum ab recentiſſimis Scriptoribus referri, videam; non expendi; operæ pretium eſſe, duco, ut tibi quod æque ac mihi, nec ſemel, perſpectum fuerit, ad memoriam revocem. Scilicet Bevanus ex agro Bertinorienſi, non ſecus atque Aveſa, ortus, ſed hac anguſtior, & plerumque etiam ſiccior, minorique ponticulo obductus qua Æmiliam ſecat viam, ſcrobis potius paulo grandioris, quam torrentis in modum, ſe offert iis qui Foro Popilii a tergo relicto, Cæſenam verſus contendunt; ut niſi quis admoneatur, ne attendat quidem; tantum abſit, ut a Plinio qui Aveſam proximam, aliquanto majorem neglexerit, pro eo flumine propoſitum cenſeat, quod Utentis nomine apud Livium a Boiis Senones dividebat.

14. Igitur ſi Bevanus, & multo magis, ut conſequitur, Bevanella parvi adeo torrentes, neque tamen a Blondo, Leandro, Rubeo ſunt omiſſi; quanto minus fluvium, ſiquis fuiſſet, *copioſiſſimis aquis* Candianum eodem in littore prætermiſiſſent! Et tamen, ſi Cluverium (14) audimus, ibi præter Candianum, fluvius erat inſuper, & eſt alter, neque is mediocris. *In Candianum*, inquit, *confluebat Badrinus amnis; qui*

[1] Deſcrit. di tutta Ital. Reg. 14 [2] Hiſt. Rav. l. 1. [3] [4] locis cit.
[5] Corſo Geogr. Univ. Tav. Territ. di Forlì. [6] Italia. Tav. Romagna.
[7] Coſmogr. P. 2. l. 4. c. 11. [8] Ital. hodiern. Deſcr. [9] Hiſt. cit. l. 1.
[10] Corſo cit. Tav. Territ. di Ravenna. [11] Tav. cit. [12] Nat. Hiſt. l. 3. c. 15.
[13] Ad hunc loc. Not. 12. [14] Ital. Ant. l. 2. c. 28.

Digitized by Google

qui & ipse uberrimis aquis, Classem monasterium præfluens, vulgo nunc adpellatur Fossato grande; *atque in ostium Candiani protinus infra Classem influit*. Ego vero, si forte hujus fossæ sub alio nomine illi meminerint quos modo nominavi; quantula fuerit, jam dixi. Sin alia, ut apud Magnum (1), res est; hoc ipsum, quod ab illis omissa est, non antiquam esse, ostendit, aut si forte antiqua, minoris quam duo torrentes quos nominarunt, faciendam. At enim antiqua res est; inquit Cluverius. In ea enim fossa, sive potius in eo amne, quem *Badrinum* tunc appellabant, circa annum 580. Droctulfus classe cum Langobardis confligens, magno adjumento fuit, ut hi ex Classensi oppido pellerentur. Quod ex Paulo Diacono (2) constare, ait, & præsertim ex Droctulfi epitaphio,

Inde etiam, retinet dum Classem fraude Faroaldus,
Vindicet ut Classem, classibus arma parat.
Puppibus exiguis decertans amne Badrino,
Bardorum innumeras vicit & ipse manus.

Pro vero quidem Cluverius contenderet, si Langobardorum, qui tunc Classem oppidum retinebant, vires nulla alia pugna frangi potuissent, nisi quæ in amne fieret prope illud oppidum fluente. Sed cum fluvii qui in ea vicinia sunt noti, alio omnes nomine, quam Badrini, vocarentur, alios autem comminisci, ut est a me ostensum, non liceat; mihi sane ex quo illud epitaphium legi, certum fuit, non prope Classem id flumen, sed diversa in parte esse quærendum.

15. Itaque in mentem veniebat quærere, an pro *Badrino* legendum esset *Butrino*, an *Bodinco*: ut si primum legerem, Asconis Fossam intelligerem, quam Poeta qua Butrium olim (3) præterfluebat, amnem Butrinum vocasset; nam & Butrii incolas *Butrinos* esse dictos ex Stephani Epitome ostendit Cluverius (4): sin *Bodinco* legerem, ipsum intelligerem Padum, eo quoque nomine, ut apud Plinium (5) est, appellatum. Verum cum Auctorem quærerem, quo alterutram conjecturam firmarem; in Blondi (6) locum incidi, quo simul Droctulfi illius, Suevi ducis, quem ipse Dotrulam appellitat, navalem illam pugnam cum Feroaldo, & Longobardis describit, simul flumen indicat in quo pugnatum; unde veriorem elicere illius conjecturam nominis proclive est. Narrat enim, Dotrulam, cum Brexillo oppido, quod suis conservaverat copiis, secundo Pado classem duceret, & ad Spineticum hujus ostium properaret, obviam habuisse sua cum classe Feroaldum, qua tunc Vatrenus amnis in Padum influebat. Qui cum se ad Vatreni ostium continens, quotidie prælio decertaret, hoc multo superior, quod dromonibus vehebatur, cum suos Dotrula *lintribus scaphisque imposuisset; obtinuit tamen in Vatreno* Dotrula, repulsumque Feroaldum mari ad Classense oppidum, cujus deinde facta est deditio, persecutus est. Sed & Rubeus (7) de hoc duce verba faciens qui auxilium tulit Zmaragdo Exarcho, Classis oppidum obsidenti, & mox navibus qua mari alluebatur, admotis recuperanti, navale illius prælium cum Longobardis attingit ad Spineticum Padi ostium: quanquam epitaphium longe aliter se habens producit, in quo nulla fluminis mentio est, mire hic variantibus Pauli Diaconi codicibus, ut alii habeant sicut Rubeus protulit, in aliis pro *Badrino* legatur manifesto errore *Brandino*, alii autem quos Lindenbrogii editio repræsentat, ita omnino habeant, ut supra cum Cluverio descripsimus. Verum quando in neminem incidi qui hoc tempore ajat id se epitaphium vidisse, quod Ravennæ olim ante limina Templi S. Vitalis positum fuerat, ut quid revera in eo legatur, scire possimus; alterutrum, si vis, ponamus, aut nullam in eo fluminis fuisse mentionem, sicque non erit Cluverio causa, ut hinc amnem comminiscatur Badrinum, qui in Candianum influeret, aut revera in eo epitaphio fuisse, ut Cluverius ponit, *amne Badrino*, sicque tam ex Blondi,

[1] Tav. cit. [2] Langobard. rer. l. 3. c. 19. [3] Vid. Epist. III. n. 12.
[4] c. 28. cit. [5] Nat. Hist. l. 3. c. 16. [6] Hist. Dec. 1. l. 8.
[7] Hist. Rav. l. 4. & 6.

Digitized by Google

di, quam ex Rubei narratione longe alibi id flumen ſtatuemus, legentes videlicet, aut certe ob facilem apud Veteres V in B, T in D, E in I mutationem intelligentes *amne Vatreno*. Quod facientes, ſimul quandam Cluverii (1) ſuſpicionem magis infirmari, animadvertemus. Cum enim in antiqua Tabula Itineraria *Saternus* legatur pro *Vatrenus*; hanc in Plinio (2) vocem corruptam ſuſpicabatur, idque eo magis quod vel nunc Itali Vatrenum appellamus *Santerno*. Sed quæcunque cauſa fuerit, cur in ea Tabula legatur *Saternus*, quod forte ab recentiore manu eſt; certe ſi VI. ſæculo, ut latine Vatrenum ſcriberent, *Badrinum* ſcribebant; num Saternum, an Vatrenum illa haberent, quibus tum utebantur, id eſt vetuſtiſſima, Plinii exemplaria, manifeſtum eſt. Cluverius tamen ipſe eam ſibi ſuſpicionem magna ex parte exemerat Martialis verſibus: quos quoniam ea explicatione illuſtravit, quæ ad propoſitam Blondi narrationem tuendam fortaſſe conducat, nos quoque hoc loco recenſebimus.

16. In eo libro quem Martialis in Gallia noſtra Togata ab ſe ſcriptum fuiſſe, diſerte monet (3), indeque, ideſt Foro Cornelii (4) ubi ſcripſerat, Romam miſſum, ut plura ſunt quæ ad urbem Ravennam attinent (5), ubi etiam *nuper* (6) fuerat eo tempore, ſic quoque Epigramma (7) eſt, quod, ſi non ſecus ac Cluverius, legamus, viam oſtendat per quam Poeta ex Forocornelienſi agro tranſibat Ravennam. Nautas enim quibus utebatur, dicit

Vatreno, Eridanoque pigriores,
Quorum per vada tarda navigantes,
Lentos figerent *ad celeuma remos,*

& ſicuti mox pergit,

tam placidas vagi per undas
Tota luderent *otium carina.*

Verum quidem eſt, vitiatos eſſe in his verſibus antiquos codices, præſertim autem pro *Vatreno*, *Eridanoque* habere *Veterno*, *reſinaque*. Sed verum quoque eſt, verba hæc metro ipſi, nedum ſententiæ repugnare, cui certe illa etiam repugnant, quæ Viri Doctiſſimi (8) ſubſtituenda olim cenſuerant, *Vejentone*, *aſinaque*, haud animadvertentes, ſequi hæc *Quorum per vada tarda navigantes*; nam quod in codicibus quibuſdam *Quorſum* legatur, non *Quorum*, ſic neque ſententia perſpicua eſt, & in eo quem ante oculos habeo, vetuſto, & manu exarato libro planiſſime ſcriptum eſt *Quorum*. Illud vero animadverterunt alii, qui aut *Aternoque*, *Sapique*, aut *Aternoque*, *Vitique* maluerunt. Sed ut bene fluviorum nomina viderunt hic eſſe reponenda; ſic illud non bene, quod iſti neque omnes ſunt navigabiles, & ſiqui ſint, non uno tamen, ut Epigramma requirit, eodemque die ſunt navigabiles propter immanem inter Aternum, & alterutrum reliquorum diſtantiam, denique ſiquando ob auctam aquarum copiam navigabiles ſint, non tardo, lentoque ſunt motu, nec *tam placida* lenitate. Horum autem omnium cum objici nihil poſſit iis qui cum Cluverio reſcribendum cenſeant *Vatreno*, *Eridandoque*, imo iidem illis quoque adjuventur codicibus, in quibus *Vatro*, aut *Vatrina*, aut *Vaterno* legebatur; cur non propoſitam lectionem ſequamur? convenientem præſertim locis in quibus tunc verſabatur Martialis, neque, ob velociorem, ſicuti verentur aliqui, Vatreni, aut Eridani curſum, Epigrammatis ſententiæ repugnantem. Neque enim Martialis propius Forum Cornelii navem conſcenderit, neceſſe eſt, ubi Vatreni aqua concitatiore fertur motu, quippe quæ montibus unde is amnis deſcendit, adhuc propinquior, eoque minus ut plurimum alta eſt; ſed juſto infra illud Forum interjecto ſpatio, ubi videlicet tum lentior, tum altior eſſet. Neque Eridani vox hic ferme aliter accipienda eſt atque Epiſtola III. (9) expoſuimus, ubi de Auguſta Foſſa verba fecimus, id eſt de primo illo Padi alveo Ravennam ducto quem Liutprandi temporibus, quemadmodum ibi (10) dictum eſt, etiamtum ſic deſignabant, ut Ottonem I. ſcripſerit *per Eridani alveum Ravennam uſque pervèniſſe*. Nec tamen Paduſæ quoque nomine indicare deſiterant, quam

[1] Ital. Ant. l. 1. c. 35. [2] Nat. Hiſt. l. 1. c. 16. [3] l. 3. Epigr. 1.
[4] Epig. 4. [5] Epigr. 5. 6. 90. [6] Epigr. 6. [7] Epigr. 66.
[8] Vid. apud Farnab. in Comm. ad hoc Epigr. [9] n. 3. & ſeqq. [10] n. 5.

Digitized by Google

Valgius, ut Cluverius ait, non alia ac Martialis in isto Epigrammate, voce usus, *placidam* vocabat.

17. Igitur cum ex Martialis versibus ita ut legendi videntur, lectis, explicatisque intelligatur, olim per Vatrenum lintribus, & scaphis navigari consueviſſe; mirum accidere non debet, si eo in fluvio Dotrulæ milites, ejusmodi naviculis impositi, adversus Longobardos pugnaverint, eosque in fugam conjecerint, ut a Blondo (1) narratum est. Quod si forte id minus veri simile videatur propterea quia dromones quibus Longobardos invectos dixit, Vatrenum subire non potuerint; aut sic intelligas in Vatreno pugnatum, ut in hujus ostio, ubi ob Padi confluxum altiores aquæ erant, majores naves constiterint, aut etiam Vatreni nomine dictum accipies ipsum Spineticum Padi ostium, quod nunc Primariam vocitant; ut ibi prælium conſertum sit, ubi Rubeus (2) indicavit. Plinius sane, ut alias (3) vidimus, postquam Augustæ Foſſæ ostium proposuerat, alia Padi ostia ordine recensens, *proximum inde ostium*, inquit, *magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur*, & mox, quasi ejus nominis rationem prolaturus, hæc subjicit. *Auget ibi Padum Vatrenus amnis ex Forocornelienſi agro*. Scilicet hæc causa fuit, cur post Vitim, & Anemonem, proximum ex non minoribus quidem fluviis Vatrenum superiore capite (4) non memoraverit, quippe non eo quo illi, sed in Padum influentem. In hunc autem ad illud ipsum ostium influxiſſe, Blondus quidem (5) ob ea Plinii verba non dubitabat; ut sic minus ejus narratio ab Rubei narratione distaret; quanquam suo tempore fatebatur, Vatrenum *averſo pene viginti mill. curſu novi nominis ostia in paduſam, & Padum habere, Zaniolum appellata*. Sed me illa quæ alibi (6) indicata est, causa credere omnino cogit, inter Spineticum Padi ostium, & confluxum Vatreni, intervallum aliquod fuiſſe jam Plinii tempore, qui ubi illa scripsit, & Padum scripsit *Auguſta foſſa Ravennam trahi*; ut quod dixit *ibi*, non in ostio significare censeam, sed propius ostium quam nunc putemus. Et in ostium quidem ipsum longe antiquiſſimis temporibus influxiſſe Vatrenum, eoque nomen *Vatreni portus* attuliſſe, non negaverim, qui advecto usque, & usque limo, & arena, Padi alveum sibi semper ulteriores ripas in mare produxiſſe, eoque ostium a Vatreni confluente abduxiſſe facile existimem. Sed & Vatrenum ab ostio receſſiſſe ipsum quoque, putaverim, sive obstaculo aliquo objecto, sibi viam superius in Padi alveum paraverit, sive homines fecerint: qui nunc contra ut inferius confluat, effecerunt. Cum enim Blondi ævo tantum a Padi ostio distaret, quantum paulo ante dictum est, nec Magini (7) ætate is mutatus eſſet confluxus locus; nunc certe cum per eum Padi alveum superioribus mensibus navigaremus, ostium quo annis proximis Vatrenus in Padum influxerat, multo inferius quam in Tabula Magini, fuiſſe vidimus, novum autem quo nunc influit, vel inferius aliquanto apertum spectavimus. Sed de antiquo Vatreni portu hæc attigiſſe satis sit. Jam vero de portu Ravennate scribendum est. Quod proximis Litteris faciemus. Vale.

EPI-

[1] supra, n. 15. [2] Vid. ibid. (3) Epiſt. III. n. 2.
(4) c. 15. l. 3. (5) Ital. Illuſtr. Reg. 6. (6) Epiſt. III. n. 4.
(7) Italia Tav. Romagna.

Digitized by Google

EPISTOLA ÆMILIANA VII.

BAdrinus amnis, quem Cluverius Claſſenſi oppido proximum credidit, nos autem in extremo ad oſtium Spineticum Padi alveo, aut in Vatreno flumine, illuc, aut non multo ſuperius influente agnoſcendum eſſe, oſtendimus, a Claſſenſi littore, & ab huic proxima Ravenna nos ad diverſam omnino plagam abduxit. Quamobrem juvat de eo primum littore verba facere quod ab illo Padi alveo Ravennam verſus ſe extendens, ſtagna atque æſtuaria ex ea quidem parte a mari dividebat; ut denique in portu Ravennate, inter Claſſenſe, & hoc littus comprehenſo ſcribendi finem faciamus.

2. Pauca autem de hoc littore nobis attingere licebit propterea quod illa quæ in ipſo, aut prope ipſum fuerunt, fere omnia a nobis ſunt antea conſiderata, Butrium videlicet, de quo conjecturam propoſuimus noſtram (1), & Auguſta Foſſa de qua bene multa ad te ſcripſimus (2), ſimul de Coriandri Campo, & de ſtadio Tabulæ (3), ab Agnello memoratis, verba facientes. Reliquum eſt igitur, ut de Theoderici Palatio, & de Æde S. Mariæ ad Blachernas nonnulla ſcribamus eo diligentius, quod utriuſque loci cognitio videri poteſt utilis ad ea quæ de portu ſequuntur, accuratius diſquirenda.

3. Vir Doctiſſimus a quo Agnelli primam editionem habemus, ſcripſit (4), *Eccleſiam S. Mariæ ad Blachernas extra Ravennæ Pomœrium fuiſſe eo loci, ubi eum Palatium non admodum ingens Odoacris regis extitiſſet, Palatioli vocabulum uſque in recentiora tempora perduravit*. Quæ ſi ita ſunt; ſatis eſt alterius noviſſe locum, ut amborum ſciamus. Verum ſi ea perlegantur quæ de utroque ſcripta ſunt ab Agnello, qui, ut alias (5) dixi, Abbas fuit, & quidem, ut mox confirmabitur, S. Mariæ ad Blachernas; vereor, ne aliud alio loco fuiſſe, opinemur. De eo enim palatio hæc tradidit (6) *& abiit ad Ariminum, & venit exinde cum Dromonibus in Portu Lione, ubi poſtea palatium modicum ædificare juſſit in Inſula non longe a littore Maris, ubi nunc Monaſterium S. Mariæ eſſe videtur infra balneum non longe ab Ravenna milliario VI.* Quæ etſi de Odoacre dicta eſſe, ſcripturam magis quam ſententiam attendentibus videri poſſunt; tamen de Theoderico accipienda eſſe, adeo certum eſt, ut non Blondus modo (7), & Rubeus (8), & Weſſelingius (9) ſic intellexerint, ſed & ipſe Agnelli Editor (10), quaſi eorum oblitus quæ ſupra poſuerat. De Templo autem S. Mariæ ad Blachernas hæc ab Agnello indicata ſunt (11). *Dum in Monaſterio meo Beatæ & ſemper Virginis Mariæ, quæ vocatur ad Blachernas, reſiderem, quod eſt fundatum non longe a Guandelaria*. Conſer, quæſo, utrumque locum, & num de uno eodemque Monaſterio loquatur, exiſtima. Huc adde alterum ipſius locum (12). Exarchus *quotidie concurrebat ad Monaſterium S. Mariæ, quod vocatur ad Blachernas*. Nonne quotidiana hæc ventitatio ſuburbanum potius indicat Templum, quam diſſitum pluribus paſſuum millibus? Nonne idem confirmatur quadantenus ipſo Blachernarum nomine quo Græci hoc Templum vocabant ad illius exemplum, quod, ut apud Procopium alioſque legiſſe videor, prope mœnia Conſtantinopolis in littore maris Juſtinianus Deiparæ extruxerat eo loco

(1) Epiſt. III. n. 12. (2) Ibid. n. 3. & ſeq. (3) Ibid. n. 12.
(4) in Præfat. n. 10. (5) Epiſt. III. n. 7.
(6) Lib. Pontif. P. 1. in Vita S. Jo. I. c. 3. (7) Hiſt. Dec. 1. l. 3.
(8) Hiſt. Rav. l. 3. (9) in Adnot. ad Itinerar. ab Urbe Mediolanum.
(10) in Obſerv. ad cit. Vitam n. 7. (11) Ibid. in Vita S. Petri I. c. 2.
(12) Ibid. P. 2. in Vita S. Theod. c. 2.

Digitized by Google

loco quem Blachernas dicebant. Denique idem oſtendunt antiqui de Agnello verſus, ipſius libro præfixi.

Talis & iſte ſedens, tectis nimiumque ſuperbis
Quæ Genitor procerus ceſſit ſibi jure paterno
Sede ſuburbanis Ravennæ, quæ vocitatur
Antiquo Blacherna locis, de nomine ſtructa,
In Genitricis honore Dei, Dominique Mariæ.

Quos ad verſus facilius intelligendos vide, an faciant quæ Agnellus poſt primum illum quem produximus, locum, in quo ſermo eſt de Theoderici palatio, continuo ſubjecit. *Et nunc in noſtris temporibus prædictum palatium ſervos meos demolire juſſi, & Ravennam perduxi in ædificio domus meæ, quam a fundamentis ædificavi jure materno.* Reſcriberem fortaſſe *paterno*, ut ſecundi verſus ſcriptura, & lex carminis indicant. Viderem quoque, num vox proxima, quæ tertio in verſu prima eſt, *Sede*, an *Æde* legenda ſit. Hæc, inquam, facerem, niſi incertum mihi eſſet, ad idem, an ad aliud ædificium Agnelli verba, & verſus illi ſpectarent. Sed quocunque ſpectent; ii ſane verſus Blachernarum locum *ſuburbanum* fuiſſe, oſtendunt.

4. Veruntamen Eruditiſſimum Agnelli Editorem iſta fortaſſe illius verba permoverunt, ut S. Mariam de Palatiolo, & S. Mariam ad Blachernas idem Monaſterium fuiſſe, crederet, quod Agnello, niſi Abbas illius fuiſſet, ut certe hujus fuit, non facile licuiſſet, quod reſtabat de proximo Theoderici palatio demoliri, ejuſque ruderibus uti ad propriam domum ædificandam. Itaque S. Mariam de Palatiolo, quam *ſæculo X. fuiſſe juris*, ſcripſit (1), *Abbatis S. Pauli de Urbe*, nunc autem (2) *S. Vitalis Coſinenſium Monaſterio unitam, haud magno ſpatio Ravenna diſtantem*, non dubitavit fuiſſe S. Mariam ad Blachernas, idque haud obſcure ex Johannis Angeloptis Vita indicaſſe Agnellum ipſum cap. 3. Sed quod ad illam palatii demoliendi facultatem attinet, eam potuit ab iis qui tum Ravenna imperitabant, obtinere: quod vero ad iſtum quo nititur, Agnelli locum; relegeſis; idem enim eſt quem primo loco (3) produxi; & *non longe* quidem *ab Ravenna* fuiſſe illud S. Mariæ Monaſterium, videbis, *milliario* tamen *VI.* num ergo ſuburbano, ut illud S. Mariæ ad Blachernas fuiſſe, oſtendimus, erat loco? At tu duplex forſan mendum in iis Agnelli verbis latere, ſuſpicaberis, alterum ubi legimus *infra balneum* fortaſſis pro eo quod ſcriptum fuerit, *in Blachernis*, alterum in numero illo *VI.* qui multo minor fortaſſe fuerit ab Agnello adſcriptus, nimirum *IV.* Neque tamen, numerum vel ad hunc modum reſcribendo, efficeres, ut S. Maria in Palatiolo eadem fuiſſet quæ S. Maria ad Blachernas. Quid ita? inquies. Nempe quia Palatiolum non eſt ſuburbanum. Neque enim magna attentione digna ſunt quæ de ipſo apud recentiſſimos quoſdam Scriptores leguntur, hoc eſt „ Palatiolum nunc eſſe „ Ravennæ ſuburbium ingenti amplitudi„ ne „ quod ita cum vero convenit, ut cum eo ipſo quod modo dixerant „ Cæſaream, Claſſem, & Palatiolum bellorum „ injuriis eſſe deſtructa. „ Palatiolum quidem deſtructum fuit, ſed non ab hoſtibus, idque Agnelli tempore, ut paulo ante (4) dictum eſt: & Templum quoque S. Mariæ in Palatiolo, ipſum quidem vi belli, dirutum fuiſſe a Piccinino, ex Hieronymo Fabbri (5) diſcimus, tunc videlicet cum ille anno 1438. in eam Inſulam quam a Palatiolo & Fabbri, & Rubeus (6) Palatiolam vocant, tranſivit ea ratione quam hic, & Blondus (7) expoſuere. Sed loci tamen ubi illa in Inſula ea eſſet ſacra Ædes, ita adhuc memoria ſupereſt, ut Coronellius (8) hanc diſerte adſcripto nomine *S. Maria in Palazzolo* deſignaverit quarto circiter ab Ravenna lapide. Igitur etſi in propoſitis Agnelli verbis pro *milliario VI.* facili errore in unius ſiglæ traſpoſitione legendum, ut ſupra dixi, crederes *IV.*, non tamen conficeres, Ædem hanc adeo ſuburbanam fuiſſe, ut fuiſſe alteram S. Ma-

[1] in Præfat. n. cit. [2] in Obſerv. ad Vitam Mauri Sch. ſm. n. 2.
[3] n. 3. [4] Ibid. [5] Sagre Memor. di Rav. [6] Hiſt. Rav. l. 7.
[7] Hiſt. Dec. 3. l. 8. [8] Corſo Geogr. Univ. Tav. Territor. di Rav.

Digitized by Google

S. Mariæ ad Blachernas, oſtenſum eſt.

5. Nunc ut intelligas, quantum hujus utriuſque Ædis locum noviſſe proſit ad ea quæ de portu Ravennate diſquirenda reſtant; ille eſt a nobis locus Agnelli (1) proferendus, cujus particulas quaſdam Epiſtolis ſuperioribus (2) conſideravimus. *Sint tuta*, inquit, *littora, & per omnes vigiliæ portus. Sarxena excubet, Cervia æquoris ad novas Papia armis Flavia. Inſtet, quæ curva vocatur, Cæſena. Popilienſes viri adhæreant Sapis portu juxta conſcendunt fluctus marinos. Coloni decumani ſpeculentur juxta portus Candiani. Livienſes accolæ inſtent in littore curvo. Bedente vetere amne caſtra Faventina ſcrutentur poſt Lachernum portum, & Eridani ora. Cornelienſis acies luſtret Coriandri campos & loca omnia circa phalanges armatæ. Bononienſes tranſmiſſo Eridano parte Lionis ſervent.* Hic eſt locus univerſus: in quo ut evidens eſt, littora de quibus agimus, omneſque portus eodem ordine quem ſecuti hactenus ſumus, commemorari; ſic & menda eſſe, complura, manifeſtum eſt. Et horum quidem aliqua tolli poſſe, propemodum deſpero. Nonnulla tamen egregie ſuſtulit Cl. Weſſelingius (3), qui ut probabiliter, ſicut alibi (4) dictum eſt, reſcripſit *Sarxena excubet Cerviæ*, ſic optime emendavit quod ſequitur, legens videlicet *Æquoris ad Novas Papia armis Flavia*. Quibus tamen cum verbis continuarem ipſe *inſtet, quæ curva vocatur, Cæſena*. Sic enim & ſententia abſolvitur, & ab ſuis adjunctis cognominibus Cæſena non disjungitur: quod oſtenderem (5), ſi nunc vacaret a propoſito longius divertere: quamobrem nec quæram hic (6), quis locus ille eſſet *ad Novas* dictus. Sequuntur illa quæ cum de Sapi, & Claſſenſi portu, & Candiano ſcriberem (7), ſatis jam attigi: & probabiliter a Weſſelingio leguntur *Popilienſes viri adhæreant Sapis portui, juxtaque conſcendant fluctus marinos. Coloni decumani ſpeculentur juxta portus Candiani*. In his tamen vocibus, quas minime ille explicat, *Coloni decumani* ſubeſſe mendum, ſuſpicor: quas ego antequam vitiarentur, ut fit, deſcribentium inſcitia, aut incuria, ad incolas Comacli attinuiſſe, ex eo conjecerim, quod, ſi illas excipias, non facile alias invenias in hoc univerſo Agnelli loco, quæ ad eos ſpectare potuerint; ſpectaſſe autem aliquas, apparet ex Blondi (8), Juſtiniani (9), Thomaii (10) & Rubei (11) lectione, qui, Ravennatum adjutores in eo ipſo periculo de quo Agnellus hic loquitur, memorantes, magno omnes conſenſu Comaclenſes diſerte connumerant. Quin Blondus apertiſſime oſtendit, ſe hunc quem conſideramus, Agnelli locum in iis nominandis eſſe ſecutum. Hæc enim, inquit, *deſcriptio ab Agnello, qui propinquus illis temporibus fuit, accuratiſſime facta, magnam oſtendit fluviorum, populorum, & locorum regionis mutationem. Cervienſes enim, & Comaclenſes, nunc pene nulli, copioſæ fuerunt manus.* Quæ cum de Cervienſibus etiam lego, Cerviamque a tribus præterea quos laudavi, Hiſtoricis inter eas quæ Ravennatibus auxilio fuerunt, civitates primo pariter loco memoratam animadverto; facile adducor ut credam, aliquid ibi deeſſe, ubi ſupra Weſſelingius legit, *Sarxena excubet Cerviæ*, probabiliter quidem, ut dixi, ſi alios quam codices ab Doctiſſimo Editore Agnelli repræſentatos, non ſpectemus. Sed Hiſtorici illi aliter ſcriptis, & fidelioribus, ut puto, codicibus utebantur. Quos inter is, facile vetuſtiſſimus, fuit quem perlegiſſe, & quæ e re ſua eſſent, inde excerpſiſſe videtur Rubeus (12), & quem poſtea queſtus eſt, *ſuperioribus annis ab* Ravenn. *Archiepiſcopatus Bibliotheca ſublatum, nullibi inveniri*. Quæ de noſtratibus proxima ſunt apud Agnellum, *Livienſes accolæ inſtent* in littore *curvo*, nec Weſſelingio, nec mihi ea eſſe videntur, ut mutationem requirant. Secus quæ de Faventinis ſequuntur. Hæc ille ita reſcribenda eſſe, cenſuit, *Bedentem veterem Utentem amnem caſtra Faventina ſcrutentur*. Quæ ſi de Roncho dicta acci-

[1] P. 2. in Vita Felic. c. 3. [2] Epiſt. III. n. 7. Ep. IV. n. 13. Ep. V. n. 15. Ep. VI. n. 11.
[3] Adnot. ad Itinerar. [4] Epiſt. III. n. 7. [5] Vid. Epiſt. XIV. n. 7. & ſeq.
[6] Vid. ibid. n. 13. & ſeqq. [7] Epiſt. VI. [8] Hiſt. Dec. 1. l. 10.
[9] De Orig. Venet. l. 9. [10] Hiſt. di Rav. P. 1. c. 8. [11] Hiſt. Rav. l. 4.
[12] Ibid. l. 5.

Digitized by Google

accipias ; possim fortasse non improbare : non possim autem, si de Montono, ut fusius alibi (1) inclinatum est. Hactenus hæc, quæ, ut vides, ad littus attinent quod superiore Epistola spectavimus : ideo autem hic attigimus, ut luculentius appareret, eodem quo nos, ordine Agnellum hinc ad diversam plagam transiliisse ; ab ea autem per littus alterum ad Ravennatem demum portum venisse. Attendas igitur quæ porro adjecit de littore hoc altero ; ea enim sunt quæ ad portus attinent reliquos, & ad quæ recte intelligenda utile est novisse ubi duæ illæ essent Ædes sacræ, S. Mariæ ab Blanchernas, & S. Mariæ in Palatiolo.

6. Ea autem ad hunc modum legenda esse, censuit Wesselingius. *Post, Saternum portum, & Eridani ora Cornelienſis acies luſtret. Coriandri campos, & loca omnia circa phalanges armatæ, Bononienſes Eridano tranſmiſſo portum Lionis ſervent.* Mihi vero magis placeret, si inter duas illas voces *circa*, & *phalanges* majori distinctionis nota interposita, minori autem inter *luſtret*, & *Coriandri*, aciei Cornelienſi præter Vatreni portum, & Augustæ Fossæ initium lustrandos insuper daremus in proximo littore Coriandri campos, & loca omnia circa ; phalangibus autem Bononiensibus, trans Augustam Fossam tradactis, locum præcipuæ curæ servandum assignaremus, portum Ravennatem. Sed Wesselingius, cui *Saternum*, id est Vatreni portum primo quidem placuerat hic legere pro *Lachernum*, maluit postea *Blachernum* rescribere, sive *Blachernarum*, qui videlicet portus cognomen traxisset a Sacrario Virginis Mariæ ad Blachernas. Et negari quidem non potest, sic minus a voce quæ legebatur, *Lachernum* recessisse. Sed ut Vatrenus, seu Vatreni portus notissimus est (2) ; sic *Blachernus* omnino ignotus : qui si quis fuit, cum haud minus quam Blachernæ, suburbanus fuerit ; non videtur a portu Ravennate aut diversus fuisse, aut longe abfuisse, ut puta si forte eas Fossæ Augustæ oras quæ Ravennam attingebant, usu dumtaxat spectato, portum vocasset minus propria significatione, sed vulgari consuetudine, ut nunc Romani ripas Tiberis duobus in Urbe locis portus vocitant. Vides quo descendam, ut ratione aliqua tuear Viri Clarissimi cogitatum. Namque ab Ravennate portu, ut proposita requirit partitio, non diversum fuisse qui crederem, cum alterum Blachernum portum, alterum autem portum Leonis in ista una, eademque enumeratione dictum ab Agnello viderem, & alterius custodiam Cornelienſibus, alterius Bononienſibus assignatam ! Non puto autem, a te illud ex me requiri, ut portum Leonis eundem ac portum Ravennatem fuisse, ostendam. Satis id ex Rubeo, cum Agnello, aliisque Historicis collato, omnibus, tibique in primis esse manifestum, censeo. Nosti enim, Rubeum (3) ubi Odoacrem narrat a Theoderico Ravennæ obsessum, hunc scribere *Arimino naves aliquot caſtellis munitas, Dromones Græci vocant, advehi in Ravennatem portum imperaviſſe, quo ab ea etiam parte obſidio acrius inſtrueretur*. Hoc autem illud ipsum est quod Agnellus, ut initio diximus (4), de Theoderico narravit ; *& abiit ad Ariminum*, inquit, *& venit exinde cum Dromonibus in Portu Lione*. Neque obstant quæ continuo subjecit, *ubi poſtea palatium modicum ædificare juſſit in Inſula non longe a littore maris, ubi nunc Monaſterium S. Maria eſſe videtur infra balneum non longe ab Ravenna milliario VI.* Nam etsi hæc a nobis de Platiolo, & de Æde S. Mariæ in Palatiolo ita ut par erat, explicata sunt (5), utrumque autem multo majori ab Ravenna intervallo distare, ostensum est, quam tunc portus Ravennas distare posset ; tamen illa Agnelli vox *ubi* si quod a primo videtur, significaret, in ipso portu indicaret fuisse palatium ædificatum, quod nec veri simile esset, & Agnello repugnaret ibidem *in Inſula* ædificatum dicenti, quam Rubeus (6) describit, ubi etiam, ut dictum est (7). Palatiolam vocat.

7. Sed quoniam Vir Cl. Agnelli Editor (8) ad proposita illius verba adnotavit, *loci faciem adeo immutatam eſſe, ut diffi-*

[1] Epist. IV. n. 13. [2] Vid. Epist. III. n. 3. & Epist. VI. n. 17.
[3] Hist. Rav. l. 3. [4] supra, n. 3. [5] Ibid. & n. 4.
[6] Hist. cit. l. 7. [7] supra, n. 4. [8] in Observ. ad Vit. S. Jo. I. n. 7.

Digitized by Google

difficillime conjici poſſit, ubi Palatium Theodorici, Portuſve Leonis fuerit; me quoque juvat admonere, non illum ipſum locum in quo utrumque fuit, digito indicari nunc poſſe; ſed tamen ſatis eſſe, ſi palatium prope Ædem S. Mariæ in Palatiolo fuiſſe dicatur, Portus autem Leonis ibi, ubi tunc Ravennæ erat portus: quem urbi proximum fuiſſe exiſtimo Theoderici temporibus, nec fortaſſe ita procul ab ejus Mauſolæo, Rotunda nunc vocitato, ſi in verbis quidem Agnelli, alias (1) a nobis de eo productis, *quod ipſe ædificare juſſit extra portas Artemetoris, quod uſque hodie vocamus ad Farum*, ſi, inquam, duo illa ultima verba *ad Farum* ſic accipienda credis, quaſi turrim quandam Phaream ſignificarent. Utcunque id eſt; ſatis, ut dixi, in præſentia eſt, Portum Leonis illum tunc fuiſſe, ex quo uno urbs, alioquin undique obſeſſa, advectam mari annonam accipere potuiſſet, niſi dromonibus fuiſſet clauſus. Itaque Blondus (2) quanta id factum rerum in urbe penuria conſecuta ſit, narrat, ſimulque *Ravennatem* portum *tunc portellionem* fuiſſe *dictum; nam apud Claſſem urbem tunc erat major portus;* ut apud Agnellum, quem in ea narratione auctorem laudat, non legiſſe *Portu Lione*, aut *parte Lionis*, vitiato ibi, ut opinor, codice, videatur: quanquam unde id Lionis nomen provenerit, & num tuto nunc reſcribatur *Leonis*, pro certo dicere non auſim. Vides interim, unde Blondus Portellionem tunc appellatum crediderit: quod, aut Portilii nomen, ab illo acceptum Leander (3), & deinceps alii, inter quos Rubeus (4), & Coronellius (5) iterarunt. Sed Paulus Merula (6) cum Ravennatem portum affirmat vel *nunc Portellionem vulgo dici --- quod* Claſſenſi *illo multo minor*, æque vera tradit, ac cum ibidem, Sidonii verbis abuſus, alibi (7) a nobis deſcriptis, Claſſenſem fuiſſe, ait, veterem portum, *novum* autem hunc Ravennatem; quaſi vero hic ante Claſſenſem, ſi non tantis claſſibus, at alicui certe ſtationem, ut in aliis poſui Litteris (8), non præbuiſſet.

8. Cum vero hunc Ravennatem portum dico; cave, aliter a me dictum credas, ac paulo ante declaravi. Quæ utinam declaratione Cluverius (9), aliique uſi eſſent, qui cum de vetere loquuntur Ravennæ portu, ibi videntur ubi ſequioribus fuit ſæculis, indicare, quaſi tunc obliti eſſent, eam urbem primum inter marinas undas, & æſtuaria conditam, a mari autem deinde magis magiſque recedente remotam, portum primo propiorem, mox ſemper magis atque magis diſſitum habuiſſe. Nam quodcunque fuerit tempus quo Ravenna eſſe cœpit, & quicunque populi qui eam condiderint, quarum controverſiarum neutram hic a me agitari, neceſſe eſt; illud certe inter omnes conſtat, antiquiſſimis conditam fuiſſe temporibus: locus autem in quo condita eſt, *in mediis undis* videlicet, *cœnoſoque fundo, ac rerum omnium egeno*, quemadmodum Tondutius (10) loquitur, ut *neceſſitatis potius fuiſſe* videtur, *quam electionis*, ita conditores ſignificat, libertatis, ac vitæ amore impulſos, cum cederent numero ſive Etruſcorum, ſive novi alicujus populi, ſuas in ſedes irruentis, illuc confugiſſe, ibique tutam ſibi ſedem paraviſſe qua parvæ inſulæ inter undas nonnihil exſtabant; ſiquidem vel Procopii (11) tempore animadverto, Ravennam etiamtum *clementer edito ſitam fuiſſe loco*. Qualis autem primis temporibus fuiſſet, ex ea licet deſcriptione conjicere, quæ Tiberii ævo edita eſt. *Intra paludes*, inquit Strabo (12), *urbs maxima Ravenna poſita eſt, tota ligneis compacta ædificiis, aquis diffuſa, pontibuſque, ac lembis peragrata. Cum a mari fiunt inundationes, non mediocrem accipit maris partem*. Quod ſi vel tunc erat ad iſtum modum; ſane intelligis, haud in eo laudandum eſſe Cluverium (13), quod in Tabula qua *Umbriæ Antiquæ Deſcriptionem* propoſuit, terræ aliquid inter Ravennam, & mare interjectæ appinxit. Serius omnino hoc accidit, ut Sidonii, Procopii, Jornandis deſcriptiones oſtendunt. Sidonius enim;

[1] Epiſt. III. n. 10. [2] Hiſt. Dec. 1. l. 3. [3] Deſcrit. di tutta Ital. Reg. 14.
[4] Hiſt. cit. l. 1. [5] Ravenna Ant. [6] Coſmogr. P. 2. l. 4. c. 23.
[7] Epiſt. VI. n. 10. [8] Ibid. n. 2. [9] Ital. Ant. l. 1. c. 28 & 35.
[10] Favent. Hiſt. Breviar. [11] De Bello Goth. l. 1. c. 1. [12] De Situ Orbi l. 5.
[13] Ital. Ant.

Digitized by Google

enim ; ut alios ejus locos omittam ; ea de urbe ſermonem habet in hunc modum (1), *in qua palude indeſinenter rerum omnium lege perverſa, muri cadunt, aquæ ſtant : turres fluunt, naves ſedent : -- ſitiunt vivi, natant ſepulti :* quæ poſtrema duo verba, cum in omnibus quæ præcedunt, & ſubſequuntur, contraria poni, animadverterem, aliquando ſuſpicatus ſum ita eſſe legenda *potant ſepulti*. At certe anno 467. ſuum illac iter ſerio deſcribens, (2), *ſe ſe hinc falſum portis pelagus impingens* memoravit. Procopius autem ut ſe res haberent anno 536. proponens (3), *ſtadiis duobus interpolatam* Ravennam ait, *quo minus maritima eſſet* (id eſt, ut Rubeus (4) explicat, fuiſſe *a mari procul circiter* 250. *paſſus*). & nihilominus (5) *quotidie -- dilucule mare, in morem fluminis, tanto ſpatio, quantum expeditus viator uno die conficiat, in terram effundere ſe ſe, & naves pati in media continente :* itaque navigia ad urbem ipſam perferri. Jornandes denique (6) cum anno, ut credendum videtur, 552. Ravennæ ſitum deſcriberet (neque hunc *ex Dionis deperdito loco*, quod Cellario (7) excidit, forte ut fit in longis Operibus, minus attendenti, de Claſſenſi dumtaxat portu Dionem ab Jornande laudari) urbem illam dixit *inter paludes, & pelagus, interque Padi fluenta unc tantum patere acceſſu : -- ſuper mare Jonium conſtitutam, in modum inſulæ influentium aquarum redundatione concludi : habere ab oriente mare, ab occidente vero habere paludes, per quas unus anguſtiſſimus introitus, ut porta, relictus eſt ;* lego enim ex parte, ut in Ambroſ. Cod. ex parte, ut Cluverio (8) quoque legendum eſſe viſum eſt. Cenſis, ut hoc primum tempore de uno tantum introitu, eoque anguſtiſſimo, per paludes ad occidentem ſolem relicto, verba fiant. Procopius (9) certe *pedeſtrem exercitum*, inquit, ab Ravenna *excludunt aquæ, quibus Padus amnis, e montibus Gallicis eo deferens, aliique fluvii navigabiles, & lacus, urbem illam undique ambiunt*.

9. Unde autem factum dicemus, ut anguſtiſſimus ille trames per medias paludes apparere inceperit, & mare quoque ad 250. paſſus ab urbe removeri? Scilicet flumina quæ in eas diximus paludes confluere, limo ſenſim, ſed ſemper invecto, partem tandem ſoli aliquam minus profundam extulerant. Eadem quoque in mare denique limum importantia, illius oras longius protulerunt, & mare ipſum, procellis præſertim agitatum, dum ad eaſdem arenam impulit, magis magiſque littus extulit, ipſumque ulterius produxit. His potiſſimum de cauſis accidit quod Pythagoras ſe quoque vidiſſe ajebat apud Ovidium (10).

vidi factas ex æquore terras. --
Eque paludoſa ſiccis humus aret arenis.

Sic Herodotus (11) Ægyptum eſſe dicebat Nili donum. Atque, ut ad maria redeamus Italica, ſic Lanciſius (12) intra annos non tetos 150. littus ad Tiberis oſtium *paſſibus plus mille* in mare ſe produxiſſe, certa obſervatione demonſtrat : & ne longius ab Adriatico noſtro abeamus, & pervetuſta exempla Patavinæ oræ omittamus adeo auctæ, ut *vicus* oſtendit (13), *qui nunc corrupto nomine Auriacus appellatur, dictus a majoribus ora lacus, quod ad eum uſque locum -- paludes ſtagnarent ;* Braſchius (14) teſtatur, non modo *antiquam Turrim* vicini *Portus Caſenatici, qua anno* 1302. *-- conſtructa fuit ad ejuſdem tutelam in margine litteris maris, ab hoc jam nunc diſtare fere per mille paſſus ;* ſed & (15) *Turrim alteram, poſtea excitatam, & ipſam jam diſtare ab oſtio Portus* 400. *fere paſſus*. Quod ſi quo propiora ſunt magnorum fluminum oſtia, eo plus littoribus additur limi ; animadvertas velim, oræ maris Ravennati proximum fuiſſe Spineticum Padi oſtium, id eſt, ut non ſemel diximus, illius alvei qui inter cæteros Padi longo ſæculorum ſpatio maximus fuit, eamque convexit limi copiam, ut ſi verum Strabonis (16) ætate tradebatur, Spina, quam olim

[1] l. 1. Epiſt. 8. [2] l. cit. Epiſt. 5. [3] c. cit.
[4] Hiſt. Rav. l. 3. [5] ſecund. verſ. Maittreti. [6] Hiſt. de Reb. Get. c. 29.
[7] Notit. Orb. Ant. l. 2. c. 9. n. 99. [8] Ital. Ant. l. 1. c. 28.
[9] c. cit. [10] Metamorph. l. 15. [11] in Euterpe.
[12] Animad. in Plin. Villam. [13] Vid. Juſtinian. de Orig. Veter. l. 4.
[14] De vero Rubic. c. 14. n. 19. [15] c. 6. n. 10. [16] De Situ Orb. l. 5.

Digitized by Google

olim urbem ad illius oſtium alvei conſtructam *unda maris alluerat*, tunc *XC. a mari ſtad. diſtans, in mediterranea jaceret*. Fac igitur cogites, limi ab eo alveo advecti partem eo motu Ravennam verſus fuiſſe compulſam, quo perſpectum eſt, Adriatici Sinus aquas, ſecundum littora Illyrica ab oriente occaſum verſus tendentes, in reditu ſecundum Italiæ littora ab occaſu ferri orientem verſus. Sed ut limum nullum præter eum ſpectemus quem Montonus, & Ronchus ſequioribus ſæculis importarunt, quid ei acceptum ferendum ſit, & Magini, & cæterorum deinceps Tabulæ præclare oſtendunt, quarum pleræque ad commune utriuſque oſtium, aut contra ipſum & brevia, & tumulos, nonnullæ quoſdam etiam quaſi aggeres utrinque in mare longius productos commonſtrant. Denique his omnibus ſi redundantium fluviorum alluviones addantur, quæ crebro iiſdem ſæculis circa Ravennam contigere, ſatis multæ erunt cauſæ unde intelligamus, non productum modo ulterius in mare littus, ſed ita ſolum fuiſſe altius factum, ut quod in urbe anno 536. etiamtum, ut dixi (1), paulo magis quam circumjectum, exſtabat, annis ſuperioribus effodiendo inventum ſit (2) *unum circiter Bononienſem pedem depreſſius ſuperficie maris in mediocri & quotidiano æſtu*, quod vetuſtius pavimentum planiſſime oſtendit Metropolitanæ Baſilicæ, circa annum 400. ædificatæ. Et quamvis urbanum ſolum ruderibus ſubinde per tot ſæcula ſuperjectis multo altius hanc præſertim ob cauſam fieri debuiſſe, non negem; tamen & urbi circumjectum ſolum tanto magis quam olim fuerat ſe extuliſſe, manifeſtum eſt, quanto minus hoc tempore eſt ſpatium quod in quotidiano maris æſtu aquæ occupant, quam illud eſſet, quod Procopii tempore diximus (3) occupaſſe.

10. Igitur uti eæ quæ propoſitæ ſunt, cauſæ ſenſim quidem, ſed aliæ interdum, aliæ ſemper, aliæ minus, aliæ magis ſuas vires exeruere, ita ſenſim ſemper, ſed nonnunquam tardius, alias citius mare viſum eſt ab urbe recedere donec revera tanto intervallo diſtare cœpit, ut crediderint aliqui, non mare ab ipſa, ſed ipſam, aut certe magnam ejus partem a mari receſſiſſe, introrſum videlicet, nova, ut non paucis contigit urbibus, ædificatione retractam. Quorum opinionem a vero eſſe prorſus alienam, perfacile eſt demonſtrare. Porta enim illa quam ob operis magnificentiam, & marmorum nobilitatem Auream dicebant (nam (4) ex duabus maximis conſtabat portis, quibus minores utrinque adſtabant, marmoribus autem ornabatur ejuſmodi, ut multa ob pretium, & raritatem Federicus II. Cæſar digna crediderit quæ, inde abſtracta, Panormum mitterentur (5)) illa igitur Porta, quam eandem eſſe quæ a Tiberio Claudio anno æræ, cujus eſt mihi uſus, vulgar. 42. Ravennæ cum muris data fuerat, inſcriptæ litteræ teſtabantur, præclare omnibus oſtendit ad annum uſque quo penitus diruta ea Porta eſt, 1582. non alio urbem translatam eſſe. Cluverius autem (6) cum duo poneret, alterum, Foſſam Auguſtam mediam Ravennam diviſiſſe, alterum, ejus Foſſæ alveum ibi fuiſſe ubi nomen adhuc ſuperſit *Fluminis veteris*; ex his *adparere*, non dubitabat, *magnam tum urbis partem ab orientali fuiſſe prædicti Fluminis veteris parte infra confluenteis nunc Bedeſis & Utentis: quo etiam illud Procopii jam recte congruat, ubi tradit, eam „ duum ſtadiorum intervallo „ remotam fuiſſe, quo minus eſſet littorea „*. Verum, ne hic quæramus, num quod Jornandes (7) dixerat, Padum *mediam civitatem influere*, Sidonius autem (8) *interluere*, ſignificet in duas æquales partes dividere, numve qua nomen ſupereſt Fluminis veteris, illac Foſſa Auguſta tranſiiſſet; magnæ iſtius, quam tanto propius mare fuiſſe, Cluverius dicit, Ravennæ partis, & portionis item illius non parvæ, quam inter eas confluentes duorum fluminum, & præſentem urbem ponat, neceſſe eſt, cur ædificium, imo veſtigium ſuperfuit nullum, cum alia diu ſuperfuerint, & quædam adhuc ſuperſint quæ aut multo ante Sidonii, & Jornandis tem-

[1] n. 8. [2] Acad. Inſt. Sc. Bonon. T. 2. P. 2. Opuſc. 1. [3] n. 8.
[4] Vid. Rubei Hiſt. Rav. l. 11. [5] Ragguaglio della Diverſ. de' due Fiumi.
[6] Ital. Ant. l. 1. c. 28. [7] Hiſt. de Reb. Get. c. 29. [8] l. 1. Epiſt. 5.

Digitized by Google

pora, aut paulo post ipsa in præsenti urbe, aut extra ipsam condita fuerant, ut puta Porta, de qua dictum est, Aurea, Ædes S. Martini in cœlo aureo, Ædes S. Vitalis, Mausolæum Theoderici, Classensis Ædes S. Apollinaris & alia id genus? Illud præterea quo Cluverius credit opinionem confirmari suam, hanc, si recte attendamus, omnino convellit. Si veterem urbem eo perveniſſe, ponamus; intervallum inter eum locum, & mare idem est, inquit, quod erat Procopii tempore. Ego vero ajo, si Cæsenas littus, Ravennæ proximum, intra quatuor sæcula tantum excrevit, & in mare productum est, quantum superius (1) ostendimus; credi non posse, Ravennæ littus intra decem sæcula; tantum enim, imo plus temporis inter Procopii, & Cluverii ætatem interceſſit; nihil omnino creviſſe: neque credi igitur posse, Ravennam eo perveniſſe Procopii tempore, quo nimirum si perveniſſet, nihil omnino intra decem sæcula littus creviſſet.

11. Cum igitur constet, Ravennam ubi nunc videmus, ibi etiam olim fuiſſe, & quæ, Tiberio imperante, aquis diffusa, pontibus lembisque peragrabatur, sub Justiniani imperio jam mare diſſitum habuiſſe ad passus 250. nunc autem habere ad passus amplius 4000; ex me quæres, extentne Majorum testimonia, unde scire liceat, a Tiberio ad Justinianum, & ab Justiniano ad hanc ætatem quæ littoris acceſſiones, & quæ portus mutationes quo tempore ad Ravennam sint factæ. Mihi vero alia quidem incerta sunt; alia certa. Incertum exempli gratia est quod scribit Claramontius (2), Honorio imperante (imperavit autem ab anno 395. ad 421.) Ravennam fuiſſe *inſtar Venetiarum nunc totam lembis, & pontibus (ut dicit Suetonius) peragratam*. Undecunque id hauſerit Claramontius; Suetonius certe nihil habet horum, nec habere quidquam potuit de Honorii temporibus is qui anno floreret 117. At enim hæc de Ravenna tradiderat Strabo. Vero: & nos hujus locum supra (3) produximus. Sed creditu difficile est, qui status Ravennæ fuerat sub Tiberio, eundem fuiſſe sub Honorio, præsertim cum Ulpiani, imo Celsi J. C. ætate jam in ea urbe hortos haberent homines etiam neque prædivites, neque primarii. Constat enim ex *Digestorum* libro 17. (4), referrente Ulpiano, Celsum respondiſſe super ædificiis quæ, mandante Aurelio Quieto, *hospes* hujus *Medicus* fecerat *in hortis*, *quos* Medicus ipse *habebat Ravennæ*, *in quos omnibus annis* valetudinis causa *secedere solebat* Aurelius. Quod si forte dubitas, an is Celsus fuerit P. Juventinus Celsus, quem sub Trajano, & Hadriano alii floruiſſe docent, alii autem multo juniorem faciunt fortaſse quia Spartianus (5) non illum, sed *Julium Celsum* nominat inter Juriſconsultos qui in consilio ab Hadriano habebantur; satis est ponas id quod manifestum est, illud ejus responsum ab Ulpiano fuiſse relatum, cujus eximii Juriſconsulti ignorari ætas non potest. Etsi enim anno 221. quod Viris excidit alioquin Eruditiſſimis, occisus non est a Caracalla, qui anno 217. ipse occisus fuerat, imo ab ejus succeſsore Alexandro tanti factus est, ut, quod Lampridius (6) scripsit, *ideo summus Imperator fuerit*, *quod ejus consiliis præcipue rempublicam rexit*; tamen si vel Alexandro superstes fuit, qui eum *sæpe a militum ira objectu purpuræ summæ defenderat*; non videtur mox effugere potuiſse Maximini crudeles manus, *qui*, teste Capitolino (7), *omnes Alexandri miniſtros variis modis interemit*; ut ad annum 236. quo Maximinus trucidatus est, non perveniſse putem Ulpianum. Et certum quidem est quod ex producto consequitur loco gravis hujus Auctoris. Attamen longo post ea tempora intervallo illud quoque certum est, *omnibus Venetis monumentis teſtantibus* apud Bernardum Justinianum (8), simul Paulum Exarchum Ravennam a terra oppugnaſse, simul Venetorum classem a mari adortam, & *ad urbis mœnia applicitam* esse, ut *majorum navium mali*, *atque antennæ armatis onerataæ*, *muriſque pontibus injectis incubuerint*. Quod, Rubeo (9) pariter confirmante, cum anno acciderit

725.

[1] n. 9. [2] Cæſen. Hiſt. l. 4. [3] n. 8. [4] tit. 1. legè 16.
[5] in Hadriano. [6] in Alexandro Severo. [7] in Maximinis.
[8] De Orig. Venet. l. 10. [9] Hiſt. Rav. l. 4.

Digitized by Google

725. non satis potest cum Procopii (1) descriptionibus conciliari, nisi effossum post annum 536. amplum, profundumque a portu ad ipsa usque urbis mœnia canalem dicas, per quem gravissimæ naves tuto possent ad hæc usque perduci, & si res poscceret, inde reduci. Veri autem simile est, ejusmodi canalem illum ipsum alveum fuisse qui aquam Fossæ Augustæ per urbem traductæ vel omnem olim, vel ex parte saltem aliqua, ex quo ea Fossa ad Classensem portum producta fuerat, ad Ravennatem portum perducere solebat, Procopii tempore fortasse oblimatus. Honorio enim, de quo paulo ante diximus, VI. Consule, ideſt Anno 404. ejus iter Ravenna Romam sic describere incepit Claudianus (2)

antiquæ muros egressa Ravennæ
Signa movet, jamque ora Padi, portusque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æstuat, & pronas puppes nunc amne secundo,
Nunc redeunte vehit, nudataque littora fluctu
Deserit, Oceani lunaribus æmula damnis;
Lætior hinc Fano recipit fortuna vetusto.

Quæ certe commodius non possis explicare, quam si ponas, primum illud Padi alveum, videlicet eam Augustam Fossam in qua primum Padi ostium agnovimus (3), etiam tum portibus inservientem, Ravenna egressis, & pedestri itinere Romam versus tendentibus occurrisse.

Veri quoque simile est, posteaquam eadem Fossa ad illam tandem aquæ inopiam redacta est, ut neutri jam inserviret portui, sed naviculas dumtaxat ex Spinetico Padi alveo Ravennam usque perferret, tunc in reliquum ejus Fossæ alveum, qui videlicet inter Ravennam, & mare interjiciebatur, hinc Montoni, inde Ronchi aquam fuisse inductam ea spe, ut circum jecta urbi stagna, in quæ illa antea effundebatur, sicarentur, ut quod munimentum urbi adimeretur stagnis exsiccatis, circumductis circa mœnia amnibus suppleretur, denique ut suus Ravennæ portus, hujusque cum urbe communicatio aliqua conservarerur.

12. Sed quo hæc tempore facta sint, æque incertum est, ac pro primum tempore turris illa pharea; si pharea tamen fuit; ad Ravennatem portum exstructa sit, quam sacræ turris usum Ædi S. Mariæ, *in portu* dictæ, nunc præbere alibi (4) memoravimus. Ea sacra Ædes ab urbe abest perticis Ravennatibus quingentis viginti, a mari autem quingentis; ut cum circa initium sæculi XII. sicut ostendimus (5) condita sit; ubi tunc esset Ravennæ portus, ex ejusdem Ædis cognomento præclare appareat. Quod ut certum est, ita certum quoque esset, aliquot ante sæculis ibidem illum fuisse portum, si turrim illam revera phaream fuisse, constaret. Neque enim exstructa esset postea quam Ravennæ antiqua dignitas, frequentia, mercatura jam valde erant imminutæ. Illa enim quæ lignea, ut diximus (6), tota fuerat Tiberii temporibus, a Claudio postea muris & marmorea speciosissima Porta, a Galla autem Placidia, & ejus filio Valentiniano, a Theoderico, ab Exarchis, aliisque Græcis, magnificis Templis, Ædibusque, atque auro in iis, & non uno celebri musivo opere, ac marmoreis præsertim quantivis pretii columnis ornata, quas Blondus (7) Constantinopoli, & Roma ex palatio Pinciano advectas fuisse, tradit, eadem ex quo neque Imperatoribus neque Regibus, neque Exarchis sedem amplius præbere cœpit, ornamenta quidem illa retinuit, sed non hominum frequentiam illam tantam, quæ navigationi assiduæ, & mercaturæ occasionem afferebat, præsertim cum auctæ interea Venetiæ *ad se rem nauticam fere omnem*, ut Rubei ipsius (8) verbis utar, *& mercaturam, navigationemque traduxissent*, quippe ad emporium multo commodius tum *ad transvehenda Orientis aromata in Pannonias, Germaniamve*, tum ad accipienda; neque enim *brevibus, quæ* circa Ra-

[1] De bello Goth. l. 1. c. 1. [2] De VI. Honor. Consul. [3] Epist. III. n. 3.
[4] Epist. VI. n. 3. [5] Ibid. [6] supra, n. 8.
[7] Hist. Dec. 1. l. 3. [8] Hist. Rav. l. 5.

Digitized by Google

Ravennæ littus, Procopio auctore (1) *in mare ad XXX. ſaltem procurrunt ſtadia*, majores a Veneto littore arcentur naves, neque poſtquam portum ſubjere, quo minus in mediam pergant urbem prohibentur, quod Ravennæ poſt imminutam aquarum profunditatem amplius non licebat; ne quid de aeris minori tunc facta certis præſertim anni temporibus ſalubritate dicam poſtquam maris æſtus ob auctam littoris altitudinem ad circumjecta arbi ſtagna haud amplius perveniebat, neque *fluxu aquarum*, *ac reſluxu agitabatur aer*, *atque expurgabatur*, nec *quidquid erat corruptius*, *in mare procul aſportabatur*, ut antea fieri conſueverat, quemadmodum, de Vitruvii ſententia, loquitur Rubeus (2), qui inſuper *maris ſalſedinem* addit, quæ quid Venetiis præſtet, Ludovicus Teſtius (3) Amicus, dum viveret, noſter oſtendit. Ob has igitur aut omnes, aut pleraſque cauſas cum Ravennæ opes, & mercatura decreſcere cœpiſſent circa annum 816. ut idem fatetur Rubeus (4), turris pharea neque tunc potuit, neque poſtea, ſed ſuperioribus temporibus omnino debuit ædificari.

13. Ravennatis portus quæ olim fuerit ab urbe diſtantia, ex antiquis Scriptoribus, & monumentis clarius oſtendere non licuit, quam hactenus facere conatus ſum. Nec vero id mirum adeo in tanta rerum antiquitate. Illud mirum, ubi ad propiora nobis ſæcula ventum eſt, de ea diſtantia videri neque inter Auctores convenire, neque interdum unum, eundemque ſatis ſecum conſentire Scriptorem. Nam Blondus (5) cum circa annum ſcriberet, ut alibi (6) oſtendimus, 1450. *diſtare* a portu *ſecundo milliario Ravennam*, tradidit. Bernardus autem Juſtinianus (7) qui Hiſtoriam non ita multis poſt annis condebat ſuam, quippe ipſa necdum abſoluta anno mortuus 1489. hanc urbem ait *ab aquis recedere paſſuum plus quam tribus millibus*. Rubeus denique cum ſuas Ravennates Hiſtorias iterum anno ederet 1589. *diſtare*, ait (8) *altero tunc fere milliario Ravennam a mari; ſuorum autem patrum ætate multo minus* fuiſſe *diſtantem*. Alio autem loco (9) ſupra dixerat, *eam* tunc *a mari*, *qua parte Septemtriones reſpicit*, *bina paſſuum millia*; *ad Orientem vero hibernum*, *quatuor abeſſe*; verum mox *abeſſe*, inquit, *a mari ſupero quod ad Orientem Solem ſpectat*, *millia paſſuum duo*. Scilicet videndum eſt, an intelligere hic potuerit ad Orientem æſtivum; Blondus autem, & Juſtinianus an alius aliam ſpectaverint plagam; multo enim magis in mare producitur littus qua ab urbe ad mare lineam contra Orientem æquinoctialem ſic ducas, ut neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram partem obliqua feratur, quam ſi utrolibet, & præſertim ad Orientem æſtivum, magis aliquanto inclinetur. Quod non accideret, ſi littus ipſum parallelam Ravennæ lineam ſervaret; illud vero diu convectis a communi Ronchi, & Montoni alveo arenis, ibi quo lineam ducendam dixi, in duos quaſi aggeres ulterius procurrit, de quibus ſupra quoque (10) memoratum eſt. Itaque ibi nunc extrema ora ab urbe diſtat mille, & quadringentas circiter perticas Ravennates, quarum ducentas quinquaginta æquare paſſus mille facile intelliges libro inſpecto qui *Ragguaglio Iſtorico* inſcribitur *della Diverſione dei due Fiumi il Ronco*, *ed il Montone dalla Città di Ravenna* (11).

14. Quod ſi arenæ, ab duobus illis amnibus importatæ, ſemper omnes ad latera in eos aggeres ita ſeceſſiſſent ut & ſatis ſpatii relictum eſſet ad naves excipiendas, nec arenis ipſis ad fundum labentibus hic altior fuiſſet factus; ſane eorum nihil accidiſſet quæ homines denique coegere, ut alium ad veteris latus alveum, portumque effoderent; ut confluxus utriuſque amnis mutaret locum; ut ab urbe ad mare pararent Foſſam mercibus tranſvehendis; poſtremo ut amnium alveos tum peculiares, tum communem longius ab Ravennæ muris amoverent. Quibus de ſingulis rebus cum pauca ſubjecero; finem continuo ſcribendi faciam. Igitur vetus Raven-

[1] c. 1. cit. [2] Hiſt. cit. l. 1. [3] Diſinganni int. all'aria di Venez.
[4] Hiſt. cit. l. 5. [5] Ital. Illuſtr. Reg. 6. [6] Epiſt. I. n. 7.
[7] De Orig. Venet. l. 1. [8] l. 6. [9] l. 1. [10] n. 9.
[11] pag. 75. Vid. & Tab. 1.

Digitized by Google

Ravennæ portus ſi non eam capacitatem ſervaverat, ob quam anno 1177. (1) de claſſe Friderici Imperatoris a Venetis victa *triremes quatuor in portum Se Ravennatem recepere*; at is ſaltem erat etiamtum anno 1512. (2) ut duæ naves poſt infandam illam Ravennæ direptionem *ſpoliis nobilioribus onuſtæ -- dum e Ravennati portu enavigare contenderent una cum celoce remorum quadraginta*, a Venetis duabus navibus caperentur: quod Petrus Bembus (3), quem Rubeus laudat auctorem, factum ait *in Ravennæ portu*. Sed poſtea hic idem portus, qui *ad Orientem hibernum poſitus* erat, *cum oblimatus arena* (ſicut Rubeus (4) tradit) *naves non exciperet*, *alio facto Viti Montonique fluminibus alveo, ad Orientem æſtivum traductus eſt anno* 1563.

15. Verum limo arenaque ſenſim quidem, ſed crebro depoſitis cum fundus hujus quoque novi portus, & alvei altior factus eſſet; accidit denique miſeranda illa Ravennæ inundatio ſub finem Maii A. 1636. Cumque inter cætera ad ejuſmodi infortunium in poſterum præcavendum auxilia, confluxus utriuſque amnis mutatio propoſita eſſet; hæc anno 1647. ut alias (5) diximus perfecta eſt. Scilicet ex quo illi ad cingenda utrinque urbis mœnia perducti fuerant; *ſub* ipſis *mœnibus*, ut Blondus (6) loquitur, ſive *paulo infra urbem*, ut ait Rubeus (7), *jungebantur*. Tunc autem Montoni alveus longius ab Ravenna productus, bis mille propemodum paſſuum ab hac intervallo in communem cum Roncho alveum deductus eſt.

16. Ut vero portus qualiſcunque Ravennæ conſervaretur, ſimulque via minoribus navigiis pateret qua a portu ad urbem traherentur; anno 1654. (8) Foſſa ducta eſt, quæ ab Ravenna ad portum Candiani pertineret, Panfilius Canalis ab Innocentii X. qui tunc erat Pontifex Maximus, cognomine appellata. Is portus qui jam Blondi tempore (9) ex tanta illa amplitudine eo redactus fuerat, ut *nec ſcapham piſcatoriam, lembumve perferret*, a Magino (10) autem nec immerito, prorſus omiſſus, tunc iterum, ut ſunt rerum viciſſitudines, portus nomen recuperaſſe viſus eſt.

17. Sed cum remotus ab Ravenna Montoni, & Ronchi confluxus novæ inundationis metum, qui ſæpenumero intentabatur, nequaquam arceret, Candiani autem portus qualiſcunque, arena aggeſta minus in dies, minuſque utilis redderetur; aliud in rem utramque auxilium quæri cœptum eſt. Itaque cum vel poſtquam anno 1721. communis utriuſque fluminis alveus brevior aliquanto redditus fuerat, periculum nihilominus inundationum urgeret; ad illud tandem auxilium quod olim anno 1563. (11), & ſæpius deinde agitatum fuerat, Ravennates redierunt, ut fluvii procul a mœnibus averterentur. Igitur nihil ſpei amplius, ut antea, poſitum eſt aut in confluentis infra urbem, aut in communis alvei mutatione, qui a confluente ad mare pertinens, Blondo, & nonnullis qui aquarum, undique Ravennam olim cingentium, immemores, ſecuti ipſum fuerant, Plinianus Bedeſis videbatur (12). Sed ſupra urbem inchoato opere, Euſtachio Manfredio, & Bernardino Zendrino Mathematicis Præſtantiſſimis docentibus, novus alveus effoſſus eſt, qui primum per firmiſſimam Cataractam omnes Montoni aquas, præter eas quæ in canalem derivarentur ad frumentarias molas agitandas; tum deinde omnes quoque Ronchi aquas excipiens, urbe procul a ſiniſtris relicta, eo pergeret, ut inter veterem, & Candiani portus in mare influeret. Qui quoniam alveus tum Romanam viam, tum Panfiliam Foſſam, minus alioqui, ut dictum eſt, utilem factam, interſecaret; Romanæ quidem viæ proſpectum eſt lateritio Ponte, ſeptem fornicibus nixo, incredibili celeritate perfecto; pro Foſſa autem Panfilia, nova Foſſa denique excavata eſt quæ ab urbis mœnibus incipiens, & a ſiniſtris alvei fluminum veteris

(1) Vid. Rub. Hiſt. Rav. l. 6. (2) Ibid. l. 8. (3) Hiſt. Venet. l. 12.
(4) Hiſt. Rav. l. 10. (5) Epiſt. V. n. 8. (6) Hiſt. Dec. 3. l. 8.
(7) Hiſt. cit. l. 1. (8) Bonoli Iſt. di Forlì l. 12. (9) Vid. Epiſt. VI. n. 8.
(10) Italia Tav. Romagna. (11) Rubei Hiſt. cit. l. 10.
(12) Vid. Epiſt. II. n. 6. & IV. n. 14.

Digitized by Google

veteris ad mare perducta, mercibus ultro citroque transvehendis inserviret, ad ostium autem suum necessariam portus utilitatem præberet, ut in præsenti rerum statu, non contemnendam; si cum antiquo conferas, modicam. Hinc enim olim fuerat Classensis ille amplissimus portus, inde autem Vatreni, uterque per Augustam Fossam cum Ravenna conjunctus, medius quoque inter utrumque Ravennas antiquus portus, quem eadem pariter Augusta Fossa cum urbe jungebat. Nunc vero hinc Candiani portus, inde Pirotoli exiguus uterque, & ab Ravenna disjunctus, ut nisi media inter utrumque hæc nova Fossa urbem cum mari conjungeret; Ravenna tot olim, tantisque portubus prædita, ne tenue quidem hoc cum mari commercium esset habitura.

18. Hæc de portu Ravennate habui quæ ad te scriberem. Inter quæ ea quoque commemoravi, quæ omnibus, non modo tibi, notissima annis superioribus accidere. Neque enim prorsus omittere illa debui, quæ mihi primam tot Litteras scribendi occasionem præbuerunt. Scilicet cum latina quærerem nomina Montoni; & Ronchi, quæ Ravennæ in foro sub Pontificis beneficentissimi statua scriberentur; in plura alia incidi quæ ad fluvios illos, aliosque proximos, & ad urbes singulis adsitas, Ravennam in primis, & Forum quoque Livii attinerent, nec viderentur pleraque prorsus indigna de quibus ad Amicos Doctissimos scriberem, ut in obscuris propter vetustatem, dubiisque rebus suo me, quandocunque possent, judicio adjuvarent: id quod a te præsertim & quæsivi, & expecto, alia quæ supersunt, si id non negaveris, fortasse additurus. Nunc vero quæ ex me quæris, verba subjiciam qualia tunc misi Ravennam Pontificiæ statuæ subscribenda: faciamque id tanto libentius quod omnia quæ novissime commemoravimus, ita comprehendunt, ut novi alvei, & Fossæ longitudinem (quippe in utroque; & in alveo præsertim M. P. VII. majorem) non omittendam fuisse, indicent, eamque per siglas usitatiore apud Latinos more significandam; non inscitiæ Sculptorum quæ non ea tantum in re se prodidit omnibus, relinquendam. Hoc quoque nolui nescires. Vale.

CLE-

Digitized by Google

CLEMENTI XI. PONT. M.

QVOD AD AVERTENDAS AB RAVENNA EIVSQ. AGRO INVNDATIONES
BEDESIM FLVVIVM CATARACTA MVLTIPLICIS VSVS EXTRVCTA
IN NOVVM ALVEVM M. P. . . . . ,
DEDVXIT
IN EVMDEMQ. VITIM
IMMISIT
QVOD ROMANAM VIAM EO ALVEO INTERRVPTAM MAGNIFICI
OPERIS PONTE
COMMISIT
QVOD AB VRBE AD MARE PER M. P. . . . . FOSSAM
PERDVXIT
IN EAMQ. CORRIVATIS AQVIS FACILIORI MERCIVM TRANSVECTIONI
PROSPEXIT
S. P. Q. R.
PROVIDENTISSIMI PRINCIPIS MVNIFICENTIAE DEVOTVS
STATVAM P.
A. S. CIↃ IↃCC XXXVIII.

INCHOATA CATARACTA ET ALVEVS BARTH. MASSAEO
ABSOLVTA OMNIA IVLIO ALBERONIO
S. R. E. CARDINALIB. FLAMINIAE LEGATIS.

Digitized by Google

EPISTOLA ÆMILIANA VIII.

QUod ſcribis, eorum quæ hactenus ad te miſi, alia eſſe ejuſmodi, ut addi nihil poſſit, alia, de quibus amplius quærendum putes; in altero tuam agnoſco humanitatem, in altero ingenuitatem: & cum de utroque gratias agam; ago, mihi crede, de hoc majores, acturus maximas, ſi me ut dubitantem laudas, ita adjuves quærentem. Hac ſpe mittam cætera quæ requiris, inde initio ducto, unde cepi Epiſtola III. a Pado videlicet, ac Paduſa, ut proximos ordine Æmiliæ fluvios deinceps ſequens, ab iis qui occidenti ſoli propiores ſunt, ad eos perveniam qui orienti ſunt viciniores ex iis quidem de quibus ad te ſcribens egi, aut certe non multo pluribus. Sic enim de urbibus quoque, & oppidis quæ eorum pleriſque adjacent, potero ex ordine tantum dicere, nihil ut ferme reliquum ſit in iis quas ad Poggium, & ad Marcheſium, & ad te quoque Epiſtolas ſcripſi, quod pro mea hac mediocritate, & rerum magna ſæpe difficultate, ſæpe obſcuritate non illuſtravefim.

2. Padi alveum quem olim omnium fuiſſe maximum, conſtat, mirum eſt, in ea Cellarii (1) Tabula, quæ inſcribitur *Italia Antiqua*, in aliiſque non pleniorem pingi cæteris alveis. De eo alveo loquor cui nunc Primarii nomen eſt, & quem Cellarius adſcriptis litteris *Paduſam* i. s. *Spineticum* vocat. Non leviorem, quamvis in re minoris momenti, Magini Tabulæ (2) errorem habent, vicum S. Alberti ad illam ejuſdem alvei oram proponentes, quæ a Comacli parte eſt, niſi forte, ut aliquando inaudivimus, ibi tunc erat: nunc certe ad oram oppoſitam, ad quam bene Coronellius (3) exhibet, eſſe videmus illum vicum, a nobis, aliiſque memoratum, cum de Auguſta Foſſa, inde Ravennam perducta verba fierent (4). Hanc Foſſam, ſive hunc Plinio, ut oſtendimus (5), primum de ſeptem Padi alveum, omitti video in illa Cellarii Tabula qua antiqua oſtenditur *Gallia Ciſalpina*. In ea autem quæ hac ætate vulgata eſt Tabula, Italiæ faciem exhibente, ut inclinante ſe Romano Imperio, fuiſſe creditur, neutrum quidem eorum deeſt quæ apud Cellarium deſiderantur. Nam & Padi alveus qui in Spineticum oſtium definit, maximus eſt pictus, & Foſſa addita, quamvis nullo adſcripto nomine, quæ ab eo alveo ad Ravennam pertinet. Sed circa hanc urbem nullum apparet ſtagnum, nulla æſtuaria, contra atque rem etiamtum ſe habuiſſe, alias (6) a nobis oſtenſum eſt.

3. De Vatreno aliis Litteris (7) ſatis mihi videor ſcripſiſſe, niſi quod Geographorum quoſdam in eo lapſus qua Cornelii Forum præterfluit, aperte non indicavi. In illa igitur Cellarii Tabula quam ſecundo loco (8) memoravi, flumen ei Foro nullum appingitur. In ea autem qua Vir Cl. de l' Isle præſentem expreſſit Italiæ faciem, appictum Imolæ cernimus, non, ut eſt, ad orientem ſolem, ſed ad occidentem; ut omittam, non denique in Padum, ut debebat, ſed in paludem quandam induci. Geographi autem alii recentiſſimi, ut recte illud fecerunt quod de ejus altiore in Padum influxu viſi ſunt diffidere Magini Tabulis, ſic utinam quem hæ delineant, Imolæ canalem non pro altero duorum in quos ſe Vatrenus divideret, alveo accepiſſent, cum foſſa tenuis ſit, manu facta, in quam Forocornelienſes tantum aquæ ex flumine derivant, quantum ſatis ſit ad frumentarias molas agitandas. Sic enim verior eorum deſcriptio eſſet: nec aliquis facile ſcripſiſſet, Imolam in parva eſſe

(1) Notit. Orb. Ant. (2) Italia Tav. Romagna, e Duc. di Ferrara.
(3) Corſo Geogr. Tav. Territ. di Ravenna. (4) Epiſt. III. (5) Ibid. n. 3.
(6) Epiſt. VII. n. 8. (7) Epiſt. VI. n. 15. & ſeqq. (8) ſupra, n. 2.

Digitized by Google

esse insula, quam insulam faciat Vatrenus.

4. Ab illis vero iisdem Geographis malus mirum est fuisse minoris proximi amnis suo loco mentionem omissam, quando Vatrenum ipsum in Cellarii Tabula omnino præterfluere, vidimus (1). Is tamen minor amnis in vetusta Peutingeriana Tabula, in qua Vatrenus desideratur, non est prætermissus, cum inter Forum Cornelii, & Faventiam *Simnum* sit *flumen* indicatum. Senium alii vocant cum nostratibus. Circa hujus finem Paulus Merula (2) *Silvam* esse, ait, *Lucenam*, deinde & *Padaneas Silvas*, de quibus *videndus* est, inquit, *Solinus in Polybistæ cap.* 23. Sed eo capite Solinus agit de transalpina Gallia, non de cispadana, nec ibi quidquam de iis silvis, ut neque capite 7. quo de Italia verba facit. Verum tamen esto, haud ita procul a Senio esse Luci, sive, ut nunc vocitant Lugi oppidum non ignobile. Ad ipsam autem Senii oram quæ ab occidentis parte est, oppidulum est, *Cotignola* dictum, unde Sfortiæ illi extiterunt, qui militari virtute inclyti, post Vicecomites Mediolanensibus imperarunt. Id oppidulum A. 1276. conditum fuisse a Forolivensibus, sicque a Forolivensi Cotoniorum Suburbio appellatum, Historici ajunt nostri; negant Faventini, freti Documentis, ut Kavina (3) loquitur, antiquissimis, fundum in quo illud postea ædificatum est, eodem nomine designantibus, itemque Chronicis, a Tolosano suo ad A. usque 1226. quo mortuus est, perscriptis, in quibus ad A. 1217. inter oppida, & loca a Faventinis munita Cotignola quoque nominatur. Huc illud insuper accedere, animadverti, quod in Monumentis Historicis legi Alidosiæ Gentis (4), Joannem Antonium Flaminium in Forocornelienſium Annalibus, manu exaratis, memoriæ mandasse, cum circa A. 1260. ab Ravennatibus, & Faventinis Cotignola obsideretur, Silvium Alidosium, suorum auxiliis in eam partem ductis, obsidionem solvisse. Quæ etsi ita sint, aliamque insuper ejus nominis causam fuisse, ostendant, non tamen satis forsasse convincunt, ante A. 1276. oppidum illud extitisse, cum Tolosanus non oppida solum, sed & loca enumeret opportuna, quæ tunc munierint Faventini, potueritque, ut illis temporibus, turris aliqua paucis adjectis munimentis & defendi, & obsideri. Quo spectare quædam videntur verba quæ in Collectione Historiarum, manu Alexandri Paduanii conscripta, legisse memini ex vetustis Chronicis excerpta, in hanc sententiam. A. 1277. aliis 1276. Faventinorum, & Forolivienſium exercitum substitisse rure Cotignolæ (*nella villa di Cotignola*) ibique aggeribus, & fossis locum egregie muniviſſe. Ut ut est; non oportuit, a Kavina (5) vicinos insimulari, quasi illa in re *fabulas* ipsi *confinxissent*, a Tonduccio autem (6) nominatim Bonolum accusari. Leander enim Albertus (7) tanto antea diserte tradiderat, Cotignolam „ ædificatam esse A. 1276. „ a Forolivienſibus, & Faventinis „. Hieronymus autem Rubeus (8) *Forolivianam Rempublicam*, scripsit, *extruxisse oppidum Cotignolam jussisse* A. 1276. Atque; ut alios sciens omittam; Matthæus Vecchiazzanus (9) Forolivienses ait „ Faventinis id petentibus, oppidum ædificasse, & incolis impleviſſe Forolivio missis, iisque majori „ ex parte e suburbio Cotoniorum, unde „ Cotoniolæ nomen „. Quorum certe Historicorum nemo fuit Forolivensis, omnes autem ante Bonolum scripserunt, qui non plura dixit, quam Vecchiazzanus. Sed ut magis magisque intelligas, non hæc Bonolum esse commentum; scias licet; in Chronicis Jacobi Moratini, antiquo charactere scriptis, & ab A. 1058. ad A. 1473. perductis hæc me legisse ad A. pertinentia MCCLXXVI. *Dominus Guido de Montefeltro, & Comes Rogerius, & Commune Forlivii, & Faventini — obsident Bagnacavallum, & jussu Communis Forlivii, & Comitis Guidonis præfati construitur oppidum Cotignolæ ad injuriam illorum de bagnacavallo, & defensionem districtus Faventini:* quas causas etiam Leander attigerat. Alexan-

M 2

(1) supra, n. 3. (2) Cosmogr. P. 2. l. 4. c. 8. (3) Repliche in difesa &c. XXVII I.
(4) Memorie Stor. della Famiglia Alidosi. n. 23. (5) Replic. cit.
(6) Prelud. alle Hist. di Faenza. (7) Descrit. di tutta Ital., Reg. 14.
[8] Hist. Rav. l. 6. [9] Hist. di Forlimpop. P. 2. l. 14.

Digitized by Google

xander autem Padianus, qui cum plura inſpexiſſet, excerpſiſſetque Majorum Scripta, Chronica propria ante Bonolum confecerat, cum ad eum annum perveniſſet, non ea tantum ſcripſit quæ modo retuli, ſed hæc inſuper, quæ latine reddita adſcribam „ Comes Guido præſidio oppidi „ reliquit Petrum de Fatris, militum du„ cem Forolivienſem, qui cum domum „ haberet ſuam non ſecus ac multi ex „ præcipuis ejus militibus in Cotonorium „ Suburbio, idcirco oppidum appellavit „ Cotignolam. „ Sed de his ut volueris, ipſe exiſtimabis.

5. Nunc a Senio ad flumen Anemonem tranſeuntr, qui ab ea parte unde ſol oritur, Faventiam perſtringens, ipſam ab adjecto ſuburbio dividit, prætereundum non videtur, perperam igitur ad oppoſitam plagam Faventiæ appingi in iis quæ ſupra (1) memoravi, Tabulis Cellarii, & de l'Isle. Quod vero idem flumen in Tabula quæ, inſcripta *Italiæ Veteris* Specimen, in Ortelii Theatro proponitur Orbis Terrarum, eo perductum ſit, ut ab Oriente perſtringat Ravennam, id abſurdum eſt adeo, ut verbis ſatis non poſſit exprimi. Verum; ut ad Cellarium redeam; illud quoque in ejus pictura deſideres, fluminis originem multo altius fuiſſe delineatam; non in planitie, procul a montibus, & Faventiam propius. Et quoniam de diſtantiis mentionem injecimus; hoc quoque improbabis, Faventiam pingi multo magis diſſitam a Foro Livii, quam a Foro Cornelii, mirum in eo qui (2) ex Antonini Itinerario hæc ponat, *Forum Livii, Faventiam M. P. X. Forum Cornelii M. P. X.* quæ etſi plerique ajant; noſtratibus tamen, quibus ut tota ea via frequentior eſt, ſic proclivius eſt intervallum utrumque inter ſe comparare, aliquanto illud videtur brevius quod inter Patriam noſtram, & Faventiam intereſt, quam quod inter hanc, & Cornelii Forum; ut inter Faventiam, & Forum Livii ne tota quidem M. P. X. eſſe, agnoſcamus; tantum abeſt ut recentiſſimos probemus Geographos qui M. P. circiter XI. eſſe, referunt. Quos etiam miramur in verbo *Faventia* nullam de Hiſpanorum Faventia mentionem injicere, cum tamen veteres Inſcriptiones in quibus Faventini commemorantur, ſæpius ad Hiſpanos illos ſpectent, quam ad hos Italos.

6. Indicatum eſt paulo ante, Anemonem ex Apenninis montibus alte oriri, unde Anemonem auctus Martianus quoque torrens defluit, prope quem Mutiliana eſt, quemadmodum ad Anemonem eſt Marradium, utrumque oppidum ad orientem ſolem, utrumque ad montes pertinens, ſed multo altius ſecundum, de quo obiter mentio fiet; cum ob quoſdam Livii locos, aliaſque aliorum opiniones non pauca ſint facienda verba de primo. Hoc a nuperrimis Geographis urbs parva dicitur duodecimo circiter a Faventia lapide. Sed decimo, non duodecimo, neque urbem, ſed oppidum, ut eſt, nobile, & antiquum eſſe ſcribitur ab Hiſtorico Faventino Tondutio (3). Antiquum dicit, reſpiciens ad Livii 31. librum, & 33. in quibus *caſtrum* Bojorum *Mutilum* memoratur, quod alii Mutilianam ipſam fuiſſe, credunt, aliis ex illius ruinis Mutilianam exſtructam putantibus. In primis invenio Flavium Blondum (4), Raphaelem Volaterranum (5), Leandrum Albertum (6), & qui ante hos duos, paulo videlicet poſt Blondum, ſcripſit, Franciſcum Berlinghierium (7), cujus rudes quantumvis verſus ob id etiam tibi deſcribam, ut vera eſſe quæ de Italica Anemonis appellatione alias (8) ad te ſcripſi, ex his pariter intelligatur.

Vedeſi Modigliana, al tempo antico
Detta Mutillo, poſta nella valle
Che Anemon face, & Lamone ber
l'eſplico.
Quel divide Faenza.

Ad eoſdem acceſſit Abrahamus Ortelius (9), Paulus Merula (10), Scipio Claramontius (11), Philippus Ferrarius (12), a quo diſſentire non videtur Baudrandus (13), denique; ut alios omittam; Anonymus Me-

[1] n. 3. [2] l. 2. c. 9. n. 89. [3] Prelud. cit. [4] Ital. Illuſtr. Reg. 6.
[5] Comment. Urb. l. 3. [6] Reg. cit. 14. [7] Geograf in terza rima l. 3. c. 9.
[8] Epiſt. IV. n. 3. & ſeq. [9] Synonym. Geogr. [10] Coſmogr. P. 2. l. 4. c. 23.
[11] Cæſen. Hiſt. l. 3. [12] [13] Lexic. Geogr.

Digitized by Google

Mediolanenſis (1). Ex iis autem qui in ſecunda fuerunt ſententia, ſatis eſt nominare Philippum Antoninium (2), cujus hæc ſunt verba, latine reddita: Mutilia„ na, prope quam Mutilum fuit antiquus „ locus.„ Contra alter Faventinorum Hiſtoricus Petrus M. Kavina (3) Mutilianam fuiſſe Mutilum, negat, quia ne anno quidem 1195. erat Mutilum in via quæ juxta Mutilianam ducta in Etruriam tendebat, ut neque olim ex Antonini Itinerario. In hoc enim ſub lemmate *Iter a Faventia Lucam*, tantummodo ad M. P. XXV. *Caſtellum* occurrit. Sic enim Iter illud incipit *In Caſtellum M. P. XXV. Annejanum M. P. XXV. Florentiam M. P. XX.* Utrum tandem vult Kavina, ſub finem ſæculi XII. Mutilianam necdum extitiſſe? an extitiſſe? Si extitiſſe; ea nempe olim Mutilum fuiſſe potuit. Si non extitiſſe; obliviſcitur teſtimoniorum ex quibus conſtat, Mutilianam jam ſæculo fuiſſe X. Blondus (4) enim docuit, Mutilianam *fuiſſe ante quingentos annos*, id autem, ut alias (5) oſtendi, anno ſcribebat 1450; *fuiſſe*, inquam, *nobilis familiæ Comitum, qui Guido cognomine per Flaminiam & Etruriam floruerunt*. Claramontius (6) autem *in primo*, inquit, *Othonis adventu* (incidit hic in annum 951.) *inter ejus proceres, imo propinquos fuit Vido illi affinitate junctus. Hic ab Othone Mutilianæ comitatu donatus -- in Italia conſedit familiæ -- Guidiorum author*. Quin Rubeus (7) non modo ad A. 967. ſcripſit, Widonem *Mutilianæ Comitem* fuiſſe ab Othone confirmatum; ſed & circa A. 923. *Mutilianum* oppidum memoravit: & ne quæ Rubei de eo oppido ſententia fuerit, dubitemus; ad A. 1166. ad hunc modum locutus eſt (8) *in Flaminia prope Mutilum, Comitis Guidonis oppidum*. Ipſe denique Tondutius (9) agnoſcit, A. 925. Mutilianam in Guidiorum poteſtatem veniſſe. Quod vero ad Itinerarium attinet, Antonini dictum, quod ea in parte vitiis non careat, Cluverio (10) certum eſt; non quæram, an *Caſtellum* illud, quod Kavinæ fortaſſe Caſtrum Mutilum fuiſſe videbatur, *fuerit id oppidum, quod fere in ruinis jacens, vulgo dicitur Marradi*, ut opinabatur idem Cluverius; certe Marradium, nunc in ruinis minime jacens, M. P. XX. eſt ſupra Faventiam; multoque minus an fuerit *Caſtellenſe municipium*, quod a Frontino de Coloniis memoratum, cum hoc *Caſtello* componit Goeſius *haud ſane bene*, ut cenſuit Cl. Weſſelingius (11), qui in Piceno illud municipium fuiſſe, oſtendit. Illud potius dicam, cum ea Itinerarii pars ſcripta eſt, tunc Caſtrum Mutilum aut in vicum eſſe potuiſſe redactum, aut in ipſa via non eſſe. Certe Livius neque non exiguum, neque in via illiuſmodi fuiſſe, indicavit: ut plane indicavit, ad illud patuiſſe iter per Tribum Sapiniam, quam in valle per quam Sapis fluit, extitiſſe, nemo negat, & nos cum de Sapi amne locus erit verba faciendi (12), hac de Tribu iterum dicemus.

7. Qua ex re ſumi ratio poteſt qua Cluverio (13) fortaſſe ſatis fiat, qui Mutilum, non in Mutiliam, ſed in Medolo, oppido in montibus ſupra Mutinam ſito, ſibi ponendum exiſtimavit, aſtipulantibus Cellario (14), & recentiſſimis Geographis, qui eum quoque locum in Italiæ urbem mutarunt. Quod ſi nominum ſpectantes ſimilitudinem, illud fecerunt, facilius certe fuerat Mutilum in Mutiliana, quam in Medolo, invenire, ut fuiſſet quoque in caſtro quodam Mutilene, ſi forte noviſſent, in agro proximo Regii Lepidi caſtrum hoc nomine extitiſſe initio ſæculi XII. (15). Sed alia illi magis ſpectarunt, ut puta in his Livii (16) verbis de L. Furio conſule, *per tribum Sapiniam in Bojos venit. Jam caſtro Mutilo appropinquabat, cum veritus, ne intercluderetur ſimul a Boiis, Liguribuſque, eadem via qua adduxerat, reduxit;* ſpectarunt, inquam, Ligurum vicinitatem; nam alioquin non eſſet veritus, Conſul, ne ab Liguribus interclu-

[1] Differt. de Ital. med. ævi Sect. 16. n. 83. [2] Delle Antich. di Sarſina Diſc. 1.
[3] Faventia Rediviva. [4] Ital. Reg. 6. cit. [5] Epiſt. I. n. 7.
[6] Hiſt. cit. l. 5. [7] Hiſt. Rav. l. 5. [8] l. 6. [9] Prelud. cit.
[10] Ital. Ant. l. 1. c. 28. [11] in Adnot. ad vetera Roman. Itinerar.
[12] Epiſt. XIV. n. 5. [13] c. 28. cit. [14] Notit. Orb. Ant. l. 1. c. 9. n. 81.
[15] Vid. Affaroſi Mem. dal. Monaſt. di S. Proſp. di Reggio P. 1. n. 38. [16] l. 33.

Digitized by Google

tercluderetur ; quaſi vero Ligurum fines, vel ipſis fatentibus, non uſque ad Arnum extenderentur, poſſentque ideo Ligures per viam de qua paulo ante (1) dictum eſt per Anemonis vallem Mutilianam verſus deſcendere. Spectanda vero ſimul erat Sapinia Tribus per quam venerat in Bojos Conſul, via multo Mutilianæ, quam Medolo, propiore ſpectandumque ſimul, num tuto ut Mutilianæ, ita Medolo appropinquare Conſul poſſet, quando Bononia, inter hoc, & Sapiniam Tribum interjecta, a Boiis adhuc tenebatur, ut ea oſtendunt quæ Livius continuo ſubjicit, conjunctos mox utriuſque Conſulis exercitus *primum Bojorum agrum uſque ad Felſinam oppidum populantes peragraviſſe : eamque urbem, cæteraque caſtella, & Bojos fere omnes --- in deditionem veniſſe*. Sed hæc tu melius, atque alia quæ Cluverius congerit, examinabis : neque enim mihi, quamvis non omnia quæ ponit, facile probanti, tempus nunc eſt ea perſequendi, præſertim cum de Mutilo illo Bojorum Caſtro diſputare etiamnum malim, quam aliquid pro certo conſtituere.

8. Illud potius ſtatuam, Mutilam neque cum Medolo, neque cum Mutiliana, quacum a quibuſdam confuſam video, ullo modo poſſe confundi. Nam quæ Mutila mons eſt in Sabinis, uti ex Frontino de qual. agr. adnotavit Holſtenius (2), ut ad neutrum illorum referri poſſit, ſatis per ſe patet. Idem vero patet de Mutila, quod Iſtriæ oppidum fuiſſe, mox oſtendemus : (3) id de quo diximus, *Flaminiæ in Italia oppidum* Mutilianam, ſive ut noſtratum vulgus appellitat, Modianam, eſſe *Mutilam*, *Obſequenti*, non dubitat, ut neque Ferrarius (4), neque Merula (5), idem ropetentes. Sed Julius Obſequens nullam, quod ſciam, de Mutila facit mentionem. Facit vero Conr. Lycoſthenes, qui de Prodigiis ea ſupplevit quæ deerant apud Obſequentem, Dionyſium, Eutropium, Oroſium, alioſque, & in his Livium ſecutus, quanquam non omnia ex hoc excerpſit quæ poterat, & quæ, quaſiacunque revera eſſent, ejus poſtulabat inſtitutum, ut puta cap. 31. ubi de Romanorum ad Thraſymenum cæde prodigia omittuntur Flaminio Conſuli inter movendum facta, in primiſque in ſigno quod evelli non poterat. Cum igitur Lycoſthenes ſcribat (6), *Mutilam*, *& Faveriam vi captas*, *& deletas* ; nollem, qui Lycoſthenem ab Obſequente non diſtinxere, pro Faveria, ut fit, inter celeriter legendum, Faventiam forte legiſſent. Verum præterquam quod ibi de Iſtris a Lycoſthene verba fiunt ; perſpicuum eſt ex iis quæ nominat, & oppidis, & Conſulibus, eum locum ex Livio (7) excerpſiſſe, cujus ipſe contextus oſtendit, Mutilam, ſive ut ipſe vocat, Mutiliam *vi captam*, *& deletam* a C. Claudio Pulchro Conſule fuiſſe in Iſtria : quod & ea Livii verba aperte confirmant, ubi poſt narratam Neſactii, & Mutiliæ, & Faveriæ expugnationem, *Iſtria tota*, inquit, *trium oppidorum excidio*, *& morte regis pacata eſt*. Bene igitur Cellarius (8), & ante ipſum Cluverius (9), qui Mutilam in Iſtria ponunt, ſed incerta ſede : quanquam Cluverius, cum ſcripſerit, *quibus locis* (Mutila, & Faveria in Iſtria) *fuerint*, *plane ignoro ; niſi oppidum* Medolino Mutilæ -- *vocabulum ferre credas*, mirandi occaſionem dedit, cur igitur Mutilam mediam fere inter Polam & Neſactium in ipſa Iſtriæ ora maritima delineaverit (10). Geographi recentiſſimi ne memorant quidem. Cellarius in Tabulis non Mutilam modo, ſed utrumque etiam de quo dictum eſt, Mutilum omittit : cum Mutinenſe Cluverius, & Sanſonius poſuerint, alter in Tabula Galliæ Circumpadanæ, alter in Tabula Italiæ Antiquæ, prætermiſſum ab iis qui Tabulam qua facies refertur Italiæ ſub inclinationem Romani Imperii, propoſuerunt. Sed hi eam ſunt, in qua erant, ſententiam ſecuti, Mutilum noſtrum, non Mutinenſe, Livii Mutilum fuiſſe. Itaque noſtrum duntaxat pinxerunt, ſed medium, quod ſatis probare nequeas, inter Montonum, & Anemonem, *apud quem* ut non ſit,

[1] n. 6. [2] Adnot. in Theſaur. Geogr. Ortel. [3] Theſaur. Geogr.
[4] Lexic. Geogr. [5] Coſmogr. P. 2. l. 4. c. 23. [6] c. 63.
[7] l. 41. [8] Notit. Orb. Ant. l. 2. c. 9. n. 155. [9] Ital. Ant. l. 1. c. 21.
(10) Ibid. Tab. Venet. Hiſtr. &c.

Digitized by Google

ſit, veluti Ferrarius (1) ſcribit, Anemoni certe eſt, quam Montono, propior; minus tamen improbandi, quam Cluverius, ſi ejus Tabula eſt quæ inter *Geographiæ Veteris Tabulas aliquot* Abrahami Ortelii, illius fert nomen. In hac enim ut Faventiæ nullus appingitur fluvius, ſic denique ſupra originem Ronchi, qui ibi perperam vocatur Beſedis, Mutilum ponitur.

9. Sed in illa alia quam modo memorabamus, Tabula non modo Mutilum, ſed & Solonæ oppidum medium locatur inter Anemonem, & Montonum, ut in Sanſoniana quoque, in hac tamen ſic, ut Montono magis aliquanto ſit propinquum, cum omnino ponendum eſſet ad hujus ripam, quemadmodum ab Anonymo Mediolanenſi pictum eſt, a Cluverio (2) autem, Cellarioque (3) deſcriptum. Vocant hi, non Solonium, ut ille, neque, ut Sanſonius, Soloniam; ſed cum pleriſque Solonam; quippe veterem, de qua mox dicetur, Inſcriptionem reſpicientes, in qua *Curatori* legebatur *Solonatium*, ut aliqui reſpiciunt etiam Plinii (4) locum, *Regienſes a Lepido, Solonates, ſaltuſque Galliani:* quibus in verbis ut ſint quæ aliter, & recte, ſicut alias (5) videbimus, ab aliis legantur; tamen niſi quod Baudrandus (6) legit *Solinates*, cæteri legunt *Solonates*, nemo, quod ſciam, *Soloniates*. Et ſane huc nihil attinet Solonium urbs Etruſcorum, ex qua validum miſſum eſſe Romulo auxilium, Dionyſius ſcribit Halicarnaſſæus (7), neque Solonius, qui, ut Cicero (8) explicat, erat *campus agri Lanuvini*, neque demum σολώνιον urbs Allobrogum Dioni (9), quanquam eadem in Epitome Livii (10) Solon appellatur; longius enim abſunt hæc omnia ab eo de quo ſcribimus, tractu. In quo tamen nec illi fuiſſe videntur, ut verum fateamur, Plinii Solonates, ſi quos inter populos ipſe memoret, attendamus. Inſcriptio autem ad populos multo propiores ei de qua hic agimus, regioni attinere non modo viſa eſt Cluverio, aliiſque, ſed & omnibus videbitur, quicunque & fuiſſe Arimini ſciant, & ſic habuiſſe.

C. GALERIO C. F. ANI. IVLIANO
EQ. R. QVAESTORI DVVMVIRO
CVRATORI SASSINATIVM
CVRATORI SOLONATIVM
FLAMINI PATR. COL. AVG
ARIMIN. ADVOC. PVBLIC
AMANTISSIMO DECVRION
AMANTISSIMO CIVIVM
SPLENDIDISSIMVS ORDO ARI
MINENSIVM MERITIS FIDEI
BONITATIS INNOCEN
TIAEQVE EIVS.

Deſcripſi autem qualem Antonimus (11) Vir diligens propoſuit, ut ab Ariminenſibus Illuſtribus uno, itemque altero, accuratiſſimo antiquitatum Obſervatore, acceperat; namque ut poſtea a Clementinio (12), & a Garuffio (13) exhibita eſt, mancam eſſe, animadverti, nedum, quod ultro apparet, ut a Cluverio (14). Qui tamen cum Saſſinates non omiſerit; Solonates haud ita procul a Saſſinatibus, & Ariminenſibus quæſivit, ut in hoc laudandus, ſic laude majori dignus, ſi vel propius utriſque eorum, Solonates quæſiviſſet. Verum fallaci quadam nominis ſimilitudine deceptus, non ſatis acceſſit. Ad ripam enim ſubſtitit noſtri fluminis Montoni, ſive, ut proprie loquamur, ſiniſtri de duobus amniculis qui confluunt in Montonum, ad eamque ripam infra Salſubium, non dubitavit, ſe inveniſſe Solonam. Salſubium dictum fuiſſe olim oppidum quod nunc appellant *Caſtrum Carum*, poſt Blondum (15) tradunt Berlingherius (16), Leander (17), aliique plures, idque a falſis aquis ibi, aut in vicinia exiſtentibus: ego Salſubii nomen, niſi quod Holſtenius (18) Ligorium indicat, ex lapide veteri id proferentem, legiſſe non memini apud antiquiorem Anaſtaſio Bibliothecario (19), ſi tamen

(1) Lexic. Geogr. (2) l. 2. cit. c. 28. [3] c. 9. cit. n. 89.
[4] Nat. Hiſt. l. 3. c. 15. [5] Epiſt. XII. n. 2. [6] Lexic. Geogr.
[7] Orig. l. 2. [8] De Divinat. l. 1. [9] Rom. Hiſt. l. 37. (10) l. 103.
(11) Delle Antich. di Sarſina Diſc. 1. P. 1. c. 3. in fin. (12) Raccolt. Iſtor. di Rimini l. 1.
(13) Lucern. Lapidar. c. 1. (14) c. 28. cit. [15] Ital. Illuſt. Reg. 6.
[16] Geogr. l. 3. c. 9. [17] Deſcrit. di tutta Italia Reg. 14.
[18] Annot. in Theſ. Geogr. Ortelii. [19] Vit. Pontif. in Steph. III.

Digitized by Google

tamen emendatione ſtandum eſt in ora Regii Codicis adnotata ; legere enim ſolent *Forum Pompilii*, *Forum Livii*, *cum caſtro Suſſubio ;* ut lectiones omittam alias, *Saſſuſio*, *Saſſubrio*, *Sufubio*, *Sulubrio*. Ut ut eſt, Caſtrum Carum, ſive, ut Claramontius (1) vocat, Caſtrocarium oppidum eſt quod cum Bonifacius IX. pretio XI. mill. florenorum ſub finem ſæculi XIV. vendidiſſet Florentinis, hi tamen tunc quidem habere non potuerunt, obſiſtentibus, cum Bononienſibus, Forolivienſibus noſtris, quorum agri erat, & a quorum mœnibus non diſtat ſex, ut recentes ſcribunt Geographi paſs. millibus, quando recte iidem diſtare ad quatuor Forolivio docent Civitatem Solis, quæ arx eſt infra Caſtrum Carum poſita intervallo paſſuum vix octingentorum. Arx hæc ſicuti Civitatis vocabulo, præter rem, meritumque impoſito (parvo enim ſemper fuit, & adhuc eſt ambitu, neque incolas inquilinoſque habuit, cum ſcribebat Cluverius, quadringentos, nunc autem vix plures habet ducentis, neque Epiſcopum habet proprium, ut quæ ſemper noſtro ſubjecta fuerit) ſicuti, inquam, Civitatis vocabulo Baudrandum (2), alioſque decepit, qui *urbem Italiæ* eſſe, ſcripſerunt, ita appellatione *Solis* appoſita in errorem traxit Cluverium, qui veterem Solonam eſſe, non dubitavit. Hic ſi verum conjeciſſet, ut præter alios Præſtantiſſimos Viros quos in Epiſtola ad Poggium (3) nominavi, ipſe quoque credidit Harduinus (4), nedum Anonymus Mediolanenſis (5), atque alii recentes Scriprores; omnino erat, ut diximus, in eorum Tabulis qui in eadem fuerunt ſententia, ad amnis quem memoravimus, ripam Solonæ oppidum appingendum. Sed quando in Epiſtola illa (6) perſpicue demonſtravimus, Civitatem Solis nec antiquam eſſe, & Solis vocabulo appellatam ab eo quod forte accidit dum conderetur anno 1565. & quod conſequitur, veterem Solonam eſſe non poſſe ; videndum eſt porro, num hujus ſedem conjicere liceat alio potius loco qui cum Inſcriptione illa magis conveniat.

10. Philippus Antoninius (7), quem ſupea laudavimus, Vir doctus, & regionum harum de quibus loquimur, peritiſſimus, ſuſpicatus eſt, Solonates fortaſſis ibi fuiſſe, ubi nunc Solianum eſt, nobile, cum ipſe ſcriberet, oppidum Malateſtarum, in finibus ſitum Diœceſis Ariminenſis. Videbis in iis Magini Tabulis (8) quibus aut Romandiola, aut Urbini Ditio propoſita eſt, in montibus pictum qui inter Sarſinam, & Ariminum interjiciuntur ; ut ſi rectam lineam ab illa ad hanc urbem ducas, inter utramque medium invenias. Nec dubitari quidem poteſt, quin cum Inſcriptione illa in qua Solonates ſimul cum Sarſinatibus, & Arimienſibus memorantur, id oppidum valde conveniat quod inter hos medium ſit. Et ſi idem poterat, ſicuti Antoninius ait, plurium ſimul Civitatum eſſe Curator ; quanto magis poterat vicinarum inter ſe ? Nec vero quod in Civitate Solis, id in Soliano objici poteſt, recens eſſe oppidum, & ab recenti caſu aliquo eam appellationem nactum. Non valde quidem antiqua eſt ejus inſtauratio. Cum enim eſſet *oppidum & ipſum per ſe inſigne, & prælatis turribus, & prætorio egregie munitum* A. 1312. *ſolo æquatum eſt ;* ut verbis utar Rubei (9), apud quem pro *Soliano* ſcriptum eſſe *Salianum* errore operarum eo diligentius cavendo, quod & Salianum, longe aliud oppidum, in Cæſenate agro ab ipſo alibi (10) memoratur. Hiſtorici alii oſtendunt, idem excidium narrantes, in quibus ſunt Claramontius (11) ; & productus ab ipſo Auctor Chronici Cæſenatis, & Cæſar Clementinius (12) ; hi enim omnes diſerte ; non de Saliano, ſed de Soliano id referunt ; quamvis ultimus anno proponat 1311. A quo tempore cum eſſet inſtauratum, anno iterum 1358. idem, aut maximum certe detrimentum retulit a Comitis Landi militibus, quod a Tritemio Abbate traditum eſſe, in Collectaneis legi de Cæſenæ Civitate, manu ſcriptis Antonii Ragoneſii ; ut mirum non ſit, cum A. 1312. capax eſſet domuum trecentarum, aut eo amplius, ut eſt apud Clementinium patrem

[1] Cæſen. Hiſt. l. 15. [2] Lexic. Geogr. [3] Epiſt. II. n. 10.
[4] ad Plin. l. 3. c. 15. not. 26. [5] Differt. de Italia med. ævi Sect. 16. n. 83.
[6] n. eod. 10. [7] Delle Antich. di Sarſ. D. ſc. 1. P. 1. c. 6. [8] Italia.
[9] Hiſt. Rav. l. 6. [10] Vid. in car. fin. Indic. Scripturar.
[11] Cæſen. Hiſt. l. 12. [12] Raccolt. Iſtor. di Rimin. l. 5.

Digitized by Google

patrem (1), postea in descriptione oppidorum Ariminensium, quam Clementinius filius (2) exhibet institutam ante A. 1384. domos non haberet plures una & septuaginta. Vel sic tamen ad A. 1495. ab Rubeo (3) hoc oppidum, imo ad A. 1498. etiam a Bembo (4) cum ejus agro memoratum est Solliani nomine. Verum ut ejus instauratio non sit pervetusta, nec antiquiora de ipso inveniam testimonia, quam apud Clementinium patrem (5) qui sub A. 1186. Documentum commemorat in quo Solianum nominatur, anno autem 1215. ex Chronicorum omnium consensu refert, Soliani Dominam Joanni Malatestæ nupsisse, ex eoque tempore Solianum fuisse Malatestarum; tamen ob id ipsum quod anteriora de hoc oppido ignoramus, nihil prohibet perantiquum ejus initium, nomenque suspicari: certe donec quispiam nobis felicior sit in anno quo conditum fuerit, & in causa alia nominis reperienda, ut veterem Solonam fuisse, pro certo non affirmabimus, sic neque cogemur Antoninii conjecturam prorsus abjicere, ubi hoc oppidum nunc est, ibi olim forsitan fuisse Solonates.

11. Nunc a Soliano, quo nos traduxerat Solonatium perquisitio, ad Civitatem Solis, sive ad sinistrum de duobus amniculis qui in Montonum confluunt, redeuntibus, perpauca de hoc addenda restant ad ea quæ suse alias (6) de iis amniculis, de eorumque antiquo confluxus loco, & de Montoni ipsius reliquo alveo scripta accepisti. Sunt igitur errores præterea aliquot in Geographorum Tabulis indicandi, ut in Cluverianis (7) duobus, quarum altera inscribitur *Umbriæ Antiquæ Descriptio*, altera *Galliæ Circumpadanæ*, Montoni origo non ex amniculis binis, sed simplex, cum duplex Anemonis in eadem secunda Tabula non omittatur: ut in Kavinæ (8), & Braschii (9) Tabulis amniculorum confluxus non modo supra urbem nostram, sed vel multo superius quam nunc sit; nedum quam antiquis sæculis, cum supra esset nullus; mirum in iis Scriptoribus qui Foro Livii adeo vicini fuerint; ut in Tabula Italiæ Medii Ævi ab Anonymo Mediolanensi proposita, Montoni alveus Faventiæ propior, quam nostro, quod perstringere ad occidentem solem deberet Foro, aliquanto graviori errato quam in Sansonii Tabula quæ inscribitur *Italia Antiqua*, ubi idem Forum pingitur medium inter Montonum, & Ronchum. Non unus vero notandus est error in illa Ortelii Tabula qua *Italia Gallica sive Gallia Cisalpina* describitur. Nam præterquam quod Forum ipsum Livii vicinius ponitur Ravennæ, quam Faventiæ, & hæc longe propior Foro Cornelii, quam Foro Livii, Forum hoc ultimum Montonus perstringit ab oriente sole. Bis quoque in fluminibus nostris Tabula peccat, qua Vir Cl. de l' Isle Italiæ faciem, ut suo erat tempore, delineandam susceperit. Neque enim Ronchum usquam ponit, quasi in rerum natura non esset, Montonum autem eo perducit, ut non ad illud ad quod debebat, sed ad oppositum demum fluat Ravennæ latus. De Montoni autem origine, & fine quæ Ferrarius (10) memorat, nisi æquos inveniant Lectores, longius a vero aberrare videri possunt. *Ex Apennini mont. radicibus emissus. In Thes. Ling. Lat. fluv. Sabinorum longissime hinc distantium scribitur.* Sed in Thesauro illo fluvii finis spectari potuit secundum ea Plinii (11) verba, *Ravenna Sabinorum oppidum cum amne Bedese*. Necdum enim Cluverius (12) opinionem proposuerat suam, legendum ibi esse *Thessalorum*, non *Sabinorum*: quenquam ut qui Ravennam condiderint, incertum est, sic contra non unius semper fuisse olim populi oppidum, sed modo hujus, modo illius, ut alius alium pervicerat, ejeceratque, negare poterit nemo. Quod vero dicatur Montonus ex *Apennini radicibus emissus*, cum revera ex altiori ejus parte utramque originem ducat, id ita fortasse tueri licet, ut de alveo in quem bini flavioli confluunt, dictum

[1] Ibid. [2] l. 6. [3] Hist. cit. l. 7. (4) Hist. Rer. Venet. l. 4.
(5) Racco't. cit. l. 4. [6] Epist. IV. n. 6. & seqq. [7] Ital. Antiq.
[8] Faventia Rediviva. [9] De vero Rubic. Tab. cap. 8.
[10] Lexic. Geogr. in Bedesis. [11] Nat. Hist. l. 3. c. 15.
[12] Ital. Antiq. l. 1. c. 28.

Digitized by Google

ctum putemus; neque enim ab eo confluxu permagno nunc intervallo distant Apennini radices; non de altissimo fluviorum initio. De quorum sinistro cum satis scripserimus, si quid autem de altero addendum supereſt, id ad antiquum Livii pertineat Forum; propterea in Epistolam proximam, qua de Foro ipso videndum est, differemus. Vale.

EPISTOLA ÆMILIANA IX.

FOrum Livii suo ipsum nomine, a quo sit conditum, ostendit, ab Livio nimirum aliquo, ut Forum Lepidi, Forum Sempronii, & ne longius ab nostro abeamus, Forum Cornelii, & Forum Popilii a Lepido, a Sempronio, a Cornelio, a Popilio quopiam condita sunt, a Viris, inquam, inter Romanos illustribus, dum Consulis, Proconsulis, aut alterius potestatis nomine cum imperio ibi degerent, ubi ea Fora condiderunt. Ex iis Viris nonnulli qui fuerint, & quod consequitur, quo sæculo ea esse Fora inceperint, satis constat; de reliquis non item; sed per conjecturam est inquirendum[1]. Itaque cum Galliæ nostræ qui Livii cum imperio præfuerint, præter Salinatores duos, Marcum videlicet, & Cajum; nusquam appareat, quorum alteri anno ante æram vulgarem 207. alteri 188. in Consulatu provinciam obtigisse Galliam, ex certissimis liquet Historiarum monumentis (1); ab alterutro hoc conditum fuisse Forum, & præsertim a Cajo, sub quo provincia quieta fuit, videtur esse conjiciendum.

2. Nec vero conjecturæ huic obstat Strabonis (2) silentium, cum Foro Cornelii, Faventia, Cæsena minime Forum quoque Livii commemorantis, etsi inchoata jam æra vulgari, quippe sub Tiberio, scriberet. Scilicet non id sibi proposuerat Strabo, quemadmodum ejus libros versantibus proclive est animadvertere, ut singula nominaret loca, non Orbis dico, sed Italiæ. Certe non ita dissitum a nobis Pisaurum ne ibi quidem, ubi Ariminum, Senam, & Fanum Fortunæ, memorat. Pisaurum tamen, ut luculentus auctor Livius (3) memoriæ prodidit, anno ante æram vulgarem 184. colonia deducta jam fuerat. Sic multo minus illius qui paucis post Strabonem lustris Italiam descripsit, Pomponii Melæ (4) silentium obstat, ut qui tametsi loca enumeret quamplurima, tamen in littoribus ferme subsistens, adeo in mediterraneis pressus est, ut de Æmilia nostra quidquid inter parvum Rhenum, & Ariminum fluvios intercedit, præter Bononiam; nam Ravenna ipsi in maritimis est; prorsus omittat. Quod si non modo quo tempore hic floruit, nimirum Claudio imperante, sed vel diu antea Forum Livii non extitisset; qui fieri mox potuisset, ut sub Claudii Successore Nerone scribens (5) M. Valeribus Probus (6) haberet has notas FR. L. & I. FO. L. earumque alteram interpretaretur *Forum Livium*, alteram vero *In Foro Livii?* Apparet igitur, Strabonem, si Italus fuisset, non secus ac Plinius (7), fuisse scripturam *Cæsena*, *Claterna*, *Forum Clodii*, *Livii*, *Popilii*, *Truentinorum*, *Cornelii*, *Licinii*, *Faventini &c.* nec vel in tanta sua brevitate de octo quatuor; si tamen quatuor, ut Forum Livii, tunc erant; præteriturum.

3. Hactenus, ut vides, a Forolivienſibus Scriptoribus non recessi. Quibuscum in iis quoque libenter facerem quæ de Livia quasi altero nostræ urbis, aut partis ipsius nomine tradiderunt. Sed antiquissimis temporibus id nomen fuisse in usu, nec ipsi probant, neque ego apud idoneos Aucto-

[1] Liv. Hist. l. 27. & l. 38. [2] De Situ Orbis l. 5. [3] Hist. l. 39.
[4] De Situ Orbis l. 2. c. 2. (5) Vid. Euseb. in Chronic. (6) De Not. Roman.
(7) Nat. Hist. l. 3 c. 15.

Digitized by Google

Auctores invenio. Ab iis tamen non dissentio, qui a Poetis, etiam olim, esse illam appellationem usurpatam interdum, ajunt, saltem adjectivi instar, velut in antiquo eo lapide quem ab Aldo in *Orthographiæ Ratione* (1) laudatum, Galeatæ adhuc in majori Templo extantem, me petente, non semel inspexit, & diligenter descripsit Verlicchius meus. Sub tympano, ut vocant, ad cujus latera singula singuli sunt sculpti delphini, & in quo solemnes illæ siglæ extant D. M. grandibus, & pulchris litteris leguntur nomen, & cognomen Rubriæ Tertullæ, anni, menses, dies quos Juvenis illa vixit, tum prænomen, nomen, cognomen mariti, qui lapidem posuit, quanquam prænomen dubium reddiderunt injuriæ temporis. Sequuntur denique, sed minoribus litteris, hendecasyllabi sex versus, quorum penultimi initium non apparet quomodo legerint *Et tantum*, cum *Inanium*, perperam quidem, sed unde verior a te excogitetur scriptura, insculptum esse vel repetita inspectione videatur. Habet autem idem versus, non, ut minus bene ediderunt, *linquit*, sed *liquit*. Cæterum quod ad propositum nostrum attinet, versus primus sine ulla dubitatione sic legitur

Livia me tellus aluit, geminamque sororem.

Hic me fortasse interpellabis, quærendo, cur non illam potius Inscriptionem memoraverim, in agro Forolivienſi circa A. 1678. effossam, quæ in stylobate, cujus in altero latere patera, in altero quædam quasi tabella apparebat, sculpta erat in hunc prorsus modum

D. M. LIVIA. PO
LA. SEX. F. D
O. LIV. PAR
CABVS. M
E

quæ sic interpretatus dicitur Vir harum rerum peritissimus, *Diis Manibus Livia Pola Sexti Filia Domo Livia Parcabus Monumentum Erexit*. Ego vero cur non memoraverim dicam, cum tu mihi dixeris primum, an valde probes illud *Parcabus*, quod in nulla memini Inscriptione vidisse, qui in multis certe viderim *Parcis*, deinde hoc potius, quomodo, si interpretationem istam sequaris, siglas duas primas cum postremis duabus, utrasque autem cum *Parcabus* ipsis concilies, demum, idque multo magis, an ipse inspexeris, & hoc saltem, nihil inter describendum in littera aliqua peccatum esse, confirmaveris.

4. Sed ut sint dubitationes hæ, atque aliæ inanes meæ; certe nullum præter hæc duo servatum antiquum marmor esse, scio, quod ad nostræ urbis appellationem attinere visum sit. Minus autem id mirum esset, si ex locis Cassiodori a Kavina (2) indicatis, liqueret, ut ipse existimabat, quadratos inutiliter Faventiæ jacentes lapides, Theoderici jussu, ad Ravennæ ædificia construenda fuisse transvectos; cur enim non item qui apud nos jacerent? Verum si eos Cassiodori locos (3), quod nos fecimus, inspicias; ne unum quidem reperies, qui ex vicinis Ravennæ urbibus transvectos significet, sed contra, non unum qui diserte ex longe dissitis, & per mare deportandos, imo & aliquem, non ad Ravennatia, sed ad Tridentinæ regionis ædificia spectantem. Temporum igitur, & minus eruditorum sæculorum vicissitudines culpandas credo, si alia marmora ruinis, & humo obruta, alia in fundamentis defossa, aut intra parietes abscondita, alia in alios usus conversa nos lateant, casu aliquo seris nepotibus revelanda, sicuti plura, apud proavos occulta, avis nostris, & parentibus se se obtulerunt, quæ omnia tandem nostrates Historici, & præsertim Sigism. Marchesius (4) vulgarunt, nonnulla in urbe, cætera in agro adinventa. Ex quibus Numina quæ hic ethnicorum tempore colebantur, & gentium aliquot nomina sive indigenarum, sive inter Romanas nobilium, quæ traductæ huc fuerant, cognoscuntur, quamvis ad earum libertos, aut servos, ut pleraque etiam alibi solent, nonnulla attinent, ut siglæ, aut verba ipsa ostendunt, velut in eo quod hominum, & temporum injuriis male

(1) ad vocem Genitrix. (2) Faventia Reliviva.
(3) Variar. l. 2. Epist. 7. l. 3. Epist. 9 & 10. & l. 5. Epist. 8.
(4) Supplem. Istor. l. 1. e l'Aggiunta in fine.

Digitized by Google

male habitum, vix amplius legi poteſt, integrius fortaſſe cum olim ab Smetio (1) inſpectum eſt; nam ſive, ut ab ipſo, ſive ut ab noſtratibus proponitur, ſpectes; *Felicitati* a *Contubernal.* poſitum fuiſſe, non dubites, conſervæ igitur. Duo vero inter cætera præſtant, cum habeant illorum nomina qui Conſules erant eo tempore, unde annum, ut in altero etiam diem, ſcire liceat quo poſita ſunt. Hoc *Materno & Bradua*, Primum vero *M. Cornelio Gaetego C. Erucio Clato Coſ.* Quorum marmorum utrumque, & præſertim hoc Primum quanti faceret præclarus veterum inſcriptionum Judex Sertorius Urſatus, ex Poſthumo ejuſdem Opere (2) ſatis perſpicitur. Quin ad Vulgares Faſtos emendandos ad A. Chriſti 170. poſt Urſatum uſus eſt Doctiſſimus Cardinalis Noriſius (3) diſerte citata hac *Inſcriptione Forolivienſi*, cujus ope ad alias etiam circa eorum Collegium Conſulum dubitationes tollendas proceſſit, ex ea reſcribens *M. Cornelius Cethegus. C. Erucius Clarus*. Sed a Pagio quoque eandem hanc Inſcriptionem fuiſſe laudatam, adnotavit Eruditus Caſinenſis Abbas, Collega, dum viveret, meus Jo. Antonius Urſatus ad Opus, quod modo indicabamus, Avi ſui. De aliis autem marmoribus vetuſtis Forolivienſibus mox loquendi occaſionem habebimus.

5. Etſi ex antiquis Civitatis noſtræ Chronicis appareat, Majores non dubitaſſe, quin magna ad Livii Forum acceſſio facta ab iis eſſet, qui olim incoluiſſent locum paſſibus ſupra hoc mille quingentis ad meridiem videlicet, ſimulque ad occidentem ſolem, ut ibi retecta ſæpe fundamenta priſca murorum; ſepulchra, & templorum ruinæ indicare videbantur (quanquam, ne de ſepulchris hic quidquam dicam, templa quorundam Numinum Ethnici in agro potius, quam intra urbes, ædificabant) ab omine tamen, quod meminerim, negatum legi, Forum ipſum Livii inter amniculos duos fuiſſe conditum, quos Epiſtola II. (4) & IV. (5) italis vocabulis *Acqua cheta*, & *Acqua viva*, ſingulorum veterem deſcribens curſum, memoravi. Inter illum igitur, ſive ſiniſtrum ad occidentem ſolem, & inter hunc, ſive dexterum ad orientem Romani illi ſapientes Viri Forum conſtruxerunt, ſalubritatem aeris, & munditiem a præterfluente utrinque aqua, & hujus optimæ copiam, & naturalis cujuſdam adverſus hoſtium irruptiones munimenti opportunitatem ſecuti. Ibi autem conſtruxiſſe, marmora indicant vetuſta, quibus in nulla urbis noſtræ parte majora, eademque magis ornata, ſunt effoſſa, quam in ea quæ inter amniculos illos duos erat interjecta. Effoſſa ea ſunt patrum noſtrorum ætate, & multa quoque ſimul erant quæ effodi potuiſſent, niſi ædium fundamenta, illis impoſita, prohibuiſſent. Candida ſunt, & affabre elaborata duo quæ ex iis marmoribus in publico, extant, alterum epiſtylium, alterum arcus portio, utrumque ea magnitudine, arcus autem portio in tanta magnitudine ea curvaturæ parvitate, ut immanis arcus, & ampliſſimi ædificii partes cuncti qui inſpicant, fuiſſe agnoſcant. Haud ita procul reperta eſt a foſſoribus Inſcriptio, in qua verbum AEDIF. legitur, ſed dimidiata, ſic tamen dimidiata, ut Aurelio Antonino, & Lucio Vero Imperatoribus, id eſt anno æræ vulgaris ſecundum diligentes Chronologos, ut tardiſſime, 169. eorumque juſſu a Præfecto, aut Milite aliquo *Legionis XXII. Primigeniæ* Ædificium fuiſſe exſtructum, ut ab noſtratibus (6) explicatum eſt, non difficulter intelligatur. Num vero ad eandem quæ hic diutius conſederit, an ad aliam Legionem ſpectent marmora duo ſepulchralia, quæ ut noviſſime tunc reperta, in Supplementi ſui calce Marcheſius propoſuit, alterum ad juniorem militem, natione Dalmatam, alterum, magnitudine, & ornamentis inſigne, ad Primipilum Legionis pertinens, cum Legionis in neutro numerus, aut nomen appareat, divinare nemo poteſt. Sed horum alterum in agro, alterum extra antiqui, de quo loquimur, Fori terminos inventum ſuit, nimirum ubi Monaſterium eſt Sanctæ Claræ.

6. Quamvis enim legamus, priuſquam urbis noſtræ proferretur pomerium, foſſam olim, & mœnia fuiſſe ubi Templum nunc eſt

(1) apud Gruter. p. 975. 4. & (2) Marmi Erud. Lett. 6. (3) Epiſt. Conſular.
(4) n. 8. (5) n. 6. & ſeqq. (6) Vid. Supplem. cit. l. 2.

Digitized by Google

est Sancti Blasii, ab opposita autem plaga ubi Sacram modo videmus Ædem Sancti Antonii in Ravaldino, quæ antea fuerat Sanctæ Mariæ Majoris; tamen fortasse ne illuc quidem priscis temporibus Fori perveniebat latitudo, a septemtrionibus videlicet ad meridiem. Ab occidente autem ad orientem solem terminos duo illi quos supra (1) nominavi, definiebant amniculi. Cum enim dexter per latus sinistrum flueret ejus campi, qui nunc urbis Forum est, & adverso in latere Templum habet in quo corpus S. Episcopi Mercurialis, facile II. conditum est; in antiquo Sermone cujus verba Epistola II. (2) retulimus, sacrum illud corpus *sepultum esse* dicitur *non longe a Livienſi Urbe ultra Amnem*; igitur extra urbem. Similter autem amniculus ab opposita plaga urbem terminabat. Etenim cum sicuti ostensum est Epistola IV. (3) pone sacram Ædem flueret, Triadi Sanctissimæ dicatam, quæ Ædes Cathedralis tunc erat, & in qua propterea corpus S. Mercurialis I. Forolivienſium Episcopi primum fuerat sepulturæ mandatum; cum igitur pone illam Ædem flueret, ipsa Ædes in vetustis, quæ ibidem laudavimus, Chronicis fuisse dicitur *extra, ac juxta civitatem prope flumen*.

7. Dum vero de antiquis urbis nostræ terminis tum in latitudinem, tum in longitudinem hæc scribo, me abs te non puto reprehensum iri, quasi inter nimis angustos fines ipsam coarctarem. Neque enim ignoras quod Dionysius tradidit Halicarnassæus (4), *urbes parvas morem fuisse condendi Priscis*; credo, quia multo essent publici dominii, quam propriæ quisque domus, & quod consequitur urbis amplificandæ cupidiores, ut quam tanto facilius adversus hostem tueri possent, quanto arctiore haberent gyro comprehensam. Nostri autem cives ut ditionem extenderint suam sive per se, cum Rei Publicæ formam servarent, sive per eos ex suis fere civibus qui ipsis præfuerunt, & quinque olim, aut sex urbibus, oppidis autem amplius quadraginta imperitaverint, cum Tabula ostendat, Bonoli Historiis id confirmantibus, præfixa; hic commemorare non est opus. Sed potius quibus denique additamentis parvam olim urbem amplificaverint, videndum est.

8. Igitur cum ejus longitudo duobus, ut dixi, amniculis definiretur, id est non major esset, quam illa pars Æmiliæ viæ, quæ inter pontes duos interjicitur, quorum alter a Moratinis, alter a Pane accepit nomen, singuli singulis impositi amniculis, tam celebrem viam intersecantibus; adjectum utrinque magnum est additamentum. Scilicet hinc præter illum, quem paulo ante (5) diximus, campum, nunc Forum non modo urbis nostræ, sed totius propemodum Italiæ amplissimum, quidquid ad Portam usque extenditur quæ orientem spectat; inde vero quidquid ad Portam usque pertinet occasum respicientem, veteri urbi paulatim additum est. Unde causa apparet, quare ædificia quæ a singulis iis pontibus ad singulas illas Portas Æmiliam continent viam, Suburbia dicta fuerint, & adhuc dicantur. Ad horumque similitudinem, quæ duas alias ipsas quoque bene amplas longasque vias comprehendunt, a Foro ad totidem Portas ducentes, quæ videlicet ad meridiem est, & quæ ad septemtriones conversa, Suburbia a Forolivienſibus vocantur; quando alia via, Equitum olim dicta, quamvis a Foro ipsa pariter incipiat, &, siqua alia, ampla sit, nec minus longa, quam Æmiliæ pars illa, ipsi ferme parallela, quam dixi inter duos pontes contineri, nunquam Suburbium appellata est, aut appellatur, nimirum quia non addita fuit veteri urbi, sed ab eadem fuerat comprehensa.

9. Nunc priusquam causas peculiarium nominum Suburbiorum quatuor perquiram; de altero quem paulo ante memorabam, amniculorum ponte nonnulla ex me quæri posse, scio. Nam qui alias (6) de altero illo satis scripserim, & ab Romanis, cum Æmiliam munirent viam, impositum esse, confirmaverim; cur non ab iisdem eodem tempore, eandemque ob causam hunc quoque alterum impositum fuisse putem? Ego vero id quidem puto, nec tamen pro certo affirmo, ut qui neque ullis in manu exaratis Chronicis, nedum per typos editis libris

(1) n. 5. (2) n. 8. (3) n. 11. (4) Origin. sive Antiqu. Roman. l. 1.
(5) n. 6. (6) Epist. II. n. 8. & Epist. IV. n. 11.

Digitized by Google

libris ejus rei mentionem, aut indicium offenderim, neque cum paulo ante ætatem meam ad Pontem hunc ipsum Panis illud exstructum sit Publici Palatii latus quod meridiem spectat, ab iis qui tunc vivebant, & mecum diu vixerunt postea, audivi unquam, in jaciendis altis ejus ædificii fundamentis lapides repertos esse, quales, ut in altero illo Ponte videmus, procul dubio debuissent, si pons, aut fundamenta pontis, ab Romanis constructi, ibi olim subfuissent. Quin legere potes apud Bonolum (1), Pontem Panis ab Scarpetta illo I. Ordelasso ædificatum; & alveo amniculi tunc videlicet cum in Canalem conversus fuerat (vel potius antea) impositum, corruisse, itaque A. 1214. a Forolivienſi Prætore esse restitutum, ut lapis ostendit Palatii proximo parieti affixus. Qui tametsi id factum doceat *ad honorem & publicam* Civitatis *utilitatem*, non tamen marmoreum pontem fuisse, perhibet, nec vero credibile est, sed verisimilius lateritium tum quando ab Ordelasso fuit ædificatum, tum quando postquam corruerat, a Prætore est restitutus; ut omnibus, & conditione in primis eorum temporum pensitatis, ligneum ante Ordelassum fuisse, credam. Porro in eo lapide sculpta Inscriptio cum uti a Bonolo (2) descripta est, Prætorem illum sic proponeret, ut qua ex domo esset, intelligeret nemo; denique cum huc secessissem ætate anni 1742. & alia quærerem, forte accidit, ut in hunc lapidem conjicerem oculos, & cum propter antiquam litterarum formam, verborumque compendia fieri non posse perspicerem, ut syglas notasque in lapide altius posito satis dignoscerem; ectypum mihi exemplum molli gypso appresso, & mox siccato parandum curarem. Quid quæris? Vix inspexeram, cum præclare cognovi, Prætorem illum *Guarinum*, ut legerant, *de Scovicale*, fuisse legendum *de Sancto Vitale*, id est de nobilissima Gente quæ etiamnum Parmæ ornamentis omnibus conspicua floret, cognomento italico *Sanvitali*. Quod autem mihi, idem cunctis visum est Litteratis tum qui simul aderant, Amicis, tum qui postea apud me inspexerunt; ut propterea mirabundi in libello quodam, hic perpaucis post annis edito, traditum viderint, ad illud usque tempus quo is libellus prodiit, perperam nostrates in eo lapide legisse *de Scovicale*, cum legere *de Sancto Vitale* (id nimirum quod se mecum antea legisse, & pervulgasse, sciebant) debuissent. Verum ne propter istiusmodi nugas a proposito digrediamur; tu, cum redieris, exemplum, quod dixi, meis in ædibus asservatum, fac inspicias, & siquid præterea quod me fugerit, qua es peritia, & diligentia, animadverteris, me doceas. Tunc etiam videas, velim, an recte censeam, Pontem de quo loquimur, lateritium tunc fuisse, ut lateritium illum quoque alterum fuisse, non est cur dubitem, quem olim eidem amniculi alveo ibi imposuerunt; ubi a Foro initium capit Equitum via, Equitum propterea Pontem in Chronicis appellatum, in Documento autem, ad annum 1294. spectante, quod in Tabulario extat Monasterii S. Mercuriali, *Arcum* etiam *Fluminis* dictum; Bonamicus enim quidam nominatur *contratæ S. Thomæ Apostoli prope Arcum Fluminis*, cujus Apostoli Templum, nunc S. Caroli scis vocari, & quam proximum esse illius initio viæ. Arcum igitur, seu Pontem hunc lateritium fuisse, commonstrare videtur fornicata illa quasi substructio, ex lateribus constans, cui paries impositus est dexter ad initium ipsum ejusdem viæ. Veri enim simile est, huic quoque Ponti, aut magnæ saltem ejus parti idem quod alteri, longo temporis decursu accidisse, ut corrueret, nec tamen iis qui restituerunt, visum esse in pristinam altitudinem restituendum, tum quia operæ pretium non esset, tum ne hic, ut in Panis Ponte restituendo contigerat, via acclivis fieret, & se in minime necessarium culmen attolleret.

10. De Suburbiorum autem, Portarumque ad quas singula eorum pertinent, appellationibus sic existimo, duarum causas paulo facilius credi posse, quam reliquarum. Nam qui Ravaldini Portam, & quod consequitur Suburbium sic dicta velint quod ad Ravaldinum castellum ducerent, haud dissimilem apud alias quoque Civitates in suis quibusdam Portis appellandis consuetudinem spectare videbuntur. Et

(1) Istor. di Forlì l. 3. (2) Ibid.

Digitized by Google

Et Suburbium S. Petri ſiquis forte id nominis traxiſſe, mecum ſuſpicaretur, ab adſito S. Petri Templo quod vocant in Scoto; noli propterea quod nunc Ædiculam eſſe, videas, minus credere ejuſmodi ſuſpicioni. Ex antiquis enim Documentis (1) conſtat, anno 1170. cum aliis Templis *Parochialibus* fuiſſe recenſitum, quin ejus, ut videtur, Rectorem nomen ſuum ad hunc modum olim adſcripſiſſe, *Presbyter Tedericus baſilicæ S. Petri in Scoti interfui, & ſubſcripſi*. Non me fugit, Viros in perantiquis Chartis verſandis exercitatiſſimos animadvertiſſe, in iis *ſplendidum baſilicæ nomen nonnunquam tenuibus quoque fanis tribui*. Quod etſi quis contenderet in iſto quoque accidiſſe; non ille tamen certa inficiari ratione poſſet, *Parochiali* dignitate quam ad annum uſque retinuit 1464. (2), vel iis temporibus fuiſſe præditum circa quæ contigerit, ut Suburbium illud urbi adderetur, & ab ipſo quo nullum propius tunc habebat, Templo nomen acciperet. Sed quas cauſas proferunt, cur Sclavoniæ, & Gottognorum Suburbia ad hunc modum ſint appellata, quanam ratione tueamur, ſi quis forte ajat, videri ſibi non eas eſſe quæ pari facilitate admittantur propterea quod primæ ad retruſa adeo pertineant tempora, ut nullius æqualis Scriptoris teſtimonio, nullo idoneo veterum Documentorum indicio poſſint comprobari; alteræ autem cum aliæ ab aliis adducantur, vel ob hanc ipſam varietatem dubiæ fiant? Et ſane; ut primas libentiſſimi ſeponamus, nihil ex ea in qua ſunt, opinione detrahentes, & ſecundas tantummodo perpendamus; ſi noſtrates eam appellationem inde eſſe ortam volunt quod Gothorum pars locum illum incoluerint, tunc videlicet cum Ravennæ degebant eorum Reges, & fuiſſe ab eo uſque tempore, id eſt a ſæculo V. aut VI. ad noſtra ſervatam, & propterea *Gottognorum* Suburbium ſcribunt; non poſſunt iidem cum de Cotignolæ ædificatione agitur, id oppidum, ut alias (3) retulimus, dicere, ſic fuiſſe nominatum, quia Forolivienſes illuc miſſi anno 1276. ex ſuburbio hoc eſſent, quod ubi ea de re loquuntur, ſcribunt *Cotognorum*. Sed & hæc extra controverſiam non eſſe, tunc pro veri ſtudio faſſi ſumus, ut illam a Gothis denominationem *Gottognorum* per tot ſæcula conſervatam eſſe, ex vetuſtioribus tabulis non apparere, aut nobis certe, in iis quærentibus, nuſquam occurriſſe, ingenue fatemur. Illud occurrit potius quod mihi occaſionem præbuit longe aliam ſuſpicandi originem nominis Cotognorum. Quam ſuſpicionem, qualis ea cunque eſt, ut pridem cum Academicis noſtris, ſic tecum modo communicabo, ſperans, non minus facilem, ſimplicemque, &, quod conſequitur, veriſimilem tibi fortaſſe videri poſſe, quam paulo ante communicatam, ut cum illis pariter, de cauſa nominis Suburbii S. Petri. Scilicet Documenta extant plura, in quibus mentio fit de *fundo, qui vocatur Cotonieto*, de *fundo dicto Cotogneto*, vel *Cotogneti*, & de *Codigneto*. Tria leges in Marcheſii Supplemento (4) quorum primum ad annum attinet 962. alterum ad 1160. tertium ad 1189. Et erat quidem is fundus extra urbem; ſed extra eam campus etiam erat qui nunc eſt Forum, nedum qui non ita procul ab eo campo ſiti erant fundi ad eam plagam de qua nunc loquimur, nempe ad orientem ſolem. Quos inter fundos cum eum quoque fuiſſe, conſtet, qui dicebatur *Plegadicius*, intra urbem poſtea concluſus, ut Templum olim, & Xenodochium ſignificabant dicta S. Mariæ *in fundo Plegadicio* (5), & vel magis quod ipſe in antiquis Chartis legiſſe memini, *S. Maria de Pace fundi Plegadizi*, huic autem fundo contiguum fuiſſe fundum *Cotonietum*, ex primo illorum quæ indicavi, Documentorum appareat; proclive eſt ſuſpicari, ab hoc fundo intra urbem ſimul comprehenſo, & fortaſſe magnam novi Suburbii partem faciente, Suburbii nomen eſſe ortum *Cotognorum*, ut italice cydonias malos, quarum plurimis ille fundus eſſet conſitus, appellamus, & quemadmodum *cotonea* mala, Plinio teſtante (6) Latini vocabant, ita nos quoque *cotogni* vocamus earum poma.

11. Ve-

(1) Marcheſi Supplem. l. 3. & l. 2. in fin. (2) Ibid. l. 8. (3) Epiſt. VIII. n 4.
(4) l. 3. (5) Vid. Supplem. cit. l. 4. ad A. 1294. & l. 11. ad A. 1541.
(6) Nat. Hiſt. l. 15. c. 11.

Digitized by Google

11. Verum ut Suburbia hæc quatuor neque omnia, cum veteri sunt urbi addita, eodem tempore ad eam quam nunc videmus, longitudinem producta sunt, nec quæ inter Suburbium & Suburbium comprehensæ sunt areæ simul, sed deinceps, domuum, Templorumque ædificationibus excoli potuerunt; sic alius alio tempore ambitus esse debuit totius urbis. Attamen cum angustiore fuit ambitu, pluribus instructa erat Portis, quam cum, ut modo est, ampliore. Etsi enim Merloniam quam vocabant Portam non adnumeres, quippe quam, cum Ravaldini Suburbium in longitudinem auctum est, in Ravaldiniam Portam mutarunt; Valeriana tamen, & quæ Sancti Blasii primum, deinde cum ampla quæ ad eam pertinebat, via producta, & ipsa ulterius translata est, Sanctæ Claræ dicta (ut de alia sileam, quæ *della Rotta* appellabatur) occlusæ postea sunt, ut ne vestigium quidem supersit. Qui vero muri, aut quod vallum, & fossa urbem ad septemtriones, & ad meridiem tunc munirent, cum amniculi ad orientem, & occidentem solem muniebant, incertum est. Vix memini in Documentis ad annum spectantibus 1189. hæc legisse, *ab uno muro Civitatis usque ad alium, sicut Civitas antiquitus fuit constructa*, in aliis autem mentionem *Fossati Veteris*. Postea vero quam abductis alio amniculis urbs amplificata est, & muris cinctam, & perducta extra hos fossa instructam fuisse, constat. Neque enim nisi hæc omnia jam fuissent; certe muri dirui, vallum demi, fossæ expleri ante finem sæculi XIII. jubente Pontifice, qui Italus haud erat, non potuissent: quam calamitatem Cæsena quoque (1) tum ferre coacta est. Et Forolivienses quidem ineunte sæculo XIV. restituere muros cœperunt. Sed aut alio ex alio impedimento suborto, non perfecerunt, aut, quod credibilius est, eorum partem sic diruerunt longi temporis injuriæ, ut anno 1472. cum ex dimidio circiter deessent, a Pino Ordelaffo, additis insuper propugnaculis refecti sint: quanquam ne tunc quidem ab omni parte perfecti esse credendi sunt, si post duos & viginti annos refici ad æqualem, ne dicam ad majorem, tractum, & pinnis instrui debuerunt; utrumque enim lego in libris Chronicis. Pinus autem Arcem Ravaldiniam, a Petro Cardinali Bituricense ante centum annos jam inchoatam, sicut Bonolus quidem (2) scripserat (nam quomodo idem confirmare Marchesius (3) potuerit, minime video, qui tradiderat (4), ab Ægidio Cardinali Sabinense duodecim ante annis non inchoatam, sed & impensis non modicis fuisse perfectam) eam, inquam, Arcem Pinus sic amplifiavit, & longe magis quam erat, munitam reddidit, ut inter primas Pontificiæ ditionis iis temporibus censeretur. Antea vero quam illa inchoaretur, Arx jam erat altera ad Portam S. Petri, cum Ægidio Cardinali, Pontificis Legato, se Forolivienses dediderunt A. 1359. Tertiam autem postea ad Sclavoniæ Portam ædificavit Balthasar Cardinalis Cossa A. 1407. His duabus Arcibus partim hominum, partim etiam temporis injuriæ; Ravaldiniæ vero non nisi temporis obfuere intra hos annos ducentos quinquaginta. Quam ob rem, & ob ejus amplitudinem factum est, ut ab illis vel Arcis nomine amisso, hanc unam Arcis vocabulo adhuc appellemus.

12. Priusquam urbs amplificaretur, & magna murorum corona, atque Arcibus muniretur, forum quidem habuit amplum, quod nunc campum vocitant Cathedralis Basilicæ: quo in campo fuisse Prætoris Palatium vel anno 1276. ex summo Chronicorum librorum consensu liquet. Sed multo amplius, quo nunc utimur, Forum extra urbem, ut supra (5) indicatum est, in modum patebat agrestis campi, qui dicebatur Vinea Abbatis propterea quod ad Monasterium attinebat S. Mercurialis, cujus Præsul sive Monachis præesset, ut ante finem IX. sæculi ex vetustissimo Documento præfuisse constat, iisque Cluniacensibus, sive, ut diu postea priusquam ibi conviverent Vallis Umbrosæ Monachi, non præesset, Abbas semper est appellatus. Itaque Sacra ejus Monasterii Basilica, huicque addita circa annum 1180. ea Turris quæ non ob summam dumtaxat altitudinem

(1) Marchesi. Supplem. cit. l. 4.
(2) Istor. di Forlì l. 7.
(3) Supplem. cit. l. 6. ad A. 1372.
(4) l. 5. ad A. 1360.
(5) n. 6.

Digitized by Google

nem, verum etiam ob externæ, internæque ſtructuræ elegantiam vel his temporibus ſpectabilis eſt, ut campum antea, ſic poſtea Forum exornarunt. Cui ab oppoſito latere ornamento fuit Palatium Publicum, ab Ordelaffis præſertim exædificatum ſæculo XV. non ſine altis porticibus, quarum columnæ ut lateritiæ ſint, artificio tamen commendantur. Palatii turrim quis primus extruxerit, legiſſe, in præſentia non memini. Sed ante ea tempora extiterit, neceſſe eſt, ſi anno 1385. ut in Paduanii Chronicis vidi, & confirmat Bonolus (1), horologium in ea collocatum fuit. Turribus præterea, nonnullis etiam præaltis, domus quoque potentium civium paſſim inſtructæ, ſiqua in alia, in noſtra urbe olim conſpiciebantur, nedum Sacræ Ædes. Harum vero Turres ſuo quæque elaborato in coni modum pinnaculo ornabantur, ut in paulo vetuſtioribus adhuc videmus. Nam quod in quibuſdam nunc deſit, caſu aliquo factum eſt, qualem de ſua ad A. 1433. in Chronicis indicavit Magiſter Hieronymus de Burſellis ex Prædicatorum Familia.

13. Præter maximum de quo dictum eſt, Forum, areas urbs noſtra habuit, habetque complures. Nam præter eam quam ad Cathedrale Templum commemoravi, alias adhuc, & præſertim quatuor ante Cœnobia totidem, a ſæculo uſque XIII. patentes, videmus. Cœnobia ea ſunt Eremitarum S. Auguſtini, Servorum S. Mariæ Virginis, & Familiarum tum S. Franciſci, tum S. Dominici: quanquam Eremitæ illi exeunte eo ſæculo, & quos poſt illos nominavi, haud multis, quod ſciam, ante luſtris urbem incoluerunt, cum ex Familiis quas poſtremo dixi, altera eodem ſæculo non ita multum progreſſo, altera autem, id eſt S. Franciſci, medium facile prætergreſſo in urbe fuerint. Sic autem loquor propterea quia etſi Breves quas vocant Litteras, eaſque autographas, legerim Innocentii IV. datas Lugduni XII. Kal. Maii Pontificatus anno VII. quibus Litteris facultatem ei Familiæ confirmat jam antea ab Apoſtolico Legato conceſſam, *habitationem*, quæ *extra* Civitatem *Forolivienſem* erat, *transferendi intra Civitatem eandem*; tamen cum authenticum Documentum attendo, a Marcheſio (2) memoratum, ex quo apparet, anno 1266. necdum fuiſſe id Cœnobium exædificatum; non difficile intelligo, jure a Bonolo (3) diſſentire Marcheſium, cum longe aliud ſit poſſe, aliud efficere. Cæterum quod in areis quæ ante Cœnobia ſunt Familiarum iſtarum, deeſt, in reliquis minime deſideratur, ut Palatiis denique, ſicut aliæ plures urbis partes, & magnificis Ædibus ſint exornatæ.

14. Sed inter majores areas quæ intra amplificata mœnia relictæ fuerant, non omittenda eſt quæ Epiſcopi Vinea olim dicebatur, ubi Epiſcopales Ædes, quas alibi alio tempore fuiſſe, legimus, denique, ut adhuc videmus, exſtructæ ſunt. Verum præ his quæ in Canonicorum Tabulario, in aliiſque poteris invenire, dignum illud quod inquiras exiſtimabis; neque enim ego niſi in Excerptis quibuſdam ex eo Tabulario vidi; ſcilicet in Documento ad annum ſpectante 1193. mentionem fieri trium Forolivii Epiſcoporum, quorum nomina in horum Catalogo ante Alexandrum I. qui poſt eos extitit, nuſquam reperiuntur; ſunt autem Rainerius, Tedericus, & Oddo. Cujus Oddonis, & quidem ut Foſolivienſis Epiſcopi, A. 1021. nomen in Excerptis aliis video ex Tabulario Archiepiſcopalis Eccleſiæ Ravennatis (4). Quin etiam in iiſdem (5) Rodulphum legi Forolivi Epiſcopum qui Ravennati interfuit Synodo ſub Arnaldo Archiepiſcopo A. 1016. Nunc ſi in Epiſcoporum noſtrorum Catalogo, quem Marcheſius exhibet in calce Supplementi ſui, mecum animadverteris, inter Ubertum qui A. 962. & Joannem qui A. 1072. Eccleſiæ noſtræ præerant, neminem ſcribi; facile intelliges, Rodulphum, & Oddonem in longo illo intervallo eſſe addendos: num vero etiam Rainerium, & Tedericum, in medio relinquo. Sunt enim & alia intervalla ſupra Ubertum, & infra Joannem ad Alexandrum uſque, ad quæ referri ab iis poſſint qui ſciant, quo anno Epiſcopi fuerint; nam fuiſſe, prima Excerpta oſtendunt; inter-

(1) Iſtor. cit. l. 7. (2) Supplem. cit. l. 4. (3) Iſtor. cit. l. 3.
(4) N. 3243. (5) F. 2333.

Digitized by Google

valla autem ut alia interdum breviora esse possint, alia longiora, & ratio monstrat, & res ipsa confirmat: vides enim in Catalogi ea parte perlegenda quæ ad propiora nobis attinet sæcula, eoque minus erroribus obnoxia est, accidisse, ut modo tres intra annos, imo intra duos, Episcopos tres haberemus, alias ut eundem ad triginta annos, aut eo amplius. Quod si Deus nostrum omnium annuat votis; multo serius nos deseret is qui Forolivienſi Ecclesiæ nunc præest (1). ea probitate, eaque simul Prudentia quæ ex doctrina existit, & ex prævia in gravissimis rebus exercitatione, ornatus, ut cum jam diutius, quam Decessorum, quod sciamus, quisquam, præfuerit, nemo tamen sit cui videatur satis longo tempore præfuisse.

15. Excerpta illa Ravennatia, quæ summa erga me Humanitati debeo Casinensis Præsulis Eruditissimi Zinannii, non illud solum quod ad Episcopos eos nostros attinet, me docuerunt, cum Catalogo de quo dixi, eorum nomina, & tempora conferentem, verum etiam quædam unde Catalogi chronologia fortasse posset exactior reddi. Huc adde, Prætorum nomina Forolivienſium, in quibus perquirendis minus soliciti fuisse videntur nostrates, me ad duodecim in iisdem Excerptis animadvertisse omnia inter annum primum, & nonagesimum secundum sæculi XIII. suo quodque anno adnotata: quæ tibi alias, si volueris, libenter singula describam.

Sed nostratibus, mihique adeo ipsi ignoscendum est, si propter plura urbis, nonnunquam pene totius, incendia, pleraque absumpta Majorum monumenta ad Historicos nostros, multoque minus ad me pervenire non potuerunt. Namque ut illud omittam incendium quod A. 1089. creditur accidisse; aliud ex vetustis Documentis contigisse intelligitur A. 1126. aliudque A. 1383. Memorabile autem præ cæteris fuit quod inter hæc duo, anno videlicet 1173. impiorum hominum scelere excitatum, adeo se extendit, ut Templa ferme omnia, nedum proximas domus comprehenderit, &, quod ad propositum nostrum vel magis attinet, Episcopi Ædes, & Monasterium S. Mercurialis, ut Chartas antiquissimas, quæ utrobique, & in Monasterio præsertim, asservabantur, consumpserit. Sed anno quoque 1276. igne ab Ordelaffis, & Orgoglioſis injecto, Publicum Prætoris Palatium conflagravit. Quin postcaquam Ordelaffi, qui jam tum Civitatis imperium aucupabantur, eo denique potiti essent, insequenti sæculo cum Franciscus ex ea Gente dominaretur, tabulas quas post gravissimum illud incendium Monasterium, ut potuit, rursus coegerat, rursus ipse combussit; ut, quod Paduanius in Chronicis ad A. 1359. adnotavit, Legatus Pontificis, recepta Civitate, mox cogere debuerit, siqui forte aliquarum ex iis tabulis exempla haberent, ut ii Monasterio traderent. Ad incendia casus accesserunt prope innumeri, cum cives alii aliis partibus addicti, eoque inter se diu, ac sæpius dimicantes, modo has, modo illas domus funditus evertebant, modo alio emigrabant: vel cum tabellionum hæredes quas diligenter servare debuissent tabulas aut inscitia, aut dolo, aut longi temporis oblivione intercidere sinebant; neque enim ante annum denique 1588. Tabularium Publicum institutum est, quo tabulæ omnes inferrentur. Itaque jam diu sublatis causis fere omnibus propter quas antiquiores Chartæ perierunt, multo facilius erit Posteris ea cognoscere quæ his postremis sæculis acciderint, quam superioribus fuerit Historicis nostratibus illa reperire quæ vetustissimis temporibus hic contigerunt. Quorum utrumque in scribendis ad te propediem Litteris experiar, de quibusdam excellentibus nostris Civibus tum magis, tum minus antiquis nonnulla additurus. Vale.

EPI-

(1) Thomas Taurellus Forolivienſis.

Digitized by Google

EPISTOLA ÆMILIANA X.

NUnc Epiſtolam (1), quam ad Matcheſium Equitem, Sigiſmundi Equitis, & Hiſtorici filium, anno niſi 1729. in manum ſumens, & quæ de Cornelio Gallo, & de Flavio Blondo, te audiente, inter Academicos noſtros non ſemel diſſerui, memoria repetens, accipe quæ de utroque ad eam Epiſtolam ſum additurus. Quod tanto preſſius faciam, quanto plura eorum quæ tunc ſcripſi, aut diſſerui, interea contigit, ut a Viris Eruditiſſimis confirmarentur.

2. Primum omnium, ut quo de Gallo in Academia verba facerem, omnes intelligerent, dedi operam, ut cum Galli circa eadem tempora plures fuerint ab Antiquis Scriptoribus memorati, cæteri ab noſtro, qui Poeta eximius, & primus Ægypti Præfectus fuit, non difficile internoſcerentur. Viri enim Doctiſſimi nominis ſimilitudine decepti ſunt. In quibus eſſet primo loco ponendus Servius, ſi, de noſtro loquens, hæc verba in Eclogam X. Virgilii ſcripſiſſet, *Hic eſt Cajus Aſinius orator, Aſinii Pollionis filius*. Sex enim hæc poſtrema verba eo libentius credidero, ab imperita manu in Servii contextum fuiſſe intrusa, quod Voſſius (2) in ſuo exemplari deprehenſe, teſtatur. Nec tane Servius is erat, qui aliam eſſe Corneliam Gentem, aliam Aſiniam, poſſet ignorare, & Aſinium hunc, non Auguſto, ſed Tiberio imperante, ut eſt apud Tacitum (3), mortem obiiſſe. Contra autem Paſſeratius, cum de Cornelio quodam Gallo quem in Peruſino bello periiſſe ſcribat, interpretaretur Propertium (4), neſcio quomodo verſus & ejuſdem Poetæ, & Ovidii, manifeſto ad noſtrum pertinentes, ita protulerit, quaſi ad illum mortuum in Peruſino bello attinerent; quando, ut alia omittamus, conſtat, Peruſinum bellum decem annis ante quam Ægypti potiretur Auguſtus, eique Gallum præficeret, contigiſſe. Neque magis ſcio, quomodo ibidem cum de Gallo Ægypti Præfecto Servium laudaſſet, hæc continuo ſubjecerit, *Fuit & alter Gallus Cornelius Ægypti præfectus*, & de hoc eadem retulerit quæ Servius de ſuo. Nonne hic de uno duos, ut paulo ante de duobus Corneliis Gallis unum, videtur feciſſe? Niſi enim quem Propertius ibi, & quem Servius nominant, pro uno accepiſſet; non potuiſſet illud continuo adjicere, *fuiſſe & Alterum Gallum*, id eſt ſecundum; nam mox cum alium proponat, *Tertium* dicit. Cum hæc igitur ne quis cum Paſſeratio falleretur, attigiſſem; tum alia addidi ne quem Caſauboni auctoritas in errorem traheret, qui in ſuis tum in Strabonem, tum in Suetonium Adnotationibus de duobus pariter, id eſt de noſtro Cornelio Gallo, & de Ælio Gallo unum fecerat eo faciliori errore, quod uterque Ægypti Præfectus fuit; ſed Cornelius Gallus omnium primus, Ælius vero Gallus tertius, cum ſecundus fuerit inter eos interjectus Petronius. Quæ ſeries ipſa, cum peculiaribus ſingulorum geſtis, a Strabone (5) uno eodemque loco propoſita, ſi ab eo Strabonis Interprete paulo attentius fuiſſet inſpecta, Cornelium, & Ælium unum eundemque non credidiſſet, ut neque alii Claro Scriptori in mentem veniſſet ſuſpicari, ab iis qui Strabonem olim deſcripſerant, forte, aut incaute truncatum Cornelii nomen in Ælii nomen tranſiiſſe. Cur enim tot aliis locis qui ad Ælium attinent, cum truncaſſent; illo uno qui revera ad Cornelium ſpectat, integrum deſcripſiſſent? Imo cur librarii cæteri in iis qui pertinent ad Cornelium, numquam mutilaſſent; in iis autem

(1) Epiſt. I. (2) De Hiſtoric. Græc. l. 2. (3) Annal. l. 5.
(4) in Eleg. 21. l. 1. (5) De ſitu Orbis l. 17.

Digitized by Google

tem qui ad Ælium ſive apud Plinium (1) latine, ſive apud Joſephum (2), & Dionem (3) græce, ſemper Ælius, Αἴλιος ſcripſiſſent? Quæ cum attendo, non miror, præter unum Jo: Albertum Fabricium (4), alium neminem, quod meminerim, Doctorum Virorum qui poſt Caſaubonum res has attigerunt, ipſi eſſe adſtipulatum: quin Voſſius ipſe, qui rem primum (5) in medio reliquerat, a Caſaubono poſtea (6) non obſcure diſſenſit. Apertiſſime autem diſſenſere Henricus Valeſius, uterque Gronovius, Scherpezeelius, Spanhemius, Grævius, Burmannus, alii, quorum tunc libros ſingulorum diſerte indicavi.

3. Sic Gallo noſtro ab iis quibuſcum facilius confundi poterat, aut confuſus fuerat, ſejuncto (quis enim qui illius exitum ſciat, aut a Gallo Luperci fratre (7), aut ab illo Plinii (8) Cornelio Gallo, quorum alter in caſtris cecidit, alter vero in venere obiit, non continuo diſtinguet?) proclive deinde fuit quæ perperam noſtro, aut quæ recte tribuerentur, demonſtrare. Tributum autem fuerat, quod primus Romana arma in Arabiam intuliſſet, & quod primum ejus auſpiciis, aut certe eo Ægyptiis præfecto, ex Muris portu centum & viginti mercatoriæ naves ad Indiæ tractus enavigarint. Hæc autem ad Ælium Gallum, non ad Cornelium, referenda eſſe, ex Strabone (9) liquet: quin etiam quod ad Arabicam illam Ælii Galli expeditionem attinet, ex Plinio (10) quidem, & Dione (11) confirmare licet; nam quod ex Galeni quoque libro de Antidotis addebat Valeſius (12), majorem Viri Doctiſſimi diligentiam deſidero, cum in eo libro (13) Galenus utique *antidotum* deſcribat *Ælii Galli*, *qua Cæſarem liberavit*; ſed cujus Ælii, non modo an illius qui Arabiam primus invaſerit, toto eo libro ne verbum quidem. Contra vero jure meritoque Cornelio Gallo tribuitur quod *Heroum urbem quæ defecerat*, *cum paucis* copiis ipſe *reteperit*, & quod *in Thebaide ſeditionem*, *propter tributa*, *exortam facile compeſcuerit*; utrumque enim Strabo (14) diſerte teſtatur. Cujus hæc verba ultima ut minime favent iis qui Thebas illas, unde Thebaidis nomen eſt ortum, ab eodem Gallo funditus everſas eſſe, non dubitant, ſic neque alia tantum favent, quantum putant, ubi paulo ſuperius, tunc *vicatim habitari* eam urbem (Thebas) dixit, & *nonnulla ejus veſtigia ſervari*; continuo enim addit quæ magnitudinem declarant, *longitudinem quidem LXXX. fere ſtadiorum*, *& eſſe in ea templa quam plurima*, *magna ex parte a Cambyſe mutilata*. Cur enim qui antiquius excidium memorat, recentius omiſiſſet? & ſi, Cornelio præfecto, immani iſta fuiſſet amplitudine, quæ olim, ut eſt apud Tacitum (15) ſeptingentis millibus hominum qui arma ferre poſſent, conveniebat; quomodo tam facile diruta eſſet? Malim igitur Strabonem ſecundum ea quæ Ammianus (16) ſcripſit, interpretari, a Pœnis primum oppreſſam, deinde poſtquam reparata fuerat, a Cambyſe (quod vel melius mox oſtendam ex Plinio) peſſumdatam, antiquiſſimæ ſuæ magnitudinis veſtigia quidem ſervaſſe, cives autem inter hæc, & circum, longe minori ſemper numero, quaſi per vicos habitaviſſe, itaque ipſos magis fortunis, quam urbem ædibus, everſos fuiſſe a Cornelio Gallo, quem proprie ibi locutus Ammianus *exhauſiſſe*, ait, *civitatem*, *plurimis* (ſi credere hoc tamen licet (17) *interceptis*; ut propterea *furtorum arceſſeretur*. Ad Cambyſem igitur refero quod alii ad Gallum ex Juvenale (18)

Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis;

ad Gallum vero quod iidem ex Pauſania (19) ita proferunt, quaſi ſcripſiſſet, Thebas *ad nihilum redactas*; cum ego ex Loeſcheri interpretatione ſic legam, *Quæ vero opibus olim valebant*, *Thebæ Ægyptiæ*, *& Minya*, *tum Orchomenus*, *jam minus habent ad felicitatem*, *quam qui re eſt mediocri homo privatus*.

4. Nec

(1) Nat. Hiſt. l. 6. c. 28. (2) Antiquit. Judaic. l. 15. (3) Rom. Hiſt. l. 53.
(4) Biblioth. Lat. l. 1. c. 14. (5) l. 2. cit. c. 6. (6) De Poetis Latinis.
(7) apud Propert. (8) Hiſt. cit. l. 7. c. 55. (9) l. cit. 17. & 2.
(10) Hiſt. cit. l. 6. c. 28. (11) l. cit. 53.
(12) apud. Gronov. ad Amm. Marcellin. l. 17. c. 4. (13) c. 1. (14) l. cit. 17.
(15) Annal. l. 2. (16) Geſtar. Rer. l. 17. (17) Vid. infra, n. 6.
(18) Satyr. 15. (19) De tota Græcia l. 8.

Digitized by Google

4. Nec vero facilius crediderim quod Cornelio Gallo tributum legi ab nonnullis ſequiorum ſæculorum Scriptoribus, obeliſcos everſarum Thebarum ab eo Romam eſſe miſſos. Proclivius eſſet aſſentiri, niſi Strabonis ipſius, id eſt Tiberii ætate inter vetera *Thebarum magna veſtigia manſiſſent ſtructis molibus litteræ Ægyptiæ*, ſicut a Tacito, Germanici iter deſcribente (1), traditum eſt. Quin manebant etiam Veſpaſiani tempore, cum Plinius (2) de obeliſcis verba faciens, a Thebaicis initium duxit. *Obeliſcus eſt Thebis*, inquit; ſequor enim libentius qui ſic legerunt, lectionem comprobante quod paulo poſt dicit, *Sunt & alii duo*, & quod de primo ait, *admiratione* ejus *effectum eſſe, ut cum oppidum id expugnaret Cambyſes rex, ventumque eſſet incendio ad crepidines obeliſci, extingui ignem juberet molis reverentia, qui urbis nullam habuerat*. Ammianus (3) autem, qui ſæculo, ut noſti, ſcribebat IV. ſe Thebis *obeliſcos vidiſſe plures*, teſtatur, *alioſque jacentes, & comminutos*. Quod ſi præter eos quos memoravimus, alii, ut in tanta urbe, fuiſſent, qui a Gallo miſſi eſſent Romam; vix credi poſſet, Plinium, de obeliſcis qui jam tum Romæ erant, ita ſcribentem (4) ut a quo, & unde advecti eſſent fere ſinguli, non omitteret, ipſumque Ammianum ferme idem facientem, & maximum omnium, ſuo tempore importatum, addentem, & Thebas, ut diximus, & Gallum eodem loco, nec verbis pauciſſimis, commemorantem, nullam mittentis Galli, nullam a Thebarum urbe avecti obeliſci injecturos fuiſſe mentionem.

5. Contra vero ſunt quæ Cornelio Gallo negare poſſit nemo, ut quod accepto a Pinario Scarpo exercitu Parætonium ſubito occupaverit: quod M. Antonium ad Parætonii murum accedentem cum magnis & navalibus, & terreſtribus copiis primum ne ſuos blanda oratione corrumperet, tubarum cantu opportune imperato, ut Antonium audire nemo poſſet, deinde eruptione facta, inde repulerit; quod illius naves in portum illexerit, moxque per latentes antea ſub aquis, attractas catenas intra portum concluſerit, ibique partim incenderit partim ſubmerſerit. Hæc certe omnia quemadmodum ut Auguſtus pervinceret, maximo adjumento fuerunt, ſic diſerte ab Dione (5) tradita ſunt. Nec Plutarchus (6) reticet, quomodo partitis cum Proculejo officiis effecerit, ut Cleopatra ſuis cum theſauris viva in Auguſti, id ſummopere cupientis, poteſtatem veniret.

6. Et hæc quidem fortis, ſagaciſque ducis pro Imperatore ſuo facta ita certa ſunt, ut quæ maxime. Qua autem potiſſimum culpa in ejuſdem offenſionem inciderit, cum poſt vulgatam Auguſti indignationem, multæ, ut fit, & Dio (7) commemorat, in Gallum conjectæ fuerint, incertum eſt. Illam tamen credere malim quæ una poſt ejus mortem ab Ovidio (8) ad Auguſtum ipſum ſcribente, memorata eſt, nempe quod *linguam nimio non tenuerit mero*. Dignior enim ejuſmodi culpa fuit ea commiſeratione ob quam Auguſtus, re melius poſtquam Gallus a Senatu damnatus, ſe occiderat, penſitata, *& illacrymaverit, & vicem ſuam conqueſtus ſit, quod ſibi ſoli non liceret amicis, quatenus vellet, iraſci*, ſicut ab Suetonio (9) traditum eſt. Quod autem non Suetonius modo, & Servius in Eclogam Virgilii X. Gallum in Auguſti *amicis*, ſed Auguſtus ipſe, cujus verba iſta refert Suetonius, diſerte poſuerit, confirmare nos debet in laudabili Ovidiani loci (10) interpretatione retinenda,

Tu quoque, ſi falſum eſt temerati crimen amici,
Sanguinis, atque animæ prodige Galle tuæ.

Cum enim tum Largus, qui temulenti Galli verba, tanquam ingrati, & malevoli in Auguſtum animi indicia, ad hunc detulerat (11), tum Auguſtus in Galli amicis fuerint, vocem illam *temerati* num ad Largum potius proditæ amicitiæ ſcelere pollutum, quam ad Auguſtum, ſi vera fuiſſet Largi delatio, a Gallo violatum referemus? Nempe, ſi frequentiorem reſpiciamus Latinorum conſuetudinem, ad Auguſtum.

Teme-

(1) l. 2. cit. (2) Nat. Hiſt. l. 36 c. 9. (3) l. 17. cit.
(4) c. cit. 9 & 11. (5) Rom. Hiſt. l. 51. (6) in Antonio.
(7) l. 53. (8) Triſt. l. 2. (9) in Auguſt. c. 67.
(10) Amor. l. 3. Eleg. 8. aliis 9. (11) Dion. l. cit. 53.

Digitized by Google

Temeratum enim de eo fere cui injuria illata sit, non de eo qui intulerit, quantumvis scelesto temeratore, dictum invenimus. Sic Livius (1) *sepulcra majorum temerata & violata*. Sic Virgilius (2) *templa & temerata Minervæ*. Sic ille quem hic interpretamur, Ovidius (3) *hospitii temerata sacra*. Quod tanto minus improbabis, si Augusto, tanquam sacro, *aras* adhuc *præsenti* fuisse *positas* (4) memineris.

7. Ille autem alter Ovidii versus

Sanguinis, atque animæ prodige Gallе tuæ,

quippe a contemporaneo Poeta scriptus, supervacaneam reddit ad eos responsionem, qui videntur Gallum credere ab alio potius, quam ab se ipso, interfectum fuisse. An vero uno se vulnere interemerit, quod Ammianus (5) significat iis verbis, *stricto incubuit ferro*, antiquioris, imo Galli æqualis, & paulo post ejus mortem scribentis Auctoris Propertii dubitationem injiciant hi versus duo (6)

Et modo formosæ quam multa Lycoridi Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua;

nisi forte, ut Poeta, de multis loquatur vulneribus Galli animo ab amata Lycoride inflictis: quanquam in hoc disticho, sive hac, sive alia ratione explicato, mihi semper aliquid desiderari posse visum est, unde dilucidius fiat.

8. Hactenus quæ Gallus revera gesserit, aut pertulerit, præcipua attigimus. Nunc quæ scripserit, videamus, a certis pariter incerta, & multo magis suppositia secernentes. Neque enim dubium est amplius, quin omnia quæ Cornelii Galli inscripto nomine circumferuntur, suppositia ipsi fuerint, sive illa amatoria sint carmina, sive alterius sint argumenti, ut de Elegiis præsertim, & de illo in Virgilii obitum Epigrammate a nobis quoque ad Marchesium scribentibus (7) peculiari non una ratione demonstratum est. Sed incerta sunt alia, etiam quæ nonnullis videntur certa, ut Ciris, Virgilio alioquin a plerisque adscriptum Poema, & in Pollionem Oratio, de qua miror esse qui non dubitent, quando is unus, qui ex Veteribus eam memoravit, Quintilianus (8) non obscure dubitabat. Sic enim ait, *in Oratione Labieni, sive illa Cornelii Galli est, in Pollionem*. At quæ certo scimus a Gallo fuisse scripta, a longo jam tempore interciderunt. Nam præter unum versiculum, a Vibio Sequestre (9) nobis servatum, & versus illos quos in Virgilii Ecloga X. indicavit Servius *Galli esse, de ipsius translatos carminibus*, cum alios habeamus nullos; fieri non posse videtur, quin si post Vibii, & Servii ætatem paulo diutius Galli Scripta superfuissent, de tot qui consecuti sunt, Auctoribus aliquis se eximium Poetam legisse, significasset, ejus versu, aut sententia saltem quapiam producta. Diu autem est ex quo uterque illorum extiterunt. Nam Servium illum ipsum contemporaneum fuisse Macrobii, satis ex hujus Saturnaliorum libris Pancratius Masvicius (10) ostendit. Macrobio autem, qui sæculo floruit IV. posterior non videtur fuisse Vibius, ut qui juniorem Lucano Poetam non citet, quemadmodum adnotavit Hesselius (11). Illum autem Galli versum de Hypane flumine Vibium ex aliquo de ejus libris Amorum sumpsisse non æque affirmaverim, ac Virgilium illos quos indicat Servius, teneros adeo & patheticos, ut inde quod scripsit Fabius (12), in Elegiis Tibullo, & Propertio Gallum fuisse *duriorem*, de versuum structura potius, quam de teneris affectibus, intelligendum videatur.

9. Porro eodem Auctore Servio (13) pro certo scimus, Gallum *& Euphorionem transtulisse in Latinum sermonem, & Amorum suorum de Cytheride scripsisse libros quatuor*. Ad translatum autem Euphorionem non modo, judice etiam Quintiliano (14), ea spectant quæ Gallus in illa X. Virgilii Ecloga dicens inducitur,

Ibo, & Chalcidico quæ sunt mihi condita

(1) Hist. l. 16. (2) Æneid. l. 6. v. 841. (3) Heroid. 17. v. 8.
(4) Horat. Epist. l. 2. Epist. 1. v. 15. (5) l. 17. cit. (6) l. 2. Eleg 23.
(7) Epist. l. n. 12; & seqq. (8) Instit. Orat. l. 1. c. 5.
(9) De Fluminibs ad Hypanis. (10) Præfat ad suam Virgil. Editionem.
(11) in sua Vibii Edit. (12) Instit. cit. l. 10. c. 1. (13) in Eclog. Virgil. 10.
(14) Instit. c. 1. cit.

Digitized by Google

dita verſu

Carmina, paſtoris Siculi modulabor avena;

Sed & alia in Ecloga VI. ad quæ hæc adnotavit Servius, *Hoc autem Euphorionis continet carmina, quæ Gallus tranſtulit in ſermonem Latinum*. Quod quidem non ita accepturum te ſcio, quaſi verbum verbo reddidiſſet, ſed potius ut Euphorionem, eadem fere argumenta tractando, & ſcribentis *colorem*, ut loquitur Probus Grammaticus, ſequendo, non magis imitatus ſit, quam æmulatus. Neque enim, niſi ita eſſet; eam ibi translationem ſpectans Virgilius, laudes in Gallum contuliſſet illas quæ ſummo conveniunt Poetæ, cui *Phœbi chorus adſurrexerit omnis*, id eſt omnes Muſæ. Sed & Amorum libros quanti faceret, Virgilius oſtendit, cum ex iis verſus in ſuam, ut diximus, tranſtulit Eclogam. De aliis autem non modo qui centum poſt annis floruerunt, Poetis, ut puta Martialis (1), ſed & qui eodem quo ille, vixerunt tempore, nihil attinet dicere, præſertim cum de Propertio ſupra indicatum ſit, Ovidii autem tot extent loci quibus eos libros dilaudavit, ut propterea fortaſſe Blondo (2) acciderit, inter eos qui de Gallo mentionem fecerunt, cum Ovidium in animo haberet, Horatium nominare. Nam præter locos quos ex Triſtium libro II. & ex Amorum III. ſupra attulimus, ſunt alii, ut bini libro III. de Arte Amandi, tertius libro II. de Remedio Amoris, quartus Amorum libro I. quintus Triſtium libro IV. in quorum pleriſque cum Galli amatorias Elegias aut laudaverit, aut per univerſum terrarum orbem celebres dixerit; in poſtremo præluxiſſe illum cæteris ejuſmodi carminum Latinis Scriptoribus, oſtendit. Nam cum de Tibullo verba faciens, dixiſſet,

Succeſſor fuit hic tibi, Galle,

hæc ſubjecit,

Propertius illi,

Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.

Quæ omnia tanto pluris facienda ſunt, quod Ovidius, & Propertius poſt Galli mortem, & Auguſto dominante, ſcripſerunt: de cujus intimis animi ſenſibus, niſi magni quidam eodem tempore alii Poetæ cautius forſitan dubitaſſent; credibile eſt, ipſos quoque Gallum laudaturos fuiſſe. Quæ potius cauſa reddenda fuerat, cur Græcus quidam Scriptor, Auguſti æqualis, inter cæteros Poetas Gallum omiſerit, quam, ut nuper vidi, excogitanda altera a vero prorſus abhorrens, quod necdum ejus carmina, quippe adhuc viventis, & Ægypto præfecti, innotuiſſent; certe enim tunc vivebat, neque adhuc ab Auguſto provectus fuerat, cum ejus carmina in manibus erant omnium, & Virgilii Eclogis inſerta.

10. Quod ſi necdum innotuiſſent, vivente Gallo; num credimus, Parthenium, Græcum ipſum quoque Scriptorem, illi, ut Jo. Albrtus Fabricius (3) commemoravit, *Erotica ſua inſcripturum fuiſſe?* Intelligo *Elegias* ſuas *in Venerem*, de quibus Suidas (4) inter multa alia a Parthenio ſcripta, fecit mentionem, cum ipſum tradidit, debellato Mithridate, a Cinna captum, & *poſtea manumiſſum propter doctrinam, vixiſſe uſque ad Tiberium Cæſarem*; ut permirum ſit, ab Doctis Viris qui hoc minime ignorarent, videri cum Parthenio illo confuſum, de quo, cum eſſet cubiculo Domitiani præpoſitus (5), Epigramma extat Martialis (6). Pertinet autem ad Cornelii noſtri laudem ſcire, quæ eſſet Parthenii poetæ exiſtimatio. Hæc autem non vulgaris fuerit, oportet. Neque enim Tiberius, qui, ut ab Suetonio (7) traditum eſt, *artes liberales utriuſque generis ſtudioſiſſime coluit*, & *fecit Græca poemata*, non ſolum in his *imitatus eſſet Euphorionem*, de quo ſupra diximus, & *Rhianum*, de quo Suidas (8), & hunc de quo loquimur, *Parthenium*; verum etiam horum Poematum *ſcripta*, & *imagines*, *publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos auctores* non *dedicaſſet*. Quin idem Parthenius, ſi de hoc melius, quam illud Martialis Epigramma, Viri Docti locum Macrobii (9) indicarunt; videri poteſt præceptor Virgilii ipſius fuiſſe. Macro-

(1) l. 9. Epigr. 73.
(2) Ita l. Illuſt. Reg. 6.
(3) Biblioth. Lat. l. 1. c. 14.
(4) Hiſtoricis Parthenius.
(5) Vid. Sueton. in Domitiano c. 16.
(6) l. 4. Epigr. 45.
(7) in Tiberio c. 70.
(8) Hiſtoric. cit. in Rhianus.
(9) Saturnal. l. 5. c. 17.

Digitized by Google

crobius enim hujus versum cum græco quodam altero conferens, hic *versus est*, inquit, *Parthenii, quo grammatico in Græcis Vergilius usus est*.

11. De Cytheride autem, quam Lycoridis nomine, in Amorum libris celebravit Cornelius, cum ad Marchesium plura scripserimus (1); pauca supersunt quæ in eorum confirmationem addamus. Igitur quod in illa Ciceronis Epistola ad Atticum (2) pro *altera uxore* legere malebam (3) *ab teram uxorem*, nunc magis placet, cum in Lipsii inciderim locum (4) ubi eandem Paulo Manutio lectionem proposuit, sed VIII. ex librariorum, opinor, errore Epistolam indicans, & vix ullam sic legendi rationem afferens; ut non unam me haud pœniteat protulisse. Pariter nec me prorsus pœnitet, tempus quo Cytherides, relicto Gallo, M. Antonium in Galliam secuta est, non post Mutinensem Octaviani victoriam, sed paulo ante Clodii cædem statuisse (5). Video quidem, sic a me Gallum, annis, si non ita multis, at certe pluribus ante quam plerique credant, jam natum esse ponendum. Sed & alii sunt qui antea natum existimaverint, & in describendis numerorum siglis tum facile peccari potest, tum sæpe alias peccatum est, & qui secus putant, non videntur satis attendisse, de duobus illis temporibus quibus Cytherides Antonium potuit in Galliam sequi, utrum credibilius sit. Num quando apud Mutinam *prostrato, fuso, occiso* illius exercitu, *cum admodum paucis, nocte tectus, metu perterritus*, ut Tullius loquitur (6), *fugit*, neque in Galliam illam penitissimam, quam hæc significant ex Galli carminibus (7)

frigora Rheni
Me sine sola vides;

sed in Galliæ partes, Italiæ proximas, ambigua spe, si Lepidus, & Plancus, ibi cum legionibus degentes, quod Patriæ debebant, præstare vellent, iisque præterea incommodis, quæ Plutarchus (8) narrat, gravissimis conflictatus, quippe in *turpi ac nuda fuga*, ut Paterculus (9) eam vocat. Et si tunc a Mutiensibus castris fugientem secuta est; ecquando in illa venisse, dicemus? Num forte cum Antonius Roma proficiscens ad D. Brutum e provincia expellendum, in hanc venit, eumque, se Mutinæ tuentem muris, obsedit? an postea? Utrumlibet dicamus; non tamen ea provincia erat Gallia quam Cornelii producta carmina indicant; sed hæc citerior: neque ad obsidentem transire poterat, Consulum, & Octaviani copiis inter Mutinam, Romamque interjectis: & siqua transiisset; nec quod Cornelius sciebat, & in Elegiis querebatur, id Fulviam latere potuisset, quæ, ut zelotypa uxor erat, nequaquam eo ipso tempore pro Antonii indemnitate assiduis precibus Senatores fatigasset, *ad eorumque pedes cum fletu, & ejulatibus*, ut narrat Appianus (10) *se prosternere* voluisset. Contra vero, si mecum ponas, Antonium paulo ante quam Clodius a Milone occideretur, in Galliam redeuntem, secutam esse Cytheridem; nihil quidquam ex illis obstat. Transalpina Gallia, ex qua iterum ut in Germaniam transiret, Cæsar pontem circa ea tempora flumini Rheno imposuerat, ab Antonio illius Quæstore adibatur. Nihil eunti impedimento erat, ne Fulvia quidem: necdum enim uxorem hanc duxerat. Hæc fecerunt olim, & adhuc faciunt, ut Galli querimoniæ de Cytheride Antonium secuta, in hoc quod modo indicabam, tempus aptius cadere mihi quidem videantur, &, quod consequitur, de Galli ætate fortassis aliter, quam plerique credunt, existimandum. Certe autem hallucinati sunt ii qui cum Cytheride fugisse Antonium in Galliam scribunt L. Antonio, & P. Servilio Isaurico Coss. Eodem enim anno quo Pansa, & Hirtius Coss. obierunt, & profugit, & Triumvir mox factus est M. Antonius; Lucius autem, ejus frater, non modo insequenti anno quo Plancus, & Lepidus Consulatum gessere, Consul non fuit, ut neque Servilius Isauricus; sed anno post hos

(1) Epist. I. n. 18. & seqq. (2) L. 10. Epist. 12. (3) n. 20.
(4) Epistolic. Quæst. l. 4. Epist. 11. in fin (5) n. 15. & seqq. (6) Philippic. 14.
(7) in Eclog. Virgil. 10. (8) in Antonio. (9) Hist. Rom. l. 2. c. 61.
(10) De Civil. Rom. Bell. L. 3.

Digitized by Google

hos proximo.

12. Cæterum Cornelium noſtrum fuiſſe Gallum illum Cornelium, quem, ut familiarem ſuum, Aſinius Pollio, ſicut ad Marcheſium ſcribens (1) memoravi, Ciceroni commendaſſe videtur, eo mihi credebilius fit, quod etiam poſtea cum Pollione illum conjunctum invenio ad eam quæ Triumvirum juſſu veteranis fiebat militibus agrorum diviſionem, ut in Virgilii ea quæ Donato tribuitur, Vita legitur, ſive, ut ait Servius (2) *ad exigendas pecunias ab his municipiis, quorum agri in Tranſpadana regione non dividebantur*. Ad utrumlibet enim munus a Pollione, qui apud Triumviros plurimum poterat, commendatum eſſe, non difficile conjici poteſt. Et fieri quoque poteſt, ut chartæ quædam ſpecies ideo vocaretur Corneliana, quod noſtro Gallo Ægypti præfecto, ibi primum confecta ſit, ut Iſidorus tradit apud Fabricium (3); nam etſi Plinius (4) ubi tot alia memorat chartarum genera, id nomen ſilet, potuit eandem alio vocabulo deſignaſſe. Prænomen Cornelii Cajus, an Cneus fuerit, cum alii hoc, alii illud voluerint, ſicut adnotavit Fabricius (5), & facilis in ejuſmodi prænominibus deſcribendis error ſit; plerique tamen Cajus maluerunt.

Cognomen autem Gallus ab regione in qua ortus, an aliunde traxerit, dubitantes ſatis eſt animadvertant, ſi a patria regione traxiſſet, cum id cognomen multis adeo in utravis Gallia natis eſſet commune; futurum non fuiſſe, ut Poetæ eo uno vocabulo, tanquam ipſius peculiari, ad Cornelium hunc ſignicandum uterentur. Sed ubi ubi natus ſit; qua de re mox videbimus; credemuſne illis qui ex perperam intellecto Propertio, Gallo Majores tribuunt antiqua nobilitate præſtantes? an aliis qui, id rejicientes, ex equeſtri tamen ordine Gallum fuiſſe, oſtendi poſſe, contendunt Dione, & Tacito auctoribus, ubi de Ægypti Præfectis loquuntur? Ego certe in Dione (6) legiſſe memini, ſicut alibi (7) etiam ſcripſi, Auguſtum, qui Ægypti Præfectos inſtituit, id lege caviſſe, necui Senatori, imo, ut lego in Tacito (8), necui Equiti Romano illuſtri liceret, niſi permiſſu, Alexandriam introire: tantum abeſt, ut Equites vellet eſſe Præfectos. Quod ſi voluiſſet; poterat tamen Gallum, non equeſtri loco natum, jubere Equitem fieri, ut Ovidius (9) loquitur, *fortunæ munere*, quando ad officium illud ampliſſimum provehebat, & *ex infima* quidem *fortuna*, non ſecus ac Salvidienum, qui *obſcuriſſimo genere natus*, *paverat gregem*, quorum illud ſcis ex Suetonio (10), hoc autem ex Dione (11) me alia Epiſtola (12) oſtendiſſe.

13. Sed tamen hic ſive per Majores, ſive quod apud Sapientes præſtantius eſt, per ſe nobilis Cornelius quam urbem ortu nobilitavit ſuo? Multæ ſane, graveſque ſunt cauſæ, cur id perdifficile ſit conſtituere. Illa prima: cum ex Antiquis nemo præter Euſebium proferatur qui de ejus Patria quidquam ſcripſerit; ſintne revera ex Euſebio (13) hæc *Cornelius Gallus Forolivienſis poeta &c.* Dubitandi autem cauſa eſt, quod in græco Euſebii textu, ab Scaligero vulgato, vox illa quæ ad Patriam attinet, omnino deeſt. At ſi illam non habet Euſebii textus; habet, inquis, Sancti Hieronymi latina verſio, ſive in ejus græco extaret Codice, ſive ab ipſo addita ſit; admonuit enim in Præfatione ad verſionem hanc ſuam, plurima ſe addidiſſe quæ intermiſſa videbantur, in Romana maxime hiſtoria, in qua cum eſſet ipſe quoque verſatus, & poſt Euſebium quidem, ſed eodem tamen ſæculo ſcriberet; perinde eſt ac ſi ab Euſebio haberemus quod ab S. Hieronymo additum ſit. Verum altera eſt dubitandi cauſa, num *Forolivenſis* Sanctus Vir ſcripſerit, an *Forojulienſis*? facilis enim in altera voce pro altera deſcribenda librariorum lapſus: & ſane alia in aliis codicibus occurrit, nec ſi omnes codices eandem haberent; inter Forojulienſes, & noſtrates

(1) Epiſt. I. n. 17. (2) ad Eclog. Virgil. 6.
(3) Biblioth. Lat. Supplem. P. 1. l. 1. c. 14. (4) Nat. Hiſt l. 13. c. 12.
(5) Bibl. Lat. l. 1. c. 14. (6) Rom. Hiſt. l. 51. (7) Epiſt. I. n. 25.
(8) Annal. l. 2. (9) Triſt. l. 4. Eleg. 10. (10) in Auguſto c. 66.
(11) Hiſt. cit. l. 48. (12) I. n. 24. (13) Chronic.

Digitized by Google

tes controversia de Galli Patria esset exorta. Quid igitur primi ajant, primum attendamus.

14. Is qui fusius quam cæteri ex illis super hac controversia scripsit Præsul Eruditissimus, cujus librum anno post ejus mortem sexto Romæ editum, id est anno 1742. modo acceptum ab Amicis, legebam, negat, ullum Eusebii extare codicem qui ante medium sæculi XV. sive ante Blondi Italiam Illustratam scriptus sit, nec habeat *Forojulienſis*, idemque negat de optimis quæ e typographorum officinis prodire tandem cœperunt editionibus, tum de præstantioribus, qui ante id quod diximus tempus, aut postea quidpiam circa hanc rem attigerunt, Scriptoribus. Quin videri, ait, non potuisse S. Hieronymum scribere *Forolivienſis* propterea quia vox hæc ad significandos Forolivii cives tunc erat ignota, cum hi ad sæcula usque Blondo proxima *Livienſes* dicerentur.

15. Verum ut ab hoc quod postremo retulimus, incipiamus; quidquid sequioribus sæculis fieri cœperit, efficiet nunquam, ut quod melioribus fiebat Sanctus ille Vir, latinæ linguæ scientissimus, facere non debuerit. Neque enim ignorabat, cum Latini, ut ex Plinio satis constat, Forocornelienſes, Forosempronienſes, Foropopulienſes, Forovibienſes, Foroneronienſes, Forojulienſes dixissent, ad eandem normam Forolivienſes quoque esse dicendos. Scripserit, exempli causa, suo IX. sæculo Agnellus (1) *Livienſes accola insteut in littore curvo*, & mox *Cornelienſis acies lustret Coriandri campos*. Nunc certe si quis meliora imitari vellet sæcula, ut *Forocornelienſis*, ita scribere deberet *Forolivenſes*. De Scriptoribus autem qui sive priusquam Blondus primus, quod illi ajunt, in Eusebio legeret *Forolivenſis*, anno videlicet 1450. sive post eum annum hanc rem attingendi occasionem habuerunt, plures quidem secum facientes producunt. At certe nec sibi defuerunt nostrates, Petrarcham, Pastrengum, Bergomatem, & alios, atque alios pro se adducentes: esse autem qui his possint adjici, vel ipsi fatentur qui secus sentiunt; ut nos pariter fatemur, & alios esse qui addi possint pro ipsis. Quin de editionibus quoque, imo & de codicibus hæc eadem dicimus, ad quos denique veniendum est; nam ex codicibus editiones, & assensus, aut dissensus hac in re Doctorum hominum pendet. Ut enim quisque legit, ita ejusmodi quidem in re & judicat, & edit; facillimus autem est, ut ante diximus, & per se patet, & sæpius reapse contigit, hac in voce describentium error, isque in utramque partem. At enim universi codices, ante annum 1450. scripti, habent *Forojulienſis*. Sed quid si in vetustissimum aliquem codicem, ex quo, ut non raro accidit, cæteri descripti sint, se jam is error intrusisset? aut potius quid, si in plures quidem, sed non in omnes? Fatentur enim denique, esse & Romæ, & alibi ad duodecim, in quibus legitur *Forolivienſis*. At illud addunt, esse eos omnes post id tempus quod diximus, scriptos. Unum enim descriptum fuisse A. 1448. alterum esse ejusdem ætatis, reliquos ex scripturæ judicio esse posteriores. Quam vereor, ne judicium istiusmodi nonnullos aliquando fallat: sane codices qui annum habere abscriptum dicuntur, descripti non fuerant postquam Blondus Italiam ediditset suam, ut quam A. 1450. ut alibi (2) demonstravi, adhuc scribebat, in eaque suam hanc Eusebii lectionem. Huc adde, Vaticanis, quos octo esse fatentur, codicibus Amicum nostrum, qui nuper inspexit, duos præterea quos illi inter num. 242. & 246. prætermiserunt, esse adjiciendos, animadvertisse. Extare enim n. 243. & n. 245. membraneos codices qui certe habent *Forolivienſis*, in calce vero hæc adscripta alter quidem *Transcripta, & completa summa diligentia pridie Kal. April. An. Dom.* 1441. primus autem *Antonius Marii Florentinus Civis, & Notarius transcripsit Florentiæ Anno Domini* 1435. 13. *Kal. Decemb.* Quem Antonium esse eundem illum *Antonium Marii filium Florentinum*, a quo descriptum codicem fuisse, dicunt, A. 1448. etsi dubitandum non videtur, & de his quæ mihi conferre non licuit, liberum tibi sit, ut volueris, existimare; tamen

(1) Lib. Pontific. P. 2. in Vita S. Felicis c. 3.

(2) Epist. I. n. 8.

Digitized by Google

men ubi omnia penſitaveris, dubium mihi non eſt, quin ſaltem interea, cautius locutum eſſe, dicas, Præſulem alterum, prioris illius civem, & ipſum quoque Eruditiſſimum, cum Euſebii codices *Forojulienſis* habere, affirmavit., non omnes quidem, ſed eos quos ut magnæ auctoritatis laudabat. Sed & noſtrates ſi multos verſandi antiquos codices facultatem, longa itinera ſuſcipiendo, ſibi compararent; fortaſſe alios non imparis auctoritatis codices qui pro ſe facerent, invenirent: & præter alios quos produxerunt, non eſt, opinor, Chronicum illud contemnendum, Ferrariæ extans, cujus verba protulit Marcheſius filius (1), ut ipſe alibi (2), ſed nimis preſſe, memoravi. Cum enim ab Orbe condito incipiens, non ultra annum perveniat 1324. & cætera quæ Euſebius habet de Gallo referens, hunc Forolivienſem faciat; certe diu ante Blondum ſic in Euſebio videtur lectum fuiſſe.

16. Non alienum hic fuerit animadvertere, qua ratione iſti qui ab noſtratibus diſſentiunt, factum credant, ut librarii, & typographi ſæpe adeo peccaverint *Forolivienſem* pro *Forojulienſe* ſcribendo. Credere autem ſe, dicunt, id factum, quia ab ſuo illo magis, quam ab noſtro Foro diſſiti, & hoc Viris ornatiſſimo non tam dignitate, quam litterarum copia illuſtribus, ad hoc potius, quam ad illud certa quædam inter deſcribendum ſpectare, exiſtimarint. Eſt ſic loquentium Humanitati (qua utinam erga noſtrates quoſdam mortuos uti voluiſſent) eſt, inquam, habenda gratia, imo etiam referenda; nam & ipſorum, aliorumque tum dignitate, tum eruditione perornatum eſt Julii Forum; ut non immerito fortaſſe alio loco dicant, ſuum inter cætera omnia quæ ab Julio habent nomen, celeberrimum eſſe, ac notiſſimum. Sed hoc ipſum (ut omittamus, ampliſſimam certe Forojulienſem Regionem vel typographis longe magis eſſe notam, quam unam urbem Forolivienſem, debere) hoc ipſum igitur quod dicunt, hic pro Forolivienſibus facit. Sic enim librarii; ut pro centenis, quæ in promptu ſunt, bina, haud amplius, afferamus exemplaria; ſic, inquam, librarii, cum eum deſcriberent Jornandis (3) locum in quo Ataulfum narrat uxorem duxiſſe Placidiam Forolivii, non dubitarunt in Codice Ambroſiano ſcribere *Forojulii*, tametſi evidens eſſet error; Jornandis enim verba ſunt hæc *in Forolivii Æmiliæ civitate*; ut potuerit quidem Garetius, quemadmodum ipſi viſum eſt, reſcribere *Forocornelii*; ſed *Forojulii* nemo poſſit. Sic quoque in Itinerario quod Antonino adſcribitur, etſi manifeſtum eſt, inter Ariminum, & Derthonam Livii quidem eſſe Forum, Julii autem eſſe non poſſe; librarii tamen (4) *Foro Julii* ſcripſerant (5). Quod ſi ubi Auctorum verba ipſa, & propoſitum admonere debebant, ne ſic in Civitatem noſtram peccarent, abrepti alterius celebri nomine peccarunt; quanto facilius in Euſebio, cujus verbis convinci nequirent, idem facere potuerint, non eſt dubitandum.

17. Sed fac pauliſper, quod necdum conſtat eſſe faciendum, fac, inquam, in Euſebio non peccaſſe, & legendum eſſe *Forojulienſis*; num liquet continuo quod quærimus, nempe qua in urbe natus ſit Gallus? Non liquet ſane. Primum enim animo occurrunt populi quos Plinius (6) nominat *Forojulienſes Tranſpadanos*. Quos ſi pro iis omnibus accipiamus qui Regionem quam nunc Forojulienſem dicimus, late incolerent; cui potiſſimum eorum aut urbi, aut oppido Gallum tribuamus, addubitantes, num Aquilejæ negare omnino, præciſeque poterimus? Jam Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello Coſſ. (7) eo colonia deducta fuerat, non civium quidem Romanorum, ſed Latina, at Corneliam tamen Gentem ibi floruiſſe, conſtare dicitur ex antiquis lapidibus; tametſi quo ſæculo, non dicatur, & alii non deſint lapides in Æmilia quoque, unde & ibi probari idem poſſit. Mirari igitur non oportet, quod Viri Docti haud defuerint qui Aquilejæ quoque Gallum at-

(1) Vit. Viror. Illuſtr. Foroliv. l. 2. c. 5.
(2) Epiſt. I. n. 4.
(3) De Reb. Getic. c. 31. cum Notis Garetii
(4) ſub titulo Iter ab Arimino Derthonam.
(5) Vid. Weſſeling. ad hunc locum.
(6) Nat. Hiſt. l. 3. c. 19.
(7) Livii Hiſt. l. 39. verſ. fin.

Digitized by Google

tribuerent. Quibuscum etiam qui faciant, vellem animadvertisset is qui pro Foro suo contra nostrates fusius, quam contra quosque alios, disputans, Tondutium (1) potius, & Kavinam laudat, quasi emunctæ naris judices, quippe vicinis Forolivienſibus Gallum negantes. Utriusque autem, etsi neutrum contemno, ut ne hic cæteros errores arguam, satis est duos indicare, illius quidem ubi Horatii damnat Interpretes, quod in Staberii cujusdam (2) (quem eundem fuisse, existimat ac Staberium qui in quodam antiquo marmore ex cognomine ipsi videtur Faventinus fuisse) in Staberii igitur testamento perperam exposuerint

Frumenti quantum metit Africa,

minime cogitantes, ab nemine id dari posse; sed posse, & sic exponendum fuisse, quantum metitur in fundo quodam, Faventinæ urbi proximo qui Africa nuncupatur: quasi vero non per eandem manifestam hyperbolem id Horatius dixisset per quam alibi (3)

Quidquid de Lybicis vertitur areis.

Kavina autem (4) ut Municipium quoddam Flaminium fuisse, probet, ad vetustum marmor provocat Forosempronienſe, positum C. Hedio Vero: quo in marmore cum inter cæteros Hedii titulos hi quoque legantur *Patrono. Municipi. Flamini*, quasi quid Flamen esset, oblitus, ex Hedii sacra dignitate nomen fecit Municipii. Quo de errore, ut ab nostratibus jam redarguto, hic alia non addo. Sed illuc redeo. Ut Gallum Tondutius Aquilejenſibus tribuit, sic Kavina generatim Forojulienſibus; ut Regioni universæ, an Civitati assignaverit, incertum sit.

18. Sed etsi Civitati assignasset; esset tamen dubium, quam Civitatem intellexisset non modo in tota ea Regione, sed & extra ipsam. Nam, ut Aquilejam seponamus, & Julium Carnorum, cujus a Plinio (5) indicati oppidi, olim nobilis, nunc vici, & locum, & antiqua, nec spernenda, vestigia videtur primus, cum ipse quæreret, agnoviſſe æque generosus, ac doctus Historicus Bernardus Justinianus (6); ut hæc igitur seponamus, & ea tantum quæ Fora vocantur Julii, spectemus; Plinius non modo extra Forojulienſem Regionem, sed & extra Italiam commorat. Extra illam Regionem, cum inter Umbros enumerat (7) *Forojulienſes cognomine Concubienſes*. Extra Italiam vero, cum in Narbonenſis provinciæ ora (8) *Forum Julii* proponit, *Octavanorum coloniam, quæ Pacenſis appellatur, & classica*. Quem Plinii locum æqualis propemodum Scriptor illustrat Tacitus (9), ubi Italiæ *proximum*, *Galliæ littus rostratas naves præsediſſe*, scribit, *quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Forojulienſe miserat, valido cum remige*; ut Augusto auctore, & victoriæ illius spectato tempore, jure meritoque in Vita Cn. Julii Agricolæ, soceri sui, dicere hunc potuerit *vetere, & illustri Forojulienſium colonia ortum*. Pomponius Mela (10) an ad Augustum respiciens, scripserit *Octavianorum*, an ad Legionem VIII. Pacenſem, *Octavanorum*, mihi quidem incertum est. At certe *Forum Julii* scripsit; ut anno ab Julii Cæsaris morte circiter nonagesimo idem quod postea, ut diximus, & Plinius, & Tacitus, & Gallia ad hoc usque tempus, nomen retineret Julio Cæsare vivente impositum, ut ex Munatii Planci unis & alteris ad Ciceronem Epistolis (11) intelligitur, altero ab illius obitu anno datis. Antea autem quam illud conderetur Forum, ibi aliud, alio fortasse nomine, oppidum nullum fuisse, ex Scriptorum, & præsertim ex Cæsaris ipsius silentio apparet, sive ubi de Bello Gallico, sive ubi de Massiliæ oppugnatione verba faciens, non unam ejusmodi loci commemorandi occasionem habuisset. Verum ut ad Italiæ Regionem Forojulienſem revertamur; illud præcipue in ea Forum spectandum est, quod præ cæteris ad se Gallum pertinere, contendit, & de se Eusebium, aut hujus Interpretem, non de ullo alio

Julii

(1) Hist di Faenza P. 1. (2) Horat. Serm. l. 2. Sat. 3.
(3) Carmin. l. 1. Ode 1. (4) Faventia Rediv. (5) c. 19. cit.
(6) De orig. Urb. Venet. l. 7. (7) l. 3. c. 14. (8) Ibid. c. 4.
(9) Annal. l. 4. (10) De Situ Orb. l. 2. c 3.
(11) inter Epistolas Cicer. ad Familiar. l. 10, Epist. 15. & 17.

Digitized by Google

Julii Foro, locutum esse, non dubitat propterea quia si de alio aliquo esset locutus, discriminis aliquam notam appossuisset; *Urbes enim minus claræ, ne cum clarioribus ejusdem nominis miscentur, distinctis cognominibus indigent: non perinde clariores, quæ splendore suo minorum nomina obruunt*. Non ad me, sed ad alia, de quibus dictum est, Julii Fora, & præsertim ad Narbonense attinet, videre, an quando Eusebii Chronicon scriptum, aut latine redditum fuit, id est antequam insequentibus sæculis Aquileja a barbaris diruueretur, videre, inquam, an tunc in Carnis hoc Julii Forum cætera ejusdem nominis obrueret splendore suo. Meum est tantummodo animadvertere, necdum mihi accidisse, ut certum de Foro hoc testimonium antiquius legerem, quam quod VIII. denique sæculo perhibuit Paulus Diaconus (1) hisce verbis. *Hujus Venetiæ Aquileja civitas extitit caput, pro qua nunc Forum Julii, ita dictum, quod Julius Cæsar negotiationis forum ibi statuerat, habetur*.

19. Cum igitur plura sint Julii Fora; certum esse non posset, cui Gallum, etsi *Forojulienſis* in Eusebii Chronico legendus esset, tribueremus. Quantumvis obscurum illud sit Concubiense; obscuris etiam ex locis Viri possunt Clarissimi existere, cujus rei non pauca produci possent exempla. Sed tamen si obscuro placeat illustrem locum præferre; num jure licet, ut Concubiense, ita Narbonense Forum despicere? primum *illustre*, ut paulo ante cum Tacito dicebamus, deinde in quo, ut Julia erat, sic & Cornelia Gens esse poterat, denique aptum adeo ad alendos Viros & militari virtute, & litterarum cultu, qualem fuisse Gallum, constat, longe excellentes; ut tantum ducem, quantus Agricola erat, & tam disertum Scriptorem, quam Agricolæ filius fuit Julius Græcinus, produxerit. Colonia enim illuc missa fuerat militaris, & Foro illi proxima erat Massilia, græcis florens studiis, ibique propterea, ut Agricolam scimus Philosophiæ, ita Græcinum quoque eloquentiæ operam dedisse, conjicimus. Noli putare, hæc a me dici, ut Gallum Italiæ eripiam; cum haud aliam ob causam dicam, nisi ut ostendam quod susceperam, si Gallum Forojulienſem esse, credamus; in graves nos dubitationes incidere de certa ejus Patria statuenda.

20. Contra si in Eusebio Forolivienſis legatur; non modo populus; civitas est nulla, quod sciam, præter nostram, quæ Forum Livii dicta sit, aut dicatur. Nullo hic adjuncto est opus, ut Forum a Foro distinguatur: nulla hic concertatione, utrum sit alteri alterum præponendum. Quid? quod jam anno 1729. in Litteris ad Marchesium (2) argumentum illud proposui, quod nostros inter Academicos postea, ut res tulit, me repetentem audivisti, nempe cum in Eusebio legere non liceat *Forojulienſis*; reliquum esse, ut legatur *Forolivienſis*. Illud nutem non licere, demonstravi propterea quod si vel minorem illam quam plerique ponunt, Gallo cum se interemit, ætatem, nedum si majorem tribuamus, & si Julii Cæsaris ætatem, ac Munerum quæ idem gessit locum, tempusque spectemus, fieri non posse, patebit, ut ullum, cum Gallus est natus, Forum usquam esset, cui Julii nomen impositum foret, & quod consequitur, unde ex Patria Gallus dici posset *Forojulienſis*.

21. Cujus argumenti vim eo majorem esse, fateberis, si scias, quid, ut illam effugerent qui ab nostratibus dissentiunt, coacti sint excogitare. *Livius*, inquiunt, *lib. XXIX. cap. XLV. A. V. DLXIX. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone Coss. L. Julio Prætori creato Galliam* (cisalpinam scilicet) *evenisse, tradit, ad quam jussus est maturare, quum Galli transalpini per saltus ignotæ antea viæ in Italiam transgressi, oppidum in agro, qui nunc Aquilejenſis est, ædificarent: Gallia ergo tunc regio hæc nostra appellabatur: inque hac Forum ab se dictum prætor L. Julius anno ante Christum natum* 183. *condidit; quumque postea C. Julius Cæsar præ L. Julio clarus alia Fora condiderit, hujusce conditor vulgo habitus est*. Quis hæc legens sine ulla hæsitatione asseveranter prolata, credere posset, de Foro ab L. Julio prætore condito Livium ne unum quidem verbum habere? Sed tu Livium inspi-

(1) De Gestis Langobardor. l. 2. c. 14.

(2) Epist. I. n. 17.

Digitized by Google

inſpice, non libro quidem XXIX. (ſic enim, aliiſque in numeris deſignandis ſæpicule peccant) ſed XXXIX. nec ſolum capite XLV. pro quo alios indicare video XXX. verum etiam propius libri finem, ubi ad Gallos illos Auctor redit in Italiam tranſgreſſos. Neutro loco diſerte ſcribitur, L. Julium revera in eam regionem perveniſſe; nedum ibi Forum condidiſſe, ullo modo indicatur. Cum ſic eſſe ut dico, inveneris; miraturum te, ſcio, id ab iis eſſe affirmatum, qui non ſemel hæc inculcaverint, quidquid juniores *antiquis Scriptoribus indictum produnt*, *id omne comminiſci*, & *de rebus antiquis*, *nullo antiquorum teſtimonio prolato*, *differentes a viris emunctæ naris contemni*: mitto cætera quæ nonnunquam ad elevandam aliorum fidem pronunciarunt. Sed ego illud præterea miror, pro C. Julio Cæſare, in Re & Bellica, & Litteraria immortalis nominis Viro, ſui Fori conditorem maluiſſe L. quendam Julium, de quo nihil aliud, niſi prætorem creatum, & ſortis beneficio in Galliam miſſum fuiſſe, ſcimus. Nimirum comminiſci aliquid oportuit, ut quo anno Gallus natus eſt, Forum iſtud Julii extitiſſe videretur.

22. Hæc de Gallo habui quæ ad te ſcriberem, ſi quid forte in rebus adeo antiquis hallucinatus ſim, non minus errores, quorum convincar, nunc agnituras, quam olim in extrema ad Marcheſium Epiſtola (1) ſpopondi. In illa enim id mihi potiſſimum propoſueram (2) ut Blondi fidem, non ut Gallum civem fuiſſe noſtrum, defenderem. Quid ergo, inquis, tot de Gallo & nunc, & hoc tempore ſcripſiſti? Ego vero ſcripſi, quia ſive ex hac, ſive ex alia Patria fuerit, dignus certe eſt de cujus & veris, & falſis tum geſtis, tum carminibus quid ſentiendum ſit, inquiratur. Neque enim Forojulienſes illos imitari velim, qui ſuum Gallum fuiſſe civem, *dubitari poſſe*, *non credunt*. Sed eoſdem in pleriſque laudo quæ de illo copioſe eruditeque ſcripſerunt. Laudo etiam vel magis, quod Blondum vitiaſſe Euſebianos codices, nuſquam diſerte affirmarunt. Quo de Viro, ſicut initio pollicitus ſum, de aliiſque nonnullis qui inter noſtrates præſtiterunt, cum quædam in proximis Litteris attigero; ad ea revertar quæ noſtrarum ſolent Epiſtolarum eſſe argumentum. Vale.

EPISTOLA ÆMILIANA XI.

FLavio Blondo, a quo propter ejus mentionem ſuperioribus Litteris non ſemel injectam, has juvat incipere, idem apud Voſſium (3) accidit quod ipſe Cornelio Gallo in Euſebii Chronico non dubitabat accidiſſe, nimirum ut deſcribentium culpa ex Forolivienſi perſæpe fieret Forojulienſis; adeo facilis hic error eſt; ſed ex Blondi ipſius Scriptis facillime emendandus. Ex quibus tamen cum pariter haud difficile eſſet rationem petere componendi ortam de ejus nomine controverſiam nihilominus diu plerique contra ac verum fuerat, non Flavium, ſed Blondum ejus eſſe nomen, exiſtimarunt; quaſi ipſe id quod vix tandem animadverſum in hanc rem eſt, non ſcripſiſſet (4) *in quinque Blondis natis noſtris*, *qui litteris omnes pro ætate ſunt pleni*, itemque *Abbas Matthæus Blondus*, *nobis frater germanus*. Quin illud quoque ab nemine, quod ſciam, antea adnotatum, cum inter Academicos noſtros publice ſermonem haberem, audiviſſe memineris, mihi ejus Hiſtorias (5) verſanti hæc verba occurriſſe, *Avumque ego meum Gaſparem Blondum ſæpenumero dicentem audivi*. Quæ ideo verba hic repeto, quia non modo ad id confirmandum quod dicebam, verum etiam ad cognoſcendum valent, quam a vero aliena eſſet

(1) Ibid. n. 27. (2) n. 1. (3) De Hiſtoric. Lat. l. 3.
(4) Ital. Illuſt. Reg. 6. (5) Dec. 2. l. 10.

Digitized by Google

esset Viri olim Eruditissimi (1) conjectura credentis, esse hoc potuisse Blondi nomen *Flavio di Antonio di Biondo Ravaldini*. Namque, ut Patri nomen Antonio fuerit, quod ex quadam apparere accepi Blondi subscriptione in Concilio, opinor, Florentino; Avo certe, non Blondo, sed Gaspari fuit, quem eundem esse, puto qui ad A. 1385. in quodam catalogo apud Bonolum (2) *Gasparinus Blondus* nominatur. Sed amplius quam aliqui ex nostratibus credunt, quærendum putaverim, num Blondorum Gens ad Ravaldiniam attineret. Nam quod in altera hac Gente unus quidam extiterit qui Blondus Ravaldinius vocaretur, sic vocari potuit, etsi nihil ei cum Blondis esset: certe autem cum is viveret (3) anno 1423. Familiæ originem præbere non potuit Blondi nostri, cujus Avus anno circiter 1345. septennis erat, ut ex Historiis Nepotis (4) proclive est intelligere. Quod si in Chronicis Alexandri Paduanii ad A. 1493. itemque in Collectione aliorum Chronicorum, manu ejusdem Alexandri scripta, Præsul ille diu in Romana Aula versatus, & dum Cæsena Romam rediret, interemptus, vocatur Caspar quondam Blondi de Ravaldiniis Forolivienſis; videndum tamen est, an non potius quam Flavii nostri, filius fuerit Blondi illius Ravaldinii, quem vixisse diximus anno 1423. præsertim cum Paduanius in Supplemento ad sua Chronica sæpe Blondum nostrum memorans ad A. 1434. & insequentem, Blondum semper nominet nullo alio adjuncto cognomine, & honorifico quidem, sed minus honorifico quam quo Blondum illum de Ravaldiniis præfixo titulo semel atque iterum nominavit. Fieri tamen posse, fateor, ut ex aliis quæ ipse non viderim, Chronicis mea hæc dubitatio tolli queat. Verum ego non alia mente hæc scripsi, nisi ut rationes appareant ob quas mihi interea videri dixerim hac de re amplius esse quærendum.

2. Nec tamen propterea quidquam de Flavii nostri prænobili genere, quod aliunde cognoscimus, detractum volo. Sed quantumvis antea illustre fuerit, multo illustrius suis ipse tum moribus, tum scriptis fecit. Quorum de utrisque, aut certe de illis cum alias (5) prosse quidem, sed plura scripserimus; satis hic erit nonnulla adjecisse. Qua fide in primis, & qua in gravissimis rebus prudentia fuerit, cum Munera a tot continenter Pontificibus Maximis ipsi coneredita, & commissæ ab illis, nedum a Patria, legationes ostendant; de harum una, quam Eugenio IV. mandante, gessit simul cum Episcopo *Recanatensi*, est quod admonendum censeam. Scilicet ne quis iterum fallatur, Episcopi ejus loco Nicolaum Hasteum intelligens; animadvertendum est, Hasteum non modo ut civem, verum etiam ut affinem a *litteris, moribus, & bonitate conspicuum*, non semel a Blondo (6) jure meritoque laudatum, Recineti quidem fuisse Episcopum, sed non eo tempore quo illa fuit gesta legatio. Necdum enim Eugenius Florentiam venerat ubi Hasteum Recineti, & Maceratæ creavit Episcopum anno 1440. cum ea ad Florentinos ab Decessore quodam Hastei legatio suscepta est, Successoris adeo dissimili, ut de illo cum loqueretur Blondus scripserit (7) *ut attollit indignos fortuna*. Ex Blondi autem Scriptis quæ inedita adhuc creduntur, cum videam illud quod Oxonii esse dicitur calamo exaratum, inscriptumque *de Cosmographia Italiæ* memorari; suspicionem tibi aperire ausim meam, an forte exemplar quoddam sit, antequam typographia institueretur, descriptum, Operis quod ipse Auctor edidit, omnesque habemus, *Italiæ Illustratæ*. Hujus enim *regiones, urbes, oppida, lacus, flumina, montesque* secundum prisca singulorum nomina, id quod ibi Blondus facit, recensere; quid aliud est quam hujus Orbis partem describere? Sic etiam *de Roma Instaurata* libri ab aliquo inscribi poterant *Topographia Romæ*. Utcunque id est; quanti laboris, & quantæ simul utilitatis ea Blondi Scripta fuerint eo tempore, haud facile est nisi illis existimare qui cogitent, neque ipsi alios qui idem tentassent per ea sæcula præluxisse, neque antiquos intelligi

(1) Differt. Vossian. 5. (2) Istor. di Forlì l. 7. (3) Marchesi Suppl. l. 6. all' A. 1423.
(4) l. 10. cit. (5) Epist. I. n. 9. (6) Ital. Illustr. Reg. 5. & 6.
(7) Hist. Dec. 3. l. 6.

Digitized by Google

telligi potuisse Scriptores, nisi traderetur, quibus nominibus quas Italiæ partes, & quæ Urbis loca designassent. Quotus autem quisque tum fuisset qui posset intermortuam Historiam restituere, & ab inclinatione Romani Imperii ad ætatem usque suam, quod ille præstitit per unum & triginta libros, deducere?

3. Nunc si hos, aliosque libros ab homine, siquis alius, ab adolescentia usque ut plurimum occupatissimo editos esse, cogitabimus; tanto major erit admiratio. Modo Mediolani, modo Romæ, modo Venetiis, modo Florentiæ, modo Ferrariæ, modo alibi gravissimis negotiis districtus, alias etiam Arcibus pro Eugenio recipiendis, aut consilio militum Ductoribus adjuvandis intentus (1), nonnunquam adversus hostiles incursiones e munitis locis egressus, ut Brixiæ (2) cum Petrum Lauretanum, Virum artibus belli, pacisque clarissimum, repentino hostium incursu audito, e porta, ut erat inermis, erumpentem, impavide est comitatus, homo igitur ejusmodi quanam ratione dare interea operam lectioni, & studiis poterat, ut cum tandem aliquando otii aliquid nactus esset, secederet ad libros conscribendos? Et tamen ita dabat, ut nescias, magisne propter libros, an propter integerrimos semper mores gratia floruerit magnorum Principum, & amicitiis summorum Virorum.

4. Sed ut de Scriptis dumtaxat dicamus; quid de ejus *Italia Illustrata* Franciscus Barbarus, ea Vir doctrina, & existimatione, quid autem de *Historiis* Doctissimus Pontifex Pius II. judicaret, inde manifestum est, quod ille (3) Præfationem scripsram reliquit in Italiam Illustratam ad Neapolitanum Regem Alphonsum, cujus illam jussu Blondus scripserat; Pius autem ipse Blondi Historias, ut notum est, in compendium redegit. Post hæc supervacuum esse puto Blondi Operum editiones, & e latina in italicam linguam versionem commemorare. At enim aliqui majorem in eo diligentiam, aliqui id quod gravissimum est, fidem desiderarunt. Quorum utrisque respondendum est. Primi igitur, si ut æquum fuerat, animadvertissent, quot, ut supra dicebamus, & quam variis distentus occupationibus, quot, & quo tempore edidisset; *plura* enim *in Historia scripsit*, ut Gisanius (4) ait, *quam recentiorum quisquam, omnemque nobis*, ut laudatus Pontifex (5) loquitur, *vetustatem aperuit*, idque illo *rudi adhuc sæculo*, quod merito addit Jovius (6); si hæc, inquam, animadvertissent, Blondi potius diligentiam laudassent, quam inevitabiles occupatissimo homini quosdam lapsus, eo potissimum tempore, & in tanto quærendarum eiusmodi rerum numero, mirati essent. Negligentiam certe si in illo offendissent peritissimi Historiarum Auctores, nunquam Bernardus Justinianus (7) scripsisset, *Blondus olim familiaris meus, scriptor sane cætera diligens*, neque M. Antonius Sabellicus (8) *Blondum diligentissimum temporum computatorem* dixisset. Verum his, aliisque opponunt duos, quorum alterius Annales, si operæ pretium fuisset edere, a Blondi ætate ad hanc usque in pluteis non laterent; alterius autem edita superiore sæculo Defensio Procopii rarissima est; ut neque illos, neque hanc inspicere possimus. Bonolus tamen noster (9) & Defensionem hanc viderat, & responsionem promiserat: quanquam ei qui Blondum legerit, an Procopii librum, an hujus in latinum versionem culpare oporteret, aperte, candideque ambigentem (10), nulla pro ipso responsio necessaria videri possit.

5. Attamen si duobus iis libris errores quidam Blondi, vel potius temporis (quales interdum agnovimus nos ipsi quoque) accusari dicerentur; minus graviter, imo facile id esset ferendum, neque propterea dubitandum esset, jure, an secus ab Hieronymo Rubeo (11), qui judex in historia sane erat idoneus, Flavius noster ornatus fuerit nomine *gravissimi historiarum scriptoris*. Verum ad ejus elevandam fidem libris illis nisi aliqui se posse, credunt, quasi non solum quæ conficta essent ab aliis, retulisset, sed & ipse confinxisset. Enim-

(1) Hist. Dec. 3. l. 5. (2) Ibid. l. 3. (3) Vid. Diatrib. Card. Quirini ad Barbari Epist.
(4) Observ in Lingu. Lat. (5) in Europæ Hist (6) in Viror. Illustr. Elog.
(7) De Orig. Urbis Venet, l. 15. (8) Histor. Rer. Venet. Dec. 1. l. 10.
(9) Istor. di Forlì l. 9. (10) Hist. Dec. 1. l. 4. (11) Hist. Ravenn. l. 7.

Digitized by Google

Enimvero non ſunt ejuſmodi accuſationes in Illuſtres præſertim Viros ſine evidentiſſimis probationibus intentandæ. Cujuſmodi probationes afferri non potuiſſe ab eo qui Blondum vitiaſſe Euſebii Codices, ut Gallum fingeret Forolivienſem, aſſeverabat, ego olim in Epiſtola oſtendi ad Marcheſium miſſa (1): oſtendique ſimul id quod nec raro incautis accuſatoribus ſolet accidere, quot ipſe errores inter accuſandum admiſiſſet. Sic etiam nuper cum alterum quendam legerem diſerte, & ſine ulla dubitatione ſcribentem, Blondum voluiſſe Patriam ſuam illuſtrare corrupto Euſebii loco; pro argumentis quo crimen iſtud convinceretur, errores offendi, in his illum, Servium in Virgilium tradidiſſe, Gallum fuiſſe Forojulienſem. Nimirum ibi memoria incautum accuſatorem fefellit: nec tamen id valde miratus ſum, cum recordarer, eundem alibi, dum pariter accuſaret, adeo memoria lapſum eſſe, ut Amicum & meum, & ſuum Dominicum Gulielminum, qui, ut norunt omnes e Bononienſi Gymnaſio Patavium conceſſerat, ubi & vivendi finem fecit, ipſe qui alio in libro hæc quæ dico, ſcripſerat, contra ajat, poſtquam Patavii Matheſim, & Medicinam docuerat, ad Matheſim tradendam Bononiam tranſiviſſe. Sed ad Blondum redeo, a Patriæ amore tranſverſum actum ad corrumpendos, ſi Superis placet, Euſebii Codices. Scilicet ut falſum Patriæ honorem adderet, verum ſibi dedecus parere voluiſſet! Ut ingenuus erat, noluiſſe; ut prudentiſſimus, etiamſi vellet, id ſibi ſuccedere non poſſe, perſpexiſſe, alias (2) a me ſatis oſtenſum eſt. Quod ſi in ſcribendo ad augendam Patriam Illuſtrium Virorum Natalibus fuiſſet intentus; neque in Italia Illuſtrata (3) Pontificem Romanum Paſchalem II. (ſic enim, non I. legere oportet) Bledæ, quæ prope Sutrium in Etruria eſt, tribuiſſet, neque in Hiſtoriis (4) *Paulum Diaconum, Aquilejenſem*, neque Berengarium I. Imperatorem, Ducem Forojulienſem, *Romæ oriundum* ſcripſiſſet; ſed alienam horum trium originem ſaltem, quod poterat, ſi-

luiſſet. Ut enim de duobus tantum, illo videlicet Pontifice, & hoc Imperatore, nihil ipſe pronuncians, dicam; ignorare non poterat Blondus quæ de hoc, ut cive ſuo, Forolivienſes ex vetuſtiſſimarum tabularum teſtimonio, aſſentientibus inſuper quibuſdam exteris Scriptoribus, vel olim contenderent; De Paſchali autem idem expectarent quod ipſe de Plauto, & Camaldulenſi Ambroſio ſcripſit (5), eum quoque Pontificem in vetuſto Patriæ noſtræ agro fuiſſe genitum, Bledæ videlicet, in Etruriæ quidem finibus, ſed non prope Sutrium, imo prope Galeatam quærendæ: neque enim, niſi ex veteribus Documentis, indicatum videri Panvinio, & Ciaconio fuiſſe, ut de Paſchali hoc II. ſcribentes, ea traderent quæ apud Marcheſium filium (6) legeris, Panvinius quidem, *Bledenſis Tuſcus, alias ex vico Provinciæ Flaminiæ Galleata*, Ciaconius vero, *In Tuſcia natus, alias Flaminia, quod Galliata Comitatus oppidum eſt*, Bledæ videlicet. Ex cujus oppidi veſtigiis, ad fontium Vitis, ut ad Poggium (7) ſcripſi, confluentes adhuc agnoſcendis, & vel magis ex tabulis quas idem Marcheſius (8) diſerte indicat, non diu antequam Blondus naſceretur, imo ex parte eodem ferme quo natus eſt, anno obſignatis Bledam hanc & revera extitiſſe, & ipſi ignotam eſſe non potuiſſe, manifeſtum eſt.

6. Quod ſi Blondus alia quæ ejus animum magis fortaſſe moverent, ut veri amantes Hiſtorici debent, ſecutus, ne hæc quidem, etſi poſtea ab Exteris etiam quibuſdam non improbata eſſe, vidimus, opinioni ſuæ Civitatis conceſſit, credemuſne, quidquam, ut aliis faveret Civitatibus, confinxiſſe? Intelligis, me de vexatiſſima illa ad Rubiconem Inſcriptione jam loqui. Blondus Forolivienſis, inquiunt, & quaſi ad ejus exiſtimationem imminuendam Patria faceret! Blondus, mox iterum inquiunt, Forolivienſis, ut primus Scriptor eſt qui hanc edidit Inſcriptionem, ita continuo dubium oritur, an non ab ipſo conficta ſit. Væ poſthac Scriptori cuique a quo primum aliquod antiquum, de quo poſte-

(1) Epiſt. I. (2) Ibid. (3) Reg. 2. (4) Dec. 2. l. 2.
(5) Ital. Illuſtr. Reg. 6. (6) Vit. Viror. Illuſtr. Foroliv. l. 1. c. 4.
(7) Epiſt. II. n. 9. (8) c. 4. cit.

Digitized by Google

posteri ambigant, referatur monumentum; si istiusmodi inferendi ratio pro legitima admittatur. Equidem nec scio, nec scire cupio, a quo primum ista prolata fuerit dubitatio. Quæ si cum Blondus viveret, orta esset; proclive ipsi fuerat ubi id vidisset marmor, dicere; nam *etiam nunc*, inquit (1), *visitur*. Sed certe non sine injuria suspiciones in mortuum conjiciuntur, qui se non potest defendere. Barbara, inepta, ab Auctoribus qui de Cæsare trajiciente Rubiconem scripserunt; non memorata, in cæteris provinciarum limitibus inusitata, denique omnino spuria sit illa Inscriptio, ut Cluverius censuit Italiæ Antiquæ libro 1. capite non 18. sed 28; ex ipso enim hæc repeti video: & ex Augustinii, & Gruteri judicio, quorum pariter censuram recoquunt, quantum volunt falsa & conficta sit: num propterea confinxit Blondus? num alius confinxisse, & marmori insculpendam curasse non potuit, quod Blondus vidit? De hujus enim fide, & probitate hic agimus; non de exacto iis temporibus in veris a falsis monumentis internoscendis judicio. Quamobrem non hic quæremus, an alii hoc ipso tam illustri sæculo in ejusmodi rebus, in aliisque ad hoc, ut putant, propositum attinentibus, interdum non fallantur, imo, ut demonstrare facile possemus, in Suetonii verbis quæ ad Cæsarem pertinent, & M. Tullii quæ ad eundem pertinere credunt, sententiis intelligendis. Sed alia potius de Inscriptione hac sine cujusquam offensione animadvertemus.

7. Non videtur ad amnem Pisatellum fuisse, cum Blondus inspexit, id marmor; nam *loco motum* dicit (2), *in quo ab initio fuerat positum*. Certe autem non erat, cum centesimo anno postquam Italiam Illustratam scripserat Blondus, suam Italiæ Descriptionem edidit Leander Albertus (3), qui cum illac sæpe transiisset, & diligenter quæsivisset, nunquam tamen videre potuisse, testatur, ideoque conjicit, aut alio translatam, aut humo fuisse obrutam. Quo magis mirum est, si Jo. Sulpitius, & Phil. Beroaldus Comm. in Lucanum marmor adverterint, pauciora quidem verba, sed eandem quam illa Inscriptio, sententiam habens, ad Lusi fluminis ripas, qua pariter Leander, Beroaldi utriusque ætate vivens, transierat; sed nullam de eo marmore mentionem fecit. Hujus alterius marmoris verba profert idem qui ab duobus illis animadversum dicit, Ariminensis Bibliothecæ Custos Josephus Malatesta Garuffius (4). Quin etiam addit, olim in Palatio publico extitisse Inscriptionem multo longiorem, neque eandem modo sententiam, sed perpaucis mutatis, aut omissis, eadem verba (quæ descripta exhibet) continentem quæ in illa altera ad Pisatellum ut barbara, ineptaque reprehenduntur. Garuffii liber paulo ante finem prodiit sæculi superioris. Itaque facile nancisci poteris, & quomodo hæc omnia ita uti scribit, esse potuerint; si tanti hæc facis; inquirere, nec minus ubi, & quando illa quæ nunc ad Pisatellum Inscriptio est, neque ab Leandro videri potuit, reperta fuerit. Ego enim ad aliam transeo, de qua aliquid fortasse a me expectas.

8. Scilicet non ignoras, Historicos nostros sepulchralem Inscriptionem producere, haud procul ab urbe ad Montonum flumen effossam, hæc tantummodo habentem

T. PAPIR. ET S. R. HISTORICO

nec dubitare, quin Gentis inter Romanas nobilissimæ Papiriæ soboles aliquando inter nos fuerit, Sextus autem Rufus; sic enim siglas illas duas S. R. interpretantur; si Forolivienſis non fuerit, saltem Forolivii sit mortuus. Nimirum vox illa *Historico* permovere homines potuit ad duas eas siglas ita, ut dixi, intelligendas. Etsi enim scirent, ut opinor, apud eos qui de Notis Romanorum scripserunt, ejus prænominis, & nominis ex simplici R. & S. interpretationem facile non inveniri; tamen cum inter Historicos referri scirent Sextum Rufum, Virum Consularem, cujus ad Valentinianum Augustum Epitome extat Romanæ Historiæ; ad eum spectare siglas, quas dixi, censuerunt. Cum Bonolus (5) inventum hunc lapidem scribat, dum pons Montono impositus ædificaretur (id quod fieri

(1) Ital. Reg. 6. cit. (2) Ibid. (3) Region. 15. ubi de via Æmilia
(4) Lucerna Lapidar. c. 2. (5) Ist. di Forlì l. 2.

Digitized by Google

fieri cœptum est, ut alibi (1) indicavi, anno 1610.) retectis in fluminis ripa vestigiis parvi templi, itemque urna cum cineribus, eoque lapide, horum autem utrumque in bibliotheca Paduanorum servari; hæc legenti mihi subiit bibliothecam illam adire, & quidquid huc faceret, diligenter inspicere. Fictilem quidem urnam sepulchralem vidi, nullis in labro, ut solent aliquæ, notis, aut litteris inscriptam; sed pro lapide tegulam antiquam, non parvam, ejusque in parte simulem, quam Ursatus (2) exhibet figuli nomine insculpto, non impresso, L. BLAN. In ea autem de qua loquor, antequam fornaci committeretur, impressæ fuerant litteræ per sigillum oblongum (cujusmodi, sed breviora, idem quem modo laudabam, habet Ursatus (3)) regulæ instar quæ latitudine esset circiter pollicis: itaque ex impresso cavo modice extant litteræ sic satis pulchræ, quamvis aliæ de industria aliis longiores, nullo, si cautius inspicias, puncto, sed certis tantummodo locis per intervalla in siglas potius, & notas, quam in verba, distinctæ. Et nullum quidem est dubium quin legendum sit T PAPIR, &, si vis, etiam ET. Sed deinde sequitur sigla S, & post hanc intervallum sine cujusquam litteræ quæ olim ibi fuerit, indicio ullo, tum nota sequitur quæ a primo ex litteris XH constare videatur; reapse tamen, si attentius inspexeris, non esse X cognosces, quippe cum sinistra desit hujus litteræ pars superior, & nihil in ipsa nota sit quod eam suppleat partem, sicuti nihil est quod faciat ut si non X, litteram R repræsentet. Denique post intervallum, notam hanc ab insequentibus omnino disjungens, legitur IST, vix apparentibus in tegula, oblique ibi olim fracta, supremis partibus litterarum proximarum, quæ ut OR esse potuerint, sic etiam non esse potuerunt. Itaque intelligis, num in tegula hac legere *Sexto Rufo Historico* nobis liceat.

9. Quæ cum ita essent, & tanto minus ad Rufum illum Historicum Inscriptionem hanc spectare posse, animadverterem, si, quod Fabricius (4), aliique malunt, Epitomes Auctor non Sextus Rufus vocatus esset, sed Rufus Festus, cujus nominis in ea tegula nullum prorsus extaret vestigium; cogitare cœpi, an istæ litteræ ad nomen potius attinerent Figuli, aut Figlinæ in qua tegula fuisset facta. Imprimi enim solita fuisse ejusmodi nomina, neque una de causa & lateribus, & tegulis, legisse memineram in erudita Octavii Falconerii ad Carolum Datum Epistola (5), & in sæpius a me laudatis Patavinis Sertorii Ursati Monumentis. Sed prima illa verba *T. Papir.* cum ad Figulum non magis spectasse, suspicarer, quam vox *Servilia* in tegula quadam apud Ursatum (6), nec cætera ad Figlinam designandam facere viderentur; tegulam, præsertim cum ejusmodi urna conjunctam, eodem referri posse, cogitabam, quo suam istam Ursatus, ad sepulchri videlicet locum, & conditi in eo nomen indicandum. Neque illud obstabat quod non videretur e re Figuli sigillum faciendum curasse ad unam tegulam inscribendam; nam Serviliæ quoque nomen, cum ejus tegulam attente considero, per sigillum fuisse impressum, agnosco, & ad sepulchrorum quorundam tectum non paucis tegulis opus fuisse, credibile est, aut fieri etiam potest, ut servus qui Familiæ custodiret majora quædam sigilla, ad Figulum cum his mitteretur, ut molles adhuc tegulas obsignaret.

10. Cum primum quidem hæc, atque alia in mentem venissent; illud mox subiit, ut Paduaniorum scripta versarem, si forte, ut tegulam, urnamque erant nacti, ita aliquid adnotatum de his reliquissent. Non pœnituit illa versasse. Nam primum de Sexto Rufo nihil quidquam; ut videantur, quod & ego facio, voluisse, liberum esse omnibus ita ut quisque melius crederet, Inscriptionem hanc legere, atque explicare. Deinde etsi neque de T. Papirio quidquam dicunt; ea tamen narrant, per quæ hallucinationem Bonoli, quod ad hanc Inscriptionem attinet, primum de medio tollamus, tum alia quæ in conjiciendo spectari hic possint, adjiciamus. Alexan-

(1) Epist. IV. n. 10. (2) Monum. Patav. l. 1. S. 4. (3) Ibid.
(4) Bibliot. Lat. (5) Lettera sopra l' Iscriz. d' un mattone &c.
(6) l. 1. cit. §. 5.

Digitized by Google

der igitur Paduanius ſuis in Chronicis refert, cum forte Montoni ripa certo quem indicat, loco octingentis circiter ab urbe paſſibus corruiſſet; in ruinis tegulam de qua ſermo eſt, repertam eſſe, & cum ea urnas duas, cineres continentes, quarum altera tunc fracta ſtimulum ferreum in fundo habebat, altera autem integra vigeſimo quinto poſt anno ab eo qui invenerat, Alexandro ipſi donata eſt, ut tegula Patri ſuo, qui in bibliotheca locavit, ab eodem antea donata fuerat. Idem autem Alexander, qui anno vivebat *1636.* occaſionem habuit quæ modo diximus, narrandi ab re perſimili, de qua in Chronicis iiſdem ſuis ſcribebat, ad XV. ſæculum pertinente. Scilicet anno 1361. cum alte fodiendum eſſet prope ipſa urbis mœnia, & fluvium Montonum, nec tamen in hujus ripa, foſſores multas antiquitatis reliquias inveniſſe, interque eas templi pavimentum, muſivo opere elegantiſſime factum; ad hæc, ſepulchra complura ſuis cum Inſcriptionibus, ibidemque numiſmata magno numero aurea, argentea, ærea, ab egregiis magiſtris perfecta. Inter eas autem Inſcriptiones fuiſſe quæ iſtam ipſam ſcripturam haberet quam altera cum duobus illis urnis ex ripa ejuſdem fluminis, ſed alio & loco, & ſæculo, fortuito, ut dixi, delapſa. Vides igitur, nec tempus, nec locum recte a Bonolo (1) fuiſſe inventæ hujus Inſcriptionis propoſitum, & cum binæ eodem prorſus exemplo repertæ ſint, unam eſſe memoratam. Atque utinam ex Documentis unde Alexander didicit, primum illam fuiſſe conſpectam, ſimul didiciſſet, aut certe deſcripſiſſet, in marmore eſſet ſculpta, an lateri impreſſa; ne de cæteris dicam quæ multæ cum illa erant; quanquam pavimenti, & numiſmatum elegantia ſatis indicat, ad perantiqua ſæcula attinuiſſe. Optandum tamen fuerat, ut illud ſaltem quod modo dicebam, adnotare potuiſſet. Nam eadem inſculpta marmori Inſcriptio illam de Figuli nomine in tegula ſuſpicionem exemiſſet; at pariter impreſſa tegulæ auxiſſet, eoque magis quod ejuſdem hominis eſſe duo ſepulchra non poſſunt. Quod ſi dicas, alterum fortaſſe patris fuiſſe, alterum filii; eodem enim & prænomine, & nomine utrumque eſſe nihil prohibet, imo & cognomine, ut, exempli cauſa, hæc tria eadem in M. Tullio Cicerone tum parente, tum filio fuerunt; id, inquam, ſi dicas; continuo quæram, cætera quæ poſt *T. Papir.* ſequuntur, aut alterum ſimul hominem conditum, aut alia quædam ſignificantia, quomodo & patris, & filii ſepulchris potuerint eſſe communia? Nempe ad commenta confugiamus, neceſſe eſt: ad quæ tamen, aliqua ſaltem ex parte, etſi altera in marmore, altera in tegula fuiſſet Inſcriptio, nihilominus erat, ut video, confugiendum. Quapropter in tegula utramque fuiſſe, tu facile, credo, exiſtimabis, & ad figulos potius, quam ad ſepultos, attinuiſſe. Qua de re ut melius conjicias, ſi forte conferre quidquam poſſit, quomodo Inſcriptio in Paduanorum Collectione, & Chronicis ſit deſcripta, cognoſcere; utrobique enim deſcripta eſt; ſic habeto, eam partem in qua legenda incerti eſſe poſſumus (ut ex iis quæ perattente inſpiciens ſupra (2) adnotari, proclive eſt intelligere) ſic ab illis repræſentari S. X. HISTOR. Et de hac Inſcriptione hactenus. Nunc ad eos qui certe & noſtri excellentes fuerunt cives, & propiores nobis tempore, jam redeamus.

11. Hieronymi Mercurialis eximia de Re tum Medica, tum Litteraria merita Patriam, non ſolum dum ipſe viveret, ſed etiam longo adeo ab ejus obitu annorum ſpatio illuſtrarunt, illuſtrabuntque donec in pretio erunt optimæ Litteræ. Erant hæ quidem, cum ipſe eſt natus, extra eas tenebras, in quibus invenerat Blondus; ſed tamen iis adhuc magna ex parte carebant homines ſubſidiis, quibus nunc abundant ad quodcunque velint antiquitatis, & ſive humaniorum, ſive graviorum ſtudiorum genus facile excolendum. Itaque fuerunt Mercuriali ſingula propemodum per ſe veſtiganda, quæ in Græcorum, Latinorumque monumentis erant diſperſa, ut immortalibus, præſertim Artis Gymnaſticæ, & Variarum Lectionum, editis libris Medicos, Eruditoſque omnes juvaret. Quapropter non modo inter Italos, ſed inter Exteros quoque multi Viri non minus grati, quam docti, extiterunt qui de Mercurialis Vita, & Scri-

(1) Vid. ſupra, n. 8. (2) Ibid.

Digitized by Google

& Scriptis, alii alio tempore, plura tradiderint, atque adeo ætate hac noſtra præ cæteris duo, alter Gallus, alter Germanus. Ille Cl. Niceronius eſt, qui ut de Viris aliis Illuſtribus, ſic de Mercuriali Commentariolum (1) Pariſiis edidit anno 1734; hic vero Fridericus Boernerus Profeſſor Vitembergenſis meritiſſimus, qui anno 1751. Brunſuigæ emiſit ſingularem *Commentationem de Vita, Moribus, Meritis, & Scriptis Hieronymi Mercurialis Forolivienſis*. Horum ego utrique, ut de noſtro Inclyto Cive egregie ſunt meriti, non mediocriter obſtrictum me ſentio, & quando nihil eſt per quod eorum benefactis reſpondeam, niſi pauca quædam indicando, quæ, ſi forte rurſus ſua illa ſcripta ſint edituri, adjicere libenter poſſint; tu interea videas, velim, an hæc quæ continuo ſubjiciam, non indigna ſint quæ, ubi mittendi occaſio detur, ad ipſos mittantur; mihi certe ad perficiendam quam propoſuerunt, hiſtoriam videntur attinere.

12. Cl. Boernerus (hujus enim Commentatio in manibus eſt; Niceronii autem libri jam diu eſt cum fuerunt) primum omnium rogandus eſt, ut ſiquando alias ſcripturus ſit *Forum Livii ſatis celebrem in Umbria urbem*, pro Umbria Æmiliam ſubſtituat; deinde vero ut quæ ab Italis hoc ſæculo de Mercuriali ſunt edita (quæ facile ob locorum diſtantiam ipſi nota eſſe non poterant) plerasque inſpiciat. Edita autem fuerant quædam anno 1726. ab duobus quorum neuter alterum potuerat legere, Collega meo Papadopolo in Hiſtoria Gymnaſii Patavini (2), & Cive meo Marcheſio filio in Vitis Virorum Illuſtrium Forolivienſium (3), tum nonnulla a me quoque ſcripta, alioque miſſa Aprili menſe anni ejuſdem priuſquam legere eos poſſem, quamvis non ante annum 1728. Lugduni Batavorum vulgata, in Epiſtola Anatomica Prima (4), denique etiam illa quæ a Collega, eodemque Amico meo ſummo tradita ſunt, Marchione Celeberrimo Joanne Poleno in Præfatione (4) ad nova Supplementa utriuſque Theſauri Antiquitatum Romanarum, Græcarumque. His igitur Scriptis Italorum inſpectis, Mercurialem Philoſophiæ, & Medicinæ Doctorem eſſe creatum, idque die 18. Aprilis A. 1555. non Patavii, ut præeunte Tomaſino (6) credidiſſe omnes videntur, ſed Venetiis in Almo illo Medicorum Phyſicorum Collegio, ex Marcheſio, qui primus omnium, quod ſciam, id ſcriptis mandavit inſpecto *Privilegio* ejus *Doctorali*, cognoſcet: quod confirmare, ſi opus ſit, ipſe poſſum, quocum pridem, quippe ab anno uſque 1718. in idem Collegium perbenigne cooptato, Acta illa communicavit is qui ex eodem eſt, ejuſque ſimul Tabularius, Vir Doctus Nicolaus Pollarolus. Sic ubi ab Ampliſſimo Venetorum Senatu huc vocatus Mercurialis ſcribitur anno 1569. ut in prima Medicinæ Practicæ Schola Trincavellio ſuccederet, an Fracantiano, die autem 21. Octobris id munus eſſe auſpicatus; ex Papadopolo ſcire licebit, vocatum, ut ſuccederet Fracantiano, quanquam antea par erat credere Antonio Riccobono (7) collegæ Merculiaris, & Tomaſino (8), qui conſtanter non uno loco idem ſcripſit, nec ſibi repugnaſſe, crediderim, cum primo loco annum adſcripſit 1569. altero autem annum 1570. Secundo enim loco de tempore quo docere incepit; primo autem de tempore quo conductus eſt, mihi videtur eſſe locutus. In eo potius typographi, quam ejus, errorem eſſe, exiſtimo, quod primo loco legamus 1569. 21. Octobris, cum S. C. extet eo quidem anno, ſed 5. Octobris, nec Senatus cogi ſoleat 21. Octobris, nec veri ſimile ſit, eum qui Romæ eſſet, cito adeo de S. C. certiorem fieri, ſe ad longum iter parare, & hoc conficere, & pauliſper quieſcere potuiſſe, ut docere Patavii inciperet 21. Octobris die. Utinam ad eundem modum & ibidem, & in Elogiis excuſare poſſem Tomaſinum. Namque ibidem ait, Mercurialem ad ſanandum Maximilianum II. Imperatorem iviſſe anno 1583. qui annus erat ſeptimus a Maximiliani morte! Pro illo igitur anno, ut recte cenſuit Boernerus, ſcribendum

ſuiſſe

(1) Memoires pour ſervir à l'Hiſt. des hommes illuſtr. T. 26.
(2) l. 3. S. 2. c. 22. n. 104. (3) l. 2. c. 3. (4) n. 81. (5) n. 36.
(6) Elog. Viror. Illuſtr. T. 1. (7) Comment. de Gymnaſ. Patav. l. 2. c. 30.
(8) Gymnaſ. Patav. l. 3. c. 10. & l. 4. ad A. 1570.

Digitized by Google

fuisse 1573. vel ex Cæsareo constat Diplomate, quod cum magnis præmiis Mercurialis retulit, anno hoc, non illo, Viennæ datum 10. Octobris, ut testatur Marchesius. Culpa tamen in Tomasini typographum non potest conjici, quæ potius in operas cadit Riccoboni, cum hic ignorare non posset, Collegam suum anno 158. quem annum ejus expressit typographus, illud iter non suscepisse. Operarum igitur error, ut fit, in Tomasini librum octogesimo post anno scribentis, facile transivit, ex eoque libro in alios plures, & nominatim etiam in Papadopoli Historiam.

Sed neque in Elogiis facile est a Tomasino culpam omnem in operas rejicere, cum dies quo vivere Mercurialis desiit, ad hunc modum indicatur *anno CIↃ. IↃ. CVI. XIII. Idibus Novembris*. Quis enim ejus quidem anni, & mensis diem IX. sive mavis V. Idus intelligat? aut quomodo calamo, vel typis describentes pervertere adeo potuerint? Scilicet non videtur Auctor relegisse. Cui parcendum, si alios nobis, & nostratibus parcere velimus. Quorum alicui id excidit, quod nollemus, & a nobis tamen satius est, quam ab Exteris, ut de illo factum est, emendari. Bononiæ *annos duodecim commoratus* certe non est Mercurialis, neque inde *an.* 1599. *Pisas conductus est*. Satis erat; ut alios præteream; Alidosium (1) inspexisse, qui Externos recensens Bononiensis Gymnasii Professores, & quamdiu in eo docuerint, adnotans, Mercurialem incepisse, tradit anno 1587. & ad annum usque 1593. perrexisse. De anno autem quo Pisas transierit, magis mirum est, nonnullos jam antea eundem errorem erravisse. Qui cum inter Hieronymi Mercurialis Opera *Prælectiones Pisanas*, a Cornacchino, ejus per illos annos auditore, recenserent; vel hinc intelligere debebant, quam a vero alienum esset quod affirmabant, *tandem anno* 1599. Auctorem *contulisse se Pisas*.

13. Sed ad Boernerum ut redeam, qui & de hoc, & de Hieronymi obitu meliores est Auctores secutus; ea Marchesio qui plura de eodem scripsit ab aliis omissa, scire potuisset, quæ hujus conjux, quot filii, & filiæ, quæ tabulæ testamenti fuerint, alia id genus; præsertim vero quod ad ejus edita, aut inedita Scripta attinet. Ineditum Codicem extare, Marchesius indicat, Ravennæ in Camaldulensium Monachorum Bibliotheca, Hieronymi ipsius manu scriptum, continentem *Problemata quædam Plutarchi e græco in latinum ab illo conversa*, hisque *Appendicis loco* annexam *Constitutionem Anni MDLVII. incipientem a Vere circa æquinoctium usque ad Aprilem mensem sequentis Anni MDLVIII. cum pestis desæviret Patavii*, ubi Mercurialis Constitutionem *dictim* scripsit. Manifestum est, inter describendum, errores in annorum numeros irrepsisse, cum Mercurialem iis annis Patavii fuisse, non modo non constat; imo vel ex ipsius de Pestilentia Lectionibus constet, hunc morbum anno 1576. Patavii maxime sæviisse. Quod vero inter illa quæ ab ipso edita sunt, ponere videtur Marchesius quam Jacobus Gronovius (2) tradiderit a Mercuriali esse elucubratam *de Potionibus, & Eduliis Antiquorum Mantissam*; credo equidem, illi qui Marchesio id retulit, fucum esse factum ab aliquo librorum Indice. Gronovius enim Mantissam illam, ut diserte fatetur, ipse composuit *ex Variis* Mercurialis *Lectionibus*. Scilicet quatuordecim capita ex l. II. IV. & VI. earum Lectionum libris selegit, eaque, ut sibi liberum erat, interdum ne ordine quidem librorum, nedum capitum, servato, disposuit. Sed an certo Gronovius ordine disposuerit, an omnia quæ ad propositum sibi argumentum attinerent in libris illis, acceperit, & contra an caput aliquod, minus ad eam rem pertinens, sumpserit, non est hic quærendi locus. Satis est indicasse, ista omnia a Mercuriali olim fuisse edita. Qui libellum ante ista etiam vulgaverat; imo priusquam duos & viginti annos exegisset, cum Patavii literarum studiis operam daret, libellum, inquam, vulgaverat paginarum omnino triginta, inscriptum *Nomothelasmus, seu Ratio lactandi Infantes Authore Hieronymo Mercuriali Forolivienſi. Patavii M. D. LII.* præfixa Epistola, data ibidem, eodemque anno *sexta Augusti die*, sicuti alias

(1) Li Dottori Forest. che in Bologna hanno letto Filos. &c.
(2) Thesaur. Antiquit. Græcar. Edit. Venet. T. 9.

Digitized by Google

alias (1) scripsi, rarissimum hoc opusculum in bibliotheca mea asservari, dicens, ex qua Marchesius, & Polenus citarunt. Est forma, ut vocant, octava: & typographi quidem nomine, sed non signo carens, ex quo *Typographiam* agnoscamus. In libro enim medico Gasparis Gabrielii Patavini *in Quæstionem Hieron. Boniperti* sub eodem signo hæc verba inveni *Patavii In Officina Fabriana Jacobus Excudebat M. D. L.* Quæ addere huc volui, non quod hoc Mercurialis opusculum cum iis sit quæ postea edidit, comparandum; sed quod primi omnium, & raritatis gratiam habeat; propter quam non est, cur miremur, a Majoribus nullo modo, a Boernero autem sic esse memoratum, ut inter Auctoris *Opera affecta vel incerta* reponeret his verbis, *Ratio lactandi infantes. Vid. Schenck. cujus testimonio extat MS. in Bibliotheca Martiana.*

14. Sed neque calamo, neque typis descriptum Mercurialis *Galenum Græco-Latinum ad veterum librorum fidem restitutum, ac notis illustratum* usquam extare, magis erediderim, quam Boernerus, qui hæc Erythræi verba de Mercurialis Hippocrate accipienda esse, non dubitat, pro quo Galenum is scripserit. Sic tamen cum intelligere non possem Riccobonum, qui inter edita a Mercuriali cum recte ponat *Hippocratis Opera omnia Græce, & Latine*, eaque *Scholiis illustrata*; continuo hæc adjicit *Galeni opera latine conversa, ab eodem emendata*; quærere inceperam, an aliquot Galeni Opera, jam ab aliis latine reddita, ipse quoque, ut Gadaldinus, aliique Medici fecerunt, emendasset, cum in Petrum Castellanum (2) incidi, qui sequi se Riccobonum professus, hunc ita descripsit *Galeni opera Latine conversa, & emendata*; neque aliter in Elogiis habet Tomasinus: quin Papadopolus ante cætera Hieronymi Scripta diserte hæc ponit *Galeni Opera omnia latine reddita, & emendata*. Mihi vero cum Juntarum illam Galeni Editionem, quæ præcedentium omnium absolutissima censetur, nonam versarem, vix hæc contigit animadvertere quæ ad Mercurialem pertinerent, in Prolegomenis quidem *Epistolam ad Lucam Antonium Juntam, in qua de Ordine Librorum Galeni*, in Classe autem Quincta *Judicium de Libro Theriacas ad Pisonem*, denique in Fragmentis hoc unum quod ad rem propriè faceret, *Fragmentum Comm. Galeni in II. Lib. Epidem. Hippocratis, Hieronymo Mercuriali interprete*. Quæ si quis velit ad cætera hujus Scripta addere; per me licet: Sin ad ea probanda quæ paulo antea nominati retulerunt; nescio adhuc, qui possint astipulari.

15. Cæterum præter ea quæ Eruditi Viri, & in his Boernerus, ex Lindenio adnotarunt, an alia Mercurialis supersint inedita, si forte ex me quæras; inficiari non ausim. Ostendit enim mihi Petrus Scanellius, Forolivienſis Patricius optimarum litterarum studiis deditus, eoque etiam nomine utriusque nostrum amicissimus, Consilia Medica, latina alia, alia italica, Mercurialis manu scripta, gemino Volumine comprehensa, ex quibus nulla esse quæ non sint edita, sine diligenti examine asseverare non possem. Hoc memini, dum cursim versarem, in Epistolam incidisse; qua venenum, &, quod consequitur, pestem non posse per epistolas communicari; adversus communiorem, &, si vere loquendum est, tutiorem sententiam contendit. Hoc etiam memini ab Amico altero non semel audivisse, Forolivii in Tabulario Monachorum Vallis Umbrosæ librum extare signatum littera R, quo Index contineatur Bibliothecæ Hieronymi Mercurialis. Denique cum duo videam de Summo hoc Viro esse vulgata, alterum a Papadopolo, alterum ab Erythræo, quæ ut illi perhonorifica sint, cum vero tamen, quod unice in historia spectandum est, non omnino conveniant, mihi haud reticenda esse, censeo. Papadopolus scribit, *plurimum impendisse* Hieronymum *in extruendo basilice templo Divi Mercurialis*, memoria videlicet lapsus, ut ea quæ legerat de *Sacello qua picturis, qua statuis exornato* ad Sancti illius Episcopi honorem ab Hieronymi pietate, & liberalitate magnifice extructo, ad peramplam totam Basilicam S. Mercurialis transferret, qua Sacellum illud continetur, priusquam Hieronymus existeret, ædificatam. Erythræus

(1) Epist. Anat. I. n. 81 (2) Vit. Illust. Medicor.

Digitized by Google

thræus autem cum ejus Elogium his verbis concluſit, *mortuo cives ſui ſtatuam faciendam locavere; qui honor habitus eſt ante ipſum nemini*; id ſaltem audiverat, quod ita verum eſt, ut Bonolus (1) ſuas in Hiſtorias retulerit, nempe ad illum inviſendum, cum inſuperabili morbo detineretur, ipſos Patriæ Magiſtratus adiiſſe, ejuſque ſtatuam in Foro ponendi facultatem detuliſſe: qui certe honor propter excellentiam in litteris, civium ulli neque ante, neque poſt ipſum eſt habitus. Attamen hæredes ſive negligentia, ſive, quod malim credere, modeſtia, ſive alia (certe non anguſtiæ rei familiaris, quam ille mirifice amplificaverat) cauſa prohibiti, ea facultate non ſunt uſi.

16. Statuæ injecta mentio alterum ad memoriam revocat de duobus Forolivienſibus, qui ſæculo XIV. non Patavium dumtaxat, ubi docebant, ſed Europam omnem fama ſui nominis impleverunt, Raynerio Arſendo J. C. Bartoli Magiſtro, & Jacobo a Turre Philoſopho, & Medico, qui anno demum obiens 1413. tantum ei Gymnaſio ingenii ſui deſiderium reliquit, ut lege juſſum ſit, ut publice a Profeſſoribus non modo *ordo* ejus *Quæſtionum* (2) in Medica Galeni Arte interpretanda ſervaretur, ſed etiam (3) *Expoſitio* ipſa Jacobi *cum Quæſtionibus* prælegeretur. Jacobi igitur hujus, cum ſuperiora illa ſcriberem, venit in mentem, cujus ut noſtrates Hiſtorici, ſic etiam Salomonius in *Urbis Patavinæ Inſcriptionibus* memoravit *magnificum ſepulchrum cum ſtatua marmorea a ſugeſtu legentis*. Quæ ſi, ut illi ajunt, facienda curavit Paulus cognomento Venetus is qui excellenti Philoſophiæ, & Theologiæ ſcientia Ordinem illuſtravit Eremitarum S. Auguſtini; non ſine animi dolore nunc miraretur, ei monumento quo Amicum, & fortaſſe Magiſtrum, ſuum honeſtaſſet, contra accidiſſe quam ipſe ſperabat, cum Ciceronem (4) ſcribentem legeret, *ut cætera extingui ſolent, ſic ſepulchra fieri ſanctiora vetuſtate*. Monumentum autem quod ſibi ſuis ipſe ſcriptis Jacobus conſtruxit, tot locis, & toties poſt ejus mortem recuſis, durat adhuc, & quando, ut mortalia omnia, ipſum quoque interierit; tamen vel poſtea ejus nomen in libris diu ſuperſtes erit diligentium Virorum, qui aliquam ſaltem Jacobi obſervationem litteris commendarunt. Videſis, exempli cauſa, Marcellum Donatum (5) inter cæteros qui calculos olim conſpexerunt ſub lingua concretos, hunc noſtrum laudantem. *Jacobus de Forlivio*, inquit, *& ipſe affirmat, ſe vidiſſe ſub lingua lapidem genitum in quodam D. Nicolao de ſumma Ripa*. Scilicet Obſervationes diutius quam cætera, in Medicorum, Phyſicorumque Scriptis ſervantur. Sic apud eundem Marcellum (6) nomen vivit Joannis Juliani Medici Forolivienſis, qui annis minimum centum priuſquam Jacobus decederet, lapidem quem alibi fortaſſe deſcribam, vomitu ejectum vidit.

17. Quod ſi alii ex noſtratibus Medicis, aut Philoſophis peculiare aliquid ab ſe pariter animadverſum, aut viſum (quod non uni eorum non accidiſſe vix poteſt) ſive cum aliis, ut Joannes ille, communicaſſent qui litteris prodidiſſent, ſive ipſi per ſe ſcripſiſſent; non dubito quin de illorum pluribus honorifica ad hoc tempus extaret mentio, quemadmodum eorum extat, quos aut hac, aut alia olim Epiſtola (7) merito laudavi. Nam multos præterea, & doctos quidem, Patria noſtra habuit vel XIV. & XV. ſæculo, quorum vix nomen ſcimus, ut in Bononienſi dumtaxat Gymnaſio cum undeviginti nominet Alidoſius (8) noſtrates Liberalium Artium Profeſſores; ſi Jacobum a Turre, & Mercurialem excipias, & duobus hiſce interjectum Nicolaum Haſteum, qui poſtea, ut de Blondo agentes ſcripſimus (9), Epiſcopus fuit; cæteri quid præterea egerint, ignoremus; & plerique tamen Philoſophica, aut Medica docuerunt. Sic enim, ob temporis longinquitatem, fere nominantur, ut Profeſſor ille in Hiſtoria Ferra-

(1) Iſtor. di Forlì l. 12. (2) Statut. Artiſt. l. 4. c. 18. (3) l. 2. c. 16
(4) Philipp. 9. (5) De Medic. Hiſt. Mirab. l. 4. c. 30. (6) Ibid.
(7) Epiſt. præfixa Adverſ. Anat. VI. (8) Li Dottori Foreſt. che in Bologna hanno letto Filoſ. &c.
(9) ſupra, n. 2.

Digitized by Google

Ferrarienſis Gymnaſii (1) ad annum 1494. *Franciſcus de Forolivio, Phil. & Med. Doctor.*

18. Quam Hiſtoriam cum haud ita pridem verſarem, in eum locum forte incidi (2) quo inſignis Pictor Marcus *delli Ambroſi, Melozzo* dictus, non Forolivienſis, ut *communiter* appellatur, ſed Ferrarienſis fuiſſe ſcribitur teſtimonio unius Leonardi Piſaurenſis, quaſi, ut ejuſdem ætatis, facile hallucinari non potuerit, præſertim cum *parum Piſaurum Forolivio diſtet*. Non eſt opus dicere, Piſaurum inter, & Forum Livii millia paſſuum eſſe ad ſexaginta, & Ariminum, ac Cæſenam interjici, quando extat præter cætera a Marcheſio (3) indicata, ſepulchri titulus, qui eximium hunc Pictorem Melocium Forolivienſem fuiſſe, apertiſſime commonſtrat. Quæ Vir Eruditus, ut Marcheſii librum in ſua non ſemel laudat Hiſtoria, ſic vellem antea perpendiſſet, quam Piſaurenſi illo uno teſte niteretur.

19. Non miraberis, opinor, de Pictore hic me feciſſe mentionem; cum excellentes in ea quoque Arte Viros merito poſuerim in iis Litteris, quibus, omnes aut ſingillatim, aut generatim complexus ſeu pacis, ſeu belli Artibus egregie de Patria meritos Cives, Patriæ ipſi Anatomica Adverſaria Sexta dedicavi. Sed ut eo tempore ex iis qui viverent, fere neminem, niſi qui S. R. E. Cardinales, aut qui eſſent Epiſcopi, nominavi, ita nunc pro certo habeas, velim, ſi aliquando a me iterum (id quod facile accidere poteſt) idem forte eſſet faciendum, nihil mihi gratius fore, quam de cæteris dicere tum quos interea, dignos ſingulari laude, amiſimus; tum præſertim quos diutiſſime ad decus magis magiſque augendum Civitatis noſtræ ſervari, optamus CAMILLUM PAULUCCIUM, & LUDOVICUM MERLINUM eximiis utrumque meritis inter Cardinales relatum, Epiſcopos autem Guidonem Urſellum, poſt noſtratem pariter Joannem Baptiſtam Urſium, Cæſenati Eccleſiæ, Franciſcum Columbanum Bertinorienſi, & Franciſcum Caſtellinum Tiburtinæ præfectos. Sed longe aliud mihi in hac Epiſtola propoſitum fuit, nempe ut ſiqua de noſtris Majoribus tradita occurriſſent minus cum hiſtorica veritate congruentia, ea tibi ſignificarem. Quod ut potui, hactenus præſtiti, alias, ſi in alia incidero, his additurus. Quin continuo accipe, quale id cunque eſt, quod facta modo Cardinalium mentio in memoriam reduxit. Volumina hoc tempore omnium manibus verſantur Geographica, & Critica, in quibus ut ut digna laude ſint, quoſdam non ſemel errores indicavimus. Iis hunc adjice. Chriſtophorus Cardinalis Numajus, qui Patriam noſtram magnis ſuis tum virtutibus, tum dignitatibus illuſtravit, fuiſſe ſcribitur ſub Urbano VIII. ſcilicet anno propemodum poſtquam obierat, centeſimo! Ab Leone enim X. purpura ornatus anno 1517. deceſſit anno 1528. Vale.

EPISTOLA ÆMILIANA XII.

FInem tandem de Patria, Civibuſque noſtris ſcribendi faciamus. Foro igitur Livii egreſſis, & Orientem verſus pergentibus primum omnium Ronchus fluvius occurrit. Ejus fluvii fontes amniculi ſunt duo, qui pluribus capitibus ex altiore Apennino orti, poſtquam inde alter quatuordecim, alter undecim millia paſſuum obliquo decurſu emenſi, Bledam, ſuperiore Epiſtola (4) memoratam, olim oppidulum, an viculum, nunc Piedam dictum, & vix modo unam Ædem ſacram, unamque, haud amplius, domum obtinentem, denique pervenerunt, eumque intercepe-

(1) P. 2. l. 1. (2) Ibid. l. 5. (3) Vit. Viror. Illuſt. Forol. l. 2. c. 7. (4) n. 5.

Digitized by Google

runt, in unum confluunt alveum, & flumen efficiunt, quod accolæ, ut alias (1) ſcripſi, Bidentem ibi, & paulo infra etiam, Vitim appellitant; ego, cum idem ſit quod noſtratibus Ronchus dicitur, perſpicuitatis gratia Ronchum vocabo. Infra eum confluxum, ad occidentalem fluminis ripam Maginus (2) oppida hæc omnia ex ordine poſuit Sanctam Sophiam, Galeatam, Civitellam, Meldulam; cum tamen primum, & tertium, in quo & Bonoli Tabella (3) peccat, ad oppoſitam ripam ſint; Galeata autem dumtaxat, & Meldula ad occidentalem. Quibus de oppidis duobus antiquitatis ſtudium quædam ad te ſcribere hortatur, & primum de primo.

2. Galeatæ, vel potius Galigatæ vocabulum, ita præſertim ut noſtratum vulgus pronunciat, in *Galliatæ*, imo *Galliadæ* mutatum, eo plures olim Eruditorum adduxerat, ut *Gallianos*, aut *Galliani*, ſicut in Plinio (4) legebant, *Saltus* ibi fuiſſe, exiſtimarent, Leandro, nec ſolo, præeunte (5), Paulo autem Merula (6), Ferrario (7), & Abrahamo Ortelio (8) ſequentibus, aut certe non repugnantibus. Leander autem, quod Ortelius memorat, huc duos alios, a Galeata non ita diſſitos, adjecerat pagos, ſeu mavis oppidula, Civitellam, & Cuſerculum. Sed Cluverius (9) in ea Tabula quam *Galliæ* inſcripſit *Circumpadanæ*, ſupra Mutinam tranſtulit, poſuitque ad Gabelli orientalem ripam oppidum adſcripto hoc nomine *Saltus Gallianus*. *Saltus* quoque *Galliani* ſupra Mutinam leguntur in Tabula, quam Sanſonius edidit *Italiæ Antiquæ*: ut ibidem in alia, quæ eodem titulo prodiit ætate hac noſtra, legitur *Saltus Gallianus*, fruſtra admonente Cellario (10) *Cluverium* quidem *ad Gabellum ponere* Saltum Gallianum, *quaſi oppidum a Plinio lib. 3. cap. 15. notatum: verum Harduinum e MSS. legere* Saltes Galliani, qui cognominantur Aquinates; *non enim oppidorum ibi, aut nemorum, ſed populorum nomina recenſeri*. Quibus in verbis illud unum poteſt deſiderari, ut quemadmodum Cluverii Tabula notata eſt, ita ejuſdem ſententia laudata eſſet, qua eodem in Opere (11) eundem Plinii locum ita e quibuſdam exemplaribus emendandum, & ex Auctoris propoſito accipiendum cenſuerat, ut poſtea agnovit Vir Doctiſſimus Harduinus: quamvis huic recentiſſimi quoque Geographi idem tribuant quod Cellarius, Cluverii, ut videtur, obliti. Mihi vero de Gallianis Saltibus minus ſolicito eſſe licet, quando vetuſtiſſimum oppidi, ſeu mavis, ut nunc eſt, pagi Galeatæ nomen longe aliud olim fuiſſe, credo, quam ut ex ipſo Galliani Saltes in mentem debeant venire.

3. Namque, ut a minus veteribus ad antiquiſſimam illius appellationem procedamus; invenio apud Rubeum (12) in Litteris Honorii III. Pont. Max. anno 1224. *Monaſterium Galliatenſe*, & in Litteris Gelaſii II. anno 1119. (13) *Monaſterium S. Hilari in Galliata*, & in duobus Teſtamentis (14), altero, anno 1052. altero, anno 1039. *Civitella de Galliada*, & *totum quod habemus in Galliada reſtituatur Sancto Hilaro*: anno autem 996. (15) in Litteris Gregorii V. *Cœnobium D. Hilari in agro, cognomento Gallicata*: qua ex voce emendatio repetenda videri poteſt loci cujuſdam (16) Agnelli Ravennatis, qui, ut ſcis, IX. ſcribebat ſæculo, *de valle, quæ dicitur Calle Collata, quæ ruſtico more Galliata dicitur*. Ibi enim facile pro *Galligata* librarii ineptiſſimi ſcripſerint *Calle Collata*; quando etiam in Vita S. Hilari, a Paulo ejus diſcipulo, ut ajunt, litteris tradita ſæculo VI. habemus *in Galigatenſi Cœnobio*, & *juxta vicum Galigatam*. Ex his quæ retro pergentes ad ſæculum uſque VI. perduximus, necdum quidem ad antiquiſſimum nomen perventum eſt; duo tamen colligi poſſunt, alterum, etſi noviſſime a Præclaris Geographis ſcriptum eſt,, Galliatam nomen eſſe Latinum „ *Abbatiæ* cujuſdam Italiæ ad Æmiliæ fi- „ nes,, tamen neque *Abbatiam*, ſed pagum

(1) Epiſt. II. n. 9. (2) Italia Tav. Romagna. (3) præfixa ejus Hiſtoriis.
(4) Nat Hiſt. l. 3. c. 15. (5) Deſcrit. di tutta Italia Reg. 14.
(6) Coſmogr. P. 2. l. 4. (7) L xic. Geogr. (8) Synonym. & Theſaur. Geogr.
(9) Ital. Antiq. (10) Notit. Orb. Antiq. l. 2. c. 9. n. 81. (11) l. 1. c. 28.
(12) Hiſt. Rav. l. 6. (13) Ibid l. 5. (14) Ibid. (15) Ibid.
(16) Libr. Ponrific. in Vita Sergii c. 3.

Digitized by Google

gam juxta quem *Abbatia* erat, significare, neque latinum esse nomen, quia *Galigata*, qua ex voce rustici Galliatam fecere, ne ipsa quidem latina est: alterum, etsi Blondus (1); Rubeus (2), Doctique alii Viri *Galeatam* ipsi quidem scribere consueverunt, quasi latinum hoc nomen in *Galliatam* conversum esset; tamen ubi ad sæculum X. & proxima superiora retrocedimus: non *Galliata*, sed *Gallicata*, aut *Galigata* vocabulum inveniri, quod siqua ex voce latina detortum est, ex *Caligata* detortum esse videri possit, quæcunque ejus nominis causa fuerit, ut puta si insignis aliqua statua, *caligis* instructa, in eo quondam loco viseretur.

4. Sunt autem adhuc tum ibi, tum in vicinia non obscura indicia locatarum olim vel grandiorum statuarum. Cum enim de his quærerem ex eo quem merito alias laudavi, Verlicchio quo tempore Medicum agebat Galeatensium; rescripsit is, non solum in pago, passus illinc diffito circiter octingentos, Planetum vocant, sed & Galeatæ marmoreas bases supereſse, magnitudine sua statuarum quæ impositæ olim fuerant, magnitudinem ostendentes. Nam quæ basis Galeatæ est in præcipua sacra Æde, Baptismi fontem nunc suffulciens, altitudine propemodum æquat ulnas grandiores duas, crassitudine autem dimidium superat altitudinis. Basis altera, quæ Planeti est in Templo S. Martini, priorem superat crassitudine, etsi ea minus alta est digitos circiter quatuor. Utraque statuæ, ut satis apparet, subjecta fuerat. Sed cui statuæ, ex secunda quidem scire non licet, cum eam faciem quæ litteras gerere debuerat, posteri altius excavaverint: ex priore autem non solum discitur, cujus statuam haberet impositam, verum etiam id quod quærimus, vetustissimum loci nomen, ejusque simul dignitas, id est Mevaniolæ Municipium. Inscriptio enim quæ ea in basi legitur, illa est quam Cluverius (3), & Harduinus (4) commemorarunt, posita cum *statua* Q. Velcennæ Decurioni *Mevaniolæ*, Patrono C.C. M. M, hoc est Collegii Centonariorum *Municipii Mevaniolæ*. Quæ quoniam Inscriptio ut apud Ursatum (5) legitur, & fortasse ut apud eos quoque unde ille sumpsit, non satis tum dispositione, tum litteris cum ea convenit, quam ex ipso marmore, perattente, nec semel inspecto, Verlicchius descripsit; operam non perditurum me credidi, si quomodo se habet, sic tibi exhiberem.

Q. VELCENNAE
L. F. STEL
PROCVLO DECVRIONI
MEVANIOLAE
C. C. M. M. PATRONO
HONORE CONTENTVS
IMPENDIVM REMISIT. ET
DEDICATIONE STATVAE
NVMER. COLL. IPSORVM
SPORTVL. DEDIT
SINGVL. DENARIOS BINOS
L. D. D. D.

5. Nos igitur Cluverio assentimur, ex hac Inscriptione Mevaniolam ibi fuisse, censenti. Nam quod objicere aliquis posset, aliunde esse illuc fortasse advectam, adnotata a nobis marmoris magnitudo, & quod consequitur, pondus satis repugnant. Loca enim circum sunt montosa, & angustarum viarum; ut non sine magno impendio, & singulari causa ex longinquo illuc trahi potuerit. Nec tamen hodiernis Galeatæ terminis vetus illud Municipium circumscribo. Nam etsi Mevaniolæ appellatio parvum fuisse indicet, si cum Mevania conferretur; tamen quæ antiquitatis monumenta ex contiguis locis eruta dixi Epistola alia (6), ex loco videlicet quem Monasterium vocitant, & ex altero quem Sagittam, quorum ille inter Planetum, & Galeatam est interjectus, hic infra Galeatam est ad passus ducentos, eo me facile adducunt, ut intra Mevaniolam credam utrumque locum fuisse. Cæterum qui præter Mevaniam extitisse etiam Mevaniolam, sciunt, iis proclive est Cluverio assentiri in Plinii loco (7), ut erat olim in manu scriptis codi-

R 2

(1) Histor. Dec. 3. l. 6. & Ital. Illustr. Reg. 6. (2) Hist. cit. l. 9.
(3) Ital. Antiq. l. 2. c. 6. & 7. (4) loco mox indicando.
(5) De Not. Rom. ad C. C. M. M. (6) V. n. 6. (7) Nat. Hist. l. 3. c. 14.

Digitized by Google

codicibus, Intelligendo, & simul fortasse emendando, *Mevanates*, *Mevanionenses*, *Matelicates &c.* mutata una in secunda voce litterula, ut *Mevaniolenses* legatur. Qui enim *Mevanienses* potius legendum credunt, iis non tam *Mevanienses* dici posse, quod Holstenio (1) facile annuimus, ostendendum est, quam Mevanienses alios esse, quod Holstenius idem negat, ac modo dicti Mevanates. Harduinus tamen (2), qui nihil horum ignorabat, maluit in Plinio nihil mutatam veterem scripturam retinere, his adnotatis, *Mevanionenses a Mevanione, seu minore Mevania*; neque enim *ausus est*, ut fatetur, propositam *Inscriptionem sequi*, in qua illæ voces sunt *Decurioni Mevaniolæ*, an quod commentitiam crederet? illa vero, ut diximus, reapse ibi extat, neque ullam habet notam, cur non pro vetere, legitimaque accipiatur. Utinam sicuti *Mevaniolæ* nomen in ea legimus, ita alia proferretur Inscriptio, aut vetus aliquis liber in quo legeremus *Mevanionis*.

6. Neutrum vocabulum apud Baudrandum, Cellariumve, aut apud eos qui nuper Geographiam universam multis Voluminibus sunt complexi, mihi adhuc licuit invenire. Sed Mevaniolam Sansonius pinxerat in Tabula inscripta *Italia Antiqua*: cujus tamen bina inspiciens exempla, neutrubi ejus sedem satis accurate indicatam offendi. In altero enim indicatur nimis alte ad Ronchi initia; in altero infra hæc quidem satis, sed dissita adeo ab ejus ripa, ut inter ipsam, & Montonum fluvium media conspiciatur. Melius alii qui eodem titulo Tabulam annis superioribus vulgavere. Ferrario (3) Mevaniola pro Galeata quidem habetur; sed Galeata esse dicitur *in agro Forolivienſi, Meldulæ oppido, & Civitellæ oppidulo ad 2. mill. pass. vicina*. Erant certe olim hæc omnia, & multo plura alia in agro, aut in ditione Forolivienſi: nunc Galeata est in Etrusca, Civitella autem, & Meldula in Pontificia quidem sunt; sed alia ad alios attinet: alia autem alio intervallo distat a Galeata, Civitella videlicet millia passuum III. Meldula autem XIII. quæ ut non sit supra Forum Livii ad millia passuum X. ut recentissimi ajunt Geographi; est tamen ad VII. Non abest igitur Galeata, ut Ferrarius idem ait, *a Foro Livii* 10. *m. pass.*, sed 20.

7. De Meldula non ignobili oppido, quod ab Italo quodam Geographo rus dici, miror, nihil haberem quod antiquitatis studio, ut sum pollicitus, ad te scriberem, nisi Arx illius priscis Inscriptionibus abundaret. Harum plures; ne omnes dicam; non ante illuc importatas crediderim, quam Leo X. P. M. ut Paulus Merula (4) tradit, *concessisset Alberto Pio Comiti Carpensi* Meldulam, unaque, ut apud Leandrum (5) legimus, Sarsinam. Ejus rei illud mihi indicio est, quod in earum non paucis *Carpi* alicujus nomen legitur; ut eo vocabulo quod suam Carpum referret, Comites illi delectati, eo intulisse videantur. Sed has, aliasque unde acceperint; nonnullas certe aut ipsi, aut alii Meldulæ simul, & Sarsinæ Domini Sarsina advexere. Antoninus (6) de tribus diserte id docuit, quas etiam protulit, Gigenniæ Verecundæ, M. Valerii Fausti, L. Destimi Epigoni. In his si Antoninium secutus esset Gruterus (7), neque secundam omisisset, putans fortasse, eandem esse, ac Romanam illam quam pag. 1145. 8. descripsit; in illa enim *Valeria Donata* est, in Meldulensi vero est *Vetilia Euterpe* quæ eam *M. Valerio Fausto* posuit *Conjugi Optumo*: neque primam, & tertiam quemadmodum dedit, protulisset. Primam enim cum dedisset pag. 416. 5. satis, si unam excipias litteram, fideliter descriptam, non iterasset postea pag. 872. 14. iis subtus additis verbis *Heu Mors Invida*, neque sub his quædam exhibuisset quasi vestigia lineolæ duplicis erasæ, quarum rerum neutram unquam fuisse, mecum qui id marmor sæpius inspexi, omnes asseverabunt qui viderint. In postrema autem, quam pag. edidit 402. 2. non *L. Destinio*, sed *L. De-*

(1) Annot. in hunc. Cluverii locum. (2) ad Plinii hunc locum n. 27. Vid. in fin. l. 3. n. LXXV.
(3) Lexic. Geogr. in Mevaniola, & Galliani Saltus. (4) Cosmogr. p. 2. l. 4. c. 12.
(5) Descrit. di tutta Italia Reg. 14. (6) Delle Antichità di Sarsina Disc. 1. c. 5.
(7) Inscript. Antiq.

Digitized by Google

L. Deſtimi ſcripſiſſet, ut ſuperior, quæ adhuc ſupereſt, Inſcriptionis pars perſpicue habet. Neque inſuper adnotaſſet, aliam, quam ab eodem Lucio poſitam filio puero profert pag. 680. 8. eam quoque, Sarſina translatam, in Arce eſſe Meldulenſi. Spectabilem enim ob tria quæ in ſummo habet, carmina Inſcriptionem Antoninius non omiſiſſet, neque ea me in quocunque Arcis illius angulo ſemel, iterum, ſæpius quærentem, & quærendam curantem fugere omnino potuiſſet. Nam fruſtra per laudatum alias (1) Meldulenſem Medicum Camillum Brunorium, fruſtra per Arcis incolas nullo non loco indagatam, fruſtra ipſe quoque perquiſivi, cum haud ſemel ibi apud Nobiles Viros Comites Columbanios, qui pro Principe multos jam annos Meldulæ præſunt, ob eorum erga me comitatem, meamque cum eorum Fratribus affinitatem verſarer.

8. Sed non fruſtra eodem tempore lapides cæteros quibus Arx ornatur, perlegi. Nam præter eos quos modo adnotabam, animadverti eſſe plures, eoſque nec apud Antoninium, nec apud Gruterum, nec apud Reineſium, quantum memini, a me viſos. Eos tibi hic omnes propterea deſcriptos dabo, quia ſi forte quoſdam ſaltem nec ab illis, nec ab aliis adhuc editos eſſe, comperias, id tibi pergratum fore, ſcio.

D. M
L. SCRIBONIO SECVND
ET SCRIBONIAEVHODIA
EFL. SCRIBONIOPIO. ERA
L. SCRIBONIVSFRONTIN
ET. SCRIBONIAFVSTA
PARENTIBVSPIENTISSIMIS
FEC

Minime dubium eſt, quin ad tot alia Scriboniæ Gentis hoc monumentum addendum ſit. Sed ad bene intelligendum, præter alias, difficultas accedit in legendo. Vitiatum enim eſt marmor injuriis temporis nonnullis locis, ut in ultima etiam littera quarti verſus, & quincti. Et quanquam alibi nimia vicinitas, alibi ambigua forma litterarum, cum parvitate ferme ubique conjuncta, ad ſuſpicandum moveant tum alicubi alia, tum in verſus quarti fine legendumne ſit FRA, in ſexte autem IVSTA; nam FAVSTA, aut FVSCA ſculptum non fuiſſe, evidens eſt; illa tamen ſupereſt dubitatio, quomodo hæc Scribonia, & Scribonius Frontinus ejus frater, ſi Scribonio etiam Pio Fratri hoc monumentum feciſſent, adſcribere potuiſſent *Parentibus*; aut ſi ille non frater, ſed parens fuit, tres Parentes habuiſſent; niſi forte exiſtimas, Scriboniam quidem illam primam utriuſque horum qui fecerunt, fuiſſe matrem, Scribonii autem Frontini fuiſſe patrem Scribonium Secundum, & ſororis Frontini Scribonium Pium.

9. Verum ad planiora veniamus, quale monumentum eſt quod parens Voluſius filiæ poſuit nondum ſexenni.

CLODIAE
PRIMIGENIAE
V. A. V. M. VI.
L. VOLVSIVS
ANTIGONVS. F
CARISSIMAE
FECIT

aut hoc quod Vir Vxori,

D. M
T. FL. CHRE
SIMVS FE
CITRVTILI
AESECVN
DAE CON
IVGIRARIS
SIMAEBEN
MERENTI
FECIT

Socordiam Sculptoris tantam alias animadvertiſſe, non memini, ut FECIT bis poneret in lapidis præſertim ſpatio; ut tibi vel coarctatio litterarum oſtendit, anguſto. Si quid diſcrepent in lapidibus T. & TI. cogitaveris; non idem hic ſignificari videbitur *Ti. Fl. Chreſimo*, qui Flaviæ libertæ monumentum poſuit, ut eſt apud Gruterum pag. 1151. 3. etiamſi non

(1) Epiſt. V. n. 12.

Digitized by Google

non addas, quid differant *Chreſimo*, & *Chreſimus*, & Hiſpania, ubi illud eſt, & Italia. Ad Chreſimum alterum, at ſervum, hoc marmor attinet in Arce eadem.

CHRESIMUS ATRIENS | CAPTVS A. CORINTHIS

Quænam *Atrienſis* inter Servos eſſent officia, æque ac ego, ex Latinis Scriptoribus noſti, & ex eorum Interpretibus, & eruditis aliis Viris, in primiſque ex Pignorio (1), & Pitiſco (2). Sed & alia legeris marmora ad Atrienſes ſpectantia tum apud Reineſium (3), tum apud Gruterum, qui pag. 579. 5. in eodem lapide proponit cum Baronio *Atrienſi* Lajum *a Corinthis* non diſſimili modo ac in noſtro factum vides. Sic autem qui Corinthia vaſa aſſervabant, deſignabantur, ut legeris apud laudatum Pignorium (4), qui illam, aliamque Inſcriptionem habet extantem apud Gruterum. Hic inter cæteras illam quoque habet ibidem n. 10. quam hanc Meldulenſem omnino eſſe, crederes, niſi & Romæ eſſe diceretur, nec *Captus* haberet, ſed *C. Aptus*. Sed quanquam Gruterus plures *Aptos* profert, nullum *Captum*; proferri ab aliis fortaſſe poteſt, & certe in lapide hoc Meldulenſi nec ullum veſtigium puncti eſt, nec ſpatiolum ullum inter C & A. Haud procul eſt aliud marmor huic ſimile, & ſimili ſubobſcura interjecta lineola inter libertos duos, ſubdiviſum,

L. CORNELIVS CALLISTVS | L. CORNELIVS GETA

Libertos dixi; certe a L. Cornelio manumiſſum utrumque fuiſſe, prænomen, & nomen Patroni indicat utrique commune; proprium autem quod antea, cum ſervi eſſent, nomen erat, cognomen nunc factum, Calliſtus videlicet, & Geta; ſervile autem utrumque hoc nomen fuiſſe, & Veterum libri, & Inſcriptiones crebræ confirmant. Ad Libertum quoque, & ad Cajæ Libertas lapis attinet.

P. OCTAVIVS. CHRYSEROS
OSTORIAE. Ↄ. L. AVXINI
CONIVGI. SVAE. ET
OSTORIAE. Ↄ. L. CHIAE

Harum pariter Libertarum alteri nomen fuerat *Auxini*, quod aliis in lapidibus legiſſe, non memini, alteri autem *Chiæ*, quod in quibuſdam legi. Neque unus modo occurrit, aut alter cui cognomen fuerit Chryſeros. Multi vero Hermetes, & Sympheruſæ, quæ nomina erant Conſervis de quibus hoc marmor Meldulenſe,

HERMETICONSER
SVO BENEMEREN
SYMPHERVSA
FECIT

10. Denique ad eos lapides in quibus diximus *Carpi* nomen inſculptum eſſe, veniamus. Id nomen ſervile fuiſſe, vel ea oſtendunt quæ de ſervo obſoniorum ſciſſore apud Petronium (5) legeris in cœna Trimalcionis. *Vides*, inquit, *illum qui obſonium carpit? Carpus vocatur; itaque quotieſcunque dicit, Carpe eodem verbo & vocat, & imperat*. Inſcriptiones autem plures profert Gruterus, in quibus aut diſerte ſcriptum eſt *Carpus Aug. Lib.* & *Carpus Cæſaris Lib.* aut ſigla L ſubjungitur, aut ſi prænomina, & nomina Gentium nobilium cognomini *Carpi* præpoſita attendas, adjectave alia conſideres; manumiſſos eos Carpos fuiſſe, facile intelliges. Hujuſmodi unam Romæ extantem indicat idem pag. 775. 7. *in Palat. Carpenſi* ob eandem fortaſſe cauſam propter quam tot Meldulæ quoque conſpici, ſupra a nobis dictum eſt. Quarum una ſic habet;

FLO-

(1) Comment. de Servis Edit. 2. pag. 221. & ſeqq. (2) in Atrienſis.
(3) Cl. XI. n. 39. (4) pag. 104 (5) Satyric.

Digitized by Google

FLORAE
L. LAELIO. CARPO
TERPSIS. MATRI. ET. VIRO
SVIS PIISSIMIS. POSVIT

Altera autem sic,

CARPVS. LAINI
SORORI. ET
SALVIO. PIST

Sororis nomen ita uti vides, scriptum est. Num ut aliquando AI pro AE positum videmus, puta in *Aimilio* pro *Aemilio*, hic legemus LAENI? Invenitur certe in lapidibus LAENIA quædam. In superiore vero marmore ne suspiceris, litteram deesse propterea quia apud Gruterum pag. 787. 6. scriptum videris *Genainia Therpsidi*; in nostro certe est, ut descripsimus, TERPSIS. Cæterum *Salvius Pistor* fortasse Carpi erat conservus, ut in eo lapide quem habet Reinesius Cl. XI. n. 31. ab Elaphione positum *sibi*, *& Primo Conservo suo Pistori Marcellæ*. De Servis autem Pistoribus nonnulla attigit Pignorius (1). Et ad Pistores Inscriptiones spectantes produxit Gruterus, quibus & modo descriptam adjunges. Cogitabis autem, quomodo legendus sit versus secundus in hac tertia.

CARPVS
SOCIOR. VICENS
SIBI. ET. HERACLAE
FRATRI FECIT

Num *Sextum?* num *Sexies* non dico *Censorem*, aut *Censitorem*; sed num *Consualem Sociorum?* Neque intelligo ut in libris Jurisconsultorum; sed ut inter Servos aliquid indicat ubi de Dispensatore agit (2) sæpe laudatus Pignorius. Quo sensu num legemus *Sociorum Sex?* Verum nolo ineptire. Divinare quoque oporteret, si quis supplere vellet Inscriptionem quartam, cujus nimirum dimidia, aut tertia pars deest.

M
CARPVS
CARPO
NTISSIMOFECIT
IC LA. LOCO SIBI
ET GEMINIAEPAN
M. LVCCEIΩHER

Lapis hic sepulchralis Carpo quidem positus fuisse videtur. Nec difficile est conjicere, initium quarti versus fuisse fortasse *Filio*, aut *Fratri Innocentissimo*, aut *Pientissimo*. Videntur autem versus reliqui non ad illum Carpum, sed ad alios pertinuisse, ut puta si qui, empto *loco*, *fecit* monumentum, hoc *sibi* quoque, aliisque servavisset, & in his *Geminiæ Pannychi*, si placet ita supplere, fortasse uxori, & *M. Luccejo Heredi*, cujus nominis ultima littera a Sculptore pro latina sic græca posita est. Nec tamen hæc, aliaque constant, multoque minus prænomina, & nomina utriusque Carpi quæ fuerint; imo neque hoc ipsum cognomen ejus qui fecit, fuisse Carpum. Fuisse enim dicerem, spectato filii cognomine; si tamen is & filius, & Carpus fuit; sed cum versuum initia desint; pro certo non scio, fueritne uterque Carpus, an Eucarpus. Nam & Eucarpi in marmoribus quæ Gruterus exhibet, plures leguntur. Quin ultimum quod in Meldulensi Arce spectavi, cæteris & grandius, & ornatius, ad Eucarpum attinet. Hæc enim habet,

D. M
C. MARIO. EV
CARPO. FECI
T. CYPRESSEN
A. SERVANDA. COIV

Nomen quidem *Servandæ* in lapidibus non semel legi; Cypresenæ vero non recordor. Est autem in hoc lapide non unum indicium jam inclinantium bonarum artium, ut litterarum forma, & magis ipsa, quam vides, earum distributio in marmoris mole alioquin, ut dixi, grandiori, sed cujus modica pars inscribendis verbis est data, multo maxima ornamentis, his quoque non satis affabre sculptis. Quæ tamen sint, dicam. In tympano, ut vocant, aves

(1) Commentar. cit. de Servis pag. 45. & 248.

(2) Ibid. pag. 155.

Digitized by Google

aves ſunt duæ, an turtures? quarum altera demiſſo capite videtur paſci. Infra tympanum, ab ſingulis Inſcriptionis lateribus ſingula prominent bovis, an capri cornuta capita. Ab his utrinque incipiens, magnus deorſum pendet, quaſi ex hederæ foliis, bacciſque lemniſcus: quem inter, & Inſcriptionem imaguncula apparet tanquam nudæ fœminæ in tranſverſum porrectæ, quæ velum, deſuper in tranſverſum pariter ductum, ita manibus arripiat, ut velle caput operire videatur. Denique ad ſingulos inferiores marmoris angulos aves aliæ ſingulæ ſpectantur, ſuperioribus majores, & quas, ſi ex roſtro judices; de rapacium genere eſſe, credas.

11. Ex his omnibus quas deſcripſi, aut commemoravi, Inſcriptionibus nullas pulchrioribus, meliuſque diſtributis litteris eſſe, ſcias, quam ex deſcriptis Cladianam, ex commemoratis autem Valerianam, & quod ex Deſtimiana reſtat. Ne vero in his tanto poſt tempore tibi affirmandis falli poſſem, non tam memoria, adnotationeſque fecerunt meæ, ex quo primum inſpexi, aut poſtea contuli, quam ejus quem tibi merito laudavi, & laudo, Meldulenſis Medici Camilli Brunorii ſumma erga me humanitas, & incredibilis diligentia, qua, ut ante oculos habere etiamnum poſſem jam ab anno uſque 1722. ita uti eſſe videram, & poſtea etiam vidi anno 1728. & 1733. deſcripta marmora hæc omnia, litterarum forma, & diſpoſitione ſervata, & proprio cujuſque loco, ac dimenſionibus adjectis, ad me miſit. Proximis Litteris e diverticulo, tibi, ut opinor, minime injucundo, in viam redibimus. Vale.

EPISTOLA ÆMILIANA XIII.

IIs quæ Roncho adjacent ab occidente ſole, expeditis, priuſquam ad ea aggrediar quæ ab oriente appoſita ſunt, aliquid de nobili, quam illud denique flumen interfluit, pinea Silva attingendum eſt. Medicus Ravennas Thomajus (1) cum memorat „ pulchram ſilvam duorum Pine„ torum „ an ad fluvium hunc, intercurrentem, eoque in duas dividentem, reſpexit? Qui cum interfluat a longo jam tempore Montono conjunctus; error irrepſerit, neceſſe eſt, in libros Geographi recentiſſimi, ubi Pinetum „ inter duo flumina „ vi„ detur deſcribi „ Montonum videlicet, „ ac Ronchum „ Nec leviter in eo quoque peccatum eſt, quod in Pineti deſcriptione, magnum eſſe tractum refertur „ inter Ravennam, & Ferrariam, qui pinis „ totus conſitus ſit „ idque admiratione magis dignum eſt, cum eodem in Opere Pinetum dicatur „ ab Anemone ad Sa„ pim uſque fluvium extendi prope maris „ Adriatici littus „ Quod aut verum, aut propemodum verum eſt. Namque & ante oſtium Anemonis, ut nunc ſe habent res, incipit, & ultra Sapim ad tria paſſuum millia a Cluverio (2) producitur ad Templum uſque vulgo propterea dictum *S. Maria del Pino*. Interea autem idem Cluverius ut a Claſſenſi portu illuc uſque Pinetum extendit, ſic oblitus videtur alterius partis quæ ad Anemonem, aut ultra Anemonem pertinet, Paulumque Merulam (3) ſecutus, qui *nemore hoc vaſtiſſimo, pinis mira altitudinis frequenti*, a Sapi Ravennam verſus deſcripto, ſemel, iterumque ad hunc modum pergit. *Extra Pinetum, Candiani Amnis, nunc Paludis, oſtium ſequitur.*

2. Pinetum olim tractum illum omnem, quem nunc, occupaſſe, nemo dixerit, qui Ravennam mare perveniſſe, non ignoret. Eam tamen littoris partem, quæ hinc ultra Claſſenſem portum, inde vero inter mare, & Auguſtam Foſſam extenebatur, tenere potuiſſe non inficiabitur. Ibi vero ab Romanis conſitum fuiſſe (quæ nonnul-

(1) Hiſt. di Ravenna P. 1. c. 1. (2) Ital. Antiq. l. 1. c. 28. (3) Coſmogr. c. 10 & 12.

Digitized by Google

nullorum opinio est) ut materiam construendis ad classem navigiis in promptu a posteris haberetur, a veri similitudine non adeo alienum est, ut Faventini putant Historici Kavina (1), & Tondutius (2). Nam quod Silius (3), qui sub Trajano vivebat, scripserit,

undique soleis
Arva coronantem nutrire Faventia pinum,

de Ravenna autem

Quippe gravi remo limosis segniter undis
Lenta paludosa perscindunt stagna Ravennæ;

certe neque stagna ibi etiamtum fuisse, significat, ubi hinc & hinc propter littus pinos conseri potuisse, diximus, & ex proximo Faventino agro in quo arbores illæ frequentissimæ erant eo tempore, facultatem summam fuisse, indicat, accipiendi aut nuces pineas, quotquot vellent, aut teneras adhuc pinos, in idque littus transferendi. Huc adde rem Silium potuisse; ne dicam debuisse; spectare, non ut erat, cum scriberet, sed ut fuisse, audiverat, cum bellum Punicum secundum, cujus repræsentabat tempora, gereretur: nec denique (4) silentium ipsius, aut aliorum qui ante Odoacris, & Theoderici pugnas scripserunt, firmum apud Criticos argumentum esse, ut ea quæ illi reticuerint, putemus non extitisse. Quod si cum Odoacris, & Theoderici castra prope Ravennam posita memorantur, ibi Jornandes (5), Paulus Diaconus (6), ut plerique credunt, aliique *Pineta*, aut *Pinetum* hoc fuisse tunc, scribunt, ea autem contigerunt ante finem sæculi V. nec potest, nisi longissimo tempore, ejusmodi pinea silva procrescere; jam satis vides, num recte existimaverit Tondutius (7), Pinetum Ravennas adeo antiquum non esse, ut fuerit priusquam ethnici esse desinerent. Quod cum dico, non tamen judico, quid de Inscriptione censendum sit, vetusta, ut Rubeus (8) scribit, & Romæ effossa, qua *sylvam hanc Classis Ravennatis* Neptuno, & Isidi sacrasse legebatur L. Antidius Ferox L. F. Præfectus illius Classis: multoque minus astipulor Vecchiazzano (9), precariis rationibus statuenti, Ferocem illum, Oliæ Tertullæ Foropopilienſis maritum fuisse, primumque ei Classi Præfectum ab Augusto datum, Pinetum continuo sevisse. Sed ut hæc nullo certo fundamento sunt nixa; ita illud extra dubitationem positum est, ex quo Pinetum esse cœpit, viguisse adeo, ut quamvis anno 1224. quemadmodum tradit Rubeus (10), sive anno 1234, quemadmodum Clementius (11), præ insolita immanique vi frigoris totum, aut maximam partem exaruerit; redivivum convaluerit postea, exindeque ad hoc usque tempus perennaverit.

3. Nunc age, ad ea transeamus quæ Ronchum flumen transgressis, & ad orientem solem pergentibus occurrunt, alterum in Æmilia via, alterum aliquanto superius, Forum Popilii, & Bertinorium. Abest utrunque ab Roncho illud ad millia passuum duo, hoc totidem, aut aliquanto amplius. Neque alius est amnis qui inter illa, & Livii Forum defluat præter Ronchum, qui ab hoc Foro, ut nosti, millia passuum distat duo. Ex his proclive est intelligere, quot errores in Tabulas plurium Geographorum irrepserint. Nam si Vir Cl. de l'Isle, ut in alia Epistola (12) adnotatum est, nullum omnino Ronchum, qui tamen non ita parvus est fluvius, delineavit; contra Ortelius (13) & Cluverius (14) pro uno duos amnes pinxerunt. Nam præter unum, qui ab oriente (id quod omnino falsum est) Livii Forum perstringit, alter est apud Cluverium perstringens ab occidente Forum Popilii, apud Ortelium autem ab opposita plaga perstringens Bertinorium; Forum enim Popilii pingitur, si Superis placet, ultra Rubiconem. Cellarius (15) unum quidem proponit;

(1) Faventia Rediviva. (2) Histor. di Faenza, Prelud. (3) De Bello Punico l. 8.
(4) Vid. Tonduz. Hist. P. 1. (5) Hist. de Reb. Getic. c. 57.
(6) Hist. Miscel. l. 15. (7) P. 1. cit. (8) Hist. Raven. l. 3.
(9) Hist. di Forlimpop. P. 1. l. 3. (10) Hist. cit. l. 6.
(11) Raccolto Istor. di Rimino l. 4. (12) VIII. n. 11.
(13) Tabula inscripta Italia Gallica.
(14) Tabula quæ inter Ortelii Geogr. Vet. Tabulas Italiam repræsentat.
(15) Notit. Orb. Ant. Tabula inscr. Gallia Cisalpina.

Digitized by Google

nit; ſed non modo procul ab Apennino in planitie ortum, noſtroque adſitum Foro ab oriente, Ravennæ autem ab occidente; ſed ita ductum, ut Bertinorium medium ferme ſit inter illum, & Sapim, Forum autem Popilii magis quidem ab hoc, quam ab illo, diſſitum; ſed Ravennæ multo vicinius, quam Forum Livii. Quod minus in eo mirandum eſt, qui (1) ab hoc Foro docuit *ad mare vergere Forum Popilii*. Equidem in recenti Braſchii Præſulis Tabula (2) viam Æmiliam video ab noſtro Foro vergentem oblique mare verſus ſecundum lineam quæ producta incideret propemodum in Cæſenatem portum, itaque Forum Popilii magis, quam Livii, & multo magis Cæſenam, quam Forum Popilii, mari vicinam delineari. Quin etiam alia in Tabula quæ præfixa eſt Diſſertationi *de Italia medii ævi* pictum video *Forum Pupillu*; ſic enim inſcribitur; longe propius mare, quam Cæſenam, &, quod non levius erratum eſt, in eadem in qua hanc, ripa Sapis orientali. Nos maris quidem littus quo longius ab noſtro Foro pergimus Cæſenam verſus, propius ſenſim fieri Apennini radicibus, non negamus ſic, ut minus a mari Cæſena diſtet, quam Forum Livii, ſed & quam Popilii. Hæc tamen ita accipi, nolumus, quali illa magis quam hæc Fora, in boream vergeret. Cum enim turrim quæ in urbe noſtra omnium altiſſima eſt, aliquando conſcendiſſemus, & hinc Forum Popilii, & Cæſenam, inde autem Faventiam ſpectaremus, perattente ſingulorum poſitum conſiderantes, in recta quidem eadem linea Faventiam, Forum Livii, ac Popilii eſſe, perſpeximus, ſic tamen ut Faventia magis in boream, Forum Livii magis in auſtrum, & vel hoc magis vergeret Forum Popilii, & aliquanto magis quam hoc, Cæſena; ut ſi hanc ultimam urbem excipias, noſtra obſervatio ſatis cum Cl. Viri de l'Iſle delineatione (3) conveniat.

4. Etſi Barbarus (4) aſſeverat, in bonis Plinii codicibus legi *Forum Pompilii*, in nonnulliſque horum *Forum Popillii*, nec deſunt qui, ut Ortelius (5), & Ferrarius (6), inter utrumque nomen ambigant; Blondus tamen in Hiſtoriis (7) ſcribere maluerat *Foropopilli*, & *Foropopilio*, & Sigonius (8) *Foro Popillii*, & Cluverius (9) denique, ac Cellarius (10) ſcripſerunt *Forum Popilii*. Sed & ante hos duos Paulus Merula (11) eodem inclinare ſe, oſtendit, ideoque ob vulgarem appellationem *Forlimpopoli*. Hanc autem multis jam ſæculis alia præceſſerat, quæ pariter ex Popilii potius quam Pompilii, corrupto nomine videtur initium duxiſſe, *Forum Populi*. Apud Clementinium (12) tam in Litteris Valentiniani A. 426. quam in Litteris Gregorii Magni A. 595. *Forumpopuli* memini legiſſe. Produci etiam poſſent Tabula Peutingeriana, & Iter Hieroſolymitanum, in quibus *Foro populi* ſcriptum videmus, niſi cum Cluverio (13) dubitaremus, ea librariorum eſſe peccata; nec mirum, cum in ipſis locorum intervallis deſignandis ibi apertiſſime erraverint. Quorum vel manifeſtior inſcitia eſt in Ravennatis Anonimi Coſmographia, ubi (14) ſcripſerunt, *Foro Corneli*, *Faventia*, *Forum Julii*, *Forum Populi*, *& deſuper Befania*, *Ceſina*, *& deſuper Seſena*, *Monte Feletre*, *Orbino &c.* Ut enim Anonymus iſte, quem *Guidonem* Blondus (15) aliique nominant *Presbyterum Ravennatem*, ſe *idiotam* prædicet (16); tamen cum ibidem Ravennatem ſe dicat, quis cenſeat, ignorare potuiſſe proximæ urbis nomen haud eſſe *Forum Julii*, ſed Forum Livii, aut ſcribere *Ceſina* pro Cæſena, & *Monte Feletre* pro Mons Feretranus; niſi malis, ibi reſcriptum fuiſſe a quopiam italice *Monte Feltro*: quæ ſcripturæ menda tam certa miror, ne in recenti quidem Editione (17) fuiſſe notata. Quin etiam ſuſpicor, illa *deſuper Befania*, quam vocem ibi non intelligere me, fateor, & *deſuper Seſena*, irrepſiſſe in textum ex libri ora, in quam alii cautiores librarii, deſcribentes, quid ſupra *Forum Populi*, & *Ceſina* ab aliquo inter lineas ſcriptum eſſet, addita,

(1) Ibid. l. 2. c. 9. n. 89. (2) De vero Rubic. c. 9. (3) Tab. inſer. l' Italie.
(4) Correct. Plin. (5) Theſaur Geogr. (6) Lexic. Geogr.
(7) Dec. 3. l. 1. (8) Hiſt. Bonon. l. 1. (9) Ital. Antiq. l. 1. c 28.
(10) n. 89. cit. (11) Coſmogr. P. 2. l. 4. c. 12. (12) Raccolto Iſtor. di Rimin. l. 2.
(13) c. 28. cit. (14) l. 4 n. 33. (15) Ital. Illuſtr. Reg. 1.
(16) n. 31. (17) Lugd. Bat. 1722.

Digitized by Google

addita, ut hoc significarent, voce *desuper*, recte olim transtulissent. Sed si Presbyter is Ravennas IX. sæculo; nam alii VII. alii post IX. scripsisse, malunt; *Forum Populi*, quod superiores quoque fecisse, vidimus, non *Forum Popilii* nominabat; tanto magis laudandus in eo est Ravennas Abbas Agnellus, IX. sæculi scriptor, quod (1) inter Cæsenates, & Livienses, *Popilienses viros* nominaverit, cives videlicet Fori non Pompilii, sed *Popilii*: quod Cl. Wesselingius (2) poterat ad hunc, quem produxit, Agnelli locum adnotare. Cæterum etsi non Agnellus dumtaxat, sed & Paulus Diaconus non ita multo antea, ut mox indicabitur (3), haud aliter locutus fuerat; sæculo tamen XII. ad consuetudinem redierant sæculi V. & VI. Itaque ipsa Ravennas Ecclesia, sicut in Documento est, quod in hoc Tabulario Monasterii S. Mercurialis servatur, ad annum spectante 1165. non *Popilienſis*, sed *Populienſis* scribebat, inter cæteros, qui aderant, vicinos Episcopos mentionem faciens *Henrici*, *Populienſis Ecclesiæ Episcopi*.

5. Fora alia simili, vel potius, si Cluverium (4) sequimur, eodem cognomento, longe alibi sita, occasionem Geographis, aliisque dedere hoc nostrum cum illis confundendi. Ortelius, qui in Thesauro, eorum plura commemoravit, antea in Synonymia Geographica hoc a Campano illo Halicarnassæi non discreverat. Sed in Thesauro *Foropopulienſes*, tanquam Plinio dictos, memorat, & *Forum Populi numeratum a Frontino inter Colonias Romanas*, in eo laudandus, quod hoc, & illos ab iis sejunxit de quibus hic loquimur; secus in eo quod scripsit *Foropopulienſes*, & *Forum Populi*. Ferrarius (5) cum bene scripserit *Populi Foropopulienſes Plinio*, qui tamen haud satis scio, an eorum injiciat mentionem; se credere, ostendit, non alios esse, ac Popilienses nostros. Cujus in sententiam pedibus ivit nuperrime Cl. Geographus, sine ulla dubitatione affirmans „ esse hoc *Forum Popilii*, quod nomen „ dederat Populis *Foropopilienſibus* Plinii. „ Forum autem illud Popilii, quod apud Frontinum legitur, ut dixi, corrupto vocabulo *Forum Populi*, neque a Cluverio aliud censetur, quam Campanum, de quo paulo ante indicatum est, ansam præbuit Vecchiazzano Popilienſium nostrorum Historico (6), non modo idem ac suum fuisse, credendi; verum insuper, ut id confirmaret, in apertissimum errorem labendi. Cum enim locum Frontini proferat in quo de Foro illo Populi locutus, *Pedes XV. limitibus Augusti* assignat, huc omnino pertinere censet marmor, quod apud suos extat ad Publici Palatii portam, sic inscriptum, ut ipse quidem refert,

MATRI
IN FOR. P. XV.
IN AGR. P. XV.

Quæ cum legerem; continuo sensi, a sepulchrali Inscriptione, cujus ea verba pars olim fuissent, fucum homini esse factum, neque ad Forum, sed ad sepulchri frontem, id est ad proximam anteriorem aream, neque ad Matrem Magnam quam colerent Popilienses, sed ad ejus Matrem, qui posuerat, illa spectare. Itaque cum a Vincentio Galbanio, Cive, & Auditore olim meo studiosissimo, qui tunc ibi medicinam, merito conductus, faciebat, petiissem, ut marmor diligenter inspiceret; rescripsit is, quod expectabam, non IN FOR. legi; sed IN FRO. Vix rescripserat, cum in Kavinæ (7) locum incidi, ex quo cognovi, idem quod ego, ipsum quoque *diu suspicatum*, suis *tandem oculis* non aliter, quam Galbanius, *vidisse*.

6. A quo Popilio conditum fuerit hoc Forum, Sigonio ipso (8) fatente, incertum est. Qua autem amplitudine, quibusve ornamentis, magis procul dubio constaret, ni tantas clades semel, atque iterum perpessum esset. Nam primum Grimoaldus *Forum Popilii* invadens, maxima strage facta, sic *eandem urbem dejecit, ut usque hodie pauciſſimi in ea commaneant habitatores*. Verbis utor Pauli Diaconi (9), qui mortuus censetur extremo sæculo VIII. Ea autem clades illata fuerat anno 674. ut

(1) Lib. Pontific. P. 2. c. 3. (2) in Not. ad Vet. Rom. Itiner. ubi de Itin. ab Urbe Mediolan.
(3) n. 6. (4) c. 28. cit. (5) Lexic. Geogr.
(6) Hist. di Forlimpop. P. 1. l. 1. e La Verità difesa contra Bertinoro.
(7) Faventia Rediviva. (8) Hist. Bonon. l. 1. cit. (9) De Gestis Longobardor.

Digitized by Google

annos ipsos trecentum septuaginta urbs jacuerit in ruinis; si non nisi anno 1045. a Forolivienſibus inſtaurata eſt, ut in Patriæ noſtræ Chronicis legitur, manu exaratis Alexandri Paduanii. Multo quidem breviori tempore iterum jacuit, cum excisa ab Ægidio Cardinali anno 1359. ab Sinibaldo Ordelaffo, Forolivii Domino, rursus ædificata eſt anno 1380. ut in iiſdem habetur Chronicis. Sed nunquam tamen in priſtinum decus eſt reſtituta. Nam neque ſacrum recuperavit corpus S. Ruſilli, primi ejus Epiſcopi, quod anno 1367. e ruinis illis fuerat in urbem noſtram translatum, neque Epiſcopalis ſedis honorem, quæ, Ægidio jubente, Bertinorium traducta fuerat.

7. De Bertinorio igitur perperam hoc ſcripſit Cluverius (1), *epiſcopalis dignitas loci antiquitatem indicat*, mirum in eo qui dixerit, eſse oppidum *nunc* epiſcopale. Nec tamen ſcite contra ejus antiquitatem prolata hæc ſunt ab Liceto (2), *Forum Truentinorum, vulgo* Bertinoro, *tempeſtate Landini, caſtrum fuit, & obſervatu Leandri recens Urbis nomen aſſumpſit anno Domini MCCCLXX. ab Ægidio Carilla &c. Nec ævo Strabonis, aut Ptolemæi Truentinorum ulla mentio fuit.* Nam Plinius (3), qui ante Ptolemæum certe floruerat, in Regione hac noſtra ſic habet, *Forum Clodii, Livii, Popilii, Truentinorum, Cornelii.* Landinus autem, qui centum, aut eo amplius, annis ſcripſit poſtquam Bertinorium (id quod Licetus agnovit) Urbis nomen aſſumpſerat, equidem neſcio, quomodo illa ſua loquendi ratione aptum præbere eidem Liceto argumentum potuerit. Ad paulo ſuperiora ſæcula redire oportebat. Sic enim apud Rubeum (4), exempli cauſa, Documentum repertum eſſet anno 1142. memorans *Caſtrum Britonorii*, anno autem 1052. Teſtamentum Girardi *Comitis Caſtri Britonorii*. Ex Britonorio deinde factum eſt *Brettinorium*, quamobrem Dantes (5), ut in vetuſtis ejus Editionibus, & manu exarato Codice vidimus, dixit, *O Brettinoro*, & *Bretenorium*, ut apud Blondum (6) eſt, & *Brectonorum*, ut apud Volaterranum (7). Nonnullis, ut Blondo, vetus nomen dici *Britanorum*, ajunt Paulus Merula (8), & Abrahamus Ortelius (9), ſuſpicantes, ex vulgari appellatione latinam illos eſſe commentos. Ego vero, Blondum in Italia Illuſtrata (10) video ſcripſiſſe, a Plinio *inter quatuor Fora enumerari* hoc *Forum Brintanorum*; non *Britanorum*; nam id nomen repetit ab Umbriæ apud Ravennam ultimo oppido, quod modo ab eodem Plinio *Brintum* vocatum eſſe, dixerat, *Brintum* autem illud Forum Brintanorum, hoc eſt Bertinorium, Plinio fuiſſe. Itaque apparet, optimum virum a peſſimis Plinii codicibus eſſe deceptum, quod Ortelius quoque in verbo *Brintum* accidiſſe veretur. Mihi vero, quid imponere potuerit, cogitanti credibile fit, *Brintum* ibi in Blondi codice Pliniano per incuriam ſcriptum fuiſſe, ubi nunc legimus (11), *nec procul a mari, Umbrorum Butrium*, de quo inter Ravennam, & Spineticum Padi alveum agnoſcendo Epiſtola alia (12) ſatis dictum eſt: ubi autem loco ſuperius producto, cum Volaterrano, Leandro (13), Ortelio (14), P. Merula (15), Cluverio (16), Liceto (17), Hardvino (18) inter Fora illa alia Forum legimus *Truentinorum*, ibi a Blondo inventum eſſe *Brintanorum*. Quod quidem minus mirum eſt, quando non modo ſub Blondi tempus Berlinghierius (19) idem oſtendit, ſe inveniſſe; verum noſtra quoque ætate non defuit qui in tribus codicibus, *Truentinorum* non invenerit; ſed *Brentanorum*. Nec vero inficias iverim, Plinium memorare *Forobrentanos*. Sed primum dixerim, id facere capite ſuperiore 14. non hoc, de cujus agimus loco, 15. Deinde dixerim, Blondum ipſum non ſemper legiſſe *Brintanorum*; ſed aliquando *Trienniorum*. Hæc enim habet Hiſtoriar. Dec. 1. lib. 1. *Eſtque is Pollentiæ vicus vetuſto Trienniorum Foro, quod nunc dicitur Bretenorium, ad paſſus II. mill.*

(1) Ital. Antiq. l. 1. c. 28. (2) Apolog. pro Cæſen. Antiqu.
(3) Nat. Hiſt. l. 3. c. 15. (4) Hiſt. Raven. l. 5. (5) Purgat. c. 14.
(6) Ital. Illuſtr. Reg. 6. & Hiſt. Dec. 1. l. 1. & Dec. 3. l. 1. (7) Comment. Urb. l. 2.
(8) Coſmogr. P. 2. c. 12. (9) Theſaur. Geogr. (10) Reg. 6. cit.
(11) c. 15. cit. (12) III. n. 12. (13) Deſcrit. di tutta Ital. Reg. 14.
(14) Theſ. cit. (15) c. 12. cit. (16) c. 28. cit. (17) Apolog. cit.
(18) in ſua Plinii Edit. (19) Geogr. in terza rima l. 3. c. 6.

Digitized by Google

mill. propinquus. Utraque hac Blondi lectione *Brintanorum*, & *Triennivorum* mirifice abusus est Gaudentius Merula (1). Primum namque cum alteram Blondus in altero Opere secutus esset, ut Scriptori licet, tempore, & novis perquisitionibus interjectis, sententiam mutare; utramque Merula lectionem in uno eodemque Opere ita retinuit, ut summæ aut inconstantiæ, aut oblivionis notam effugere nequeat. Ad hæc utroque loco errores admisit non ferendos. Ubi enim scribit (2), *In Apennini colle, Brintanorum Forum visitur: quod alii Forum Pompilii nominant, nunc Bretonorium vulgus appellat. ---- Hanc novissime urbem Longobardi vastarunt;* vides, ut Forum Pompilii, & Bertinoriam non discernat. Quod cum hic vocet Forum *Brintanorum*, oblitus est sane, fuisse superius ab se scriptum (3), *A Pollentia abest duob. fere mill. pass. vetustissimum Triennorum forum: quod hac ætate Bertinorium vocamus*. Sed gravius in eo peccat, quod Pollentiam quam esse, fatetur, inter Alexandriam, & Astam, Bertinorio dicit esse vicinam; qui enim illud ajat; quonam is modo inducere in animum possit, non differre Pollentiam illam ab hoc vico, cujus nomen Blondo imposuerat? Est sane Bertinorio proximus collis, cujus summum reliquiæ tenent oppidi olim exigui, quod Polentam adhuc appellant, unde originem, nomenque traxere Polentani illi qui Ravennæ centum quinquaginta annos imperarunt. Sed quid hoc ad oppidum illud prope Tanarum amnem situm?

8. Cæterum cum reliqui, a me supra (4) laudati sine ulla hæsitatione in Plinio legant *Truentinorum*, cum iisque ita faciat Kavina (5), ut in cunctis quos inspexit, codicibus haud aliter ab se inventum affimet; credibile est, in illa ipsa voce *Triennorum* vestigia latere corruptæ vocis legitimæ *Truentinorum*. Sed Kavina, & Ferrarius (6), alius alia ratione adducti, non credunt tamen, Forum Truentinorum esse Bertinorium. Et Kavina quidem hoc objicit, Truentum a Plinio, non in hac nostra, sed in quinta Regione collocari. Quod non modo non negamus; sed ea insuper agnoscimus quæ Cluverius (7), & Harduinus (8) ex Epistola apud Ciceronem, Strabone, & Mela de castro memorant, aut oppido Truentino. At Truentinum tamen Forum, aut Forum Truentinorum ibi non memorant. Quod siquis adhuc scrupulus restat, iis eximi facilius potest, qui ex vetusto lapide ab Ortelio, Paulo Merula, Cluverio, Harduino, ubi de Bertinorio hos agere diximus, commemorato, in quo legitur CUR. REIP. FORODR. non secus ac in altero PATR. MUNICIPIORUM FORODRUENT. &c. arguant cum (9) *veriorem* Truentinorum, de quibus loquimur, *orthographiam* esse per D. qua ratione hos a Truentinis illis Regionis quintæ satis differre, intelligatur. Quæres fortasse, ubi extet uterque lapis, suspicans, ad Truentinos illos alios spectare, aut ad Forum aliquod propter flumen Druentiam situm, eoque dictum Druentinorum. Sed hanc secundam suspicionem deponito. Neuter enim lapis in Gallia est, neque Fori ullius eo nomine apud Druentiam notitiam habemus. Quin in quadam, ab eodem Cellario (10) indicata quæ ad Druentiam attinet, Inscriptione positum videmus PATRONO NAUTARUM DRUENTICORUM; non DRUENTINORUM. Cæterum alter lapis non ita dissitus erat a Bertinorio: alter, ut longe absit; tamen multo longius abest a Truento, quam a Bertinorio. Est Parmæ, & ad Parmensem quoque Coloniam spectat (11): Arimini autem extabat alter, simulque ad Arimini Coloniam attinebat. Vicosque ejus septem; aliud autem Coloniam Ariminensem fuisse, aliud Vicos eos septem, in quos distributam ipsam urbem fuisse Cluverius (12) credidit, cum in agro potius aliis extitisse videantur, Inscriptio ista ipsa ostendit, Coloniam, Vicosque illos aperte distinguens *Cur. Reip. Forodr. Patr. Col. Arim. Item que Vicanorum Vicorum VII.* Aliter autem ac Kavina,

(1) De Gallor. Cisalp. Antiq. (2) l. 2. c. 18. (3) l. 1. c. 2. (4) n. 7.
(5) Faventia Rediv. (6) Lexic. Geogr. (7) Ital. Antiq. l. 1. c. 11.
(8) ad id Plinii caput. (9) Notit. Orbis Antiq. l. 2. c. 9. n. 89.
(10) Ibid. (11) Vid. Cluver. Ital. Ant. l. 1. c. 28.
(12) l. 2. c. 5.

Digitized by Google

na, ab iis quæ proposita sunt, dissentit Ferrarius (1). Neque enim hic negat, Forum Truentinorum in hac Regione extitisse; at ipsum fuisse Bertinorium, negat. *Forum Truentinorum*, inquit, *oppidum Æmiliæ excisum, apud Britinorium, & Forum Popilii, ab eo 3. mill. pass. distans, a Britinorio 1. Cujus locus adhuc* Tro *incolis nominatur*. Equidem quo auctore hæc dicat, ignoro. Illud scio, partem illam agrorum, quam *Trò* appellitant, ab Roncho fluvio non totos mille passus dissitam, nulla prorsus antiquitatis, aut ruinarum servare vestigia, nec antea, quod loci periti, interrogati a me, nossent, ullum ejusmodi rerum indicium exhibuisse. Num igitur levissimæ isti suspicioni, quæ ab nomine *Trò* videtur pendere, multoque insuper levior fit, si ejus Fori nomen ab littera D, non T, incipiebat, tantum tribuemus, ut adversus notiorem plerorumque hominum Doctorum sententiam, in iis potius agris, quam in Bertinorio, vetus illud Forum agnoscamus? Certe nec Clarissimis Viris qui nuper Geographiam pertractantes, Ferrarii opinionem primo loco proposuerunt, huic assentiendum visum est, cum sententiam oppositam continuo subjicientes, nihil in utramlibet pronunciarint. Illi autem qui annis superioribus *Italiæ Antiquæ Tabulam* ediderunt, quid senserint, ex eorum quidem Tabula disci non potest, cum in iis sedibus nihil scripserint, in quorum alterutra Forum Truentinorum, aut siquod aliud magis placebat, nomen fuerat adnotandum.

9. Non valde quidem vetus, sed vetus tamen ea videtur appellatio, quæ quo primum tempore, quo auctore, & qua de causa imposita Bertinorio fuerit, incertum est, *Petra Honorii*, quam Ferrarius (2), Baudrandus (3), ac his recentiores commemorant. Illud certum est, hoc *Petræ* nomen tum olim, tum hac quoque ætate Viros cæteroquin Doctos in errorem gravissimum impulisse. Leonardus Aretinus (*) primus fuit qui Totilam scriberet *Cæsenam, & Petram oppidum quod hodie corrupto in vulgus nomine Bretinorium appellant, obsedisse*, nunquam scripturus, si Procopii integros codices nactus esset. Hunc enim potissimum Auctorem, quamvis eorum ex quibus sumpsit, dissimulaverit nomina, sibi describendum proposuisse, & res indicat, & æqualis Blondus (**) confirmat: ex quo simul intelliges, non ex aliis ipsum quoque Blondum codicibus ea quæ ex Procopio in suas transtulit Historias, hausisse, mutilis videlicet supra quam possit is credere qui eorum libros cum Procopii integrioribus libris non contenderit, jam diu autem est ex quo Rhenanus (4), laudatusque ab hoc Egnatius suspicati erant, in manca Procopii græca exemplaria Interpretem Belli Gothici incidisse. Aretinus igitur cum illud quidem sciret, quod est ex Procopio (5) *Totilam Cæsenam, ac Petram castella cepisse*; quæ autem alibi de hac Petra Auctor scripsisset, ignoraret; illa duo, ut simul nominantur, inter se proxima fuisse, credens, Bertinorium, Cæsenæ vicinum, Petram fuisse, eo facilius existimavit, quod illud Petræ Honorii nomine vocari, sciret. Sed Procopius; ut alia præteream; jam antea (6) suam illam Petram ita descripserat, ut nemini cui Bertinorii natura, & sedes paululum modo sint cognitæ, venire unquam possit in mentem, eam Bertinorio descriptionem convenire. Petræ enim proxima *via admodum præceps, a dextera alluebatur fluvio ita rapido, ut cum nemo transire posset; a læva vicinam habebat rupem præruptam, editamque adeo, ut si qui forte in vertice stetissent, iis qui ab imo suspicerent, non excedere viderentur minutissimarum avium magnitudinem*. Bertinorio autem proxima via neque præceps est, neque habet imminentem altissimam rupem, eamque præruptam, neque alluitur altera ex parte fluvio ullo, nedum ita rapido, ut eum transire possit nemo. Nam etsi non prorsus vera sint quæ recentissimi scripsere Geographi, situm esse Bertinorium „apud parvum „Ronchi amnem„, neque enim angustus est Ronchi alveus; tamen rapidus non est fluvius, nec, nisi cum aquis præter consuetudinem tumet, perfacile transiri a quovis pedite non

(1) (2) (3) Lexic. Geog.
(*) De Bello Ital. adv. Gotth. l. 3.
(**) Histor. Dec. 1. l. 4.
(4) Præfat. ad Procop. Edit. Basil. 1581.
(5) De Bello Gothico l. 3. c. 6.
(6) l. 2. c. 11.

Digitized by Google

non poteſt : & quod maxime attendendum eſt, a Bertinorio abeſt ad duo paſſuum millia, aut certe non multo minus, ab eoque tum valle, per quam Aveſa fertur parvus torrens, & ſæpe ſiccus, tum collibus fructiferis qui eam claudunt vallem, ſeparatur ; tantum abeſt, ut quod Procopius addit de ſua Petra, prærupta illa altiſſima rupes *ad ipſum* unquam *pertigerit fluminis alveum*. Huc illud accedit, quod Petra erat *in Piceno*, interque Ariminum, & Romam, ut recenſita a Procopio exercituum oſtendunt itinera ; Bertinorium autem nec in Piceno, & citra Ariminum, imo citra Cæſenam eſt, quippe cum in monte ſit ad auſtrum Foro Popilii, huicque propemodum reſpondens intervallo paſſuum bis mille ; ut melius ſcripſerit Cluverius (1), *haud procul* eſſe *a Foro Popilii verſus meridiem*, quam Cellarius (2) *inter Cæſenam, & Forum Popilii in occaſum vergere*.

10. Quæ de Bertinorio cum ignorare pleraque ob vicinitatem non poſſet Scipio Claramontius ; mirum eſt, ipſum quoque (3) tradidiſſe, *ſcribere Procopium, Cæſenam, & Petram* (*nunc* Bertinoro) *loca munita capta*. Sed fortaſſe ne hic quidem illius Petræ deſcriptionem viderat, aut non diligenter attenderat. At Diſſertationis Auctor *de Italia medii ævi* quomodo excuſari poſſit, non video. Qui de *Petra Honorii*, *Lexicographis Bertinoro*, verba faciens, (4) hæc habet, *exacte deſcribit hunc locum Petræ Procopius B. Gotth. l. 2. cap. 11. ſub finem*. Quid ? quod in ea Procopii deſcriptione illud additur quod ſatis eſſe debuerat omnibus qui illam perpenderent, non modo ne Bertinorium deſcribi crederent, verum etiam ut qui locus revera deſcriberetur, continuo intelligerent. Per viam, Petræ proximam, *progredienti*, inquit Procopius, *nullus olim patebat tranſitus ; quoniam extrema rupes ad ipſum pertingebat fluminis alveum, eo deductis impervia. Quare Veteres, ea ibi perfoſſa, exiguam portam moliti ſunt, &c.* Sane cum hæc primum legi ; de Forulo, id eſt ut nunc loquuntur, *del Furlo* hæc verba ſtatim accepi, loco ob viam per ſaxeum montem ſcalpris apertam, a tot Auctoribus memorato, quorum nomina, & locos Cluverius (5) ea diligentia protulit, ut Cellario, aliiſque inſequentibus fere deſcribendi potius, quam quidquam addendi facultatem reliquerit. Idem menſuras Operis, Veſpaſiano digni, & alteram de duabus quæ ibi olim fuerant, Inſcriptionibus adhuc ſuperſtitem ſatis accurate protulit, unde intelligitur, quo tempore is Imperator rupem excavandam curaverit, ſi tertium videlicet Inſcriptionis verſum perpendamus ; nam quod nonnulli quartum attendentes, id curaſſe, ajunt, dum eſſet Cenſor, nihilo plus docent, quam ſi ex ſecundo verſu dicerent, dum eſſet Pontifex Maximus. Utraque enim hæc dignitas, ut probe noſti, ex quo Auguſti nomen, ac jus quis habebat, in omnes quoad viveret, annos perſtabat. Denique idem Cluverius vetera ejuſdem loci vocabula non reticuerat, nempe *Interciſa*, id eſt Saxa, & *Petra Pertuſa* ex re ipſa, & operis difficultate impoſita, non ſine maximis impendiis in publicum commodum perfecti ; ut pro dignitate non reſpondeat recentiſſima Foruli deſcriptio „ antiquus Italiæ lo„ cus in Urbini Ducatu Foruli conſpicitur „ profunda caverna in ſaxo exciſa. „

Sed ad Procopium ut redeam, quem merito inter Veteres, qui Petram hanc celebrarunt, Cluverius, & cæteri ponunt ; ne ſcrupulus ullus vel tenuiſſimus reſtitet, num hanc deſignaverit : minime reticendum eſt, cum eam nominavit libro quarto (6), ipſo *Petræ Pertuſa* nomine uſum eſſe ; nam Πέτρας τῆς Πετρώσης καλουμένας ſcripſit. Quæ cum ita ſint ; permirum eſt, Paulum Merulam (7), & Ortelium (8) quid de Procopii Petra Leonardo Aretino viſum ſit, retuliſſe, neque tamen refutaſſe, cum Bertinorium ſcirent non eſſe *in Piceno*, ubi contra eſſe *Petram Pertuſam*, ignorare non poterant, quod neque Auctor Diſſertationis *de Italia medii ævi* ignorabat.

11. Hæc cum ſcripſiſſem, & forte verſarem Fori Popilii Hiſtoriam, a Matthæo Veſchiazzano italice ſcriptam, ubi mi-

(1) c. 28. cit. (2) n. 89. cit. (3) Cæſen. Hiſt. l. 4.
(4) Sect. 16. (5) Ital. Ant. l. 2. c. 6. (6) c. 28
(7) Cosmogr. P. 2. l. 4. c. 12. (8) Synonym. & Theſaur. Geograph.

Digitized by Google

minus putabam, ibi (1) inveni, fuisse qui ante me hunc sibi laborem sumpserit. Is fuit Bernardinus Baldus, cujus etsi ego librum in quo id agat, non legi; tamen ea inde Vecchiazzanus profert, ut credere debeam: nec me pœnitet hæc ad te fusius scripsisse, tum quia eo Baldi libro te quoque carere scio, tum quia Baldi labore perfici potuisse, non video, ne iterum nostra ætate id erroris in scripta irreperet hominum Eruditorum. Quibus si forte ex eo fucus esset factus, quod ut Procopianum Petræ castellum fuisse sciebant pernunitum, ita Bertinorii arcem legissent fuisse munitissimam; nullo negotio eam sibi poterant hallucinationem discutere quærendo, num arx illa extaret Procopii tempore. Invenissent enim ex nostratibus qui referrent id quod ego ex Forolivensibus Chronicis didici Alexandri Paduanii, Almericum, Romandiolæ pro Romana Ecclesia Comitem „ anno 1319. ædificasse „ admirabilem Bertinorii arcem „ admirabilem quidem iis temporibus; his enim nostris scribi, miramur, Bertinorium „ Urbem esse cum Arce bona „ quando hæc ne muro quidem undique cingitur, & jam diu est ex quo, arcis nomine non usu, servato, in Episcopi Ædes conversa est. Vale.

EPISTOLA ÆMILIANA XIV.

A Spinetico Padi alveo ad Senium, Anemonem, Bedesim, & Vitim progressis, iisque urbibus, ac oppidis quæ singulis illis fluviis apposita, aut interjecta sunt, quo ad propositi nostri fuit, peragratis, unus restat Sapis, ad cujus utrumque latus cum positas urbes spectaverimus, scribendi finem faciemus.

2. Ad illud igitur Sapis fluminis latus quod Vitim, sive occidentem solem respicit, urbs locata est exigua nunc, & infrequens, temporibus autem antiquissimis ampla, & civibus abundans Sarsina, ut longo tractu latus fluminis utrumque occuparet, quemadmodum ex ædificiis, ruderibus, & inter hæc obrutis marmoribus intelligi, docuit Antoninius (2). Cum sit inter montes posita haud multo dissitos ab summo Apennini vertice; mirum est, apud Geographos recentissimos legi, urbem hanc „ ad pedem esse Apennini, & milliariis ali„ quot ab Arimino distare „ maritima urbe, & longo præterea milliarum passuum quinque circiter & viginti intervallo non modo in septemtriones, sed etiam ad orientem solem disjuncta a Sarsina: quam ibidem miror, semel atque iterum *Sarcinam* dici, quasi hoc tempore sic vocaremus, quo certe ab nostratum nemine aliter quam *Sarsinà* appellatur; ut neque alteri eximio Viro relata fuerint veriora, scribenti, *nunc etiam Sassinam* nominari. Antiquissimis sane temporibus hoc erat verum hujus urbis nomen, ut tot marmora & ibi erutа, & alibi extantia præclare docent, Capitolina præsertim, apud Antoninium, & Geographos eruditiores videnda, quæ triumphos memorant *de Sassinatibus*. Neque enim in marmoribus ita corrumpi scriptura potuit, ut in Græcorum, Latinorumque codicibus, Polybii dico, & Strabonis, tum Plauti, Plinii, Silii, Martialis, Festi, quorum loci cum apud Geographos eosdem occurrant, non est cur hic a me repetantur. Scilicet postquam accidit Sassinæ idem quod Massiliæ nomini, ut pro prima S littera poneretur R, uti Marsiliam, ita & Sarsinam dicere homines assueverunt adeo, ut librarii quoque ipsi crederent quasi errorem in codicibus emendare, si pro *Sassina* scriberent *Sarsina*. Quod tamen ut in uno quidem epigrammate (3) Martialis fecerint; in altero (4) facere obliti sunt; certe editio quæ in manibus est, veterem scri-

(1) l. 5. (2) Delle Antich. di Sarsina Disc. 1. c. 1. (3) 59. l. IX.
(4) 57. l. III.

Digitized by Google

ſcripturam ſervat, quam planiſſime in meo quoque, antiqua manu exarato, codice reperio, *ſaſſinate de ſilva*; in illo autem alio loco idem codex ſcriptum habet *ſaxcina*, qua de ſcriptura mox dicam. Interim enim ſatis eſt, ut vel hinc arguas, quam parum hic liceat codicibus fidere, cum unus idemque codex in eodem vocabulo inconſtans ſit. Nec dicas, marmorum quoque ſcripturam eſſe inconſtantem, illud mihi objiciens quod a Geographis memoratum videris, in quo legitur CVRATORI SARSINATIVM. Si enim idem, ut puto, eſt quod, cum ſermo eſſet de Solonatibus, alia tibi Epiſtola (1) exhibui, indicans, a quibus fuerit, & qua diligentia deſcriptum; fac relegas, & SASSINATIVM invenies; non SARSINATIUM. Fuit & tempus inter hujus noſtri Italici ſermonis initia, cum exiſtimantes noſtrates populi, nomen Saſſinæ a ſaxeis in quibus illa eſt locis fuiſſe deductum, quæ *ſaſſi* appellamus, facile in temporum eorum tenebris *Saxenam* dicendam eſſe, putarunt, aut *Saxinam*. Et *Saxenatis* quidem, aut *Saxxenatis* exempla in Documentis, & Sigillis apud Antoninium habentur ab XI. ſæculi initio ad initium ſæculi XV: *Saxinæ* autem in vetuſta Hiſtoriarum Blondi (2) Editione eſt, ubi *Saxinam* legimus *Plauti Comici patriam, Forolivii ad ſextumdecimum lapidem vicinam*. Cum enim Blondus in Sarſinæ ſcribendo nomine antiqua marmora ſequeretur, quod locus oſtendit *Italiæ* ab ipſo *Illuſtratæ* (3), quo loco inter oppida *vetuſti Patriæ noſtræ agri, jus a Forolivienſi Prætore patrum ſuorum memoria petere ſoliti*, ponit *Saſſinam*; typographi hanc in Blondi Hiſtoriis vocem ab ſe emendari crediderunt *Saxinam* ſcribendo. Itaque proclive jam eſt intelligere, cur in altero illo Martialis loco meus quidem codex eam habeat ſcripturam quæ ad hanc accedit, *Saxcina*. Sed de vero, & antiquiſſimo hujus urbis nomine, quam Sarſinam uſitato nunc more in hac Epiſtola vocare pergemus, nihil addendum ſupereſſet, niſi de illius, & quarundam aliarum ejus appellationum origine aliquid, ut opinor, hic expectares.

3. *Saſſinæ* igitur vocabuli originem ab Umbris, an a Gallis repetendam putabimus? In eum enim tractum, ut multo inferius quoque, ſe extenderant Umbri priuſquam a Gallis pellerentur: qui tractus ad eoſdem illos rurſus attinuit poſtquam hi a Romanis expulſi ſunt. Itaque S. Hieronymus (4) ad Olympiadem 145. hæc ſcripſit, *Plautus ex Umbria Sarſinas Romæ moritur*. Quin etiam Feſtus (5), *Poeta Accius, quia Umber Sarſinas erat, a pedum planitie initio Plotus, poſtea Plautus eſt dictus*. Mitto Plauti ipſius jocum in Moſtellaria (6), quo ad Patriam reſpexiſſe videtur ſuam, & quæ dicimus, confirmaſſe, quando hæc omnia, ut Martialis quoque, & Silii verſus, & Strabonis locus Sarſinam Umbris diſerte tribuentis, notiſſima ſunt. Ab Umbris igitur potius, quippe eum tractum prius, & diutius incolentibus, ſic eam urbem appellatam crediderim, quam a Gallis, quos in Italiam tranſgreſſos, Polybius (7) tradidit, *habitaviſſe vicatim ſine muris*. De duobus autem nominibus quæ eidem tractui conſtat fuiſſe impoſita, *Bobium* videlicet, & *Sapinia Tribus*, ſi primum diceres a Boiis Gallis aut datum, aut poſtea deductum; non unum conjecturæ, qualis ea cunque ſit, laudare poſſes Auctorem, Blondum puta, Leandrum, Antoninium, alios, quibus ea ſcriptura favet, qua Blondus ipſe, & noſtrates alii olim utebantur, nimirum *Boibi*; ſic enim in Chronicis quoque, nec ſemel, legi, Alexandri Paduanii manu ſcriptis, ſive ubi inter multa loca, Forolivienſibus quondam ſubjecta, recenſet *Sarſina, S. Arcangelo, il Boibo*, ſive ubi ad annum 1433. mentionem injicit *d'un caſtelletto in Boibo, chiamato Turrite*.

4. Num ergo aliud, inquis, Sarſina erat, aliud Bobium? Utique; ſed non ſecus ac aliud pars eſt, aliud totum. Indicavit id Blondus, cum ſcripſit (8), *Fuerunt quoque oppida Boibi numero ad viginti a Boiis olim dicta, quorum Sarſina, Plauti patria, eſt caput*. Secuti ſunt Antoninius, aliique, & in his Archiepiſcopus Niſibenus Jo. Baptiſta

(1) VIII. n. 9. (2) Dec. 3. l. 1. (3) Reg. 6. (4) Chronic.
(5) De verbor. ſignific. l. 14. (6) Act. 3. Sc. 2. v. 83.
(7) Hiſtoriar. l. 2. (8) Hiſt. Dec. 2. l. 1.

Digitized by Google

ptiſta Braſchius (1), cujus, ut proximi, quippe Cæſenatis, & nuper ſcribentis, verba hic proferenda ſunt. *Eum regionis tractum*, qui, ut ante dixerat, Sapi interſecante, pluſquam centum caſtra complectitur, in circuitu Sarſinæ poſita, *eum* igitur *tractum*, *una cum civitate* Sarſinæ *nunc vulgo Bobium vocant*, *tamquam Bojum*, *ſeu Bojorum agrum*. Sed pluribus negotium faceſſunt Litteræ illæ Caroli Magni, a Rubeo (2) productæ, in quibus Epiſcopatus *Sarſenæ*, *Bobii*, *Cæſenatenſis* memorantur; ut Sarſina non poſſe accipi pro Bobii parte videatur: itaque Rubeus (*) extare modo Bobium, negavit, propterea a Cæſare Clementinio (3) redargutus, qui Bobium idem ac Sarſinam eſſe, non dubitans, haud multum Litteris illis tribuebat. Quas alios quoque nuper legi qui ſpurias eſſe, ſuſpicarentur, judicium tamen cohibentes donec Antoninium quem necdum reperire potuerant, tandem invenirent; erat enim priuſquam Lugduni Batavorum recuderetur, ejus liber rarior, ut ne Sertorius quidem Urſatus (4) apud ſe haberet. Verum Antoninius pariter legitimas credidiſſe non videtur, minime alioquin diſſimulaturus; neque enim credibile eſt, Rubeum, alicubi certe ab ipſo laudatum, non perlegiſſe qui in urbe haud adeo diſſita paucis ante luſtris Hiſtorias ſcripſerat, ad noſtram omnem Regionem, &, quod conſequitur, ad Antoninii quoque propoſitum attinentes. Niſi igitur ſpurias credis has Litteras; at mecum ſaltem ſuſpicare, vocem illam *Sarſenæ* ex ora irrepſiſſe, in qua tunc addita fuerit, cum Bobio alteri quod in finibus eſt Inſubriæ, & Liguriæ, Epiſcopus datus eſt, poteratque ideo alterum pro altero ab iis qui legerent, perperam accipi. Vetuſtiore autem ævo cum id accidere non poſſet; qui Serſinæ erat Epiſcopus, is ſæpe *Bobienſis*, aut Bobii dicebatur Epiſcopus, ut ex nominibus apparet quæ Romanis adſcripta ſunt Synodis apud Cl. Auctorem legenda Diſſertationis de Italia medii ævi (5), qui Acta quoque memorat S. Vicinii, Bobii Epiſcopi, cujus reliquias ſcimus Sarſinæ coli, docentia, tempore S. Silveſtri PP. veniſſe *ad Urbem Saſſinatem*, *vulgo Bobium vocatam*, quippe, ut paulo ante cum Blondo explicavimus, Bobii caput. Nec reticet Laurentium, cujus nomen in Synodis Romanis V. & VI. ſub Pontifice Symmacho coactis legitur, ut *Epiſcopi Bobienſis*, in I. ſub eodem Pontifice legi, ut *Bojanenſis*, creditque propterea, Bobium vocatum etiam eſſe *Bojanum*: quod ſi ponis; illam quæ de origine vocis Bobii ſupra (6) indicata eſt, conjecturam magis aliquanto comprobabis. Sed de altero etiam illo nomine, id eſt *Tribus Sapiniæ*, aliquid attingamus.

5. Braſchius Archiepiſcopus, de quo paulo ſupra dictum eſt, Sarſinæ Epiſcopos, ſcribit, (7) fuiſſe olim non modo *Bobienſes*, verum etiam interdum *Sapinenſes* appellatos, ut Joannes ille Epiſcopus *Sapinenſis*, quem a Luitprando, ait, Hiſt. l. 6. c. 6. memorari in conventu Vaticano. Nec dubitat quin Sapinenſis diceretur a Tribu Sapinia, quo tractu *Diœceſis Sarſinas*, *& Comitatus Bobii* continetur. Sapiniam autem ab interfluente Sapi flumine dictam eſſe, vix quenquam reperi qui negaret. Quo poſito, cum evidens ſit, Sapiniam, non *Sappiniam* eſſe ſcribendum; evidens quoque eſt, attinere hunc non poſſe, ut noſtratum aliquis cenſuit, fragmentum lapidis haud ita procul Foro Livii repertum, & ſic, ut ille quidem edidit, inſcriptum

BONO
C. SAPPINIUS C. LI.....
SAPPINIO FAVSTINO.....

An vero alter attineat lapis quem ex Fabretto producit Braſchius (8), bis habentem L. F. SAPINA, ſecundum quam ſcripturam intelligis, potuiſſe *Sapinenſem*, ut modo retulimus, Epiſcopum ſcribi pro Sapinienſi, malim, te inquirere, quam ipſe conſtituere, ne controverſia implices, in qua Eruditorum alii Tribum iſtam fuiſſe, ſcripſerunt, unam ex 120. Tribubus Gallorum Bojorum; alii autem, qui multo plures ſunt, inter Romanas Tribus referen-

(1) De vero Rubicone c. 30. n. 7. (2) Hiſt. Raven. l. 5. (*) Ibid. l. 3.
(3) Racc. Iſtor. di Rimino l. 2. [4] Epiſt. ad Tondutium in hujus Breviario Favent. Hiſt.
[5] Sect. 16. n. 82. [6] n. 3. [7] c. cit. 30. n. 8. [8] Ibid. n. 5.

Digitized by Google

rendam esse, existimarunt, quæ aut nomen postea mutaverint, aut non uno appellarentur nomine, aut ad ferenda suffragia simul cum aliqua magis notarum admitterentur. Igitur cum pro ea Tribu intelligi possint tam populi, qui ab Silio sunt secundo loco designati (1)

cavis venientes montibus Umbri.
Hos Æsis, Sapisque lavant,

quam tractus ipse quem incolebant; hunc mihi scire satis est a Priscis Scriptoribus Sapiniam Tribum fuisse vocatum. Sic Livius (2), P. Ælius Consul in Gallia C. Oppium præfectum *tumultuaria manu per Umbriam (quam Tribum Sapiniam vocant) agrum Bojorum invadere jussit*. Sic idem (3), L. Furius Purpureo Consul *per Tribum Sapinium in Boios venit*. Sed hæc alias quoque (4) cum ageretur de Castro Mutilo, memoravimus. A Sapinia autem Tribu nomen accepisse castrum quod in agro Sarsinate vocant *Sapigno*, Sarsinæ ipsi quam proximum, eique, interfluente Sapi, respondens, suspicatus est Antoninius (5), quem alii deinceps secuti sunt. Frat Antoninius Sarsinas, in eaque urbe Episcopi vice functus erat, & cum ea scriberet, duodecim jam annos peculiariter illi eidem castro, quod *Sapinium*, inquit, dicunt, in Sacris præfuerat. Ex Collectaneis autem Cæsenatibus, Antonii Ragonesii manu scriptis, ut Cæsenæ portam in colle Garampæ fuisse, didici, quæ vocabatur *di Sapigni*; sic an inde illi impositum esset id nomen, quod Sapinium spectaret, illucque duceret, quæri posse, credo: certe ab eodem Sapis latere a quo superius Sapinium, inferius Cæsena posita est. Qua de urbe nunc pauca dicam.

6. Abrahamus Ortelius (6) tametsi ipse *Cæsena* scribit, & græce καίσαινα; admonet tamen, docere Aldum, *Cæsenam* esse scribendum, quin etiam (7) antiquum ibi marmor extitisse, in quo *Cesena* legebatur. Docti autem Viri Cæsenates Claramontius, Faccinus Brixii interpres, & qui sub Elchrei Dinundæ anagrammate latere voluit, Amicus, & Collega meus desideratissimus Hercules Dandinus summo omnes consensu Aldi orthographiam sequuntur. Cur autem Cæsena dicta sit, fuisse scio qui existimaverint (8), quod *exiguo intus amne cæsa, hoc est divisa sit*: & sane torrente interciſa est quem *Cesola* vocant, parvo quidem, sed tanta aliquando aquarum copia tumido, ut exundans, magna, nec semel, attulerit detrimenta, quemadmodum ab Ragonesio (9) memoriæ mandatum est. Verum cum Cæsenæ vocabulum antiquum sit, ut apud Q. Ciceronem (10) occurrat, Cæsena autem primis temporibus, quemadmodum ex vetustis Annalibus proclive est intelligere, in colle Garampæ sita fuerit, ut torrente illo interscindi non posset; apparet, nomen Cæsenæ aliunde esse repetendum. Quod vero Paulus Merula (11) urbem hanc, scribit, *hodie plerisque* Cæsenam dici, *aliis* Cesnadigo, *tertiis denique* Cesnam *dissyllabicõs*; nempe hæc omnia sunt ex Ortelio (12), qui cum addit, tertiam hanc apud accolas appellationem se *non semel ipso in loco observasse*; inde facile deceptus videtur, quod *Cesna* dici debere, non dubitaret ab iis quos *Cesnadigo* dicentes audiret. Sed ut hoc vulgo, sic illud ab accolarum nemine pronunciatum audivi unquam: neque tamen vox *Cesnadigo* urbem, ut ipse tradidit, sed vicum procul ad mare dissitum illis significat, de quo postea. Nunc ad veteres Cæsenæ appellationes redeamus.

7. *Curvam Cæsenam* ad sæculum usque XII. vocatam esse, ex Vita liquet Sancti ejus Episcopi Mauri, si hanc cum Claramontio (13) tribuamus Sancto Petro Damiani. Idemque in usu fuisse IX. sæculo, ex Agnello nos alibi (14) memoravimus. Fuitque etiam sæculo VI. si prisco Auctori credimus Vitæ Sancti alterius Episcopi Cæsenatis Severi, quam prodaxit Claramontius (15). Constaretque, sæculo quoque II. eam usitatam fuisse appellationem, si Itinerarium quod Antonino Augusto tri-

[1] De Bello Punic. l. 8. v. 449. [2] Hist. l. 31. [3] l. 33.
[4] Epist. VIII. n. 7. [5] Disc. cit. 1. c. 2. [6] Synonym. Geogr.
[7] Thesaur. Geogr. [8] Vid. Sipontin Cornucop. [9] Collectan. M. S.
[10] l. Epist. 16. [11] Cosmograph. P. 2. l. 4. c. 12.
[12] Vid. cit. Synonym. & Thesaur. [13] Hist. Cæsen. l. 4. [14] Epist. VII. n. 5.
[15] in fin. cit. l. 4.

Digitized by Google

bui ſolet, ejuſdem eſſe, aut interpolatum non fuiſſe, certum eſſet. In eo enim (1), ut in Peutingeriana etiam Tabula, *Curvam* legimus *Cæſenam*. Hanc tamen appellationem ex quo inſtitui cœpiſſe, ponunt, neque omnibus, nec ſemper in uſu fuiſſe, manifeſtum eſt ſive Procopium (2), ſive illud ipſum quod modo diximus, Itinerarium (3) verſantibus. Unde autem iſta petita ſit appellatio, cum ignorare ſe, fateantur Cluverius (4), & Cellarius (5); Cæſenatibus quos ſupra laudavimus, viſum eſt, ab ſuæ urbis ſitu, adſtipulante Fortunio Liceto (6), præmonſtrante autem quadantenus Dante (7), cujus de ipſa verſum latine ſic reddidit Faccinus,

Ut pars illius jacet, ac pars ſurgit in altum.

Nimirum ut nunc civium pauciſſimi Garampæ montem incolunt, cæterorum domus in adſita planitie ſunt; ita olim hanc, illumque occupabant, ut tota urbs curvam, gibbamve referret formam: ex qua Dandinus (8) Sidonii jocum interpretabatur, Candidianum vocantis (9) *Cæſenatis furni potius, quam oppidi, vernam*. In eandem cauſam nominis *Curvæ*, in eandemque joci Sidonii interpretationem videbis incidiſſe poſtea Cl. Weſſelingium (10). Quæ ut ego non improbem; haud ſatis tamen intelligo, cur epitheton iſtud *Curvæ* ad Cæſenæ appellationem addere neceſſe fuerit. Nam & aliæ urbes, ad eundem, aliumve modum curvæ, non propterea iſto nominis additamento in communi quidem ſermone auctæ ſunt. Sic Brundiſium, quo exemplo utitur Weſſelingius, a poeta quidem Lucano (11) dici potuit curvum,

curvique tenens Minoja tecta Brundiſi;

neque tamen in Itinerariis, aliiſve ejuſmodi Scriptis *Curvi* appellatione deſignatum eſt: & ſimplici Cæſenæ nomine tum antea apud Q. Ciceronem, Strabonem, Plinium, alioſque etiam poſtquam *Curva* dici cœpta erat, certe non ſecus ac modo, ſatis Cæſena intelligebatur. Recentiſſimis autem Geographis venit in mentem ſuſpicari, pro una quam modo videmus, duas olim inter ſe proximas fuiſſe Cæſenas, veterem nimirum, & novam, quarum ut alteram ab altera diſtingueret, eam quæ curva forma eſſet, *Curvam Cæſenam* vocaſſe. Quam ſuſpicionem confirmari putant Anonymi Ravennatis Coſmographia (12), ubi nunc legitur *Ceſina, & deſuper Seſena*, illam in planitie, hanc autem in monte poſitam intelligentes. Verum & ſuperiore Epiſtola (13) indicatum eſt, videri iſtum Anonymi locum ab librariis vitiatum eſſe, interlineare gloſſema in textum, ut ſæpius ſolebant facere, inferentibus, neque in Cæſenatum recentibus Scriptis, aut vetuſtis, quæ verſavi, Collectaneis ullum extat indicium, duas unquam fuiſſe Cæſenas, cum eadem urbs & colli, & planitiei inſidens agnoſcatur: ne illud quoque dicam, etſi duæ fuiſſent urbes; non tamen fuiſſe neceſſarium in Itinerariis alteram ab altera diſtinguere, cum intervalla, quorum deſignandorum cauſa ii libelli inſtituti ſunt, eadem futura fuiſſent inter Cæſenam, urbeſque ipſi proximas, ſive illa una eſſet, ſive duplex, ſed altera alteri adeo propinqua. Quod ſicui forte placeat Curvæ epitheton Cæſenæ datum conjicere, ut a Cæſena altera diſtingueretur, non propingua, ſed in longe diſſita alia aliqua regione poſita; is non modo indicare debet ubi extiterit, ſed etiam ſecum reputare, tractum ipſum per quem iter quodque conficiendum proponitur, ſatis per ſe docere, non poſſe ibi urbem intelligi, quæ ut ſit eodem nomine prædita, ſedem tamen in longe alia regione habeat.

8. Sed num æque incertas cauſas quoque illas eſſe, credemus, quare Cæſena non ſolum *Curva*, verum etiam *Flavia Curva Papia* vocata ſit? Ita enim legitur in Vita illa S. Severi, quem Claramontius (14) mortuum dicit anno 571. Cum ille Cæſenam venit, hæc *alio tunc vocabatur nomine*

[1] Iter. ab Arimino Derton. [2] De Bello Gotth. l. 3. c. 6.
[3] Iter a Mediol. per Picen. [4] Ital. Ant. l. 1. c. 28.
[5] Notit. Orb Ant. l. 2. c. 9. n. 89. [6] Apolog. pro Cæſen. Antiq. [7] Inf. C. 20.
[8] Adnot. XI. in Brixii Deſcript. Cæſen. [9] l. 1. Epiſt. 8.
[10] Adnot ad Itiner. Antonin. loc. cit. [11] Pharſal. l. 5. v. 406. [12] l. 4. c. 33.
[13] n. 4. [14] l. 4. cit.

Digitized by Google

et Flavia Curva Papia : atque ut alia ejuſmodi Documenta omittamus ; certe ſic habet Agnellus (1) *Sarsena excubet, Cervia æquoris ad novas Papia armis Flavia. Inſtet, quæ curva vocatur, Cæſena.* Quæ verba niſi ita reſcribas *Papia armis Flavia inſtet, quæ curva vocatur, Cæſena;* Agnelli ſententia, ut alibi (2) admonui, non intelligitur. Unde autem *Flaviam Papiam* dictam putant? Ut commentum mittamus, quod ita Claramontius (3) refert, ut ſuam non oppignoret fidem, nempe de Colonia Cæſenam miſſa a Flavio Papio Tuſcorum Rege, & ad ſequiora veniamus tempora, quibus Cæſenæ addita cognomenta iſta fuiſſe, apparet; non improbabilis videtur Brixii (4) conjectura, *Flaviam eo forſan tempore dictam fuiſſe, quo Longobardorum Reges ipſam obtinebant, qui cognomento Flavii dicebantur.* Nam primum Longobardis ſubjectam fuiſſe Cæſenam, & Luithprandum, *cum cætera de Æmilia, & de Ravennatibus capta redderet, tertiam Cæſenatis oppidi partem excepiſſe, quam editiori in tumulo ſitam in arcis præſidiique locum ſibi reſervavit*, vel ex noſtro Blondo (5) licet cognoſcere. Ex Paulo autem Diacono (6), cum Langobardi Autharim Clephonis filium regem ſibi ſtatuerunt, eum *etiam ob dignitatem Flavium appellaviſſe, quo prænomine*, inquit, *omnes, qui poſtea fuerunt, Langobardorum reges feliciter uſi ſunt.* Porro ab aliis quidem antea, ut puta a Veſpaſiano, ejuſque Filiis Gentis ſuæ Flaviæ nomen, a Valerio autem Conſtantio, magni Conſtantini parente, deincepſque a Conſtantino ipſo, & qui eidem in Imperio ſucceſſere, non modo ad Theodoſios ipſos uſque, ſed & poſtea ſæpe eſt Flavii prænomen uſurpatum, indeque urbes quædam, & nominatim a Flavio Theodoſio, Theodoſii filio, dictæ ſunt Flaviæ, ſed Cæſenam jam eorum tempore *Flaviam* cognominatam eſſe, non conſtat: & ſi fuiſſet; tamen cur *Papia* quoque ſimul diceretur, non appareret: imo appareret, non potuiſſe ſive quos memorat Gaudentius Merula (7), ſequi placeat, qui Papiæ urbis nomen ab Regina quadam Langobardorum deducunt, ſive qui non ante annum 476. impoſitum perhibent. At ſi *Flaviam* ab Langobardorum Regibus vocatam eſſe Cæſenam, credas; ſimul cur *Papiam* dixerint, facile ſuſpicaberis, qui videlicet Papiæ ſedem habere conſueſſent, quaſi alteram Papiam Cæſenam ſibi fore, ſignificarent. Sed hæc quibus Brixii conjecturam de *Flaviæ* cognomento illuſtrare viſum eſt, meamque ſimul de *Papiæ* addere, tanti facies, quanti volueris non ſecus ac quod de vinis agri Cæſenatis continuo ſubjiciam.

9. Plinius (8) de vinis generoſis verba faciens, memoravit *a ſupero mari Prætutia, atque Ancone naſcentia. In mediterraneo vero Cæſenatia, ac Mecœnatiana. In Veronenſi item Rhætica.* Docti, quos ſupra laudavi, ex Cæſena Viri non dubitant, quin eadem ſint Mecœnatiana, & Cæſenatia. Ego vero, ſi licet ab illis omnibus diſſentire, nunquam iſtum relego Plinii locum, quin duabus iſtis vocibus duo videar intelligere vina laudari Cæſenatia, & Mecœnatiana: neque ita ſcripturum fuiſſe Plinium, ſi eadem eſſe voluiſſet, ſed ad alium modum, ut puta *Cæſenatia quæ vocant Mecœnatiana*. Quod cum dico, nihil vinis Cæſenatibus detractum volo, ut neque ſi dixero, Varronis locum (9); in quo tamen de uberi dumtaxat uvarum proventu verba fiunt; non ita fortaſſe legendum, ut Baccius (10) produxit, *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim Cæſenatibus datus eſt;* quando vetuſti etiam codices ſunt qui pro *Cæſenatibus* habent *vel a Cæſare*, aut, ſicuti nunc editum (11) video, *cis Ariminum*. Cæſenæ igitur vina quæ Plinius, & Baccius merito celebrant, ſi quis cum Cæſenatibus non generoſa modo, ſed delicata adeo eſſe, dicat, ut Mecœnatem exquiſiti palati hominem delectare potuerint, & quod ei gratiſſima eſſent, ab ejus nomine appellationem referre; minime adverſabor. Sed non propterea Mecœnatiana apud Plinium eadem

[1] Lib. Pontif. P. 2. in Vita Felic. c. 3. [2] Epiſt. VII. n. 5. [3] l. 4. cit.
(4) Urbis Cæſen. Deſcript. [5] Hiſtor. Dec. 1, 10. [6] De Geſtis Langobard.
[7] De Gallor. Antiquit. l. 2. c. 8. [8] Nat. Hiſt. l. 14. c. 6.
[9] De Re Ruſt. l. 1. c. 2. [10] De Vinis Ital. 15. [11] in Lipſienſi Edit. Geſneri.

Digitized by Google

eadem ac Cæſenatia eſſe, faſcor. Quin etiam num Plinius *Mecœnatiana* ſcripſerit, dubitabo. Primum namque iſtam vocem neque apud Plinium alibi, neque apud alium idoneum linguæ Latinæ Auctorem legiſſe memini: & Gyraldus (1) vinæ *Mecœnatica* dicta ait, quibus Mecœnas delectaretur. Porro cum Plinii locum perpendo, & vinorum vocabula non ab homine, ſed ab regione paſſim deſumpta animadverto; poſt *Cæſenatia* aliam vocem, ac *Mecœnatiana*, poſitam fuiſſe, ſuſpicor. Denique Harduinum ipſum video hic inter *Mecœnatiana*, & *Mevanatiana* ambigentem. Ego, qui nihil hac attinens in Plinio inveniam, niſi (2) *Irtiola vitis Umbriæ. Mevanatique, & Piceno agro peculiaris eſt*, nihil definio, dumtaxat dubito.

10. Antequam de Sapi, & Cæſena, quæ occidentali ejus ripæ attigua eſt, verba facere deſinamus, nolumus ſilentio quaſi probare hallucinationes Geographorum in Tabulis apparandis. In illa igitur quam Cellarius propoſuit inſcriptam *Italia Media*, *ſive Propria*, Sapis qui ab occidente ſole, ut modo indicavi, Cæſenam perſtringere deberet, perſtringit ab oriente. In ea autem *Italiæ Antiquæ Tabula*, quæ Mediolani prodiit non ita pridem, cum tanto majorem diligentiam expectes, quod illius Auctores Cellarium, & quem is fere ſequebatur, Cluverium minus diligentes in mediterraneis deſcribendis regionibus fuiſſe, pronunciaverant, aut omiſſus videtur Sapis, aut cum Utente; ſic enim ad originem inſcribunt; confuſus; ſed cum eo Utente, quem nuſquam invenias, nempe a quo non minori intervallo Cæſena diſtet, quam a flumine, ut Cæſenates intelligunt, Rubicone. Denique in Tabula quam Ortelius edidit ſub titulo *Italiæ Gallicæ*, *ſive Galliæ Ciſalpinæ*, nullus omnino Sapis eſt; Rubiconi autem, inter quem, & Forum Popilii Sapis deberet interponi, illud ipſum aſſidet Forum, idque non ab occidente ſole, ſed ab oriente. Verum his miſſis, de parva urbe Cervia, quæ propter mare inter Sapim interjicitur, & Rubiconem, aliquid attingamus, mox de Rubicone iterum, cum de Cæſenate Portu dicemus, nonnulla fortaſſe addituri.

11. Cerviam & qui pervetuſtam, & qui recentiorem eſſe urbem tradiderunt, a vero pariter aberrarunt. Primos enim græcum ejus nomen Phycoſte non ſatis adjuvat, quod ſi ipſi a Theſſalis illis, ſive Pelaſgis repeterent, quos ut Dionyſius Halicarnaſſæus (3) in loca Ravennæ proxima tranſgreſſos docuit, ita Strabonem (4) ſecuti, & Cluverium (5), Ravennam condidiſſe, arbitrantur; poſſent alii majore veri ſimilitudine tunc denique a Græcis nomen illud impoſitum Cerviæ exiſtimare (id quod diſerte a pluribus factum video) cum ab anno 568. ad annum uſque 752. Revennæ, & vicinæ regioni imperarunt: quanquam Cluverius Sigonium, imo Anaſtaſium reſpiciens, quorum alter legit *Ficoclæ*, alter habet *Ficuclas*, non græco, ſed barbaro vecabulo Cerviam ſic eſſe dictam, autumat. Sed neque hanc urbem tunc extitiſſe, cum Gallia Ciſalpina Rubicone finiebatur, ex Appiano liquere, cenſet, qui poſtremam ejus Galliæ urbem ſcripſit fuiſſe Ravennam. Reliquum eſt igitur, ut primi illi ſententiam quadantenus tueri conentur ſuam Inſcriptione quam ex Ligorio deſcripſit Rubeus (6), ut in Fori Trajani ruinis repertam, unde ejus ſaltem Imperatoris ætate fuiſſe Cerviam, oſtendant. Illi enim Principi Inſcriptionem poſuerunt *Ravennati*, *Cæreviani*, *Cæſennati Cur. Viar. Tra.* Verum quis Trajani ævo non concidiſſe adeo Latinam linguam, ignoret, ut Ravennates, Cæſenateſque ſua recte inſcribere nomina, jam neſcirent? Itaque merito Inſcriptionem iſtam abjicit Weſſelingius (7): & fuiſſe mirarer qui nuper ea uteretur ad viam *Trajanam* confirmandam, quam tres iſti populi munienda curaſſent; niſi crederem ab eo exemplum aliquod aliud lectum, quod qui deſcripſiſſent, ut veri ſimilius redderent, ſic refinxiſſent, ut ipſe indicat, *Ravennates*, *Cæſenates*, *& Cerviani*. Sed nihilominus ipſum Cerviæ nomen recentius multo eſt, quam ut eſſe in uſu poſſet eo tempore, ſicuti vel ex ſententiæ eorum examine qui in

[1] De Poet. Dial. 4. [2] l. 14. c. 3. [3] Originum &c. l. 1.
[4] De Situ Orbis l. 5. [5] Ital. Ant. l. 1. c. 28. [6] Hiſt. Raven. l. 2.
[7] Adnot. ad Veter. Itinerar.

Digitized by Google

in aliud cucurrerunt extremum, continuo intelliges.

12. Paulus enim Merula (1) antiquam esse Cerviam negat, *quum primus omnium, ni fallitur, mentionem ejus faciat Blondus lib. X. Hist.* Blondus tamen eo libro (Decad. videlicet I.) laudat Agnellum, qui IX. sæculo scribens, Cerviam memoraverat, quemadmodum ex ejus verbis semel iterumque a me productis (2) cognoscere potuisti, & in re quidem, ut Doctissimus Agnelli Editor (3) censet, quæ non multo post annum acciderat 710. ut tunc urbs illa, seu Cerviam appellarent, seu Phycoclen, extiterit, necesse sit. At quanto, inquis, antea condita? Certe non sero adeo, ut Cluverius (4) credidit ex verbis Anastasii, *pervenerunt juxta civitatem Ravennatem, in locum qui dicitur Ficuclas, duodecimo milliario a civitate*. Non urbem, inquit, sed *simpliciter locum tantummodo adpellat*, idque *in Vita Theodori, qui Papa factus est anno Jesu Christi* 641.; imo cum ipse qui scribit, *circa annum Christi viveret* 860.; tamen utitur verbo *dicitur*, non *dicebatur*. Verum jam sæculo VII. imo & VI. & V. jam urbem fuisse, hæc ostendunt. Privilegium, ut vocant, quod ex Rubeo, & Ughellio refert Tondutius (5), in quo S. Gregorius Magnus sic loquitur. *Confirmamus Episcopatus totius Æmiliæ Provinciæ, & Civitatum omnium Deo amabilium Episcoporum creationes, & consecrationes, idest Sassinatis, Cesenatis, Foripopilii, Forolivii, Faventiæ, Fori Cornelii, Bononiæ, Mutinæ, Regii, Parmæ, Placentiæ, Brixilli, Vicohabentiæ, Adrienſis, Comaclenſis, Ficoclenſis*. Tum idem Pontifex, ut animadvertit Holstenius (6), Ravennatam Ecclesiam vacantem *Ficulino* (in M. S. Vatic. *Ficuclino*) *Episcopo* commendavit libro 4. Epistola 20. cujus Episcopi etiam sequenti Epistola 21. meminit. Epistola autem illa 20. S. Gregorii, adnotante Cl. Agnelli Editore (7), ad annum spectat 595. Denique Rubeus (8) ad ultimum sæculi V. annum, in iis, inquit, *Geruntius Ficoclenſis, quem nunc Cervienſem dicimus, Episcopis fuit, haud ita diu post ob Christi Dei fidem, capitali supplicio affectus*. Trecentis igitur & sexaginta annis priusquam Cluverius putabat, urbem fuisse Cerviam, vides. Sed num etiam antea? Non toto, opinor, sæculo. Privilegium enim Clementinius (9) memorat Valentiniani (nimirum Tertii; datum est enim anno 426.) quo in Privilegio cum inter cæteras Ecclesias Ravennati subjectas Ficoclensis non nominetur; proclive est intelligere, inter eum annum, & annum 500. quo Episcopum habuisse, vidimus, Cerviam esse urbem factam. Nec pluribus ante sæculis cœpisse ibi esse oppiduli, aut vici instar, licebit tibi ex eadem altera animadversione arguere, ex qua Cluverius (10) recte confecit, pervetustam urbem non fuisse. Itinerarium enim illud vetus quod circa postremos annos Magni Constantini, id est circa annum 337. absolutum esse, alibi (11) indicavimus, Ficoclem non habet inter Sapim, & Rubiconem, cum habeat in eodem tractu locum, *Ad Novas* dictum: quem ne Cerviam fuisse suspiceris, intervallum vetat inter ipsum, & Ravennam adscriptum, nempe duo & viginti millia passuum. Intra annos igitur illos 163. qui inter annum 337. & annum 500. intercedunt, initia Cerviæ fuisse, apparet, suique oblitum esse Cluverium, cum in Tabula, si recte memini, Umbriæ Antiquæ, Ficoclas posuit. Cæterum quod, illac transeunte S. Bassiano, factum esse, refert idem Cluverius (12), Rubeus autem (13) proposuerat circa annum 384. ea quidem parte accipere licet, qua Phycocle tunc fuisse dicitur; sed non ea qua fuisse dicitur urbs pervetusta, nec qua post factum illud traditur, ut jam deinde non amplius Phycocle vocaretur, sed Cervia. Hoc enim vocabulum non inveniri ante annum 710. supra ostensum est. Quin etiam postquam Cervia dici cœpta est, diu promiscue utrumque nomen usurpatum reperies. Sic exempli gratia, apud Rubeum

(*)

[1] Cosmogr. P. 2. l. 4. c. 12. [2] supra, n. 8. & Epist. VIII. n. 5.
[3] Observ. ad Vit. S. Felic. [4] c. 28 cit. [5] Prelud. all' Hist. di Faenza
[6] Adnot. in Thes. Geogr. Ortel. & in Ital. Ant. Cluver. [7] Observ. ad Vitam Marinani.
[8] Hist. cit. l. 3 [9] Raccolto Istor. di Rimin. l. 2. [10] c. 28. cit.
[11] Epist. V. n. 15. [12] c. cit. [13] Hist. cit. l. 2.

Digitized by Google

(*) Documentum memorari videas A. 1116. quo nominatur *Ecclesia Cervienſis*, & apud eundem A. 1119. Litteras Gelaſii II. Pont. Max. quibus Epiſcopatus *Ficoclii* inter cæteros Æmiliæ recenſetur, nec ipſe ignoro, in hoc Monaſterii S. Mercurialis Tabulario ſub A. 1165. ſententiam legi; quæ lata eſt præſentibus Epiſcopis quatuor, in hiſque *Alberto Ficoclenſis Eccleſiæ Epiſcopo*.

13. Quæres fortaſſe, quis locus ille eſſet, quem in Itinerario appellari, diximus, *Ad Novas*, in iſto quidem tractu; nam extra Italiam loca alia, atque adeo urbes fuiſſe, quæ Novæ aut ad Novas dicerentur, ex Itinerario conſtat, & ex recentiſſimis quoque Geographis, qui has noſtras tamen non memorant. Poſt Itinerarium illud, unus, quod ſciam, ex Veteribus eſt qui mentionem hujus loci fecerit, Agnellus. Hic igitur quid fuerit, docet (1). Egreſſus Ravenna, inquit, *ut properaret Romam, & veniens non longe a Ravenna quaſi milliarios* (Cl. Weſſelingius (2) legit *milliario*) *XV. ad Novas, ubi olim fuit civitas nunc dirupta, infra Eccleſiam B. Stephani per dies XV. ibi commoratus eſt*. Hanc tamen urbem non fuiſſe perantiquam, licet indidem cognoſcere, unde perantiquam non fuiſſe Cerviam, intelleximus (3), nempe ex Appiano, quem ſecutus Sulpicius, Lucani interpres, *ultima Italiæ urbs Ariminum eſt*, inquit, *prima Galliæ Ravenna*. Ne vero urbem iſtam *diruptam*, ſive dirutam, Phycoclem fuiſſe, ſuſpiceris, locus alter faciet Agnelli ſic, uti & ſupra (4), & alias (5) indicatum eſt a nobis, legendus, *Sarxena excubet Cerviæ. Æquoris ad Novas Papia armis Flavia inſtet, qua Curva vocatur, Cæſena*. Cur enim Agnellus eandem urbem quam modo Cerviæ nomine memoraſſet, continuo iterum memoraret? Erat igitur urbs, vel potius oppidulum (neque enim ejus Epiſcopos uſquam legiſſe nunc memini) quæ dicebatur *Ad Novas*, erat, inquam, ut Itineraria docent, ſæculo IV. & videtur etiam ſæculis poſtea duobus fortaſſe, aut tribus, ſed non pluribus extitiſſe, ex illo altero Agnelli loco, qui cum ajat, *olim* fuiſſe, apparet, jam ante ſæculum quo ipſe ſcribebat, IX. fuiſſe dirutam. Quamvis autem in iſta ſua littoralium Locorum commemoratione ab oriente pergat ad occidentem ſolem; continuo enim ſubjicit Sapim, Candianum, Bedentem amnem, Lachernum portum, & Eridani ora, & quod conſequitur, oppidulum quo de loquimur, indicare videatur, paulo quam Cerviam, Ravennæ fuiſſe vicinius, & ab hac non plus abfuiſſe, dixerit, quam millia paſſuum *quaſi XV.* quando in Itinerario ſic habemus, *Ravenna, Sabis XI. Ad Novas XI. Rubico fl. III. Arimino XI.*; tamen Itinerarium potius ſequi me juvat, cum alias (6) oſtenderim, quam verear, ne Agnelli vetuſtiſſimus codex ab recentioribus hoc loco diſcrepet, præter ea quæ in eodem emendata ſunt.

14. Locum igitur *Ad Novas*, ſi Itinerarium, & Cluverium (7) ſequamur, ibi nimirum fuiſſe, credemus, ubi nunc *Cæſenaticum vicum*, ut Bembus (8) loquitur, eſſe conſpicimus, eum videlicet qui adjacet Cæſenæ portui, de quo etiam aliquid ſcribere polliciti ſumus. Hic enim vicus hinc ab Ravenna, & hinc ab Rubicone tantundem diſtat, quantum in Itinerario utrinque diſtat locus *Ad Novas* inſcriptus. Nam quod ab illa is vicus diſtare nunc dicitur XXI. paſſuum millia, non ſicuti Itinerarium indicat, XXII. admonet Cluverius, longiora eſſe adeo millia iſta XXI. ut merito pro XXII. haberi poſſint: ab Rubicone autem, ut Cæſenates intelligunt, non abeſſe amplius III. inter omnes convenit. Noli tamen credere, hæc a nobis ita dici, quaſi Cæſenates cum oppidulum iſtud novum extruxere, illud inſtauraſſent. Neque enim Hiſtorici noſtrates, cum iſtud extructum, portumque effoſſum eſſe, ſcribunt, ſive anno id fuerit 1302. ſive, ut alii, 1314. ullam dirutorum olim ædificiorum mentionem injiciunt, quibus Cæſenates uſi ſint, muros, & propugnacula ædificantes, in quibus turrim quoque illam fuiſſe, non dubitat Braſchius (9), quæ in ipſo littore extructa anno

[*] Ibid. l. 5. [1] Lib. Pontif. in Vita Martini c. 1.
[2] Adnot. ad Veter. Itinerar. [3] ſupra, n. 11. [4] n. 8. [5] Epiſt. VII. n. 5.
[6] Ibid. [7] c. 28. cit. [8] Rer. Venet. Hiſt. l. 11. [9] De vero Rubic. c. 14. n. 19.

Digitized by Google

anno 1302. nunc paſsus illinc diſtat, ſicut alias (1) memoravimus, propemodum mille: quanquam Claramontius (2) tradiderat, cum poſt eum annum dirutum fuiſset oppidulum, Cæſenates iterum anno 1314. ædificaſse, & licet nullis mœnibus, foſsaque cinxerint, *antiqua tamen arce, & nova turri eſſe munitum*: ſed Braſchius fortaſse turrim hanc novam pro altera accepit, quam *poſtea excitatam* eſse, dicit (*), jamque *& ipſam diſtare ab oſtio portus* 400. *fere paſſus*: alii autem (3) tum everſionem illam, & nominatim turris quoque, tum inſtaurationem ad annum retulerunt 1328.

15. Sed neque credas velim, quod Cluverium ſequentes diximus, id a nobis ſatis firmum putari. Ut enim illud ſeponamus quod ipſe vidit, non idem hoc tempore inter vicum Cæſenaticum, & Ravennam intervallum poni, quod inter hanc, & locum Ad Novas olim ponebatur; alia ſunt quæ minus animadvertit, neque animadvertere ex parte potuit. Scilicet latebant Agnelli Scripta, quæ, ut paulo ante (4) indicatum eſt, neque locorum ordine, & ſerie, neque intervallis cum Itinerarii hac parte conveniunt. Sed non latebant Blondi libri, quem Cluverius (5) cum errorum, quos hic non vacat examinare, complurium arguat, hujus præſertim arguit, quod ſcripſerit (6), *ubi Rubico mare ingreditur, eſſe Cæſenæ portum*. Credo autem ideo arguiſſe, quod videret, non poſſe igitur locum qui Ad Novas appellabatur, vicum eſſe Cæſenaticum, ſi ad hunc eſſet Rubicon, quem Itinerarium ab loco illo diſſitum ponebat III. millia paſſuum. Verum non ſatis animadvertit, minime eſſe veri ſimile, Blondum, cujus Patriam haud multum ab Rubicone abfuiſſe, adeo non ignorabat, ut hinc occaſionem tanto magis redarguendi caperet, Blondum, inquam, neſciviſſe quo loco is fluvius in mare influeret, aut ſi forte ille id neſciviſſet, Cæſenates quoque ipſos ignoraſſe: quorum ſilentium argumento eſſe Cluverio, oportebat, ea in re Blondum a vero non receſſiſſe. Certe autem eorum qui tunc vivebant poſteri tantum abeſt ut a Majoribus acceperint, in eo eſſe Blondum hallucinatum, ut Claramontius, & Braſchius ejus hac in re teſtimonio utantur, idemque confirment. Ille enim (7), Rubicon *antea*, inquit, *oſtio ipſe ſuo in mare excurrebat, ut ex Statuto noſtro elicitur, & tempeſtate id ſua accidiſſe, memorat Blondus, in eoque tum oſtio Portum fuiſſe noſtrum, aſſeverat*. Braſchius autem (8) ad Blondi verba Documenta addit certiſſima annis 1473. & 1475. perſcripta, quibus inſpectis, & teſtibus auditis ante finem XVI. ſæculi Romani duodecim Judices univerſi pronunciarunt, non poſſe in dubium revocari, quin olim is fluvius ad mare defluxerit *prope Tagliatam*, &, quod conſequitur, prope Cæſenæ Portum: perinde autem eſſe, quantum ad ſuſceptum ſermonem attinet, ſive per Portum, ſive prope Portum, in mare influeret, manifeſtum eſt. Inſuper ut magis magiſque res comprobetur, cauſam Braſchius adjicit, quamobrem inde Rubicon averſus fuerit, videlicet crebras antea ex illo inundationes, quibus ſalis confectio vitiabatur: itaque Cæſenates ære ſuo novum alveum paraviſſe, veterem autem finitimorum agrorum dominis vendidiſſe. Nec Documenta indicare omittit, unde hæc pro certo cognoſci queant. Utinam autem ſua illi pariter indicaſſent, qui aliorum ære, non Cæſenatum, alveum novum paratum dicunt, cum Rubicon antea in paludem ſupra Cæſenaticum vicum influeret: quanquam cum iis quæ de crebris inundationibus modo attigimus, componi facile poſſunt quæ iſti tradunt de palude: & quod hic præcipuum eſt, alvei mutationem hi quoque ponunt. Quæ mutatio quo tempore facta ſit, intelligi ex comparatione licet eorum quæ Blondus (9) circa medium ſæculum XV. ſcripſit, cum iis quæ Sabellicus, ut legimus apud Claramontium (10), ad finem ejuſdem ſæculi teſtatus eſt. Cum enim ambo, ut res ſe haberet ſuo quiſque tempore tradide-

[1] Epiſt. VII. n. 9. [2] Hiſt. Cæſen. l. 11. [*] c. 6. n. 13.
[3] Vedi Vecchiazzan. Hiſt. di Forlimpop. P. 1. l. 20. Padovani Supplem. alle Croniche di Forlì &c.
[4] n. 13. [5] c. 28. cit. [6] Ital. Illuſtr. Reg. 6.
[7] Apparat. Hiſt. P. 2. [8] c. 6. cit. n. 3. & ſeqq. [9] Reg. 6. cit.
[10] P. 2. cit.

Digitized by Google

diderint; ille Rubiconem ad Cæſenæ Portum in mare, hic vero, ut nunc videmus, in flumen alterum influentem proponit, cujus oſtium III. ab eo Portu paſſuum millibus in mare patet. Quæ cum ita ſint, conſtare vides, Rubiconem ante medium ſæculi XV. proximum vico Cæſenatico fuiſſe, itaque hunc eſſe non potuiſſe oppidulum, ab Rubicone diſtans III. paſſuum millia, quod Ad Novas dicebatur, ut Cluverius cenſuit, & qui ipſi aſtipulatur, Braſchius (1). Quem miror, cum ea quæ modo ſunt dicta, non ignoraret, imo ipſe proferret, confirmaretque, non attendiſſe quam repugnarent Cluverii ſententiæ, & ſuæ, neque pro hac tuenda ſuſpicionem ſaltem aliquam injeciſſe, an eo tempore quo Itinerarium illud perſcriptum eſt, Rubicon longe ab eo loco, ferme ut nunc videmus, in mare influeret. Igitur ad cætera illa quæ ſupra indicavimus, hoc quoque accedit, ut eam ſententiam non ſatis firmam credamus, ad quam retinendam tot conjecturis opus ſit.

16. Etſi vero me extrema hac Epiſtola nolim controverſia illa nec facili, nec brevi implicare, quæ Cæſenates inter, & Ariminenſes diu, multumque agitata eſt, an Rubicon Veterum id ſit de quo hactenus locutus ſum, flumen, *Piſatellum* nunc vocitatum, an quod, vel magis ab Ravenna diſſitum, nunc *Luſum* nominant; tamen quæ de antiquo oppidulo Ad Novas ſupra memorata ſunt, eo me ducunt, ut de controverſia illa, non pronuncianti, ſed dubitanti ſimilior, aliquid attingam. Si enim priſci Itinerarii Rubicon III. paſſuum millia ab eo oppidulo diſtabat, hoc autem ab Ravenna, ſi Itinerarium illud attendas, XXII; tu ipſe cogita, num intervallum haud amplius paſſuum XXV. millibus inter Rubiconem, & Ravennam melius Luſo, magis diſſito, an propiori Piſatello conveniat, præſertim cum Agnellus, ut vidimus (2), vel eo minus intervallum proponat, & locum Ad Novas Cerviæ proximum fuiſſe, ſignificet. Vide jam cæteros, & vetuſtiores quidem Auctores, qui de Rubicone aliquid attigerunt. Strabo (3), Cæſena, inquit, *Iſapi fluvio propinqua, & Rubiconi*. Sapis (primam enim litteram temere ab librariis additam eſſe, etiam Caſaubono, ut alias (4) ſcripſimus, viſum eſt) quam prope Cæſenam ſit, conſtat. Num ergo Rubiconem, qui ſimul Cæſenæ eſſe propinquus dicitur, Luſum potius eſſe, credes, qui XII. paſſuum millia diſtat, an Piſatellum, qui II? Lucanus (5) *parvum* dixit Rubiconem, & *fonte cadere modico, parviſque impelli undis*, & Cæſar apud Suetonium (6) pontem Rubiconis *ponticulum* vocavit. Credemuſne igitur, Luſum, qui aliquanto uberior, ampliorque eſt fluvius, ipſum potius, quam exilem Piſatellum, fuiſſe Rubiconem? Ego quidem miror, Cluverium (7), qui cum vidiſſet, per hæc ſententiam confirmari ſuam, quæſiverit tamen quæ his repugnent, & ex confluxu duorum aliorum amnium paulo ſupra ejus de quo loquimur, oſtium, inde ſaltem contenderit, aquas eſſe *copioſiſſimas*, & *æſtate etiam ſatis copioſas*. At enim, inquis, idem Lucanus (8) Rubiconem dixit *alpinum*, itemque *puniceum*. Fateor. Sed num Luſus ipſe puniceus eſt? aut e ſummo Apennino vertice initium ducit? Nimirum poetæ ſatis eſt, naſci Rubiconem ex Apennino, quod utrique fluvio commune eſt, & nomine videri rubri aliquid ſignificare. At puniceum colorem, inquis, in ejus glareis agnovit Sidonius (9). *Ravenna progreſſis ad Rubiconem ventum: qui originem nomini de glarearum puniceo colore mutuatur*. Sic vero illo tempore fuiſſe, ſatis eſt: abſumique potuit longo ſæculorum curſu ea pars telluris adſitæ, unde ejuſmodi glareæ exiſtebant; ut non ita neceſſarium fuerit eo colore glareas ad oſtium de quo dictum eſt, a Cluverio quæri, & inveniri. Multo autem minus neceſſe erat ibidem quærere arundinetum, quaſi, ni hoc fuiſſet ad Rubiconem, nemo ibi *arundine canere* (10) potuiſſet; ſi tamen, Cæſare ibi hæſitante, revera aliquis cecinit, nec fabula id, aut præſtigia fuit, vel techna potius

[1] c. 3. n. 9. & c. 6. n. 7. & ſeq. [2] ſupra, n. 13.
[3] De Situ Orbis l. 5. [4] Epiſt. V. n. 10. [5] Pharſal. l. 1.
[6] in Cæſare c. 31. [7] Ital. Ant. l. 1. c. 28. [8] l. 1. cit.
[9] l. 1. Epiſt. 5. (10) c. 32.

Digitized by Google

tius callide a Cæſare ante parata, ut jactare apud milites poſſet ſuum illud *Eatur quo Deorum oſtenta vocant*.

17. Pro Luſo autem illud certe præcipuum eſt, quod propius quam Piſatellus, ab Arimino abſit: quam Appianus (1) urbem *circa auroram*, Plutarchus autem (2) *nondum illuceſcente die occupatam* ait a Cæſare, cum Rubiconem tranſire non potuiſſet, niſi valde appropinquante jam die, ſi, quod cæteri præter Braſchium (3) ponunt, ſub ejuſdem noctis initia Ravenna exierat. Quem ad diſſolvendum nodum videas velim, an ſatis ſint quæ, præter illam qua Cæſar conficere omnia ſolitus erat, incredibilem celeritatem, Viri inter Cæſetates ingenioſiſſimi animadverterunt. Scilicet Claramontius (4) ex Cæſaris tum Commentariis, tum Epiſtolis quæ inter eas extant quas Cicero ad Atticum ſcripſit, ex hiſque ipſis Ciceronis, aliiſque Pompeii inter eaſdem ſervatis, apparere poſſe, cenſuit, diem quo Rubiconem trajecit Cæſar, in medium circiter Januarium incidiſſe. Non eſt mihi tempus inquirendi, an ratione habita, quam ſe habuiſſe, ait Claramontius, anni poſtea emendati, rem bene ipſe conſtituerit, ut neque obſtet quod Sulpicium, Lucani interpretem ſcripſiſſe, ajunt, cum is Rubiconis tranſitus accidit, *appropinquabat Januarii finis*, nec quod Plutarchum tradidiſſe, ipſe quidem Claramontius dicit, eo tempore, ſcilicet necdum anno emendato, ſolſtitium, id eſt brumam, circa eum diem fuiſſe. Certe & Lucanus (5) tunc hybernum tempus indicavit. *Tunc vires*, inquit, *præbebat hyems*. Attamen, ut dixi, hæc velim a te perpendi, quando Braſchio (6) ob anni correctiones viſum eſt, eum incidiſſe diem circa medium Novembrem: ſimulque illud attendas, velim, an eo poſito, quod Claramontius ſtatuit, anni tempore, *nox in hac regione fuerit*, ut ipſe ait, *horarum* 15. *& minut.* 20. *crepuſcula autem tum horæ unius, & minutorum quinquaginta*. Quod ſi huc acceſſiſſet ſolis eclipſis, quam Eruditus Vir memoria noſtra ex auctore Dione retulit. Rubiconem tranſeunte Cæſare, accidiſſe; quanquam nec apud Dionem legiſſe id memini, ſed hoc dumtaxat apud Lucanum (7), qui, ut poeta, confingere potuit, exoriente mox die, *mœſtam tenuiſſe nubila lucem*; aucta ea quoque ratione illius noctis longitudo videri potuiſſet. Sed iſta dumtaxat quam Claramontius indicavit, poſita & noctis, & crepuſculorum longitudine, Dandinus (8) ſatis componi inter ſe poſſe, cenſuit, tum quod Lucanus (9) de Cæſare ſuperato modo Rubicone ſcripſit, *Sic fatus, noctis tenebris*, tum quæ ab Appiano tradita diximus de Arimino *circa auroram*, a Plutarcho autem *nondum illuceſcente die*, occupato, tum quod difficilius eſt, ab Suetonio (10) autem ſcriptum de duce a quo Cæſar ad Rubiconem perduceretur, *tandem ad lucem reperto*. Præterea qui pro Cæſenatum Rubicone ſunt, alii alio loco trajectum a Cæſare eſſe, contendunt; ut ejus tum ab Ravenna illuc, tum inde Ariminum itineris longitudo, &, quod conſequitur, etiam temporis minuatur.

18. Sed & alia proferri hic poſſent quæ pro alterutro flumine diſputantur, in iiſque ad Pliniani loci (11) interpretationem ſpectantia, qui locus initium octavæ Italiæ Regionis ad hunc modum proponit. *In ora fluvius Cruſtumium, Ariminum colonia cum amnibus Arimino, Apruſa. Fluvius hinc Rubico, quondam finis Italiæ. Ab eo Sapis, & Vitis, &c.* Nam Cæſenates hoc Plinii ordine ſpectato, poſt amnem Ariminum, nunc vulgo *Marecchia* dictum, Apruſam cum Blondo (12), & Leandro (13) in Luſo flumine ſtatuentes, hoc igitur eſſe non poſſe Rubiconem, contendunt. Ariminenſes vero, aſtipulante hac in parte Cluverio (14), qui cæteroquin haud alium, quam Cæſenates, Rubiconem agnoſcit, Apruſam eſſe volunt *Auſam*, qua urbs ſua ita ab oriente ſole perſtringitur,

(1) De Bellis Civilib. Roman. l. 2. [2] in Cæſare. [3] c. 9.
[4] Apparat. Hiſt. P. 2. [5] l. 1. cit. [6] c. 8. [7] l. 1. cit.
[8] Adnot. 3. ad Brixii Deſcript. Cæſen. [9] l. 1. cit. [10] in Cæſare c. 31.
[11] Nat. Hiſt. l. 3. c. 15. [12] Ital. Illuſtr. Reg. 6. [13] Deſcrit. di tutta Ital. Reg. 14.
(14) Ital. Ant. l. 2. c. 5.

Digitized by Google

tur, ut *Marecchia* ab occidente : consuevisse enim Plinium, cum propinquos urbi cuipiam fluvios memeraret, ad eundem modum ad quem isto loco, scribere, *Ravenna cum amne*, *Pisaurum cum amne*, *Truentum cum amne* : nec quod Aprusam post flumen Ariminum nominaverit, id aliam ob causam factum videri, quam quia hoc illa multo nobilius est. Verum etsi illud potius adnotari licebat, non semper a Plinio exacte servatum esse ordinem in fluviis nominandis, ut apparet; ne longius abeamus; ex capite (1) quod paululo præcedit locum de quo sermo est; ibi enim legimus *flumina Albulates*, *Suinum*, *Helvinum*, quando hoc in Cluverii Tabula Albulati continuo succedit, tribusque aliis interjectis, denique cernitur Suinum; tamen cum multo omnibus notius est, tum in hac ipsa nostra octava Regione manifestissimum, a Plinio, ubi aliud peculiaris causa aliqua non requirat, ejusmodi amniculos prætermitti, quos inter *Ausa* habet locum; nisi me hic forte memoria fallit; interque torrentes ponenda est, quemadmodum *Ausæ* ponuntur, sive *Avesæ* aliæ duæ, quarum altera a me fuit juxta Popilii Forum memorata (2) altera autem Bononiam secat; ut sæpe venerit mihi in mentem quærere, unde in Regione hac originem habuerit hoc *Ausæ*, sive *Avesæ* nomen, quod in eadem animadvertebam crebro adeo repetitum. Verum; ne a proposito divertamus; illud denique non est omittendum quod pro Luso contra Pisatellum inculcari solet, parvo huic amni minus convenire, quam Luso, fuisse limitem Gallorum, quos diu ab Italis disterminavit. Hæc tamen licet animadvertere, primum non videri pacis conficiendæ, & diutissime servandæ causa fuisse hunc limitem electum; sed casu potius, ut belli tulit fortuna, inter validas utrinque gentes relictum : deinde ex iis quæ supra (3) attigimus, satis constare, parvum fuisse Rubiconem; ut minime liceat, quacunque is ratione limes fuerit, parvitatem objicere : novissime ut paucis præditus aquis fuerit; tamen & satis altum initium, & proprium olim in mari finem, sicut antea (4) ostensum est; non cum aliis communem, neque in palude; nam hoc quoque nonnulli objiciunt; habuisse: quamquam palus obstare non poterat ei de qua loquimur, terrarum disterminationi.

19. Verum quæ de Rubicone cursim attigi, velim, ut initio (5) dixi, sic accipias. Neque revera hic aliud feci, nisi ut ingenue faterer, in quibus hæsitaverim locis, cum pleraque utriusque Partis Scripta legerem, ad hunc usque annum edita 1744. (6). Fateor quoque, me non fugere, quot, & qui Viri cum Ariminensibus faciant; tametsi aliqui ex recentissimis, quasi sui obliti, modo illis, modo Cæsenatibus astipulentur. Ego vero qui apud utrosque Amicos & habui, & habeo non minus quam ipse, veritatis cultores, si quæ post hæc quæ utrinque jam diu inculcata sunt, nova, ut fore audio, proferentur, in eam libenter sententiam transibo, per quam planius tolli dubitationes, intelligam. Vale.

[1] l. 3. c. 13. (2) Epist. VI. n. 12. [3] n. 16. (4) n. 15. [5] supra, n. 16.
(6) *Ab eo anno otium Auctori occupatissimo non fuit, ut posset, quemadmodum optabat, non hanc modo, sed & superiores Epistolas tredecim, vix una, aut altera excepta, recensere: id quod voluit hic adnotari.*

EPISTOLARUM ÆMILIANARUM FINIS.

Digitized by Google

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI

P. P. P. P.

EPISTOLÆ ANATOMICÆ DUÆ

NOVAS OBSERVATIONES, ET ANIMADVERSIONES

COMPLECTENTES,

Quibus Anatome augetur, Anatomicorum Inventorum Hiſtoria evolvitur utraque ab erroribus vindicatur.

ADJECTUS EST

INDEX RERUM, ET NOMINUM ACCURATISSIMUS.



NEAPOLI MDCCLXIII.

EXPENSIS DOMINICI TERRES,

TYPIS JOSEPHI RAYMUNDI,

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google



Digitized by Google

EDITORES

Auctori Hiſtoriæ Hepaticæ.



I tua tantummodo, Blance, quid auctoritas poſtularet, ſpectare voluiſſemus; feciſſemus id, quod Morgagno noſtro omnino placebat, ut te, cujus novæ in ipſum inſultationes tibi quidem plurimum, nihil ipſi nocere poſſent, ſine ulla prorſus refutatione deſpectum potius, quam caſtigatum, dimitteremus. Sed cum tua iſta facta non tam huic optimo, nobiſque omnibus chariſſimo Viro, quam Ampliſſimo Præſuli, noſtrumque, dum viveret, Amico ſummo Joanni M. Lanciſio, qui inter vos pacis Arbiter, & ſequeſter fuit, injuria eſſe, animadvertimus: cum quorum illi poſt conſtitutum ſolemniter pacis fœdus, æternam es, honeſtorum hominum more, oblivionem pollicitus, ea ipſa, contra ſanctiſſima inſtituta, a te retractari omnia ac refricari repente novimus: cum denique νεκρὸν ὐ δάκνειν, quod Theodotus ille Chius (1) ajebat, mortuum ſuo per ſe Honori conſulere, ac te pro eo ac meritus es, tractare non poſſe, vidimus; tunc enimvero tua iſta nobis confidentia viſa eſt eſſe frangenda, & publico ſcripto comprimenda; ut magis inpoſterum conſideratum, minus inconſtantem eſſe diſceres, & ſin minus viventes, at mortuos ſaltem Celeberrimos Viros ea qua par eſt, fide, ac reverentia proſequereris. Neque vero diu fuit nobis cogitandum qua id potiſſimum ratione præſtaremus, in manibus commodum habentibus duas ejuſdem Morgagni Epiſtolas, non illas quidem ut vulgarentur ſcriptas, ſed quæ vulgarentur maxime dignas, ad noſtrum autem propoſitum plane accommodatas. Nam ſimul novarum in Re Anatomica Obſervationum, atque Animadverſionum plenæ ſunt; ſimul tua non in hanc ſolum Facultatem, ſed in Morgagnum ipſum, atque Lanciſium peccata convincunt. Hæc ultima, quæ ſuo ipſo genere graviſſima ſunt, in ſecundæ Epiſtolæ Articulo 102. cunctiſque ſequentibus manifeſto quidem, ſed nimis ſero recognoſces. Has enim Epiſtolas ita nos edendas curavimus, ut in ſuos ſin-

(1) Plutarch. in Pompejo.

Digitized by Google

singulæ Articulos partirentur, quo facilius tibi non omnia quidem (quis enim id posset?) sed majora, sed evidentiora, sed talia, ut neque negare, neque ullo modo tueri queas, tua tibi errata, vel potius erratorum genera hinc statim ab ipso limine indicaremus.

Historiam Hepaticam, in libri titulo, & Præfationis initio polliceris *numeris tandem omnibus absolutam*. Credat aliquis fortasse qui te a quatuordecim annis hanc cœpisse, hanc agitasse, hanc molitum esse rem sciat, eamque maxima ex parte a tot Præstantissimis Scriptoribus jam tractatam, atque illustratam. Sed longe aliter judicabit qui hasce Epistolas inspexerit. Nam quicunque Anatomicam, ac Medicam cujuscunque Partis Historiam mandare litteris perfectam instituat, hunc primum oportet in utriusque Facultatis scriptoribus; ne quid forte eorum quæ jam sunt tradita, prætermittat; diligentissime esse versatum: deinde vero ipsum egregium Anatomicum, ac Medicum esse, ut quæ adhuc desiderantur, addere, atque absolvere de suo possit; novissime iis, quæ in Historicis omnibus communiter requiruntur, scribendi facultate, memoria, diligentia, judicio, fide pollere. In te vero, Blance, quid tandem horum esse, dicemus? Num (ut a levioribus incipiamus) scribendi aliquam facultatem? Hæc quidem quanta sit, demonstrabunt *Doctorales Orationes* tuæ, quæ cum *Indice selectæ latinitatis* alias a nobis, si ipse volueris, recudentur; est tamen ubi Morgagnum omnino coegeris, quamvis aliud agentem, nonnulla obiter de hoc genere notare Epistola II. Art. 14. 60. 65. præsertim vero 32. 41. 54. 63. & cæt. unde luculenter patebit, ne anatomicis quidem, medicisve vocabulis, sine intolerandis erroribus, scire te uti. Memoria vero *ea parte animi quæ*, ut præclare ait M. Tullius (1), *custos est cæterarum ingenii partium*; quam debilis sis atque infirmus, eadem II. Epistola ostendit non modo Art. 67. sed etiam 8. 32. 49. 57. 62. 68. 71. 81. 94. 99. & cæt. Epistola autem I. Art. 8. 16. 33. 38. 40. 48. 49. 82. 88. 97. 94. & cæt. in his enim omnibus locis quam oblitus eorum quæ alibi posueras, quam inter se repugnantia scripseris, demonstratur.

Sed quoniam tam oblivioſus in scripto esse nemo potest, nisi qui & negligenter scribat, & oscitanter scripta relegat; hinc etiam diligentia apparet tua, quæ tamen cujusmodi sit, cum ex aliis innumeris locis constat, tum ex eo præsertim intelligitur, quod quorum niteris auctoritate scriptorum, eorum libros non inspexeris; nam si inspe-

(1) De Cl. Orat.

Digitized by Google

ſpexiſſes, quas aut non habent, aut non ita habent, observationes, sententias, Icones minime citaviſſes: quod a te factum Epiſtola convincit II. Art. 26. 32. 37. 38. 39. 47. 49. 51. 52. 54. 67. 95. &c. ſed potiſſimum 26, quanquam negligentiæ tuæ nullum gravius quæri teſtimonium poteſt, quam tui ipſius, confitentis, te ad ea perneganda quæ Nobiles Anatomici certe docuerant, tuæ *uni aut alteri observationi impensius fisum fuisse*, tua vero *properanter scripsisse*, quæ confeſſiones tuæ Art. 28. & 9. ejuſd. II. Epiſtolæ, ac 53. I. notatæ ſunt. Judicio autem ut ſis acri, & intelligente, etſi loca alia plura commonſtrant; ex Epiſtolæ tamen I. Art. 78. 70. & ex II. Art. 33. 69. 82. & ſequentibus apertiſſime cognoſcetur. Reſtat fides, qua una demta, quid tandem eſt quod in Hiſtoria quæramus? Ipſe autem quam verax ſis, quam ea ſcribere metuas; in quibus deprehendi manifeſto ac tenere poſſis, ſatis ſuperque monſtrat II. Epiſtola Art. 19. 29. 30. 38. 44. 45. 49. 51. 58. 58. 59. 61. 64. 68. 69. 70. 73. 81. 93. 95. 109. & cæt. præſertim autem 105. 109. & 114.

Porro cum Res Medica, atque Anatomica diligentia, & judicio in obſervando, memoria autem, & fide in referendo, docendoque uſque adeo contineantur, ut una qualibet de quatuor iis dotibus (linguam enim ἐπιδιδόντες hic omittemus) ſublata, nemo egregius eſſe Medicinæ, aut Anatomes Auctor poſſit; jam finge, judicium tibi, memoriam, fidem ſupereſſe, diligentiam tantum deeſſe, tuoſque errores uni omnes eſſe negligentiæ imputandos; quid, tuis tamen ſcriptis faciemus; cum Lectoribus perinde ſit, ſive Auctoris dolo, ſive oblivione, ſive inſcitia, ſive incuria decipiantur? Quod ſi ſpeciatim nos malis de tua in Medicina, & Anatome præſtantia loqui; quanquam Morgagnus, qui utrumque pariter tractare poterat, non multa in his quidem Epiſtolis voluit de rebus medicis adnotare; ſatis tamen ex his quæ attigit I. Art. 45. 49. 50. 51. & II. Art. 94. ac quinque inſequentibus, conjecturam capere de reliquis licet. Nam quod ad Anatomiam attinet ſive beſtiarum, ſive ipſius humani corporis, in illa quam excellas, patet ex Epiſtola I. Art. 32. 64. & ex II. Art. 34. 36. 37. 91. 93; in ipſa autem Anatome humana, præſertim quidem ex tota ferme Epiſtola I. cujus nullum propterea Articulum hic ſigillatim indicamus; ſed ex multis tamen II. etiam locis, ut ex Art. 12. 23. 42. 58. 61. 62. 69. 71. ac potiſſimum ex 28. 29. 31. 65. in quibus quid alii quoque Anatomici tum

Digitized by Google

Itali, tum exteri de te consuerint, demonstratur.

Esto: quæ Historicis communia sunt, & quæ item præcellentis Medici, & Anatomici propria sunt ac peculiaria, non habes. At habes, credimus, illud primum, ut in perlegendis utriusque Doctrinæ scriptoribus sis diu, ut par est, multumque versatus, & *in anatomicorum* præsertim *librorum lectionibus* (quod de te ipse diserte prædicas pag. 1019.) *jam prope consenueris*. Est tamen hoc aliquid: tametsi non est satis; neque enim ad *Historiam numeris tandem omnibus absolvendam* satis est illo esse subsidio instructum, quo fretus nihil eorum ignores, quæ ante te ab aliis prodita sint; sed tu insuper quæ desint, supplere, omnia autem recte atque ordine exequi possis, necesse est. Verumtamen tua ista, quam jactas, in anatomicis libris legendis diuturna exercitatio, quæ, & quanta sit, utraque Epistola præclare docet, I. quidem 7. 8. 18. 53. 66. 77. 78. 83. 84. 86. & decem proximis Articulis; II. vero Art. 39. 40. 47. 51. 52. 80. & cæt. Itaque cum aliis in rebus, tum maxime in Historia ipsa Hepatica quot ignoraveris, aut omiseris, vel ex his poteris existimare, quæ sic quasi ἐν παρόδῳ indicantur Epistola II. Art. 3. 39. 40. 77. & cæt. & I. Art. 7. 21. 27. 31. 33. 39. 44. 49. 50. 53. 63. 65. & cæt.

Cum igitur omnia te deficiant quæ ad ejusmodi scribendas Historias requiruntur; cur eas, Blance, scribere instituis? aut cum scribere tamen velis, cur modestia saltem, & circumspectione non uteris, ne quem forte eorum offendas, qui tua tibi exprobrare peccata facile possint? Tu vero qua modestia, & circumspectione usus sis, Epistola docebit I. Art. 45. 80. 81. & cæt. II. autem Art. 28. 43. 47. 51. 54. 55. 71. 72. 75. 79. 88. 91. 107. 108. & cæt. Quod si tibi alios, atque alios vellicare & lædere placebat, quod turbulenti, imprudentisque animi est; at eam saltem amicitiam quam, te instante, atque rogante, Amplissimus Præsul Lancisius tam solemniter reconciliaverat, violare iterum, ac rescindere non debebas, quæ culpa multo omnium gravissima est. Num quia Lancisius vivere desiit; Morgagnus autem nunc totus est in Posthumis Præstantissimi Fautoris alterius tui (quod te morari ipsum debebat) Valsalvæ scriptis ad editionem apparandis; num propterea id tibi impune fore, speraſti? Credimus; nam sæpe etiam (id quod Epist. notat II. Art. 80. & I. Art. 8. 58. 68. 69. 70. 72. 74. 76.) occasiones quæris in Lancisium ipsum insurgendi, & mortuo, quod ajunt, Leoni barbam vellendi, quandoquidem (1)

καὶ

(1) Ex Græc. Epigr.

Digitized by Google

καὶ αὐτοὶ

Νεκρῷ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωὶ.

Sed primum decebat te meminiſſe, ut Lanciſius deceſſerit, plurimos tamen ejus Amicos, tui diſſimillimos, eſſe ſuperſtites; Deinde vero quam pulchre tibi priores illæ in Morgagnum inſultationes proceſſerint, reputare. Nam ſiquis tibi falſus Amicus illud initio conſilium dedit, iſtum quidem voti compotem feciſti ſui. Deſpectum, exagitatum, convictum, ad extremum ſupplicem, culpamque publice deprecantem videre te voluit: vidit. Sin autem nullum præter te illius conſilii auctorem habuiſti; quam tua te ſpes fefellerit, & ſenſiſti jam, & in dies amplius ſenties. Neque enim ſuſceptis inimicitiis clareſcere potuiſti, qui ita refutatus ſis, & adhuc refutere, ut nihil tibi, tanquam Adverſario, reſpondeatur; ſed errores omnibus demonſtrentur tui; novis obſervationibus Res Anatomica amplificetur.

Reſpice te aliquando, Blance: quid ſperaveris, quid conſecutus ſis, vide. Tibi plurimum, nihil Morgagno obfuiſti; imo ut probatiſſimis, utiliſſimiſque editis ſcriptis magis, magiſque clareret, occaſionem præbuiſti. Si tecum ipſe certare non vult; invenies fortaſſe alios qui velint. Noli nos tandem cogere, ut quod ſemel, atque iterum ſua ipſe ſcribendi ratione indicavit, quodque jam diu intelligere tu debueras, apertiſſime dicamus. Sed de te tu ipſe videris; nos de nobis ipſis profitebimur. Viventem Lanciſium amavimus; mortuum non deſeremus. Per Morgagnum, quem graviores diu res diſtinebunt, liberum tibi fortaſſe erit quidquid in ſe voles inpoſterum ſcribere; per nos non erit. Quinetiam ſi pertinax ipſe fueris; multo nos conſtantiores invenies. Nam certe æquum eſt, ut cum (1) *priores Volſci arma ſumpſerint, poſterioros ea ROMANI deponant*; neque minus eſt æquum, ut te tamen alias ſic tractemus, ut Epiſtolæ II. poſtremus Articulus poſtulat, & ſi qua omiſſa, aut condonata ſunt modo; multa autem ſunt condonata; ea demum, non per nos quidem, ſed per inductam, quæ ſit te digna, perſonam deinceps omnia proferantur. Atque hoc idcirco dicimus tibi,

Ne temere facias, neque tu haud dicas tibi non prædictum: cave. (2).

(1) Plutarch. in Coriol. (2) Terent. Andr.

Digitized by Google

RERUM, & NOMINUM INDEX.

Romani numeri Epiſtolas; barbari autem Articulos denotant.

A.

Achillinus Alexand. num primus fuerit Officulorum Mallei, & Incudis inventor. I. 92
Actorum Lipſien. Scriptores laudati. II. 55. 65. 75. 107. 111.
Albertus Salom. quaſdam venarum valvulas delineatas primus edidit. I. 95
Oblongiores quaſdam alias, ante Recentiores, deſcripſit. I. 95
Albinus Chriſt. Bern. laudatus. I. 62
Almeloveenii Th. Janſſ. lapſus. I. 96
Anellius Dominic. Chirurg. Gall. laudatus. II. 21.
Animalium quædam nova diviſio examinatur. II. 37
Arachnoidea. Vid. Cerebri.
Ariſtoteles non modo Euſtachianam Tubam cognovit, ſed etiam quæ, ea poſita conſequuntur. I. 93
Arteria hepatica ad membranam quoque pertinet jecoris. I. 21. II. 78
Duplex nonnunquam obſervata. I. 71
De eadem arteria. II. 11
Arteriæ Emulgentes ex Magna prodire ſolent ad angulos, non rectos, ſed inæquales. I. 76
Avium corpus Tubuloſum vocatum, num ipſarum Pancreas ſit. II. 37
Auris Canales Semicirculares non omnino videntur ignoti Corn. Celſo. I. 92
Cochlea non prorſus incognita Empedocli. I. 92
Cochleæ Spiralis Lamina fuit ab Euſtac. deſcripta. I. 92.
Mallei, & Incudis inventor. Vid. Achillinus.
Mallei tertium muſculum quis propoſuerit. I. 93
Auris Tympanum quinam inter Veteres deſcripſerint primi. I. 92
Tuba Euſtachiana. Vid. Tuba.

B.

Bartholini Th. lapſus. I. 2. 10. II. 12
Bellini Laur. experimenta per quæ urinæ compoſitio indagatur, defenduntur. II. 88
Berengarius Jac. Renum Papillas propoſuit. I. 86
Auris Tympanum, poſt Hippocratem, docuit. I. 92
Bidloi God. lapſus. I. 8.
Bilarii Ductus. Vid. Cyſticus. Communis. Hepaticus. Cyſt-hepatici. Hepaticyſtici Ductus.
Bilariorum Ductuum in reticulo interno varietates. I. 52
De eorum glandulis quid obſervatum. I. 56
Bilis ex hepatico, & communi ductu, non deſcendit, ſed aſcendit, ſi cyſticum eſt ſubitura. I. 23.
Num quæ per hepaticum ductum defluit, pene tota divertat in cyſtim. I. 23. II. 33. 34
De cauſis a quibus e cyſti extruditur. II. 35. 36. 37
De Bilis Secretione. Vid. Secretio. & ſpeciatim. I. 27. II. 64. 66. 67. 81
De Bilis Uſibus. II. 49. 50. 51. 52. 53
DE Bile in ventriculum influente. II. 51. 52
De Bile artificio paranda. II. 67
Bilis num ſit naturaliter in urina. II. 88
Boerhaavius Her. Pr. Lugdunobat. laudatus. II. 38. 58. 107
Bronchiales venæ. Vid. Venæ.
Brunnerus Joh. Conr. Archiat. Palat. laudatus. II. 56.

C

Calculi cyſtis felleæ quæ ſint figura. I. 44. 45. 49

Digitized by Google

Qua ſubſtantia. I. 47
Haud raro inſunt ſine icterico colore, aliave ulla peculiari noxa. I. 50. 51
Horum, & urinariorum affinitas, & diſcrepantia. I. 48. 45
Quidam per experimenta inventi ab aliis ejuſdem cyſtis diſcrepantes, & cur. I. 43
Calculi cyſtis felleæ Flavi qua ſint ſtructura. I. 47. 48.
Hi, vel antiqui, æque flammam conceperunt, ac recentes. I. 49.
In aquam conjecti, ſtatim fundum non petunt, ne fracti quidem. I. 45. 46
Integri, ne triduum quidem in aqua macerati, ad fundum deſcenderunt; ſed fracti, paulo poſt deſcenderunt, & cur. I. 46. 47
Hæc ipſa de aliis pluribus calculis etiam non flavis obſervata. I. 46
Calculi cyſtis felleæ Nigri qua ſint ſtructura. I. 48
Hi in aquam conjecti num ſemper ſtatim fundum petant. I. 43. 45
Horum nonnulli inter ipſas cyſtis tunicas inventi. I. 56
Calculi Ductus Hepatici per experimenta tentati. I. 43
Diſcrimina quædam inter hos, & cyſticos, ut perpetua, propoſita, experimentis rejiciuntur. I. 49
Calculi qui in Vena Portæ olim inventi dicuntur, videntur potius fuiſſe in annexis ramis Ductus Hepatici. I. 49. 66
Caldeſius Joannes laudatus. II. 18
Calvus P. Bernard. Chirurg. Taurin. laudatus. II. 21
Cantius Arant laudatus. I. 14. 32. II. 12.
Capſula Portæ Ven. Vid: Hepatis.
Caſſerius num extrema in liene vaſcula inſtar pernicillorum eſſe, revera cognoverit. I. 83.
Arachnoideam Cerebri tunicam delineavit primus. I. 91
Celſo A. Corn. Canales Auris Semicirculares non videntur omnino ignot. I. 92
Cerebri novum quoddam rete mirabile Varolio notum. I. 91
Protuberantiæ Annularis tractus ipſi, ſive ſtriæ a Varolio primum deſcriptæ ſunt. I. 91
Tranſitus a tertio ad quartum ventriculum num paulo vetuſtioribus Anatomicis fuerit ignotus. I. 91
Tunica Arachnoidea deſcripta a Varolio fuit, & a Caſſerio delineata. I. 91
Chyli Vaſa, & Receptaculum qui primi in homine oſtenderint, & delinearint. I. 83
Qui primi in illis tum in beſtiis, tum in homine valvulas animadverterint. I. 96
De Chyli Receptaculo: II. 12. 38
Cicogninus Jac. Med. & Conſil. Taur. laud. II. 67. 81. 104.
Columbi Reald. lapſus. I. 49. 66
Columella primus in beſtiis Scroti Septum indicavit. I. 87
Communis bilarii Ductus finis, & orificium quale. I. 31
Valvula, huic orificio ſuperpoſita, qualis. I. 31
Frenuli, eidem ſubjecti, in variis varietates. I. 31.
Hujus Uſus inquiruntur. I. 31
Ductus ejuſdem dilatatio obſervata. I. 43
Cordis fibrarum cochlearem ductum qui primi obſervaverint. I. 90
Coſchwitzius Geor. Dan. Prof. Hal. & Phyſ. Reg. laud. II. 107
Cremaſteres muſculi unde oriantur. II. 58
Curtius Bartholom. Med. Mediolan. laudatus. I. 79. 80
Cyſt-hepatici Ductus num in homine ſint demonſtrati. I. 38. 39. 40. 41. 42. II. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 77.
Cyſticus Ductus ad quem angulum confluat cum Hepatico. I. 23. II. 44. 45. 46. 47. 78
Deſcendit, non aſcendit, in eo confluxu, & quid hinc ſequatur. I. 23
Ejus dilatationes obſervatæ, & unde ortæ. I. 43
Valvularum varietas. I. 53
Harum Uſus jam olim a Riolano, & Highmoro propoſitus. I. 53
Annulus quidam, ad hujus initium introrſum extans, num plane ſit nullus. I. 54
Cyſtis fellea cur ſit in hepatis ſinu ſemirecondita. I. 15
Cur ſæpe imâ parte ſit undique libera. I. 15
Nonnunquam parva tantum parte cum hepate connectitur. I. 41

Digitized by Google

Ejusdem divisio in collum, cervicem, & fundum refutatur. II. 39. & seq. 42. 43
Valde parva inventa. I. 43
Valde amplificata. I. 43
Num sæpe in cadaveribus disrupta inveniatur. II. 96
Excrescentia carnea intra ipsam observata. I. 43
Calculi. Vid. Calculi.
Cystis felleæ Sinus quidam, a pluribus observatus. I. 53
Internum Reticulum quale. I. 52. 55
Quidam hujus usus rejectus. I. 55
Carunculæ quædam num intus extent, & quid esse aliquando possint. I. 40. 56
De glandulis quid observatum. I. 56. 63
De iisdem. II. 72. 73.
De harum usu. I. 56. II. 71. 73. 74. 75
De tunicis quædam. I. 57
Cellulosa tunica addi posset. I. 62
Cystis fellea est in Gliribus nostratib.; & qualis. II. 36

D.

Diaphragma sæpe a dextris altius thoracem subit, quam a sinistris. I. 13
Tribus nonnunquam foraminibus pro Venis dumtaxat, in centro pertusum. I. 26
Quomodo utile promovendæ secretioni, & motui bilis in toto hepate. II. 60. 90
Diaphragma tributum inter Aves Vespertilioni. I. 32
Ductus Thoracicus. Vid. Thoracicus.

E.

Empedocli Auris Cochlea non videtur ignota. I. 92
Epididymidum canalicularem structuram quis proposuerit. I. 87
Eustachii Figuræ quædam consideratæ, & explicatæ. I. 2. 8. 10. 12. 14. 15. 19. 21. 23. 33. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 75. 93. II. 69
Eustachius delineavit Lobulum hepatis, nunc Spigelii dictum. I. 19
Item arteriæ hepaticæ, & ductus bilarii ramos, intra hepar ramos venæ Portæ stipantes. I. 69
Item vascula sanguifera in Uteri Ligamentis Rotundis. I. 89

F.

Facciolatus, Jac. Prof. Patav. laudatus. I. 87
Falloppius uteri vasa superiora, & inferiora, dextra, & sinistra inter se communicare, docuit. I. 89
Fantonus Jo. Med. Reg. & Prof. Taurin. emer. laudatus. I. 7. 9. II. 58. 59. 67. 81
Faucium glandulæ Antiquis notæ. I. 84
Fontenellius Bernard. a secr. Reg. Acad. Sc. Par. laud. II. 21. 65
Forestus, Petrus defensus. II. 92

G.

Galenus docuit excarnare hepar ad ejus vasa persequenda. I. 69
Gerbezius Marc. Poliar. Labac. laudatus. I. 51
Glandulæ conglobatæ ad cavum hepatis. De his. I. 22. 30. II. 3. 4.
Glandulæ ipsius hepatis. Vid. Malpighii.
Cystis felleæ. Vid. Cystis.
Vesicæ urinariæ. Vid. Vesicæ.
Glires, saltem apud nos, cysti fellea non carent. II. 36
Graafii lapsus. I. 31

H.

Heisterus Laur. Prof. Helmstad. laudatus. I. 25. 53. 56. 58. 63. 90. 94. II. 18. 28. 29. 31. 55. 58. 65. 107
Hepar in Vipera quomodo, & ubi se habeat. I. 64. II. 91
In Multis Piscibus. II. 93
Hepar hominum an distet a diaphragmate. I. 2
In nonnullis connatum cum diaphragmate. I. 2. 9
Quem habeat situm. I. 11. 13
De ejus regionibus, sive faciebus. I. 14. 24
Figuram sæpe habet in variis variam. I. 12. 13. 15. 19.
Quid de ejus Fibris, seu Lobis, & variis apud Veteres horum appellationibus habendum sit. I. 18
Recte dividi potest in lobos. I. 17
Hepatis Lobus dexter sæpe sursum impense protuberat. I. 13
Sinister dextero est multo minor. I. 21
Lobulus Spigelii notus fuit Eustachio, & Vidio. I. 19

Quam

Digitized by Google

Quam varia hic Lobulus figura sit. I. 19
Ejus utilitas. I. 34
Hepatis fissura, & sinus pro vena Umbilicali, ejusque sinus isthmus, & ligamentum. I. 33
Sinus, seu fovea pro vena Cava ubi, & quanta sit. I. 14. 26
De ejus foveæ isthmo. I. 33
Sinus pro Cysti. Vide Cystis.
Sinus reliqui, sive foveæ. I. 34
Fissuræ naturales majores, minoresque, & ipsarum utilitas. I. 35
Rete quoddam, etiam externum. I. 65
Capsula Portæ venæ, Glissonii dicta, jam nota fuerat Walæo. I. 66
Hujus Capsulæ Septum a Glissonio prop. fuerat. I. 66.
De carneis Capsulæ fibris, & glandulis. I. 66. II. 58. 59. 60
Hepatis Malpighiana structura. De hac. II. 82. 83. 84. 85. 86. 87
Excarnatio ad vasa pervestiganda, a Galeno proposita est. I. 69
Usus num sit etiam præstare diverticulum sanguini, nimis vel copioso, vel turgenti. II. 94
Hepatis Arteria. Vid. Arteria.
Cystis. Vid. Cystis.
Ductus bilarii. Vid. Bilarii Ductus.
Ligamenta. Vid. Ligamentum.
Lymphæductus. Vid. Lymphæductus.
Nervi. Vid. Nervi.
Venæ. Vid. Venæ.
Hepatis subitaneæ phlegmones, & celeres quædam obstructiones unde videantur repetendæ. II. 94
Hepatici Ductus rami non connivere in hepate, sed patuli servari videntur. I. 27
Sinus non est perpetuus. I. 66
Dilatatio observata. I. 43
Calculi. Vid. Calculi.
Hepati-cystici Ductus num in homine sint demonstrati. I. 38. 39. 40. 41. 42. 56. 83. II. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 77.
Highmori lapsus. I. 96
Hippocrates primus Seminales Vesiculas indicavit. I. 83
Hoffmannus Frid. Prof. Halens. & Consil. Reg. laud. II. 107

I.

Jecur. Vid. Hepar.
Injectionum humoris, aerisve ad Anatomen augendam rudimenta apud Berengarium, & Eustachium. I. 69. 86
Intestinorum glandulas qui docuerint. I. 83. 84

L.

Lactea Vasa. Vid. Chyli vasa.
Lancisius Archiat. olim Pontif. defensus. I. 8. 68. 69. 70. 71. 73. 74. 75. 76
Laurentii Andr. lapsus. I. 34. II. 80
Defensio. II. 39
Lentilius Rosin. Archiat. Wrtenb. laudatus. I. 49. II. 96
Lienis ligamenta num sint solæ, & dispersæ fibrillæ. I. 9
Fissuræ naturales, & harum utilitas. I. 35
Vasorum extrema instar penicillorum num revera Casserius noverit. I. 83
Ligamenta hepatis quatenus unum dumtaxat dici possint. I. 9
Ligamentum hepatis dexterum, ejusque in variis hominibus varietates. I. 6
Num perpetuum sit. I. 7
A quibus Auctoribus sit propositum. I. 8
In bestiis quibusdam deest. I. 7
Ligamentum hepatis sinistrum. I. 6
Num sit perpetuum. I. 7
A quibus Auctoribus propositum sit. I. 7. 8
In quibusdam bestiis desideratur. I. 7
Ligamentum hepatis Suspensorium latius est, quam vulgo creditur. I. 2
Eo minus tamen, quo posterius. I. 2
Pervenit usque ad umbilicum. I. 3
Quatenus verum sit, ipsum instar zonæ hepar amplecti. I. 9
Num in se habeat quasdam teretes productiones. I. 4
Habet vascula sanguifera, & in his quædam nondum adnotata. I. 4
Num per membranam hepatis in hujus parenchyma reapse penetret. I. 5
Num præter hoc sit aliud Ligamentum hepatis ad cartilaginem ensiformem. I. 6
Ligamenta Lienis. Vid. Lienis.

Digitized by Google

Ligamenta Uteri Rotunda ex sanguiferis vasculis magnam partem constantia primus pinxit Eustachius. I. 89
Lospichlerus Jo. Ad. Archiat. Salisburg. laudatus. I. 51
Lymphæductus qui primi viderint. I. 96
Qui primus in homine viderit, & delinearit. I. 83
Eorum valvulas qui primi animadverterint, & luculentissime demonstrarint. I. 96
De ipsorum origine. I. 30. II. 5. 8
Lymphæductus hepatis. De his. I. 28. 29. II. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 77. 78
Num cum glandulis vicinis non communicent. II. 3. 4

M.

MAlpighii de structura hepatis sententiæ illustratæ, & a nova quadam alienissima interpretatione vindicatæ. II. 82. 83. 84. 85. 86. 87
Mammæ. De harum in Areolis Tuberculis. II. 10
Mangetus, Jo. Jac. Archiat. Pruss. laudatus. II. 3. 11. 17. & alibi passim.
Marsilius Lud. Ferd. Comes laudatus. II. 107.
Mead Rich. Med. Londin. laudatus. II. 107
Mediavia Nicol. Publ. Incis. in Th. Anat. Patav. laud. I. 56
Mercurialis, Hieron. De ejus vita, & primo ab ipso edito, nunc ignoto, & rarissimo libello quædam. I. 81
Mesaraicæ venæ. Vid. Venæ.
Michelottus Petr. Ant. Med. Ven. laudatus. II. 7
Musculi exiles, & dubii in quibus potissimum cadaveribus examinandi. I. 59
Musculi Mallei. Vid. Auris.
Vesicæ. Vid. Vesicæ.
Urethræ. Vid. Urethræ.
Cremasteres. Vid. Cremasteres.

N.

NArium Turbinata ossa qui primi descripserint. I. 94.
Nervi quatenus inter vasa referri possint. II. 15
De Nervis ad hepar pertinentibus. I. 36. 37. 70. II. 13. 14

O.

OMentum num coctionem juvet. II. 92
Ossa duriora num fieri molliffima possint sine ullo vitio fluidi universalis. II. 95
Ossa Turbinata. Vid. Narium.
Osficula Tympani. Vid. Auris.
Ova vera mulierum num sint adhuc bene perspecta. I. 89

P.

PAncreatis lobi inferioris, in cane prælongi, inchoamentum in nobis non deest. I. 30
De ejus Ductu quædam. I. 84. 85
Papadopoli Nicol. Comn. Prof. Primar. Patavinus laud. I. 80.
Partes nostri corporis num aliæ ab aliis oriantur. I. 9
Internæ in variis variant fere ut externæ, & quid hinc sequatur. I. 12
Pascolus Alexand. Prof. Rom. laudatus. I. 7
Pauli Jo. Guil. Prof. Lipsi. laudatus. I. 96
Peritonæum an, & quomodo visceribus ventris tunicas præbeat. I. 9
Platnerus Jo. Zachar. Prof. Lipsi. laudatus. II. 65
Polenus Jo. Marchio, & Prof. Patav. laudatus. II. 104
Portæ venæ. Vid. Vena.
Posthii Jo. lapsus. I. 36

R.

REnum Papillæ notæ fuerunt Berengario, & aliis. I. 86
Reverhorstius Maurit. Med. Batav. defensus. I. 33. II. 2. 3. 6. 77
Riolani Jo. fil. lapsus. I. 31. 34
Defensio. II. 92
Ruyschius Frid. Prof. Amstel. laudatus. I. 7. 21. 52. 56. 90. II. 18. 33. 47. 69. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 101. 107

S.

SAlivalium glandularum, & ductuum quorundam Inventores. I. 77. 83
Saltzmannus Jo. Prof. Argentor. laudatus. I. 3. II. 12
a Sancta Sophia Marsilius. De hoc quædam. I. 80
Sanguinis Circuitum qui primi docuerint.

Digitized by Google

rint. I. 82
Santorinus Jo. Dominic. Protomed. Venet. laudatus. I. 31. 32. 56. 88. II. 29. 31. 58. 65. 71.
Schrockius Luc. Cæſ. N. C. Acad. Præſ. laudatus. II. 107
Scroti Septum in beſtiis primus indicavit Columella. I. 87
Secretio animalis. De hac. II. 61. 62. 63. 64. 66. 67. 68. 69. 70. 81.
Semicirculares Labyrinthi Canales non omnino videntur ignoti Corn. Celſo. I. 92
Sievertus Paul. Godfr. Med. Magdeb. laudatus. I. 82
Spermaticæ Venæ. Vid. Venæ.
Splen. Vid. Lienis.
Stahlius, Georg. Erneſt. Conſil. & Archiat. Pruſſ. laud. I. 27
Stephanus Carol. Urethræ muſculos Tranſverſales novit, & primus delineavit. I. 88

T.

TEichmeyerus Herm. Frid. Prof. Jenenſ. laudatus. II. 58
Terrancus num Urethræ glandulas illuſtraverit. I. 88
Teſticuli canaliculatem ſtructuram qui primi docuerint. I. 77
Quis primus corpus, Highmori dictum. I. 87
Thoracicus Ductus cur inſulas habeat. I. 10
Non fuit a Mundino indicatus. I. 78
Tozzii lapſus. I. 80
Tubas Euſtachianas non modo novit Ariſtoteles, ſed etiam quæ, illis poſitis, conſequuntur. I. 93
Tubas Falloppianas quis primus in beſtiis deſcripſerit. I. 89
Tympanum quinam inter Veteres deſcripſerint primi. I. 92

V.

VAlliſnerius Anton. Prof. olim Primar. Patav. & Cæſar. Med. Cubicul. laudatus. I. 1. II. 36. 51. 104
Valvulæ. Vid. Venar. Lymphatic. Chyli vas. Cyſticus ductus.
Varolius primus Arachnoideam cerebri tunicam deſcripſit. I. 91
Item novum quoddam Rete mirabile. I. 91
Item Tractus, ſive ſtrias Protuberantiæ Annularis. I. 91
Vaterus Abr. Prof. Witenberg. laudatus. I. 31. II. 17. 107.
Venæ Bronchiales a quibus obſervatæ. I. 90
Vena Cava ab emulgentibus ad cor non recto aſcendit, ſed bis inflectitur. I. 10
Harum inflexionum utilitas. I. 10
Venæ Hep. omnes quomodo perveſtigandæ, docuit Gal. I. 69
Hæ omnes, etiam minimæ, num decuſſentur. II. 79. 80. 81
Hæ omnes ſenſibiles, nunquam connivere poſſunt, ſed ſemper patulæ ſervantur. I. 27
Ejus rei cauſæ inquiruntur. I. 27
Venæ Hepaticæ, ad Cavam pertinentes, majores, & minores. I. 26
Venæ Lacteæ. Vid. Chyli vaſa.
Venæ Meſeraicæ cur inſulas habeant. I. 10
Vena Portæ num in ſiniſtrum latus jecoris inſeratur. I. 24. 25
Ejus Sinus ſedes, poſitus, figura. I. 25. 75
Ejuſdem Sinus habitudo ubi excipit venam umbilicalem. I. 75
Venæ Portæ ramos intra hepar arteria, & bilario ductu ſtipatos jam olim pinxit Euſtachius. I. 69
Ejus Calculi. Vid. Calculi.
Venæ Spermaticæ cur inſulas habeant. I. 10
Venarum valvulas qui primi cognoverint, & delineaverint. I. 95
Oblongiores quædam valvulæ ante Recentiores deſcriptæ. I. 95
Ventriculus. De hujus tunica celluloſa. I. 62
Ventriculus in Vipera qualis. Vid. Vipera.
Verheyenii lapſus. I. 2
Veſalii lapſus. I. 31. 49
Veſicæ urinariæ figura non rotunda, neque inſtar inverſi pyri obſervata, ſed potius contra. I. 61
Eadem retrorſum magis, quam antrorſum impenſe protuberat. I. 61
A lateribus anguſtior eſt, quam a fronte. I. 61
De Veſicæ glandulis quid obſervatum. I. 63
Ejus fibras carneas eſſe ſuper extimam tunicam, a vero alieniſſimum oſtenditur. I. 58. II. 29
Eaſdem intermedium tenere locum, & plane interdum rubere, demon-

Digitized by Google

ſtratur. I. 58. 59. 60
Quænam circa ipſas in pluribus veſicis ſint obſervata. I. 60
De Veſicæ Sphincțere muſculo quid obſervatum ſit, & animadverſum. I. 60. 61.
De Veſicæ muſculis quibuſdam Elevatoribus, & Depreſſoribus. I. 88. II. 91
Veſicæ nova quædam diviſio in collum, cervicem, & fundum refutata. II. 39. & ſeq. 42. 43
Veſicula fellis. Vid. Cyſtis.
Veſiculas Seminales primus indicavit Hippocrates. I. 83
Veslingii lapſus. I. 2. 10
Veſpertiliones non carent diaphragmate. I. 32
Vidius memoravit Lobulum hepatis, nunc Spigelii dictum. I. 19
Viperæ ventriculus qualis. I. 64
Hepar num ad Duodenum inteſtinum pertingat. I. 64. II. 93
Urethræ, & veſicæ urinariæ finibus innata excreſcentia. I. 43
Urethræ muſculos Tranſverſales novit, & primus delineavit Car. Stephanus. I. 88
Num hi ſint quidam veſicæ Depreſſores muſculi. I. 88. II. 31
Urinæ ſecretio. Vid. Secretio, & ſpeciatim. II. 68. 69. 70
Naturalis color num vocandus ſit croceus. II. 89
Ad ejus compoſitionem indagandam Bellini experimenta num minimi momenti ſint. II. 88
Uteri Ligamenta. Vid. Ligamenta.
Vaſa ſuperiora, & inferiora, dextra, & ſiniſtra inter ſe communicare, Falloppius docuit. I. 89
Diviſio quædam in collum, cervicem, & fundum quos Auctores habuerit. II. 40
Eadem non eſt admittenda. II. 39. 40. 41. 42. 43
Vulpius Jo. Anton. laudatus. II. 106
Vulpius Jo. Bapt. Prof. Patav. Emeritus laud. I. 43. 56. II. 106

W.

WAlæus Capſulam hepaticam ante Gliſſonium indicavit. I. 66
Winslowius Jac. Benign: ex Acad. Sc. Pariſ. laudatus. II. 107
Wirſungus. De hoc, & ejus morte quædam. I. 85
Wolfartus Petrus Prof. Marburg. laudatus. I. 7. 35

Z.

ZAnottus Franc. M. Prof. Bonon. laudatus. II. 10

Digitized by Google

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI AD AMICUM EPISTOLA ANATOMICA PRIMA.

QUOD Te mihi de Epistola purgas, eo facilius excusationem accipio, quod antequam scriberes, ab Amico audiveram, qui tecum essent, cum illam reddidit, & qui continuo inter vos sermones coorti sint. Verum si me amas, quantum ab ipsis amaris; suscipere debes partes meas, & eum te esse fingere qui ego sum. Placeretne tibi; Vir Doctissime, id in publicum emitti quod tu horis subcesivis dictasses potius, quam scripsisses? quod non emendare, si opus esset, quod vix relegere potuisses? in quo nonnulla fusius, multa strictius rescribenda, &, quod caput est, plura diligenter etiam atque etiam expendenda esse, scires? An tu nolles diutius considerare non solum quid in alium dici, verum etiam quid a te dici deceret? neque tantum ne levioribus verbis uterere, quam causa postularet, quantum ne gravioribus, quam tua natura pateretur? Huc illud accedit, quod Epistolam meam vel nullius, vel alicujus ponderis esse, putatis. Si nullius, cur edendam censetis? Sin alicujus; cum eo spectet universa, ut neque debere, neque oportere ullum a me Provocatori responsum dari, idque omnibus manifestissimum esse, confirmet; cur videri vultis omnium ingeniis diffidere, de tam perspicuis rebus tam longam Epistolam emittendo? Atenim istis qui vulgari eam velint, suas vicissim causas esse, & rationes, scribis; sed quæ

Digitized by Google

sint, non scribis. Illud contra, quod minime ignorabam, inculcas, eos esse istos, qui apud utrumque nostrum debeant & necessitudine „ & beneficiis „ „ & dignitate plurimum posse: quorum „ ego neque benevolentiam erga me „ ignorare, nec auctoritatem aspernari, „ nec voluntatem negligere debeam. „

Vera prædicas, & quæ neque inficiari possem, si vellem, neque vellem, si possem. Sed quorum voluntati obstare nequimus, fac, obsecro te, ut eorum voluntatem flectamus, ut partes lenitatis quas me natura ipsa docuit, sinant me agere libenter; istam vero severitatis personam, a me nunquam appetitam (nisi si vestrum omnium judicio & gravissima causa urgere, neque mea improbanda esse Epistola videatur) mihi iterum non imponant. Atque ut intelligant, quanto libentius lenitati indulgeam, quam severitati; huc alterius abscribam Epistolæ exemplum, quam ante istam quæ in manibus vestris est, ad Provocatorem mittendam paraveram.

Hanc; etsi affecta est, non perfecta; habeant, ostendant, in vulgus edant; minime ego moleste feram: imo non levem voluptatem capiam, si hoc alterum a me exemplum publice extiterit, quemadmodum inter Amicos litterariæ controversiæ sint exercendæ. Hujus Epistolæ, si quæris, causa mihi ad hunc modum se obtulit. Cum *Historiæ Hepaticæ* novam Editionem accepi, nolui ipse primus legere, ne in propria causa fortasse fallerer; sed ad certos quosdam mihi amicissimos Viros afferendam curavi, quæ si quid forte invenirent, unde meus animus offendi posset, iis notatis locis, librum remitterent, ut ego, quoad vellem, declinare illa possem, reliqua legere, & ad primam saltem lectionem, nullam præjudicatam opinionem afferre. Sic, post aliquot menses, remisso ad me libro iis ipsis diebus quibus Anatomen in publico docebam, subcesivis quibusdam temporibus, animi causa versare Tabulas præsertim, earumque Explicationes, nonnullas etiam Orationes, interdum quoque si quid mihi dubium videretur, adnotare cœpi. Ita mihi enata Epistola est. Quam tamen ne absolverem, imo ut alteram istam aliquanto longiorem eo qui insecutus est, mense ad te perferendam dictarem; fortuito contigit. Cum enim alium quæresem nescio quem locum; in eam Animadversionem forte incidi quam potissimum eo tempore vitare statueram.

Tum enimvero incredibili re commotus, cum illam, tum reliquas a capite ad calcem Animadversiones perlegi, illamque ad te Epistolam effudi, quam unusquisque, opinor, in pari causa effudisset. Nunc quando rerum ordinem habes; jam quæ ex Anatome alias, si tu velles, me esse scripturum, in ea Epistola promisi, eorum plerasque omnia in hac habebis. Ita autem conscripta erat:

1. MUlto antea Tibi, Vir Cl., quas modo ago, gratias egissem, si vel nihil, nisi gratias agere voluissem, vel Celeberrimus Collega meus Antonius Vallisnerius, qui non nisi post Kalendas Novembris (*) redire huc potuit, tuum mihi librum eo tempore attulisset, quo non tam assiduis laboribus, & occupationibus distinerer. Nunc autem ob eas, aliasque probe ipsi cognitas causas, vix aliud quam Tabulas atque Orationes nonnullas inspicere mihi licuit, ex quibus argumentum caperem ita tibi gratias agendi, ut fortasse ex parte aliqua etiam referrem. Cogitanti enim mihi quo potissimum grati, amicique animi testimonio tuæ erga me liberalitati responderem; nullum aptius visum est, nostrave amicitia dignius, quam eas tecum dubitationes ingenue communicare, quas mecum ipse communicari pariter vellem, si forte interdum in Amicorum, mea Scripta legentium, animis ejusmodi dubitationes exorirentur. Nam aut a recte dubitantibus verum discerem, meque ipse emendarem; aut vicissim ipsi a me acciperent unde suos sibi scrupulos evellerent: quorum

(*) Ann. 1715.

Digitized by Google

rum alterum mihi utile, alterum ipſis non inutile, utrumque utriſque jucundum, publico autem rei litterariæ incremento conducibile plurimum foret.

2. In I. ergo Tabula, nitide & perſpicue, ut reliquæ, delineata, plura ſunt in Ligamento potiſſimum Jecoris Suſpenſorio, quæ non leves mihi dubitationes injiciant. Nam primum ubi id latiſſimum pingis, duos tranſverſos digitos non excedis. Ego vero ſolitus ſum in iſto ipſo qui ſupra hepatis fiſſuram eſt, loco id Ligamentum digitos interdum quatuor, alias tres latum deprehendere, quamvis neque jecur, neque cadaver magna ſint.

Hiſt. Hepat. p. 881. Quod niſi tu *Ichnographiam* tuam *Hepaticam* eſſe *ad vivum inciſam*, teſtareris, ſic ut *omnia*, quod alibi confirmas, *magnitudinem naturalem ſervent*; aut niſi Fernelius, Piccolhominus, 988 Spigelius, Highmorus tranſverſi fere digiti intervallo jecur ab diaphragmate, ne hujus obeſſet motui, diſtare, docuiſſent, contra autem Diemerbroeckius (1), Spigelium, & ante illum Riolanus (2) *omnes*, ut ait, *Anatomicos* in eo ipſo redarguiſſent, ac jecur *ſtricte*, & *ſine ulla vel levi diſtantia*, *tota* ſuperiore parte diaphragmati *affigi*, tradidiſſent; minus illud mihi attendendum exiſtimaſſem. Neque tamen credas, a me negari, quod ipſe nonnunquam vidi, & Bohnius (3) confirmat, poſſe jecur ita ut Riolanus ſcribit, ſepto tranſverſo affigi ſine hujus actionis incommodo; hic enim non quod aliquando, ſed quæ ſæpius viderim, propono; hiſque inhærens, hepar ſtante homine, & ventriculo, ac inteſtinis inanibus, ab diaphragmate pluſquam fortaſſe credatur, diſtare aliqua ſaltem ſui parte, conjicio, ſi modo Suſpenſorium Vinculum non obliquè, ſed ad lineam a ſepto tranſverſo ad jecur undequaque ſe ſe demittit.

Dixi autem *aliqua ſui parte* non ignarus aut eorum quæ de jecinoris figura infra addam, aut eo magis ejus Vinculi latitudinem contrahi, quo magis ex eo de quo ſupra dictum eſt, loco ad poſteriora accedit: id quod a te, Vir cl. egregie pictum eſſe lætor, ut habeant iterum Anatomici quam Verheyenii Figuræ (4) opponant id non magnopere obſervantis, & præterea hoc Vinculum extra fiſſuram, ut videtur, pingentis, itemque aliis apud Veslingium (5), & Bartholinum (6) Figuris, in quibus omnibus illud quoque vitii eſt, ut ad hepatis imam partem cum Vinculum amplius eſſe oporteret, anguſtius exhibeatur. Quanto aliter Euſtachius! cujus ſi convexæ jecoris faciei delineationem (7) inſpexeris, facilius, opinor, feres tum quæ de hujus Ligamenti latitudine a me obſervata indicavi, tum quæ de ejuſdem longitudine continuo ſubjiciam.

3. Tu igitur hoc Ligamentum proponis ad onum, aut alterum infra hepar digitum deſcendens, non ultra videlicet eum locum ubi illud *concurrens* cum umbilicali vena repræſentas, per cujus *interventum ad lineam albam hoc eodem loco firme pariter adnectatur*. Mihi vero ſemper ad hoc uſque tempus 884
contra obſervare, atque oſtendere datum eſt, non ibi, ut putant ſuum imum terminum habere, ſed ad umbilicum uſque demitti inter lineæ albæ regionem, & venam umbilicalem ſic, ut non hujus interventu Vinculum, ſed Vinculi interventu ea vena cum alba linea committatur. Qua quidem de re, deque ejus, ſive in utero, ſive extra uterum utilitate, ac de iis perpaucis Anatomicis qui id prorſus ignoraviſſe non videntur, cum fuſius in meis illis Obſervationibus ſcripſerim quas cum Celeberrimi Valſalvæ noſtri Operibus Poſtumis vulgabo, non hic plura adjiciam: ſed abs te illud dumtaxat petam, ut cum jecur ſuis e ſedibus eximes, dare operam velis, ne quidpiam de hoc Ligamento relinquas ad ſeptum tranſver-

(1) Anat. l. 1. c. 14.
(2) Antrop. l. 2. c. 21. & Animadv. in Laur. c. 19. l. 6.
(3) Circ. Anat. Prog. 17.
(4) 3. in Tab. XI. l. 1. Anat.
(5) Synt. Tab. c. 4. Fig. 4.
(6) Anat. quart. renov. l. 1. Tab. 23. Fig. 1.
(7) Fig. 3. Tab. XI.

Digitized by Google

ſum, albæque lineæ regionem; vel etiam prius quam coltrum Vinculo admoveas, leniter manibus hinc umbilicalem venam, inde, jam diviſos ad ſiniſtrum albæ lineæ latus, abdominis dextros muſculos trahendo, turſimet oculis credas, hoc Vinculum ſupra hepatis fiſſuram, & tribus, aut quatuor infra hanc digitis totidem æquans digitorum latitudinem, magis quidem, magiſque deinceps contrahi, quo magis ad umbilicum accedit, ſed non antea ceſſare, quam ad hunc umbilicalem venam perduxerit, quam intra duplicaturam ſuam hinc uſque ad Sinum venæ Portæ tuetur, ac fulcit ſic, ut ultra interius ejuſdem umbilicalis venæ latus ſæpe, in mulieribus præſertim, & pinguibus viris, adipe fartum promineat. Sed quamvis adipe ſæpe farciatur; haud tamen propterea non perpetua & continens cum Ligamento Suſpenſorio membrana eſt; quinimo non ita pridem cum in macilenta alioqui Anu a pinguedine flaventem invenerim, adeo firmam valentemque deprehendi, ut hanc digito perrumpere difficilius potuerim, quam ipſum diaphragmati, & jecori interjectum Vinculum Suſpenſorium.

4. Hic quæres fortaſſe, an hoc in Vinculo eas viderim quas delineas, atque deſcribis, geminas *compactas*, *& teretes — inſtar tendinis productiones* venæ umbilicalis. Verum tibi ingenue fatebor; neque unquam vidiſſe memini, & fruſtra nuper, quatuor, aut quinque continenter ſectis jecinoribus, perquiſivi; quamvis omnia tam ſedulo, objecta etiam adverſo lumini, exploraverim, ut inter adipis ſtrias, ſæpe a primo non ſatis conſpicuas, quæ inter diaphragma, & hepar interdum haud ineleganter diſpoſitæ ſunt, vaſcula etiam multa ſanguifera viderim, quorum exiles caudices ad jecur pertinebant; tamuli diaphragma verſus ferebantur, nonnulli etiam paulo majuſculi, qui fere ex jecoris fiſſura exiſtebant, deorſum per eam quam ſupra deſcripſi, membranam umbilicum verſus pergebant; cum his nonnunquam alia vidi quæ communicarent, vaſcula, a peritonæo prope umbilicum prodeuntia, & obviam prioribus aſcendentia. Quæ omnia commemoravi cum quia vaſcula hæc ultima, atque illa prima neque picta, neque deſcripta vidiſſe memini, cum ſecunda, atque alia, ad vincula hæc pertinentia, viderim; tum vero ut intelligas, qui ejuſmodi res perſpexerim, longe facilius iſtas conſpicere *durioris denſioriſque corpulentiæ productiones*, ſi in iis fuiſſent cadaveribus, potuiſſe.

5. Ne autem credas, ea dumtaxat quæ a te proponuntur, a me inveniri non poſſe; ne aliud quidem, a Gliſſonio propoſitum, mihi adhuc licuit invenire. Tradidit (id quod tu minime ignoras) Auctor ille Experientiſſimus (1), *Ligamentum hoc*, quo de loquimur, Suſpenſorium *non ſolum extimæ hepatis membranæ affigi, ſed etiam parenchyma ejus penetrare, & communi vaginæ ſive involucro rami venæ Portæ (quâ vena umbilicalis eidem continua eſt) valide annecti.* Fruſtra hoc olim invenire conatus, eo me primum ſolabar, quod Verheyenio (2) quoque, exercitatiſſimo Anatomico, idem accidiſſe videretur. Neque enim rem ita ſe habere, ſcripſit; ut ſcripturus fuerat, ſi vidiſſet; ſed ad hunc modum: quod ligamentum *D. Gliſſonius dicit capſulæ venam portæ & ductum hepaticum involventi continuatum.* Deinde autem mihi illa Gliſſonii verba iterum conſideranti, locumque propoſitæ connexionis attendenti, *qua vena umbilicalis ramo venæ Portæ continua eſt*, ſubiit dubitare, an iſta penetratio per hepaticam dumtaxat fiſſuram, qua umblicalis vena ad ramum venæ Portæ traducitur, ſit fortaſſe intelligenda. Hac in dubitatione cum adhuc eſſem, te, Vir cl. legi ſine ulla hæſitatione aſſirmantem, hoc Ligamento *ſubſtantiam viſceris ad* 883
tranſverſum fere digitum penetrari: hoc Ligamentum a *tunica* hepar *inveſtiente per totum ſuum tractum diſtingui; quam* 889
ſcilicet tunicam non jam producit, ſed ſcin-

(1) Anat. Hep. c. 2. (2) Anat. l. 1. tr. 2. c. 19.

Digitized by Google

ſcindit, & perforat in trajectu ſuo, ut hepatis ſubſtantiam factâ hâc ſciſſione trajiciens penetret, eique ideo firmiores ſui radices internas implantet.

Tunc enimvero, mea ſepoſita dubitatione, tibique magis, quam mihi credens, ſcalpellum iterum in manum ſumpſi, in tribuſque jecinoribus quod fruſtra olim perquiſiveram, invenire conatus ſum. Verum mihi pro tua humanitate veniam dabis; ſi ne nunc quidem inveniſſe fatebor, quanquam & ſcalpelli, & oculorum acie connixus, nihil intentatum reliquerim, ut invenirem. Modo enim cultro a ſummo Ligamenti limbo deorſum per Ligamentum, ipſamque hepatis ſubſtantiam in tranſverſum ducto, utramque ſectionem præclaro ſub lumine intentis oculis inſpectavi, ſi forte pergere intra hepar Vinculum, quod ſubinde leniter alternatim trahebam, laxabamque, conſpicerem. Modo cultrum ſecundum alterutrum Vinculi ipſius latus, lenta ac ſuſpenſa manu leviter ſenſimque abradendo, in ſubjectam jecoris ſubſtantiam deprimebam. Quid verbis opus eſt? his, atque aliis ejuſcemodi tentaminibus cum magnum tractum convexæ hepatis faciei ſupra fiſſuram diſſecuerim, non modo Vinculum ſe per hepatis membranam trajiciens non vidi, ſed contra luculenter vidi, cum prima illa inſtituta ſectione, Vinculum, ut dixi, traherem, hoc ſe ſe utrinque in jecoris membranam dividens, in eamque faceſſens; cum autem alteram ſecundum ipſum Ligamenti latus ſuſpenſa manu ſectionem incepiſſem, tracto inter diſſecandum in alterum latus Vinculo, perſpexi albas, validas, parallelas fibras ex hoc in hepatis membranam paſſim dimiſſas. Quæ cum ita ſint; niſi tu doceas, quemadmodum membranam hanc videam per trajiciens Ligamentum diſciſſam, in priorem illam dubitationem relabar neceſſe eſt, an forte Gliſſonii verba, quæ certe non ad totum Ligamenti ambitum tractumque pertinent, ſed ad unum illum contrahuntur locum quo vena umblicalis venæ Portæ ramo continua eſt, de *parenchymatis* jam ab ipſa natura per fiſſuram diviſi *penetratione* ſint accipienda. Hanc enim Ligamentum fiſſuram ſubit, & quanquam cum hujus pariete cohæret ſæpe dextero, nonnunquam, ut vidi, ſiniſtro, mox tamen ab eo pariete ſolutum, cum vena umbilicali ad illum uſque ramum pergit venæ Portæ, ut ibi cum capſula, quemadmodum Gliſſonius docuit, connectatur.

6. Quod ad reliqua hepatis Ligamenta attinet, primum illud placet quod peculiare ad cartilaginem enſiformem Vinculum non agnoſcis. Et mihi ſane accidit, ut quotieſcumque id quæſivi, ſic invenerim, ut quidam Anatomici univerſe docent, tu autem *in nonnullis* eſſe dicis, ut *idem corpus ligamenti lati, abſque diſtincta*, quam tu delineas, *productione, cartilagini immediate adnecteretur*; niſi quod ſemel, idque in fœtu, ne hoc quidem illi nexum cartilagini vidiſſe memini. Illud quoque placet quod Siniſtrum, & Dexterum jecinoris Vinculum non omittas. Illud enim quotieſcumque quæſivi, ſemper inveni, ab ipſis convexæ, & ſimæ faciei jecoris poſticis finibus exortum, quod cum aliquando diligentius inſpicerem, longius fere quam latum eſſe vidi trianguli forma cujus totum latus ſuperius, tres digitos tranſverſos longum, a baſi ad verticem uſque peritonæo, diaphragma ſuccingenti, nectereturn, donec vertex ipſe haud procul a ſuperiore lienis ſede ceſſaret. Dexterum quoque ſemper Vinculum deprehendi, membraneum pariter, firmum, nec ſane anguſtum, niſi quod ſemel in ſani alioqui hominis cadavere invenire non potui, cui gibba hepatis facies magno ad poſteriora ſpatio cum ſepto tranſverſo, connatis utriuſque membranis, arctiſſime a dextris connexa erat. Sed latus ipſum dexterum utriuſque hepatis faciei, omneſque illi fines quocunque vinculo nexuque carebant; ut in eo certe *limbus dexter lobi majoris hepatis ad interna latera ſpuriarum coſtarum, medio pariter amiciente Peritonæo, per ſpatium ſat latum* ab Ligamento *colligatus* non eſſet. 885 886

Quin-

Digitized by Google

Quinimo etsi haud raro vidi hoc Vinculum peritonæo affixum non modo alicujus dexteræ ad ipsos hepatis fines spuriæ costæ, sed & musculorum, his costis subjectorum, latera convestienti; haud raro tamen etiam vidi affixum peritonæo diaphragma amicienti, videlicet huic quoque, aut huic tantum regioni, sæpius a latere, nonnunquam prope vertebras solum, atque unum modo, interdum quasi duplex, aut triplex, sæpe a limbo ipso profectum hepatis dextero, aliquando tamen potius a facie sima, aut etiam convexa, modo summæ & posticæ, modo imæ & anticæ jecoris parti amplius annexum. Quæ cum ita sint; ut facile agnosco, variis in variis hominibus locis dexterum hoc Ligamentum affigi; sic haud facile intelligo quomodo istud quod tu, Vir cl. in 1. Tabula delineas, eo potuerit ubi diaphragma interjectum non esset, extendi, & *ad interna latera spuriarum costarum, medio pariter amiciente Peritonæo, per spatium sat latum*, ut tu quidem scribis, *colligari*.

7. Quod autem addis, te Ligamentum utrumque hoc jecoris, sinistrum, & dexterum, *non tam in homine, quam in quocumque aliorum animalium genere majus, aut minus, angustius, aut vastius compertum semper habuisse*; ego quidem, si bestias seponamus, quarum tot nempe sunt genera, ut nihil de ipsis universe affirmare audeam, imo in earum quibusdam neutrum Ligamentum vidisse me, sciam; ad tuas libenter observationes adjungam meas, ex quibus paulo ante indicatis colligere potes, mihi vix semel accidisse, ut Ligamentum dexterum in homine non invenerim. Censeo tamen, æquum esse, ut ambo aliis Anatomicis etiam credamus, ut Gerardo Blasio (1) qui duo hæc Vincula *non perpetua esse*, docuit, ut Isbr. Diemerbroeckio (2) qui sinistrum *non semel defuisse*, *vidit*, ut Doctissimo Fantono (3) qui haud aliter de sinistro videtur innuere, ut præsertim Gabrieli Fallopio (4) cujus nobilissimi Prosectoris verba, ob aliam quoque rem considerationem, aut certe examine non indigna, hæc sunt: *Aliquando reperiuntur rami venarum a porta trunco per hepar disseminati, qui ab extremo apice sinistræ fibræ ex hoc viscere egrediuntur, & per ligamentum, quo in illo latere hepar ALIQUANDO septo transverso jungitur, repentes, atque ipsi septo communicati, descendunt per posteriora ad dorsum usque, ibique junguntur sub pancreo cum quibusdam aliis venis ab eodem portarum trunco extra hepar ortis, & cæt.* Atque horum observationes a nostris discrepantes, apud eos saltem qui præter perpetua, vix ulla attendunt, ejus rei, opinor, causa fuerunt, quam *valde ipse demiraris, tam modicam apud nuperos Anatomicos de hoc ligamento* dextero (*ut pariter de sinistro*) *quo ad usum, & ambitum valde notabili, mentionem institui*. Quanquam, ut verum loquar, de sinistro non tam crebro quidem a nostris Anatomicis mentionem factam esse, video, quam ab iis qui ante demonstratum circuitum sanguinis scribebant, & nominatim; ut Columbum, & Piccolhominum prætermittam, qui ipsi quoque ut perpetuum commemoravere: a Vesalio (5), Valverdo, Vidio, Platero, Bauhino, totque aliis qui Vesalii descriptiones, aut certe plures Iconismos retulerunt, in quibus sinistrum jecoris Ligamentum proponitur, atque indicatur. Attamen neque post Harveum plures defuerunt Anatomici qui hoc Ligamentum diserte verbis, aut non obscure Iconibus proposuerint, videlicet præter eos quos ipse nominas, Bartholinum, & Verheyenium; Nathanael Highmorus (6) Daniel Tauvryus (7); & Cl. Alexander Pascolus (8), ex quorum numero haud omnino expungendi sunt ii quos supra laudavi, Blasius, Diemerbroec-

(1) Comm. in Vesling. c. 4. (2) Anat. l. 1. c. 14. (3) Anat. diss. 6.
(4) Obs. Anat. (5) De hum. corp. fabr. l. 5. c. 7. & Fig. 18. aliique ejusd. & 3. libri.
(6) Corp. hum. Disquis. l. 1. P. 3. c. 1. (7) Anat. Ration. c. 9.
(8) Il Corpo Um. l. 1. P. 4. c. 5.

Digitized by Google

broeckius, Fantonus, multoque minus aut Cel. Ruyschius (1) qui & in sua quadam Tabula pinxit, & ceu perpetuum sic indicavit: *Ligamentum Hepatis tertium, quo, suo in loco, continetur Hepar*, aut Cl. P. Wolfartus (2) qui nomine *Ligamenti Hepatis validioris*, imo *& principalioris, quo mediante Diaphragmati annectitur*, semel, atque iterum post Ruyschium in iis delineavit Iconibus, in quarum prima, qua tu quoque alibi uteris, vereor, ne
105 forte litteræ I, & K sic inter se locum permutarint, ut Auctoris observationem, remque ipsam vehementer obscurent.

Sed hoc omisso, si horum omnium verba, & picturas diligenter inspexeris: cum in quibusdam notabis fortasse nonnulla quæ ne ipse quidem undequaque probo, tum Diemerbroeckium animadvertes longe aliter ac tu, docentem, hoc vinculum *in brutis plerumque non inveniri, unde nonnulli Zootomici, qui cadavera humana varius inspexerunt, ex illa brutorum sectione putarint, illud in homine etiam frequentissime deesse:* cum hoc autem consentientem invenies Cl. Pascolum, qui idem Vinculum ordinario deesse *in Brutis*, confirmat.

8. De Ligamento autem dextero res non ad eundem modum se habet.
887 Nam quod tibi videtur *cum Galenus metipse lib. 4. de usu partium c. 14. ligamentum hujusmodi præcise adnotavisse asserendo:* „ *Hepar costis etiam* „ *mendosis jungi* „ tum *Eustachius* suis in Tabulis *idem ligamentum amplissime demonstravisse*; primum Galeni verba hæc esse invenies, quæ, ut par est, & Andreas Lacuna (3) ipse distinxit, proferam: *Magno præterea alio vinculo hepar phrenibus: atque aliis quibusdam membranosis & parvis, costis nothis connexum est*; in hæc autem Casp. Hofmanni commentarium leges: *Vulgo dicunt*, hepar *duo habere vincula, dextrum (quod suspensorium dicitur) & sinistrum, quibus mediantibus diaphragmati, & ex parte costis spuriis connectitur. Horum Gal. meminit illis verbis* „ *Uno quidem & maximo & cæt.* „ „ *Et mox Magno præterea alio & cæt.*„ ex quibus conjunctis præterea cum iis quæ Bauhinus (4), aliique de connexionibus hepatis cum spuriarum costarum cartilaginibus scripsere, intelliges facile, non posse videri omnibus illa Galeni verba de eo quod tu ais, Ligamento dextero esse *præcise* accipienda.

Quod vero ad Tabulas Eustachii attinet, hoc est ad Figuram illam IV. Tabulæ XI. qua Figura non modo hoc Ligamentum *sedule*, sed & sinistrum *præcipue* videndum præberi, non dubi- 886
tas; equidem ultro fatebor, me quoque olim primo aspectu idem credidisse; verum ubi paulo attentius considerare Figuram cœpi, vidique prope ea quæ credebam, vincula, præsertim autem prope dexterum, non obscura indicia sublatæ hepatis membranæ, vehementer suspicatus sum, & adhuc suspicor, nisi illa quidem indicia eo forte spectent ut intelligamus, id hepar iis in locis cum diaphragmate connatum fuisse, non illa fortasse, Ligamenta, sed elevatæ membranæ jecoris esse partes ad eundem videlicet modum ad quem hanc a te in tua Tabula illa I. ad litt. K, & extimam ventriculi tunicam in superiore proxima Tabula ab Eustachio videmus sejunctam fuisse atque elevatam, imo ad quem in ista ipsa de qua loquimur, Eustachii Figura IV. exterior vesiculæ tunica separata videri potest, & in latus dexterum reducta.

Quæ si tuom animum suspiciones occupassent; non dubito quin pleraque istic omissurus fuisses, ubi Eustachiani Interpretis, Summi Viri, & Fautoris utriusque nostrum, dum viveret, amantissimi Jo. M. Lancisii diligentiam desideras in duobus istis Vinculis indicandis, præsertim cum usque adeo occupatum fuisse, atque illas Adnotationes in maximis temporis angustiis effundere coactum esse, non ignorares. Veruntamen ut Ligamentum jecoris dexterum Eustachio fuisse notum, ex ea Figura pro certo adhuc non affirmo, sic ex libro

(1) Thes. IX. Tab. 4. Fig. 1. G. (2) Eph. N C. Cent. V. Obs. 1.
(3) Epit. Gal. Oper. (4) Theatr. Anat. l. 1. c. 44.

Digitized by Google

bro quem postea emisit *de Renibus*, sine ulla dubitatione statuo; cum in eo (1) hæc scripserit: *alligatur autem dexter renis tum septo transverso, tum jecori: illi prope eam regionem, in qua jecori connascitur, nec procul ab eo vinculo, quo hepar in dextra parte, eidem septo annectitur*. Neque idem Viculum ignoravisse videtur Picolhominus (2), qui *ab hac*, inquit, membrana jecoris *duæ aliæ membranæ, pullulantes, altera dextra, altera sinistra, jecoris partes dextram & sinistram vincientes, diaphragmati committunt, ut utraque jecoris latera suffulta sustineantur*. Gerardus autem Blasius (3) etsi hoc Ligamentum, ut supra dictum est, non perpetuum esse, tradidit; diserte tamen sic proposuit: *Ligamentum membranosum dextram hepatis partem cum dextri lateris costis spuriis seu parte Diaphragmatis dextri lateris connectens*. Neque vero omittendus est Bidlous (4), qui mihi quidem videtur Vinculum hoc dexterum pictura expressisse, quamvis & scalptores Figuram inverterint, & ipse in Explicatione illud eo pertinere, scripserit, quo sane haud video quî potuerit pertinere. A Verheyenio (5) autem, quem ais *unum fortasse ad hæc tempora aliquam ligamenti hujusmodi dextri obiter instituisse mentionem*, certe in loco, hoc est inter reliqua hepatis Vincula, neque pauca prorsus, si cum iis quæ de illis aliis scripsit, comparentur, de hoc Ligamento verba sunt facta. *A dextris*, inquit, *sub costis spuriis* hepar *eidem septo* transverso *alligatur per ligamentum aliud latum & tenue, ab externa hepatis membrana, vel si mavis a peritonæo ubi diaphragmati applicatur productum, quod aliquando geminum reperi. Tertium huic simile est quo ad substantiam, & robur*. Obsecro te, Vir cl. ut videas, num tu post Verheyenium, in I. Editione *Historiæ* tuæ (*) plura dixeris? Sane hepatis connexionem tantum memorasti, *dextrorsum cum variis peritonæi areis per plura, sed brevia stamina ab ipsamet succingente tunica producta*. Sed in Editione quoque hac nova istis verbis hæc tantum addis: ea stamina esse *in unum coadunata*, & hoc ligamentum dexterum, seu quartum, *aliis quidem brevius esse, sed latius*, & cum sit *in omnibus animalibus obvium, & necessarium, a nemine hucusque adnotatum te legisse*. Quæ quidem omnia cum se- 17
cundum ea quæ supra sunt scripta, amplius examine digna credam, tum vero præsertim istud ultimum non video quemadmodum cum iis consentiat non modo quæ ego, & tu ipse adnotavimus, sed ne cum eo quidem quod in utraque Editione eodem in loco scribis, *ipsorum* antiquorum *descriptionibus nos debere* etiam *quadruplicem* hepatis *connexionem cum attiguis partibus*, quo in numero istam ipsam ponis quæ habetur *dextrorsum*. Quin etiam infra cum scribis: *Anatomicorum aliquos geminum interdum ligamentum hujusmodi dexterum, interdum etiam multiplex esse tradidisse*, necesse est, ut vel præter 895
Verheyenium qui *geminum*, alios agnoscas Anatomicos qui *etiam multiplex* esse docuerint.

9 Suspensorio autem Ligamento, quod & Bidlous (6) ait *Venæ Portæ vaginali Tunicæ a latere quo ei Umbilicalis Vena adjacet, canalique Venoso Ligamenti munus subeunti, validissime connecti*, hepar quasi *validâ zonâ* præcingi, fateor, 888
sed multo in sima facie, quam in convexa, angustiore, *integrâ* quoque, nisi *capsulæ interventus* obstaret. Cum eodem pariter Ligamento Ligamenta alia, ne *excepto* quidem toto, ut ego intelligo, *Ligamento umbilicali*, continua inveniri, scio, ut propterea quodammodo verum sit quod Riolanus (7), ut tu etiam animadvertis, censebat, fere *tantum unicum* Ligamentum jecoris *apparere*. Hanc tamen *a suspensorio ligamento, tamquam a prima origine, eorum propagationem* esse, in variisque hominibus *non variare*, hæc vero ejusmodi sunt, ut sine aliqua hæsitatione pro-

(1) c. 13. (2) Anat. Prælect. l. 2, l. 17. (3) Comment. in Vesl. c. 4.
(4) Anat. hum. corp. Tab. 37. Fig 1. lit. F. (5) Anat l. 1. tr. 2. c. 17.
(*) Part. I. c. 6. (6) loc. cit. (7) Animadv. in Bartholini l. 1. c. 14.

Digitized by Google

probare non possim. Primum namque ista posteriora, quæ ut tu recte ani-
895 madvertisti, Cel. Fantonus, aliique memorant, jecoris Ligamenta aliquando an sint, nedum an cum suspensorio Ligamento continua sint, non licet affirmare cum videlicet totos istos in quibus esse consueverunt, convexæ & simæ faciei jecinoris fines, longe lateque diaphragmati connatos deprehendimus, quod in nonnullis, neque, ut videbatur, a morbo, observavimus. Deinde ut cum Vinculo Suspensorio continua sint; num ex illo tamen hæc Vincula, an ex his illud propagetur, ita incertum est, ut quamvis alterutrum facilioris doctrinæ gratia & de his, & de aliis haud dissimilibus continuis membranis dicamus, utrumlibet tamen, imo si verius loqui velimus, neutrum tueri nobis liceat, quando videlicet post Hippocratem (1) qui olim docuerat: *principium corporis nullum esse, sed omnia similiter principium, & omnia finem; circulo enim scripto principium non reperiri*, facile hac ætate ponimus, non modo, quod tu ais,
890 *membranas omnes majoris usus in animali*, sed membranas cunctas *in promordiis æque fuisse* congenitas, quamvis non æque iisdem temporibus explicatas. Igitur cui membranæ quæ membrana continua sit, scire & licet, & oportet, & interdum etiam utile est. Hoc autem intelligentes, quærere possumus, an ventris visceribus tunicam extimam peritonæum largiatur, sive *immediate*, ut in urinaria vesica, renibusque videmus, sive ad ea per vasa perductum, sive etiam per ligamenta continuatum; quæ ligamenta, quod ad splenem attinet, num *solæ*, *eæque dispersæ fibrillæ* sint, ut tu scribis, *umbratilem cum peritonæo connexionem*
889 efficientes, amplius censeo esse quærendum; mihi certe aliquot in cadaveribus in quibus diligentius quæsivi, *solæ fibrillæ* visæ non sunt.

10 Illuc jam venio, ubi *obliquæ*,
891 *non rectæ* in Hepatis Iconibus *trunci cavæ habitudinis genuinam rationem*, *hactenus fortasse non investigatam exporrigis*. Primum non dubitas, quin is truncus *ab iliacis ad usque latus dextrum auriculæ dextræ cordis directe, & in homine verticaliter ascendat, facto vix quodam flexu ante introitum in auriculam: cæterum directe progredi per hepar, & diaphragma, neminem præterire; constare* autem *hanc directam productionem, si truncum hujusmodi venosum cum dicta auricula, & corde & ventris visceribus, & jecore præcipue, expeditum, tabulæ apponamus, & demonstremus*. Me vero, quod pace tua dixerim, ista *præteris* Venæ Cavæ *directa progressio*, non quod cum *expeditam* Anatomici in tabula collocant, non ipsis proclive sit ab Iliacis venis ad cor usque directam ostendere, sed quod ego istiusmodi habitudines vasorum numquam censuerim e suis sedibus depositorum, in tabulis; sed suis in sedibus hærentium, in cadaveribus esse quærendas. Itaque cum istam de qua sermo est, nuper diligentius inquirerem, mihi certe accidit, ut venam Cavam deprehenderem ab eo fere loco ubi emulgentes excipit venas, in dexterum latus deflectere, in idque magis magisque, donec hepar attingeret, inclinare sic ut non minus priorem suam directionem, quam magnæ arteriæ societatem omnino defereret, mox autem in obtusum angulum si non in ipso jam diaphragmatis trajectu, certe haud ita procul ab hoc inflexam, sinistrorsum ad auriculam cordis dexteram inclinari.

Quæ cum perspicerem, mirabar, illorum neminem, quod ego quidem meminissem, qui de circuitu sanguinis, aut post hunc inventum scripsere, has maximæ venæ inflexiones commemorasse, adeo, ut ego opinor, ad eum circuitum juvandum pertinentes. Quod enim in ductus thoracici, imo in spermaticarum, & mesaraicarum venarum insulis, quas vocant, efficiendis ab Sapientissimo Conditore spectatum credimus, ut chyli; ac sanguinis ascensus per *plana*, ut loquuntur, *inclinata* facilior foret, idem in hac quoque vena se-

(1) De loc. in hom.

Digitized by Google

ſemel, atque iterum inflectenda videtur eſſe ſpectatum eo potiſſimum in loco ubi amplitudine jam ſua, ingentique copia ſanguinis ſurſum convehenda laborat. Sic enim huic & facilius eſt aſcendere, ut indicatum eſt, neque tam directe premitur aut ipſe ab eo qui jam aſcendit, aut ab ipſo is qui ex inferiore trunco eſt aſcenſurus. Verum ut hæ cauſæ recentioribus faciles, & apertæ ſunt; ita res ipſa minus, quam vetuſtioribus Anatomicis videtur cognita, aut certe perpenſa. Quamvis enim Verheyenius in quibuſdam Figuris, in eaque (1) præſertim qua venæ Cavæ diſtributionem propoſuit, id inter A, & D D ſic ſatis delinearit; non tamen memini, quod ibi pictura indicavit, ubi verbis expoſuerit. Thomas autem Bartholinus (2) ne id quidem pinxit, ſed retenta non ſine additis erroribus (ut ubi venæ ſine pari in Cavam fines multiplicavit) Veslingii Figura (3), iſtam nobis quam tu, Vir cl. inculcas, ab iliacis venis in thoracem uſque directionem, iſtumque verticalem aſcenſum venæ Cavæ propoſuit. Contra, antiquiores Anatomici, iique præſertim qui in hoc Patavino Gymnaſio ante Veslingium docuerant, ac nominatim Andreas Veſalius (4), & Hieron. Fabricius (5), totque præterea Clari Viri qui Veſalii Iconibus ſunt uſi, ejuſdem venæ curvaturam evidentius multo, quam Verheyenius, delinearunt, pluresque eorum de hac illius obliquitate non omnino ſiluerunt, ut Veſalius idem (6), Platerus (7), Bauhinus (8), atque alii quos ſciens omitto. Sed inter eos qui propriis delineationibus Rem Anatomicam illuſtrantes, hanc obliquitatem pinxerunt, procul dubio Euſtachius præſtitit Tabula XXV. qua cum ipſam præclare oſtendit, tum hæc ſuis eſſe in ſedibus ſpectanda, docuit; non *expedita*, *tabulæ* eſſe *apponenda*, quæ res facile Veslingio, & qui ſunt eum ſecuti, impoſuit, multoque iis magis qui, ut vulgo in adminiſtranda anatome fieri ſolet, iſtum qui flexuoſus eſt, venæ tractum dum plura in ſegmenta dividunt, ſeorſum ſingula cum renibus, cum jecore, cum corde ſervanda, hoc ipſo faciunt, ut quos integer, ſuaque in ſede flexus oſtenderet, non modo hinc detractus, ſed in fruſta conciſus, oſtendere amplius non poſſit. Et quamvis illud ſegmentum quod cum hepate relinquitur, oblique poſitum ſpectetur; tamen neque primam illam inclinationem a ſiniſtris ad dexteras, ſed oppoſitam dumtaxat, ideoque nullum angulum, nullam curvaturam oſtendit; neque adeo prohibuit, quominus ingenioſus, ut es, Anatomicus rectam nihilominus, & *verticalem* venæ Cavæ eſſe habitudinem, cenſeres, credens nimirum, illam quam unam ibi videmus, 892
venæ obliquitatem, hepate quidem, ut, in tabulis fieri ſolet, in tranſverſum diſpoſito, nobis apparere, ſed eodem in naturali ſede poſituque locato, nullam eſſe, hoc eſt venam Cavam *in viſcere* ſecundum naturam *obliquo*, non oblique ipſam, ſed *recte eſſe diſpoſitam*. Quanquam, ut verum dicam, quantacumque iſta hepatis ſecundum naturam obliquitas eſſet; tanta certe eſſe vix poterat, ut venæ Cavæ truncum a te ipſo delineatum, ſi nullo prorſus addito flexu in directum deorſum produceres, non in dextrum potius incidere ventris latus, quam in reliquum truncum venæ Cavæ, lumborum vertebris inſidentem, videres.

11. Sed de naturali jecoris poſitu, & ſede, neque a præſenti inſtituto alienum, neque inutile eſt pauca adjicere. Tu quidem *Tabulæ V. Tom.* 893
I. Anat. corp. hum. ult. edit. Cl. Verheyenii, ut *in hac hepatis depromenda naturali ſede accuratiſſima*, te totum defers. Me autem, ne id prorſus faciam, morantur plura. Primum quæ Verheyenius ipſe ſub ejus Tabulæ Explicationem Lectores monuit, illudque po-

(1) Tab. 39. Fig. 1. (2) Anat. quart. renov. libell. 1. (3) Tab. 1. c. 1. Fig. 1.
(4) De corp. hum. fabr. l. 3. ante c. 6. (5) De Ven. Oſtiol. (6) loc. cit. c. 9.
(7) De corp. hum. ſtruct. ubi de Vaſis. (8) Theatr. l. 1. c. 20.

Digitized by Google

potiſſimum : *ligamentum hepatis umbilicale in eadem Tabula eſſe ſolito longius ;* unde conſequitur, hepatis limbum ad fiſſuram quam id ligamentum ſubit, plus ſolito ab umbilico diſtantem repræſentari. Deinde aliorum ante Verheyenium excellentium Anatomicorum Tabulæ, quarum pleræque eaſdem partes oſtendentium jecur ſurſum verſus minus obliquatum commonſtrant. Noviſſime inſpectiones meæ, quæ ut minime fmunt iis aſſentiri qui hepar vix oblique poſitum pinxere (vidi enim ſemper, cum animum adverti, ſic poſitum, ut ima ejus ora oblique a dextris ad ſiniſtras manifeſtiſſime aſcenderet) ita viciſſim faciunt, ne mihi iſtam Verheyenii Tabulam pro Polycleti regula habere liceat, quando ; ut eam ligamenti umbilicalis longitudinem omittam, & hoc tantum dicam ; haud raro cadavera inſpexi in quibus hepar vix pauxillum infra coſtas a dextris ſe oſtenderet ; nonnulla etiam vidi in quibus ſub enſiformi cartilagine dumtaxat appareret. Quod autem iſtius, a Verheyenio pictæ *multum obliquæ locationis* hanc cauſam proponis, *quod viſcus hoc præcipuum diaphragmatis concamerationem implendo, lobus ejuſdem minor, ſeu ſiniſter verſus ſummitatem fornicis, ſeu centri diaphragmatis notabiliter elevatur, ideoque multo altius conſidet, quam lobus major, ſeu dexter;* id eſſe quidem præcipue aſſentiar, ubi & diaphragma ad eum ſe habeat modum ad quem paſſim ſe habere, putant, & dexteri jecinoris Lobi convexa facies multum extuberet ; non æque autem, ſi contra. Quæ ut plane intelligi ambo poſſint ; de altero primum dicam.

12 Magna quidem in externis noſtrorum corporum partibus occurrit varietas ; ſed internæ quoque, ſi diligentius animadvertamus, haud raro non exigua inter ſe diſcrepant varietate ; unde ut Naturæ in iiſdem alioqui partibus non omnino ſimiliter procreandis immenſam ubertatem magis admirari, ita, hinc etiam, minus mirari eam tantam licet, quæ inter varios ſive ſanos, ſive ægros homines propenſionum, virium, actionum, paſſionum diverſitas obſervatur. Sed quid varietatis in aliis viſceribus, & partibus a nobis obſervatum ſit, & alibi ſcriptum eſt, & alias proferetur. Nunc de varia dumtaxat figura jecoris illud ex parte confirmabimus quod generatim Riolanus (1) ſcripſit, ubi *non diffiteor*, inquit, *Hepatis figuram in plurimis variare*. Inſpice iſtas, quæſo, quas ſupra etiam memoravimus, Euſtachianas jecoris Figuras (2). Nonne, ſi ambitum ſpectemus, quoddam quaſi triangulum referunt, cujus baſis ad eum limbum ſit quem a dextris ſurſum ad ſiniſtras ferri, diximus ? Aliorum deinde inſpice, ut Verheyenii, atque adeo tuas ; nonne ad ellipſis potius quam ad trianguli formam accedunt ? Egregie omnes ; nam omnes quod vidiſtis, delineaſtis. Etſi enim jecur ea ſæpe figura eſt qua a pleriſque pingitur ; ſæpe tamen ea quoque vidi quæ ad IV. Euſtachii Iconiſmum accederet, ſemel etiam ea qua in III. Iconiſmo eſt, aut ſaltem apparet. Sed quod nulla, quantum memini, delineatione ſatis adhuc expreſſum vidi, illud eſt quod maxime ad propoſitum hoc noſtrum attinet, nimirum etſi convexa hepatis facies in quibuſdam ſegmentum illud ovi referat quod a Gliſſonio (3) deſcribitur, ac delineatur ; ſæpe tamen utrumque lobum non in eandem ovalem ſuperficiem conformari, ſed majorem lobum in cujuſdam quaſi hemiſphærii modum plurimum attolli, ac protuberare, cujus ſuperficies ubi ad ſuſpenſorium Ligamentum pervenit, repente in longe humiliorem, atque planiorem minoris lobi ſuperficiem ſubſidat, ac deprimatur. Sic nuper de quinque in quibus id paulo attentius obſervare volui, ſanis jecinoribus, unum quod Gliſſonius ; tria quod ego propoſui, repræſentarunt ; quintum media quadam inter utramque conformationem ratione ſe habuit. Erat autem illa hemiſphærica, & quaſi natiformis majoris lobi protuberantia eo manifeſtior,

(1) Animadv. in Laur. c. 19. l. 6. (2) Tab. XI. Fig. 3. 4. (3) Anat. Hep. c. 10.

Digitized by Google

ſtior, quo magis hepar ab ſuo illo antico limbo recedebat, eratque eadem tanta, ut ad eam quæ ſemper eſſe vulgo creditur, diaphragmatis figuram minime ſe poſſet accommodare.

13. Itaque in quo illam homine maximam vidi (fuit autem vir apoplexia ſublatus) depoſito diligenter hepate, animadverti diaphragma qua protuberantia hepatis ſita fuerat, in foveam inſignem conformatum ei protuberantiæ figura, & magnitudine reſpondentem, ut ibi a dextris ipſum diaphragma altius eſſet, quam in medio, nedum in tota ſiniſtra parte: quamobrem etſi hepatis lobus major uſque adeo extuberabat; tamen ejus limbus non modo infra coſtarum cartilagines non apparebat, ſed paulo ſupra infimam earum oram poſitus erat. Neque vero morboſi aliquid occurrit aut in hapatis nexibus, aut in ſubjectis ipſi viſceribus, quorum videlicet mole, aut diſtentione, quæ nullæ erant, eo fuiſſet vi compulſum, ubi a nobis inventum eſt. Quæ cum ſedulo obſervaſſem, tum recordari cœpi, me alias quoque ſeptum transverſum vidiſſe altius a dextris quam a ſiniſtris, in thoracem curvari, tum hujus rei cauſam, quandocumque eſt, in illiuſmodi figura, & ſede jecinoris ponendam eſſe, conjicere. Et quanquam legiſſe haud memini qui idem in ſepto tranſverſo adnotaverit, præter Cl. Cantium (1), qui ſe diaphragma *in dextro latere non ſemel obſervaviſſe*, ſcripſit, *paulo magis Pectus introtruſum quam in oppoſito ſiniſtro latere*; tamen non dubito, quin tu quoque, Vir cl. ſi animum adverteris, tuis poſſis utriuſque noſtrum obſervationes confirmare, ſimulque videre, num lobus hepatis minor ſemper tanto *altius conſideat, quam lobus major*. Hæc cum ſua in ſede obſervabis, tum alia animadverti a te velim; de quibus protinus verba faciam.

14. Hepar a diaphragmate per ſua Ligamenta *ea ratione ſuſpendi, ut cava*
900 *hujus viſceris pars potius inferius, quam poſterius reſpiciat*, & per anatomen notum eſt, & diſerte a te confirmatur. Velim tamen videas, num anticus hepatis limbus ita ipſe poſitus ſit, ut quæ ei proxima eſt cavi jecoris particula, non poſteriora potius ſpectet, quam inferiora. Nam ſi poſteriora potius ſpectat, illa certe in poſtica hepatis facie cenſenda erit, atque illa eadem cum ipſius hepatis pars ima ſit, ideſt qua nulla inferior eſt; conſequetur ſane, ut cum aliquid *in regione*, aut *facie ima*, & *poſtica* hepatis eſſe, dicemus, de ea particula intelligamur. In hac vero num fovea pro venæ Cavæ trajectu excavata ſit, tute vides. Quod ſi pro *poſtica* hepatis *regione*, ſeu *facie* illam dumtaxat partem hepatis velimus intelligi quæ dorſo, quam pectori vicinior eſt, illam, inquam, cujus Veſalius (2) voluit delineationem proponere, & cui altera, hepatis, ſive antica pars opponitur, quæ, reſecta, ut apparere melius poſſet, diaphragmatis portione ab Euſtachio (3) picta eſt; ſi illam, inquam, partem velimus intelligi; tum vero a te ſeu rem ipſam, ſeu Figuras inſpiciente, etiam atque etiam peto, ut hæc duo componas: *Sanguis aſportatur* e ramis *in truncum cavæ, trajicientis per hepatis foveam, ad hoc ideo opus in regione ejus ima, & poſtica expreſſe excavatam*, &: *Introitus in hepar ramorum cavæ ad poſticam, & ſuperiorem ejuſdem viſceris faciem conſpicitur*. Si enim hoc alterum verum eſt; quomodo fovea *ad hoc opus* excavata, in *regione* illa hepatis *ima*, non etiam ſuperiore, excavata eſt? aut ſi in ſuperiore etiam excavata eſt; cur in *ima*, non etiam ſuperiore excavata eſſe dicitur? Animadvertas hic oportet, quo tua iſta verba ſpectarent, *cum poſticam, & ſuperiorem* hepatis *faciem* ſcripſiſti; ſic facile jam quid mihi velim intelliges, neque te de ea regione foveæ, quæ *ſaltem ſupra imam regionem foveæ* ſit, ſed 901
de ea regione hepatis ibi ſcripſiſſe cognoſces quam ſupra iis verbis deſcripſeras: *duas regiones* hepatis, *gibbam ſcilicet ſeu convexam, & cavam ſeu concavam, primam ſuperiorem, & diaphragmati contiguam, alteram inferiorem,* 17
quæ

(1) Impet. I. Anat. Tab. IV. (2) l. 5. Fig. 18. (3) Tab. IX.

Digitized by Google

quæ ventriculo, aliisque abdominis visceribus obvertitur. Itaque has duas regiones inter se oppositi, cum ea scri-
27 beres de quibus loquimur: *Quoniam autem introitus in hepar ramorum cavæ ad posticam, & superiorem ejusdem visceris faciem conspicitur; Ingressus autem portæ, ejusque propaginum ad ejus sinistrum latus, seu concavæ regionis centrum; — sequitur necessario* ramorum utriusque venæ intra hepar decussatio. Sed de illa fovea, & hisce venis infra fortasse etiam scribam. Nunc ad alias figuræ hepatis varietates redeamus.

102 15 Vesiculæ fellis particulam hepar a convexa facie inspicientibus, non (quod tu credere videris) semper apparere, & Verheyenius (1) admonuit, & III. illa quæ supra memorata est, Figura (2) Eustachii confirmat. Quod autem plerumque appareat; non modo ipsius longitudini, verum etiam limbo hepatis tribuendum est, qui ad eum locum plerumque sursum sinuatur, & deficit minus in his, in aliis magis sic, ut in quodam cadavere alteram fissuram in convexa facie repræsentaret, ejus persimilem quam proxime vena umbilicalis subibat, in alio autem limbi curvaturæ non ibi solum, sed alibi etiam conspicerentur. Cæterum quæ ad eum locum, ut dixi, plerumque est, eodem pertinere, crediderim, quo sinus ad excipiendam Vesiculam in cava jecoris facie excavatus, videlicet ne illa quo tempore a subjectis visceribus jecinori apprimitur, plus fellis quam plerique opus habeant, in intestinum eructaret, si nimis undequaque comprimeretur.

16 Quod denique scribis, *correspon-*
893 *dere hanc Tabulam I. Cap. VI. Part. I. Historiæ tuæ;* optandum quidem hoc esset; sed illi Capiti, præsertim quod ad Ligamenta attinet, sive in nova, sive potissimum in prima Editione legatur, vereor, ut hæc Tabula satis respondeat. Nam ut de Ligamento dextero sileamus; certe ibi peculiare *cum*
17 *xiphoide cartilagine* Ligamentum probas, neque præter hoc, ullum aliud agnoscis per quod hepar *sinistrorsum* nectatur.

17 Sentio, me super I. Tabula & plura, & fusius scripsisse quam mihi ab initio propositum fuerat. Quare de sequentibus Tabulis vel pauciora, vel pressius scribam. Et primum in II. illud probo quod eos sequaris qui humanum etiam hepar in lobos dividunt. Etsi enim non usque adeo sejunctos habet, ut bestiæ plures; tamen sic satis habet distinctos: & si cerebri singula hemisphæria in lobos dividimus, quamvis superiore facie nullam exhibeant distinctionem loborum; quanto id magis servare possumus in jecinore in quo ea distinctio, facie etiam superiore, semper a suspensorio Vinculo, sæpe etiam a magis, ut diximus, extuberante lobo dextero indicatur. Num tamen facies hepatis inferior tam alte in lobos tota divisa sit, & *aperta*, ut in hac Tabula, aliisque ostenditur, ibi videbimus, ubi loquemur de IV.

18 Quod ad *extantias*, seu *eminentias* attinet in hac inferiore facie hepatis occurrentes, primum dubito, num istam cui littera E inscripta est, *antiqui vocarint hepatis portas*. Hippo- 894
crates enim, vel potius vetustissimus Auctor libelli *de corporum resectione*, non unam, sed duas indicat prominentias quas antiqui *portas* vocabant: *Hepar*, inquit, *apices habet duos, quos portas appellant, in dextris locis sitas*.

Deinde magis etiam dubito, num illa *productio* quam littera G impositia indicas, ea sit quæ „ apud Antiquos ab „ aliqua figuræ similitudine nominibus „ variis insignita est, nunc *gladii*, aut „ *cultri*, nunc *aurigæ*, „ pariterque num *minores* istæ *protuberantiæ* per litteras KK a te, Vir cl. definitæ, illæ sint 895
„ ab Antiquis ob aliquam figuræ simi„ litudinem nominibus *foci*, *mensæ*, & „ *unguis* confusim indicatæ., Nam ejusmodi nomina sive Haruspices, ut Ruffus Ephesius (3), sive Medicum aliquem, ut Theophilus (4) scripsit, au-

(1) Anat. l. 1. tr. 2. c. 17.
(2) Tab. XI.
(3) De corp. hum. Part. appell. l. 1. c. 28.
(4) De corp. hum. fabr. l. 2. c. 11.

Digitized by Google

auctores habeant, multiplicibus jecoris fibris, hoc est lobis, ut multis in bestiis ad sacrificia olim, & ad anatomen adhibitis occurrunt, divisis fuerunt impositа, quod laudatorum Scriptorum verba indicant, & Vesalius (1) censet: neque a figuræ similitudine petita, sed vel ab attributis hepati facultatibus, ut diserte apud Theophilum explicatum est, vel fortasse etiam, idque apud Haruspices, ab iisdem commentis secundum quæ de capitibus (sic enim appellabant) duobus jecoris domesticum unum, hostile alterum vocabatur, quod memorat Riolanus (2), & prolato Lucani loco, exponit Stuckius (3). Quid? quod Riolanus idem, *unguis* nomen, ut librariorum mendum expungit. Quid? quod non ejusdem lobi, ut docet Theophilus, *culter*, & *auriga* nomen erant. Quid demum? quod vel Ruffi ipsius ætate quæ loca in humano jecore hoc, vel illo istiusmodi nominum vocanda essent, definiri non poterat: *in homine quoque, sed obscura*, inquit, *& incerta reperiuntur; ad nullumque medicinæ profectum necessario nominantur*. Veruntamen ut ego dubitationum mearum causas profero, sic mimine improbo quod hæc quoque nomina memoraveris, ne quid eorum quæ ad argumentum spectabant tuum, prætermitteres. Quæ cum attendo, nequaquam vereor, ne tanquam minuta, aut inutilia ulla horum quæ scribo, contemnas, quippe quæ ad tuum argumentum omnia videas pertinere.

19 Spigelii Lobulum (sic enim ego quoque appellabo, etsi non ignoro, ante Spigelium fuisse a Vidio (4) saltem descriptum nomine *parvulæ fibræ, quasi nucis & cæt.* ante Vidium autem ab Eustachio delineatum) Spigelii, inquam, Lobulum recte doces varia sæpe figura inveniri: quem haud raro valde dissimilem illius comperi cujus magna ex parte persimilem alias deprehenderam, accuratæ Eustachii (5) delineationis, ut mirum tibi videri non debeat, si ingenue confitear, me non satis meminisse, an unquam ullius istorum quos in hac, aliisque Tabulis exhibes, consimilem viderim. Etsi enim aliquando vidi ejus similem quem Tabula IV. proponis; tamen hic etiam, quamvis non ita, ut reliqui, extuberans totus, haud multo aliter quam ipsi, finitur. Ego vero ita solitus sum invenire, ut a dextris in isthmum plerumque desineret (nonnunquam enim ne vestigium quidem isthmi fuit) isthmum autem neque ita crassum, neque ita deorsum obliquatum, ut tuæ omnes Tabulæ ostendunt, sed ad Eustachii delineationem propius satis quam sæpe accederet reliquus lobulus, accedentem; tantum abest, ut secundum meas quidem observationes, ista ejus quam exhibes, *habitudo communior sit*. A sinistris vero invenire consuevi 894
in angulum fere desinentem qui interdum triangularis pyramidis verticem refert, alias magis compressus est; solet autem ab reliquo hepatis corpore liber & solutus antrorsum versus extare.

20 De Ligamentis supra a nobis scri- 895
ptum est satis. Hic illud tantum addemus, Sinistri positum una eademque opera in II. hac Tabula indicari potuisse, si non ita sursum, sed in transversum fuisset dispositum. Nam inferius quidem Ligamentum quod vena olim fuerat umbilicalis, in adulto apertum pingi non debuisse, ita manifestum est, ut omnes, non modo ego, hoc inter Operarum errata sint relaturi: cui similia in alias quoque Tabulas irrepserunt, ut cum in III. *introitus in cavam* Venosi Canaliculi *h*, in VIII. autem Tabulæ Figura II. illud idem umbilicale Ligamentum F aperta sunt delineata. Nimirum omnia non possunt animadverti: quemadmodum; ne a vena umbilicali recedam; cum supra scripsisti; hanc a vena portæ *fere in medio hepatis excipi*; aut minime ipse animadvertisti, nisi aliquid adderes, unde constaret qua ratione istud *medium* intelligeres, posse ita intelligi, ut verum scribere non videreris; aut illud addidisti tu quidem, sed a Typographo omissum est. 893

21

(1) De corp. hum. fabr. l. 5. c. 7. (2) Anthrop. l. 2. c. 21. (3) Sacror. Descript.
(4) De Anat. corp. hum. l. 5. c. 7. & Tab. 64. Fig. 12. (5) Tab. XI. Fig. 4.

Digitized by Google

21 De Canali Venoſo nihil dico, niſi quod ut in adulto, æquo craſſior videtur. De Vena autem Portæ, & Cava ſuper aliis Tabulis ſermo erit.

Nunc de Arteria Hepatica ſcire aveo, quinam ejus rami multo maximæ iſtius jecoris parti inſervirent? Lobus enim ſiniſter hepatis cum dextero comparatus, ſane parvus eſt & craſſitudine, & ambitu, ut interdum, vel in Euſtachianis Iconibus aliquanto minorem deſideraverim. Tu igitur, Vir cl. qui id minime ignoras, qua, obſecro, cauſa cum utrumque iſtius Arteriæ ramum, & omnes fere propagines monſtres verſus ſiniſtrum lobum directas; vix harum unius partem, eamque exiguam oſtendis ſe dextrorſum verſus inſinuantem, tantæ iſti moli majoris lobi proſpecturam? Hoc certe ne cum tua quidem convenit Tabula IV. in qua totum dexterum Arteriæ ramum, ſiniſtro ſane majorem, in lobum dexterum immittis. Porro illa de qua modo dicebam, propago quomodo certo in loco qui haud procul eſt ab 2, ita repente dilatatur, ut origine ſua multo amplior ſit? Poſtremo quod *omnes* 898 Arteriæ hepaticæ ſurculi *denique* in venæ Portæ, *ductuumque biliariorum tunicis, & capſulæ ſubſtantia deſinant*, libenter crederem, niſi ego, ut alias ſcripſi, quod Cl. Ruyſchius, vidiſſem, ejus videlicet Arteriæ ramuſculos ad membranam quoque inveſtientem hepar pertingentes, per eamque repentes: quarum ſimiles obſervationes habuiſſe audivi Joannem Loquet, qui atro humore injecto, ejuſdem Arteriæ finem non modo in ea membrana, ſed & in hepatis Ligamentis invenit. Ejus *Diſputationem*, quæ de *Arteria* quidem *Hepatica* inſcribitur, ſed alia quoque complectitur æque ad argumentum tuum pertinentia, minus miror me nondum vidiſſe, cum tibi ipſi neque in I. neque in nova hac *Hiſtoriæ Hepaticæ* Editione notam fuiſſe, animadvertam.

22 Glandulas conglobatas, cavo hepatis adhærentes, ſcribis, *capillamenta venoſa propria in ramum portæ magis attiguum tranſmittere*. Si ſcriberes *in radicem portæ*, ut intelligere poſſemus de ſurculo quopiam ad venas cyſticas pertinente; res ſane eſſet expedita. Sed *in ramum* qui arteriæ videlicet vices gerat, venoſas radiculas influere, & in eum canalem ex quo ſanguis in capillamenta urgeri debet, ſanguinem ex quibuſdam capillamentis inferri, atque admitti, videtur ſane vel apud te, Vir cl. ſine dubitatione ſcribi non poſſe, qui hoc *ſpeciale privilegium* venis cyſticis, 1087 quæ in ramum tamen venæ Portæ non influunt, ſervaſti. Veruntamen quod injectiones ſine ambiguitate docebunt, hoc ſequar.

23 Cyſtis felleæ, ſedes, ut tot alia in hepate vidimus, varia ſit in variis, neceſſe eſt. Ne enim alias obſervationes memorem; Euſtachius (1) certe qui illam ſemel, atque iterum pinxit, utrobique magis a fiſſura hepatis diſtantem exhibuit, quam tu in ulla de tot Tabulis exhibueris. Sed hoc mitto.

Neque magis mihi in præſentia quidem diſpiciendum exiſtimo, quem ad angulum Meatus cyſticus cum hepatico Ductu confluat; quanquam ego ad acutum angulum a parte hepatis ſolitus ſum invenire, nec fere video, ſi VII. tuæ Tabulæ Figura II. in quodcumque cavum hepar de tot quæ pingis, transferretur, quænam apta ei Veſiculæ ſedes contingeret. Verum aut illo ipſo, aut quocumque alio ex tot quæ delineas, cyſtici, & hepatici canalis confluxibus in quodcumque a te pictum cavum jecur translato, jam attendere illa præſtat quæ in hujus II. Tabulæ Ex- 899 plicatione, & recte quidem, doces, *Ductum communem* a te *exhiberi, naturalem in hac figura ad duodenum inclinationem, & directionem quidem præ ſe ferentem, ſed ſiniſtrorſum reflexum*.

Jam igitur fingamus, Ductum Communem, & cum hoc hepaticum, & Cyſticum a ſiniſtris quo tu reflexiſti, eo quo debent, reduci, ſimulque eorum memores, quæ ſupra conſtituimus, cavam hanc hepatis faciem in eum quem ſecundum naturam poſitum habet, reſtitutam intelligamus. Particula quidem

(1) Tab. X. Fig. 2. & Tab. XI. Fig. 4.

Digitized by Google

dem jecoris quæ proxima limbo eſt, qua fere videlicet fundum excipitur Cyſtis, poſteriora fortaſſe reſpiciet magis, quam inferiora; reliqua autem hepatis cava facies, ideoque illa etiam ex qua Cyſtis cervix, & meatus Cyſticus pendent, inferiora magis, quam poſteriora ſpectabit. Hæc ubi ſemel vel ex tuis hiſce Tabulis probe animo conceperint quibus cadaverum copia non eſt, non poterunt ſane non intelligere, Cyſticum ductum, ad confluxum illum ſuum tendentem, non aſcendere quidem, ſed deſcendere, & præterea ſecundum curvaturam in Figura illa IV. (1) ab Euſtachio, in tuis autem fere omnibus a te pictam, & a Bauhino (2) etiam memoratam, ſic reflecti, ut ejus orificium non defluenti ex Canali Hepatico bili, ſed retrocedenti ab inteſtino per Communem, obvertatur. Non eſt opus, ut Piccolhomini, ut Vidii, ut Hornii vel deſcriptiones, vel picturas, quibus hæc firmentur, proferamus, quando ſatis eſt Summi Anatomes Doctoris qui iis, aliiſque facem prætulit, Gabrielis Fallopii (3) verba producere: *Cervix*, inquit, veſiculæ *prope portas quaſi duplicata reflectitur, atque ipſius pars altera, quæ cum meatu* hepatico *conjuncta eſt, non ſurſum ad portas, ſed deorſum ad duodenum reſpicit*. Quorſum hæc? inquies Vir cl. Eo nimirum, ut monſtres, quemadmodum componi
102 hæc queant cum iis quæ de *indubitabili* ſcribis *digreſſione in cyſtim totius pene liquidi ab hepate verſus inteſtina per porum biliarium excurrentis*. *Manifeſtum hoc trahis ex naturali hepatis, ductus ejuſdem excretorii, & ipſius folliculi poſitione*. Hanc autem ita deſcribis: *Folliculus imum cavæ regionis inhabitans perpendicularem ſituationem ſervat; cujus collum ſeu anguſtior cavitas ſuperius ponitur; fundum ſeu amplior pars ad inferiora jacet. — Producto hinc verticaliter a cervicis apice canali cyſtico; ſeu potius eodem veſiculæ collo ad ductus fellei inſertionem aſcenſo; patet, ut ſupra, bilem ex ductu hepatico ad hoc bivium deventam, facilius in ductum cyſticum, longitudini perpendiculari proximum a gravitate ſua deturbari poſſe &c.* Supra autem ſcripſeras, cyſticum 99
ductum *hiare oſculo ſat amplo in tubi biliferi baſim; — indeque ab eo quaſi perpendiculariter propendere; — ut ideo tamquam vorago viam occupans, trajicientem ibidem placide verſus duodenum bilem, hujuſque veluti præcipitii neſciam deglutiat, & per propriam cavitatem raptet*. Nos vero bilis a meatus Communis fine in Hepaticum retrocedentis partem quidem aſcendere per Cyſticum poſſe, & ſic in Veſiculam poſtremo deſcendere, nunquam negavimus. Sed *totam pene* bilem quæ ab Hepatico in Communem defluit, inter defluendum, *a gravitate ſua deturbari* in Cyſticum, ut qui ab Hepatico *quaſi perpendiculariter propendeat*, hæc vero in præſentia intelligis cur probare pariter non poſſimus.

24 Intelliges quoque, cur nobis probari nondum queat, *ingreſſum venæ Portæ eſſe ad Hepatis ſiniſtrum latus*, 900
ſeu concavæ regionis centrum, ſi nimirum animadverteris, foveam hepatis C C, ejus regionis *centrum* non *eſſe cenſendam*, niſi jam jam prope D. quo uſque 894
elongari ad latus dextrorſum illam foveam docuiſti *pro ingreſſu, ſinu, ac primis diſtributionibus trunci venæ portæ*; quem quidem locum jam jam prope D. non eſſe *ad Hepatis ſiniſtrum latus*, iidem oculi per ſe judicant, qui ejus faciei hepatis centrum eſſe, judicant. Nam quod mones, *Truncum venæ Portæ (in hac icone ad dextra, & ſuperiora revera inflexum, ſed in his, quæ ſubſequentur, figuris propria in ſede perſpiciendum) hanc foveam, ſeu centrum cavæ hepatis tranſmittentem, ſiniſtrum pariter ejuſdem cavæ regionis latus neceſ-* 27
ſario occupare; primum hic quæritur, ut de ramis venæ Cavæ quærebatur, de *introitu in hepar*, hoc eſt de ipſo fine trunci venæ Portæ, non de ſede trunci ante introitum, ſive ante finem, quæ nimirum ſedes ſiniſtro quidem eſſet in latere, ſed non in centro tamen cavæ hepatis regionis. Deinde ſi in hac ipſa

II.

(1) Tab. XI. (2) Theatr. Anat. l. 1. c. 45. (3) Obſ. Anat.

Digitized by Google

II. Tabula truncum venæ Portæ propriam in ſedem reſtitutum intelligamus, nunquam ſane illuc trahi poſſe, perſpiciemus, ut locum occupet quem in *ſubſequente* Tabula III. eidem aſſignas: qua de re, aliiſque eadem Tabula exhibitis protinus, quæſo, videamus.

25 In III. igitur Tabula (in nulla enim alia ex *his*, *quæ ſubſequuntur*, *Figuris* id agi a te, video) *Truncum venæ Portæ propriæ in ſede perſpiciendum* proponis. Qua de re ut vere exiſtimare poſſimus; neceſſe eſt ut ſedem, poſitum, figuram Sinus ejuſdem venæ, & quam in Sinus hujuſce partem truncus venæ ipſius deſinat, cognoſcamus. Quod ad me attinet, eum Sinum oblongum, & a dextero hepatis lobo ad ſiniſtrum in tranſverſum porrectum obſervare ſolitus ſum ita uti cum ad eum pervenit locum ad quem umbilicalem excipit venam, ſe ſe, aut amplum quaſi ramum, huic eidem venæ obviam mittat. Porro ut Sinum, ad extremum ſiniſtrum, vena adit umbilicalis, ſic prope extremum dexterum, ſubire truncum video venæ Portæ: hoc autem Sinus extremum dexterum extremam foveæ hepatis dexteriorem partem ſic tenere, uti haud raro non totum oculis pateat, ſed hepatis ſubſtantia, quæ iſthmo lobuli Spigeliani proxima eſt, obductum, niſi hæc auferatur, deducaturve, ex toto conſpici non poſſit. Quamobrem ſicuti haud raro mihi accidit, ut truncum venæ Portæ in eam Sinus partem influere viderim quæ iſthmum contingebat (id quod in IV. Illa Figura (1) ſatis indicavit Euſtachius) ſic nunquam accidiſſe memini, ut eo influentem viderem quo tua III. Tabula oſtendit, nec, quod conſequitur, ut Sinus ramos dexteros; ne de aliis nunc loquar; jam diviſos, atque ita patentes tanto ab dextera foveæ ora intervallo conſpicerem. Quæ omnia ſi velis diligenter attendere; facile intelliges, obſervationes meas longe magis ad illa accedere quæ Tabula II. indicas, quam ad hæc quæ III. proponis.

Neque tamen credas, me negare in aliquo interdum cadavere rem ad hunc modum poſſe inveniri. Nam Gliſſonium (2) quoque video trunci venæ Portæ ingreſſum in Sinum ſuum non a dextris delineaſſe. Verum cum te animadverto in aliis pariter duabus Figuris (3) quibus hunc eundem ingreſſum, quamvis vena ab hepate exempta, pingis, a dextris non pingere, idemque ſervare in Tabula hac III. in qua id agis, ut Truncam Venæ Portæ propria in ſede perſpiciendum proponas; peto abs te illud primum, ut ſaltem moneas, non ita rem ſe ſemper habere, deinde hoc quoque, ut amplius quæras, ſitne crebrius in naturæ conſuetudine poſitum, ut res ſe habeat ſecundum hanc tuam delineationem, an ſecundum meas illas obſervationes, præſertim cum mecum faciant præter Euſtachium de quo paulo ante indicatum eſt, duo Experientiſſimi, & Celeberrimi Anatomici Kerckringius (4), & Heiſterus (5), qui venæ Portæ ſuum in Sinum ingreſſum pingentes, hunc prope Sinus extremum dexterum commonſtrarunt.

26 Nunc a vena Portæ ad Cavam tranſeamus. Scribis, *Cavæ truncum poſtquam inſculptam in ejus gratiam hepatis foveam ad quatuor circiter digitos protenſam emenſus eſt, ab eadem emergere, relictoque jecore, ad lumborum vertebras juxta aortam protendi*. Etſi mallem, hujus etiam venæ progreſſum ſecundum ſanguinis motum, non contra hunc, memoraſſes; ea tamen re omiſſa, hoc dicam, non videri mihi, illius foveæ longitudinem ſine aliqua ejus varietatum commemoratione definiri poſſe. Nam certe in quibuſdam, etiam magnis, jecinoribus multo infra iſtam menſuram vidi, ut vix duos tranſverſos pollices æquaret, ima etiam parte computata, quæ potius quam fovea, leve jam jam deficientis foveæ veſtigium erat. Tu vero cum iſtam foveam, vel immiſſam foveæ partem venæ Cavæ ter pingas; longitudine ſemper exhibes mul- 904

(1) Tab. XI. (2) Anat. Hep. c. 33. (3) Tab. VIII. Fig. 1. & 2. (4) Spicileg. Tab. XXIX. Fig. 1. (5) Eph. N. C. Cent. VI. Obſ. 27. & Compend. Anat. Tab. III. Fig. 12.

Digitized by Google

to majori, & quæ cum tua ista *quatuor circiter digitorum mensura* conveniat. Quod vero ad ramos attinet ex hepate in eam venam influentes, pri-
897 mum in II. Tabula *inferiores* ostendis, seu *postremos*, ut tu loqueris, *quos cava suo per foveam trajectu a lateralibus hepatis partibus excipit*, deinde in hac III. Tabula *tres principales*, seu *majo-*
903 *res*. Verum hos majores nunquam, ut abs te, Vir cl. delineantur, vidisse memini. Equidem recordor, ipsorum
904 orificia tam alte intra venam Cavam mihi nonnunquam se obtulisse, ut in hoc Theatro diaphragma ostenderim tribus, inter se proximis, foraminibus pertusum, medio uno, multoque ampliore quo vena illa Cava transmittebatur, duobus quæ huic adjacebant, minoribus per quæ hepaticæ hæ venæ trajiciebantur, statim supra diaphragma Cavam adituræ. Sed contra haud subit, earundem orificia intra Cavam usque adeo infra septum transversum vidisse, ut summum omnium ab fine Venosi Canaliculi duorum pollicum intervallo; reliqua trium, quatuorve distarent, quemadmodum a te ostenduntur. Imo ea observare solitus sum in illa ipsa parte venæ Cavæ quæ diaphragma versus ex jecinore emergit, aut jam jam est emersura, neque fere plura duobus, sic tamen, ut in unum ex iis orificiis binos ex majoribus ramis confluere, interdum diligentius attendens, animadverterim. Ramos autem illos minores nulla certa aut loci, aut ordinis, aut numeri, aut denique amplitudinis ratione in subjectam proximam venæ partem desinentes inveni. Sic etiam nuper de tribus jecinoribus primum vix unum osculum exhibuit, idque satis parvum, transversi digiti infra majora intervallo; alterum duo, vel tria mediocria orificia; tertium nihil ejusmodi, sed minuta tantummodo hic illic foraminula ostendit. Quin te ipsum quoque aut multo his minora foraminula, aut nullum certe infra majora, satis notabile osculum interdum vidisse, non modo hæc III., sed & IV. Tabula confirmat. In qua etsi, vena Cava exempta, nudam hujus foveam ostendis; ramulorum tamen in venam influentium hiantia oscula superessent; nam non concidere, nec connivere, maximæ venarum hepatis proprium est.

27 Qua de re quantum per se ultro obvia, atque conspicua, tantum ab Anatomicis fieri solita, equidem optassem, ut tu, Vir cl. in Historia Hepatia mentionem injecisses, & cur instituta illa sit, quæsiviſſes. Nam certe quamcumque jecinoris partem in frusta, ut libet, conscindamus, quacumque ejus venæ vel majores, vel parvulæ, in transversum dissectæ, sectiones omnes suas offerunt patulas atque hiantes, indicio manifestissimo, exteriorem omnem tum propaginum venæ Cavæ, tum Capsulæ Portæ superficiem cum hepatica substantia, cum Capsula autem venam Portæ sic cohærere, ut harum omnium venarum quæ quidem magis sub sensum cadunt, parietes nunquam, ut alibi possint concidere, sed propter ejus cum quo undequaque cohærent, corporis stabilem consistentiam, ut loquuntur, & firmitudinem, explicatos extensosque servari necesse sit. Idque non in hominis modo, sed in aliorum quoque animalium jecinore Natura præstitit, quantum ex suis, bovis, & hujusmodi quadrupedum, ac nonnullorum piscium, aliorumque animantium dissectione cognovi. Hoc autem eo pertinere, ut *progressus sanguinis* per vasa hepatis *promptissime fieri possit*, tradi video in quadam Medica Dissertatione, in qua una, quantum in præsentia memini, hanc observationem commemoratam invenio. Ea Dissertatio, non uno nomine ad tuum spectans argumentum, sub præsidio Medici Nobilissimi G. E. Stahlii habita est, inscriptaque *De Vena Porta Porta Malorum*. Cæterum an illa ejus rei causa sit, quod a primo ratio ipsa videtur confirmare, ne sanguini, lento ac debili impetu per jecur propulso, superandi concidentium venarum obices opponantur; an vero illa ipsa res ex parte tamen inserviat ad opportunam in hepate tarditatem sanguinis conservandam, quatenus huic cir-

Digitized by Google

circumjectæ vasorum tunicæ, ut distendi, ac distrahi, sic restitire, & contrahi ad urgendum sanguinem haud satis queant, indagari fortasse posset. Utcunque est; excretorii etiam bilis canaliculi (non modo arteriæ, quæ & alibi id solent) mihi in discindendo hepate, hoc nonnunquam attendenti, sic satis, quamvis non æque manifesto, patulas sectiones exhibere visi sunt. Hæc autem omnis disquisitio ad quarundam etiam aliarum partium sanguifera vasa transferri potest quorum transversas sectiones sic satis patentes animadverti, & nominatim pulmonum, ac renum; dum hos secundum longitudinem a dorso ad sinum, illos autem transversos discinderem. Sed nunc ad hepatis lymphæ ductus transeamus.

28 Horum *germanos icones* tibi in promptu esse, indicaveras A. 1711. Hic autem ea vascula exhiberi a te dicis *qualia jam anno 1706. in juvene asciti-* 901 *tico, & melius anno 1714. in homine, hydropica pariter agritudine denato* observasti. Sed minimorum, qualia lymphatica sunt vasculorum tot, tantæque in variis cadaveribus varietates spectantur, ut ex una, aut altera observatione *germanas* (tua pace dixerim) & quæ id saltem quod plerumque est, exprimant, eorum delineationes sperare non possimus. Accedit manifestus Pictoris error, qui quomodo toties errare eundem errorem potuerit, quot internodia lymphæ ductuum inversa descripsit, cum 902 te *nescire* fatearis, tanto minus intelligere aliis licebit, præsertim animadvertentibus, recte eundem Pictorem internodia expressisse in plerisque ex iis lymphæ ductibus qui per fellis vesiculam obvii sunt: quæ discrepantia etiam facit, ut te in universum monente: lymphaticorum *internodia inversa in hoc iconismo exhiberi*, nostri turbentur Tirones, qui hoc ut de omnibus dictum vident, sic in omnibus non queunt agnoscere. Sed vide, quæso, ne alia sint, eaque graviora, quibus Tirones perturbentur. Hoc certe Iconismo, quo *capsulam Glissonianam in situ* ostendis, *sinum portæ circumcingentem*, communesque, *vicissitudine ortus, progressus, & terminos lymphaticorum hepatis, partem Pancreatis, & receptaculum chyli in situ suum ductu Thoracico; tum membranaceas productiones, quæ pancreaticas, & chylares has partes cum hepatis corpore communicant, & supradicta lymphatica ad extremos fines deferunt.* Cum autem Sinum venæ Portæ Capsula convestitum *in situ* ostendere non possis, quin facies hepatis, quæ inferiora spectat, conspiciatur, per hanc autem faciem Thoracicus ductus non modo non feratur, verum neque eidem faciei hepatis, sed posticæ, quam a Vesalio delineatam esse, diximus, respondeat, haud inutile, opinor, fuisset, si alicubi in tam longa præsertim Explicatione Tirones monuisses, ne, præter sententiam tuam, sibi forte imponi a pictura paterentur, sed hepar secundum naturam ita positum meminissent, ut ejus superior in Figura limbus ad posteriora, inferior ad anteriora, & quod consequitur, hic quidem ad eam regionem pertineat quæ a chyli Receptaculo, *in situ* collocato, longe absit, ille vero ad eam quæ Thoracico ductui, suæ ad corpora vertebrarum sedi affixo, propior sit, ita tamen propior, ut diaphragma inter hepar, eumque ductum intercedat, alterumque ab altero sic dirimat, ut illud in ventris cavea, hic intra ipsos thoracis parietes contineatur.

29 His igitur ita, ut par est, constitutis, animoque probe conceptis, de istis singulis quas commonstras, Partibus videamus. Et primum, si limbum hepatis qui in Figura superior est, sic ad posteriora deorsum trahi, intelligamus, ut picta hepatis cava facies naturalem obtineat locum, ventrisque inferiora respiciat; non satis video qui illa ductus Thoracici *insula* quâ littera H comprehenditur, neque inferiore hepatis plano superior sit, neque ab hujus partibus quæ tres, aut quatuor transversos digitos a postico hepatis limbo distent, satis remota, ut lymphæ ductus qui H litteram contingit, & qui item fere eidem H subjectus est, ab iis partibus eam insulam adituri, descendere debeant,

beant, & tam brevi tractu, quam numerus internodiorum ostendit, ad ipsam pervenire jam possint.

906 30 Mitto libenter hic quærere, num „ Glandulæ ad cavam hepatis conglobatæ — omnes a plurimis communi „ nomine *muscosæ* vocatæ sint „ itemque illud, num lymphaticorum „ exortum jam non esse glanduloſum, ex „ iis lymphaticis, quæ in hac figura „ diligenter Archetypo collata, ab externa jecinoris tunica propagantur, „ liquido pateat „ quod enim pro *exortu* ipse delineas, omnes viderunt, neque tamen omnes verum propterea lymphaticorum exortum *liquido* sibi *patere*, crediderunt. Hæc, inquam, libenter mitto, & ad *partem* illam *Pancreatis*, *& receptaculum chylare* pergo, quæ *in situ* ostendere te, dicis *cum ductu Thoracico*, *tum membranaceas productiones*, *quæ pancreaticas*, *& chylares has partes cum hepatis corpore communicant*. Binæ istæ membranaceæ Productiones P. P. & SS. a te, Vir cl. sic exhibentur, quasi *pancreaticas*, *& chylares has partes* cum antica & convexa facie imi hepatis limbi *communicarent*: quod num verum sit, ipse vides, videntque omnes qui eum limbum in cadaveribus inspexere. Porro cum ais: *in hac figura Chylarem cisternam situm exacte suum*, *suamque cum jecore naturalem habitudi-*
908 *nem servare; hic nempe productionem illam membranaceam SS. considerandam esse a T. ad R. non jam verticaliter*, *sed pene horizontaliter protensam; distantiam ideo in homine ab hepate ad cisternam horizontaliter mensurare*; hinc dubitationes magis magisque succrescunt; nam & *mensura* ista a T ad R longe brevior spatio est quod a T ad R *horizontaliter* secundum naturam intercedit, & si membrana ab imo hepate ad chyli Receptaculum *pene horizontaliter protenditur*, quonam modo (id quod supra quærebamus) ab inferiore hepatis facie lymphæ illi ductus & descendent, & brevissimum emetientur spatium ut partem Thoracici ductus adeant sex, septemve transversis digitis summo Receptaculo altiorem? Denique, ut alia præteream; si chyli Receptaculum *situm exacte suum* hic servat; quonam modo pars ista Pancreatis *in situ* est? Si enim illud *in sinistro latere superiorum vertebrarum lumborum jacet*; eam certe Pancreatis partem a sinistris habere non potest, quam extremam dexteram esse, cum crassitudo ostendit Pancreatici ductus, hujusque ramorum vel longe major quam in *elaborata*, ut fateris, *Figura Graafii*, tum Lobulus comprobat in quem Pancreatis ima ora 907
quasi in appendicem solet prope intestinum excrescere eo ipso in loco ubi in cane, aliisque ejusmodi animantibus eadem ora quasi in alterum producitur Pancreas: cujus in nobis Lobulus iste leve quoddam est rudimentum.

31 Quoniam de Pancreate sermo est, cujus ductum, & Communem, quem vocant, bilis Meatum in hac Tabula disjunctos proponis, maluissem ut in alia quadam utriusque confluxum, & commune (sic enim sæpius se habere res solet) in intestino osculum demonstrasses, vel saltem quod Glissonius fecit in *Anatomia Hepatis* sua (*), tu quoque in tua fecisses, ut sine illius osculi, & eorum quæ ad ipsum pertinent, accurata descriptione *Historiam Hepaticam* omnino perfectam atque absolutam non crederes. Tu vero *coalitum*, & *communem*, *unamque amborum* Ductuum *in intestinum insertionem* vis interim ab Lectoribus *videri in eleganti*, *elaborataque*, de qua modo diximus, *figura Graafii*. Utinam hæc quæ intestino aperto obvia sunt omnibus, satis ostenderet. Neque enim quæro, ut nobis demonstret quid de *novo Bilis Diverticulo* sentiendum sit, de quo non nisi ante hos sex annos scriptum est a Præcl. Abr. Vatero in Dissertatione de eodem inscripta, ad tumque institutum pluribus locis pertinente. Non inquam, hæc quæro. Illa quæro, ut quæ sine ullo apparatu ultro in omnium oculos incurrunt, exhibeat. Primum, commune illud osculum non in cylindro sic intra intestinum

(*) C. 16.

Digitized by Google

num quasi recta se conjiciente, & toto, ut videtur, corpore libere intra ejus cavum sic prostante, sed in cylindro secundum intestini longitudinem inter hujus tunicas ad tractum interdum transversi pollicis se demittente, ut altera cylindri facies intra parietem intestini deliteſcat, altera, hujus tunicas attollens, intra intestini cavum promineat; hæcque magis quam extrema ima cylindri pars quam carunculam vocitant, oppositum intestini parietem respiciat. Hunc enim haud semper caruncula respicit; sed sæpe omnino deorsum cum insculpto osculo conversa est; ut propterea in multis id osculum non in medio quodam monticulo, instar umbilici, esse videatur. Porro osculo ac toti cylindri protuberantiæ cum alias, tum nuper in sex continenter sectis cadaveribus superinductam valvulam, eamque longe conspicuam, vidi; ut mirer qui hanc omittant, & magis qui hanc negent, inveniri, Riolanum (1) credo, exercitatissimum alioqui Prosectorem, sequentes, qui nullum, nisi quod ad Ureterum est fines, hic voluit artificium agnoscere. Equidem non *duas membranulas*, a Vesalio (2), atque aliis propositas, *quæ utrinque ad orificii latus laxe propendeant*, imo ne unam quidem membranulam, quam huic officio præfectam alii commemorarunt, agnosco, nisi forte unius membranulæ nomen pro peculiari membrana haud sumpserint, sed idem quod Diemerbroeckius (3), & Verheyenius (4) intellexerint. Nam ego quoque nihil aliud invenio, nisi intimas intestini tunicas supra cylindri protuberantiam corrugatas, duplicatasque in modum valvulæ deorsum pendentis, & clitoridis præputium quodammodo referentis, ut facile sursum versus duci possit ad carunculam cum cylindro retegendam, & facile vicissim reduci ad eandem operiendam. Quod quidem conspicuum, in eodemque constans loco Naturæ artificium præclare intelligitur eo spectare ut quæ in ventriculo sunt confecta, dum ad hunc locum delabuntur, ipsa in valvulam incurrendo, hanc deorsum versus extendant, sibique aditum in carunculæ orificium præpediant. Sed qua vicissim industria cautum sit, ne qua sursum, ut interdum contingit, ex intestino revertentia, in illud se osculum intrudant, non satis adhuc mihi cognitum esse, fateor. Nam si cum valvulæ ora commissam quandam columellam carneam viderem, hac pro re nata deorsum trahi, tractamque servari posse, intelligerem. Nunc vero non valvulam, sed imam cylindri, seu carunculæ oram quæ cum intestini pariete cohæret, in alterum corpusculum, stabilis firmæque rugæ instar, produci video, deorsum pariter secundum longitudinem intestini pretensum, huicque tota altera facie affixum, altera intra intestini cavum prominens in his magis, in illis minus. Nonnumquam enim crassiusculum vidi, nonnunquam imo fine bifidum, sæpius autem exile, simplex, & quo magis descenderet, eo magis extenuatum: fuit quoque cum vix levem obscuramque ejus quasi adumbrationem inveni. Longitudine etiam, aliquando transversos digitos fere duos, interdum pollicem, alias minorem digitum adæquabat. Nemo adhuc, quod meminerim, id descripsit præter Virum Præclarissimum Amicissimumque Jo. Dominicum Santorinum (5) apud Venetos Protomedicum, & in præsentia Anatomes Professorem, qui *frenulum*, *seu ligamentum* hujus orificii nuncupavit. Ego ut quodammodo iis respondere Corporibus video quæ olim sub ureterum osculis in vesicæ collo descripsi, ita candide fatebor, me ut de illorum, sic de hujus quoque vero certoque usu dubium hærere. Venit quidem in mentem aliquando inquirere, possitne, ubi contrahatur, carunculæ osculum, quod alioqui proximo cylindri, ideſt Communis ductus cavo aliquanto angustius est, coarctare, atque ita, opportune aditum sursum recurrentibus ex intestino succis intercludere. Verum hoc frænulum deorsum trahendo,

(1) Antrop. l. 2. c. 22. (2) De corp. hum. fabr. l. 5. c. 8.
(3) Anat. l. 1. c. 25. (4) Anat. l. 1. tr. 2. c. 17. (5) Obs. Anat. c. 9.

Digitized by Google

do, ut nunquam valvulam moveri vidi, ita caruncułæ orificium visum quidem interdum est contrahi, & angustius fieri, sed interdum contra visum est, sic deorsum tracta infima ipsius ora, magis aperiri, interdum denique nec contrahi, nec aperiri, sed ut per se erat, quantumvis traherem, permanere.

32. Proximum esset ut quæ de numero, figura, & sede Receptaculi, & quod item de Thoracico ductu in istum modum flexuoso scribis, aut pingis, non modo cum tibi notis Cowperi, & Henningeri, verum etiam cum aliorum pariter Celeberrimorum Virorum Saltzmanni, Cantii, Stantorini Iconibus, aut descriptionibus, atque aliis quæ nobis in promptu sunt, observationibus conferremus. Verum & tu idem in parte facere per te poteris, & nos super hac III. Tabula jam plura scripsimus. Itaque his, aliisque omissis, vel quæ olim fortasse inter Bilsii Asseclas sine ulla dubitatione accipi potuissent, vel quæ ut oppido perrara, ita certa quadam alia ratione sunt enarranda, duo tantum ex te, cl. Vir, quæram. Alterum, ut quid intelligas per uteri *lactifera vasa chylosis suis uberrimis identidem copiis imbibita* diserte exponas, atque ita exponas, ut quod tu videris facere, nos quoque dubitare cogamur, ne in mammas quidem per arteriarum semitam chylum importari. Alterum, ut si commodum est, istarum *avium rapacium* nomen indicare ne graveris,
910 in quibus nimirum conspexeris *non tantum lactea vasa, --- ex intestinis agminatim erumpentia, --- sed ulterius producta ad omnia abdominis viscera, imo & ad ipsa præcordia, penetrato diaphragmate, immediate repentia*. Nam ego qui non paucas aves, & in his ex rapacibus etiam quasdam secui; ut ista *lactea vasa*, istamque horum productionem *ad omnia abdominis viscera* prætermittam; nunquam certe, nisi in Vespertilionibus, *diaphragma* vidisse memini. Hæc ergo omnia si in bono lumine collocabis; non tu quidem *quasi adversaria*, sed iis duntaxat præclarum egregiumque Opus *construxeris*.

33 Sequitur ut Tabulam IV. inspiciamus. Et primum id probo, quod 931
ad *conciliandam figuræ perspicuitatem*, arteriam hepaticam, & choledochum meatum *aliquatenus in propriis ramificationibus invicem diducta repræsentes*. Si tamen hunc rursus ad illam adductum fingamus; ne sic quidem satis intelligere poterimus, quomodo hæc Figura cum iis consentiat quæ de utroque hoc vase alibi scripseras, affirmans, *pari* 27
utrumque *passu*, *paribusque diramationibus excurrere*. Deinde ea quoque libens confirmo quæ de Isthmo ostendis, ac tradis, quo foveæ pro vena Cava paratæ summa latera sæpenumero conjunguntur. At illud miror, cur Isthmum alterum quo foveæ, seu navis sinus venæ Umbilicali attributi latera non absimiliter committuntur, nec usquam in *Historia Hepatica* memoraveris, neque in ulla de tot Tabulis ostenderis; sed totum hunc sinum semper omnino apertum delineaveris. Attamen ita ego solitus sum rem aliter invenire, ut vel nuper de octo jecinoribus continenter inspectis, nullum prorsus fuerit in quo sinus hic totus per se pateret. In tribus enim peculiare vidi Ligamentum, modo tenue, ac teres, modo latum, & crassum, semper autem firmum ac validam quo sinus latera haud procul a magna quam tu vocas, hepatis fovea nectebantur ita uti illud dissecare opus fuerit, ut venæ Umbilicalis summa pars, ejusve cum Sinu Portæ connexio in conspectum veniret. Præter id Ligamentum, in uno hepate ipsam quoque ejusdem visceris substantiam cum eo Vinculo in Isthmi formam conjungi, eaque latera committere, animadverti. In reliquis autem quatuor jecinoribus nullo hæc alio vinculo, nisi ipsa hepatica substantia ibidem committebantur, in Isthmum conformata interdum minimi transversi digiti, nonnunquam pollicis crassitudine, quo Isthmo in nonnullis ad duorum digitorum, in aliis ad minorem tractum Sinus cavea operiebatur. Quæ quamvis ab nemine, quod sciam, descripta, cum ita se habeant tamen; poteras, opi-

Digitized by Google

opinor, te æquiorem præbere Doctiſſimo Reverhorſtio ubi in quadam ejus Figura Jecinoris, quæ in Theatro Anatomico Cl. Mangeti 3. eſt Tabulæ LXII, quæſiviſti: *Quid tandem ſit fiſ-*
914 *ſura illa C. quæ quidem cum magna hepatis foveæ haudquaquam communicat, ut hinc inter minorem hanc, majoremque aliam hepatis foveam, nova lobi ſpecies inter umbilicalem venam D. & felleam cyſtidem K. hic efficta repræſentetur, quæ quidem nuſpiam in hominibus viſa eſt. Quo autem pacto umbilicalis vena D. ſejunctam minorem hanc foveam C. trajiciens, ad ſinum portæ in majori fovea, quæ in hac figura ſatis longinqua eſt, degentem concurret?* Iſthmus enim a Præſtantiſſimo Viro haud procul ab o non omiſſus, operit, non tollit, fiſſuræ C. continuationem, ut vena Umbilicalis D. in eo poſitu, ſub Iſthmo, tanquam ſub ponte trajiciat ad ſuperiorem quæ a latere *f* adumbratur, fiſſuræ partem, atque ita cum ſiniſtro extremo Sinus venæ Portæ quod illuc demitti diximus, concurrat. Quod ſi oculos ad eam dumtaxat tranſtuliſſes Bidloi Figuram quæ ſupra iſtam ipſam Reverhorſtii in eadem Tabula proponitur, aut ad illos diligentiſſimi Euſtachii Iconiſmos (1), quibus cava jecoris pars commonſtratur; ut in his cunctis Iconibus eum Iſthmum, quantumvis minorem, non prætermiſſum conſpexiſſes, ſic Reverhorſtii factum probandum magis, quam improbandum eſſe, agnoviſſes.

34 Quoniam de hepatis foveis ſermo incidit, quas in nulla Tabula æque ac in præſenti detectas pingis; haud alienum eſt de iiſdem pauca ſubjicere. Si ergo ipſas, quemadmodum a te, Vir cl. in hac, & proximis duabus ſuperioribus exhibentur Tabulis, cum pleriſque jecinoribus conferamus; ſane dubito, ne tam profundas amplaſque, quam tuæ iſtæ apparent, inveniamus. Et ſupra quidem de venæ Cavæ fovea dictum eſt, quam Spigeliani lobuli, hujus quoque rei gratia efformati, ſummum latus dexterum magna ex parte efficit; in multiſque etiam magis, dum ſe in notum, quem tu delineas, ejuſdem foveæ Iſthmum producit. De reliquis autem foveis illud univerſe dicam, vel non adeo amplas, niſi earum oræ diſtrahantur, vel non adeo profundas, ſi hæ diſtrahantur, apparere conſueviſſe. Quid mihi velim, quod ad mediam tranſverſam foveam attinet, hæc, & III. potiſſimum Tabulæ; quod ad foveas reliquas, II. Tabula ſatis oſtendit: quarum inſuper fovearum fundum non ſemper ejuſmodi eſt, ſed interdum ex ipſis lateribus efficitur illuc ad angulum convenientibus. Non me quidem præterit, Jo. Riolanum (2) ſcripſiſſe: *Jecur parte ſima adeo excavatum eſſe, ut manum excipere queat, & ab eo ſpecu quatuor, aut quinque canales, qui digitum reciperent, huc & illuc ferri per Hepatis ſubſtantiam.* Sed primum, hæc ſic exaggerantur contra Laurentium, in alterum extremum decurrentem, *inque Hepate cavitatem nullam* eſſe, ſcribentem. Deinde Riolanus cum de ſpecu dixit manum excipiente, facile hepar ſpectavit ex ſepto tranſverſo in ſe pendens, non in tabula reſupinatum. Poſtremo nos quoque noſtris credere oculis par eſt de iſto hepatis ſpecu, vel ut tu Riolano, opinor, indulgens loqueris, *hepatis antro:* quod 1053
nuper vel in maximo ſecundum natu- 1054
ram jecinore tantum abeſt ut manus capax deprehenderim; multo minus amplum, minuſque profundum quam tu delineas, inveni, ſeu Portæ Sinu ſine ulla diſtractione ſublato, inſpicerem, ſive priuſquam Sinum prorſus auferrem: cujus certe, Capſula adhuc obducti parietes non modo ab foveæ oris dexteris non tantum ſupra, infraque diſtabant, quantum III. tua Tabula oſtendit; ſed pleraſque earum certiſſime contingebant.

35. Verum ut in hiſce hepaticis foveis delineandis tui, credo, Pictores nimis liberales ſe præſtitere, ſic viciſſim nimium fortaſſe fuerunt parci in iis rimis deſcribendis, quibus ſæpenumero fiſſam jecoris ſuperficiem deprehendimus.

Diffi-

(1) Tab. X. Fig. 2. & Tab. XI. Fig. 4.
(2) Animadv. in Laur. c. 19. l. 6.

Digitized by Google

Difficile enim eſt, ut vel ipſi in tot jecinoribus pingendis nullam viderint, vel tu aliquod data opera non quæſiveris ex quo illæ deſcribi poſſent. Cum enim ex iis octo quæ continenter me inſpexiſſe, ſupra demonſtratum eſt, quinque ſaltem fuiſſe, meminerim, in quibus ſine ullo aut præſentis aut prægreſſi morbi indicio aut rimas, aut ſulcos animadverti; non videtur dubitandum, ejuſmodi res quas ut morboſos effectus neſcio cui ingenti ſiccitati olim acceptas referebant, ad hepar ſecundum naturam pertinere, ideoque in abſoluta ejus Hiſtoria omitti non poſſe. Sane Verheyenius (1) vel in contracta hepatis deſciptione hæc ſcribere non prætermiſit: *Adſunt inſuper aliquando* in jecoris ſuperficie *foſſulæ*, *quædam longiores*, *quaſi fiſſuræ*, *nullo certo numero aut loco circumſcribendæ*. Itaque aliquam ipſarum mentionem tu quoque in deſcriptione tua videris feciſſe, ubi inter ea quæ Veteres exacte deſcripſerunt, præter fiſſuram pro vena umbilicali, *alias* memoraſti *minoris momenti fiſſuras*
18 *& ſinulos*. Et recte quidem diſtinxiſti. Aliæ enim ſunt rimarum inſtar, aliquando ſatis profundæ, & ubi oras diducamus extremi pollicis ferme capaces, quales in facie ſima haud procul a cyſti ſemel, atque iterum nuper conſpexi. Aliæ vero oblongos potius ſinus, & ſulcos referunt, intra quos inderdum totus fere condi minimus digitus poſſet, Tales in tribus ex illis octo jecinoribus vidi, in ſumma convexa facie lobi dexteri inſculptos, & Suſpenſorio Vinculo parallelos.

Sed multo etiam proportione longiorem, ac profundiorem, ideoque ratiorem oſtendit Cl. Wolfartus (2) in illo hepatis Iconiſmo quem ſupra commemoravimus, *Crenam* vocans *ſatis conſiderabilem*, *mentientem diviſionem partis dextræ hepatis in duos lobos*. Hos ego omnes ſulcos, illaſque rimas eadem vidi qua reliquum jecur membrana, non peculiari quadam, ut videtur credidiſſe Gliſſonius (3), *pellicula* obduci, multoque minus quales adverſus Tulpium Riolanus (4) in læſo fortaſſe jecinore, bis, aut ter vidiſſe ſe, ſcribit, quibus ut in olla ſciſſa ſeroſitas quædam exſudaret. Itaque ut majores has, non perpetuas; ſic minores, minimaſve; ſiquis diligentius attendat, fortaſſe *perpetuas*, omnes autem, quas ego quidem conſpexi, *naturæ filias*, cum Malpighio (5) eſſe crediderim. Et hic quidem ad diviſiones illas retulit, ac rimulas quas ipſe inter hepatis lobulos perſpexit. Ego vero eo quoque pertinere cenſuerim, ut in quibus aut crebriores ſunt, aut majores, in iis jecur ad ſepti tranſverſi motus, & ſubjectorum viſcerum turgentiam, ac compreſſionem flexilius ſit. Ita etiam Splenem fiſſuris, & rimis quibuſdam ad oras præſertim ſciſſum, nonnullis autem haud raro & profundis, & ad medium uſque alterutrius faciei pertinentibus obſervamus, quas illud pariter præſtare, non dubito, ut viſcus inter diaphragma, & ventriculum altius, interiuſque quam plures Medici videntur credere, interpoſitum, ibi pro renata facilius cedere, & flecti queat.

36 Nunc propius ad tuam IV. Tabulam revertens, in pauca rem conferam. Nam etſi Ligamentum Siniſtrum multo ampliorem, inferioremque quam ſolet, cum hepate nexum habere video, etſi etiam quod ad nervos attinet, quædam conſpicio quæ non ſic vidiſſe me, memini; haud tamen me fugit, quam varia in rebus præſertim ejuſmodi Natura ſit. Igitur ſatis erit ex te, Vir cl. dumtaxat hæc quærere. Primum, cur *truncum* iſtum *nervi intercoſtalis* ex Vieuſſenii (6) potius Tabula XXIII. quam ex XI. Williſii (7) in Tabulam tranſcripſeris tuam? Deinde, quando illum potius ſequi maluiſti, funiculum nerveum *a a* ex illo trunco in *antro Thoracis*, non cum Williſio (8), *Thoracis cavitate emenſa*, *e regione fundi ventri-* 9

(1) Anat. corp. hum. l. 1. tr. 2. c. 17. (2) Eph. N. C. Cent. V. Tab. I. Fig. 2.
(3) Anat. Hep c. 9. (4) Add. ad pag 132. Enchir. Anat.
(5) Exerc. de Hep. c. 2. (6) Nevrogr. (7) Nervor. Deſcr.
(8) Ibid. c. 25.

Digitized by Google

triculi, deducens; eundem tamen funiculum & *furculum b* infimum longe breviores, & quod conſequitur, *Plexum Glanglioformem* G, *hepaticum* a Williſio, *ſemilunarem* a Vieuſſenio appellatum, longe altiorem, aut certe origini illorum funiculi, & furculi propiorem multo quam Vieuſſenius, propoſueris? Ad hæc, atque iſtiuſmodi alia quæ ſciens omitto, reſpondebis fortaſſe, te in iſtis rebus proponendis, non quid Vieuſſenius, aut Williſius, ſed quid ipſe videris, attendiſſe.

Verum illud etiam attendas velim, num hac tibi reſponſione uti liberum ſit, qui docueris ſcilicet, idque laudaveris „ ſex ab iiſdem (Williſio, &
22 „ Vieuſſenio) graphice deſcribi fibras „ nerveas *a plexus intercoſtalis ſemilu-* „ *nari ad diaphragmatis perforationem* „ *diramatas & cæt.* „ cumque ego animadvertiſſem (1) Auctores illos *de nervis hepaticis neque iſta eadem prorſus, neque iſta eadem ambos unanimiter tradidiſſe*, nunc contendas, *utriuſque Viri eſſe conſonas, ſibique invicem reſpondentes ſententias*, neque *in hujus Tabulæ explicatione — a Williſii, & Vieuſſenii deſcriptionibus* tuam *differre*. Sed Williſio, & Vieuſſenio pauliſper ſepoſitis, quæ oſtendis reliqua, explicaſque, attendamus.

932 37 *Funiculi* ſequuntur d. d. d. d. & cæt. *quos nervus intercoſtalis juxtim ſingula vertebrarum internodia, ſpinalibus nervis ſuppeditat*, & e. e. e. e. & cæt. *Funiculi alii, quos nervi ſpinales, e qualibus ad ſuperiorum* d. d. *diſtributionem, intervallis nervo intercoſtali ſuggerunt, & cæt.* Verum ſi iſta, ut his verbis explicas, ita ſe habent; binorum & binorum ſive hujus, ſive illius generis funiculorum intervalla, videntur eſſe oportere ut altitudines ſingularum vertebrarum, & quod conſequitur, illa eſſe multo ampliora quæ lumborum, quam quæ dorſi vertebris reſpondent. Quid ergo eſt cauſæ cur tua in Tabula tria exempli gratia infima intervalla ſimul ſumpta tribus ſupremis intervallis ſimul ſumptis non ita ampliora inveniamus? Num quod intervalla tua infima lumborum vertebris non reſpondeant? At vel reſpondeant neceſſe eſt, vel Plexus Semilunaris G ſit a te perperam collocatus.

Sin autem reſpondent; cur ad iſta infima intervalla Nervum Intercoſtalem pingis nullo modo in plexus illos hordeiformes excreſcentem, quos Vieuſſenius (2) *circa internodia vertebrarum lumborum* in ipſo non tantum pinxit, verum etiam deſcripſit? Præterea cur ad iſta eadem intervalla funiculos d. d. pergis delineare, quos idem Auctor diligentiſſimus infra ea intervalla quæ dorſalibus reſpondent nervis, ab Intercoſtali emergentes neque deſcribit, quod ſciam, nec certe pingit? Sed tu aliter, opinor, ac Vieuſſenius, inveniſti. Cur igitur de novis tuis ejuſmodi rerum obſervationibus Lectores in Explicatione Tabulæ non monuiſti? Et ſane erant quædam in quibus ab illo poſſes diſſentire in iſtis ipſis origine, & termino, quæ, eundem ſecutus, Funiculis omnibus d. d., & e. e. ſine ulla dubitatione aſſignaſti. Nulla enim, ut alibi etiam indicavi, ſatis firma ratio apparet, cur non utroſque ab Spinalibus ad Intercoſtalem nervum, aut cur non viciſſim primos funiculos ab iis ad hunc, alteros ab hoc ad illos tranſmitti, pro certo habeamus. Verum; ut omiſſo nervo Intercoſtali, duo, non plura, de iis Nervulis ſubjiciam, quos ab Semilunari Plexu deductos pingis; primum hoc quæro; cum nervulos h. h. eo deſinentes oſtendas ubi in proxima ſuperiore Tabula chyli Receptaculi ſedem collocaſti, quod quidem ſitum eſſe dixiſti *in ſiniſtro latere ſuperiorum* 908
vertebrarum lumborum; quonam modo hic doceas, per eoſdem nervulos *ceri communicationes hepatici plexus — cum* plexu *renali vicino, ſeu dextro?* Deinde illud quæro, cum alios nervulos m. m. *vaſorum biliferorum, arteriarumque diviſiones per totam hepatis intimiorem* 933
ſubſtantiam, capſulæ ductu, ſubſequi, doceas; quonam modo per *totam* hepatis ſubſtantiam ſis eoſdem perſecutus, aut

(1) Adv. III. pag. 98. (2) Nevrog. Tab. 23. & l. 3. c. 5.

Digitized by Google

aut quomodo cum *arteriarum divisiones subsequi* affirmes, ne unum quidem ostendas qui arteriarum ramis dextri lobi jecoris partem maximam petentibus comitem adjungere se posse videatur?

940 38 De Tabula autem V. qua *ductus Hepati-cysticus, & Cystepaticos in homine ostendere* conaris, vellem quidem, ut quod ego judico, id omnes judicarent, nimirum sic tibi visam rem se se habere, ut pinxisti. Sed in tanta, quantam ipse nosti, ejusmodi in rebus ad errandum proclivitate vel ob arteriolas, vel ob ipsa etiam bilaria vascula ut ad reliquas hepatis partes, sic ad eam pariter quæ Cystim proxime contingit, pertinentia; profecto nisi homines videant aut certam aliquam facilemque, quam tu omittis, anatomicam administrationem propositam, secundum quam & ipsi eadem possint invenire, aut omnes saltem dubitandi causas ita amotas esse perspiciant, ut undequaque consentiens veri lumen affulgeat, nisi, inquam, hæc probe videant; vereor ut qui præsertim in anatomicis sectionibus, aut etiam lectionibus sunt versati, ii continuo prompteque assentiantur. Nunc enim conspicient hepatis substantiam *profundius abrasam* sic ut exempli causa sinus pro vena umbilicali alte insculpti fundum ipsum, & quæ fundo suberat, substantiæ pars sublata sit; & tamen ad G intactum perstans *fundum majoris sinus hepatis*, multo adhuc profundius quam modo dicta sublata pars,
941 subsidere videbunt. Legent, *non solum ab hac figura truncum cavæ, ejusque omnes propagines ablatas* esse, *sed & ulterius integram portam, & arteriam hepaticam, earumque omnes distributiones:* quarum quidem pleraque, & præsertim minores, longe facilius esse sciunt Pictori omittere, quam Anatomico, salvo situ, & integritate conjunctorum bilis vasculorum, *omnes* auferre. Legent, *postrema* illa duo sanguifera *vasa licet per totam hepatis substantiam cum vasis biliferis interventu capsulæ sociata progrediantur, non easdem tamen cum istis porum bilarium exacte distributiones ini-*
re, ut horum vasorum divisiones & cursus variis modis hoisque non discrepent. Intelligent profecto, quorsum hæc spectent, videlicet ne dubitatio ulla exoriatur conferentibus hanc tuam Pori bilarii delineationem cum tuis, aliis vel Portæ venæ, vel arteriæ comitis delineationibus, & *divisiones, & cursus* longe discrepantes animadvertentibus. Attamen haud satis scio, quonam possint modo illum sibi scrupulum penitus ex animis evellere, cum sciant, observaviisse Glissonium (1), Portæ venam, Porumque bilarium in hepate *pari passu una progredi, & similiter iterum iterumque usque ad ultima capillaria dividi;* imo cum te ipsum videant non semel in descriptione tua hæc confirmasse, inculcantem: *Ramos omnes pori bilarii, non minus majores, quam minores, & ultimo gracilescentes — portæ furculis inalterabiliter parallelos, communem directionem prosequi; pari passu, paribus divisionibus excurrere.* Vim hujus dubitationis te porro aliter declinare conatum esse, animadvertent, hæc illis prioribus hic subjicientem: *Adde ulterius, quod distributio capsulæ, & in consequens vasorum, quæ ipsa complectitur, eadem non est in subjectis omnibus; ut ideo habitudo bilariorum canalium in hac figurâ non tam exquisite videatur concurrere cum habitudine portæ, per alias figuras nostras exhibita.* Verum utinam solum *non tam exquisite* videretur convenire. Certe optandum fuerat, Vir cl. ut in subjectum potius incidisses in quo tanta ista discrepantia non fuisset, quam ut huic tot ejusmodi defensiones præparare deberes.

39 Sed fac, homines istas dubitationes deposuisse. Ecce aliæ, atque aliæ exoriuntur. Nam primum animadvertent, te quatuor aliis in Tabulis primas ductus Hepatici divisiones exhibentem, ne semel quidem ad eum modum exhibuisse, ut saltem hæ quas hic pingis, primæ, majoresque ductus ejusdem divisiones cum alia de tot delineationibus sic satis conveniant. Deinde si majoribus omissis ramis, ultimos spe-

(1) Anat. Hep. c. 27.

Digitized by Google

ſpectent quos in hac Tabula verſus imum limbum dexterum pingis, cum eiſque conferant quos ultimos pariter haud probat ab eodem loco in Tabula III. delineaſti; invenient illos, quamvis, ob adjunctas venæ propagines, non omnino patentes, tamen multo quam hic offendas, craſſiores; at dubitent, num ſatis ſit ad hanc tantam varietatem tuendam quod ab Schelhammero (1) in Programmate, in quo alia etiam comperies ad tuum argumentum ſpectantia, traditum eſt, videlicet *in hepate aliquando pervium eſſe, aliquando magnum hepaticum ductum: quod in pathologicis uſum habet*; vel ſi hoc ſatis eſſe, credant; mirentur, cur non majorem Hepaticum ductum ad hanc potiſſimum demonſtrationem ſulegeris. Porro hæc etiam quærent: quem ad ramuſculum duo illi ſpectent furculi quibus a ſuperiore parte eſt vicina littera L? cum alii omnes quo ſpectent, intelligatur: unde autem exiſtat, & prodeat is ramuſculus cui ſuperius reſpondet littera D? fundi enim foveæ D. ſuperficiem contingit, ſuperne integram, & quæ neque ſupra illius ramuſculi initium protuberat, neque qua proxime infra eſt abraſa, ſecundum naturam protuberabat: præſertim vero quærent, qui fiat, ut ex primis atque majoribus Ductûs ramis ille qui dexterior erat, cum omnium ultimus ſit, tanto tamen craſſior ſit quam Ductus Communis M, qui & meatum Cyſticum jam excepit, & alios omnes Hepaticos ramos, atque adeo iſtum ipſum craſſiorem? Ut enim eadem ratio non ſit inter bilariorum Ductuum truncum, & ramos, quæ in aliis eſt vaſis; tamen illius unius rami major craſſitudo eſt, quam ut, rebus ſecundum naturam ſe habentibus, defendi ſic poſſe videatur. Utinam illud ſaltem addidiſſes, quod de glandulis iſtis addis intra Ductum appictis, ſic tibi *in hoc ſubjecto videre contigiſſe*. Etſi enim de iis glandulis mihi certe, ut infra dicam, ad eundem modum non eſt obſervatum; dubitationi tamen quæ ex obſervatione minus uſitata exoritur, ſic quadantenus occurrimus. Poteras etiam forteſſe id, atque alia nonnulla quæ ſupra attigimus, *Pictoris* incuriæ adſcribere, qui certe in fundi veſiculæ interna facie, qua hæc dextrorſum reflectitur, ejus reticulatam ſtructuram omiſit. Attamen præſtabat, ut ſupra dixi, in Tabula ad ejuſmodi demonſtrationem parata omnem penitus cujuſcumque dubitationis cauſam vitare.

40 Id enim conaris oſtendere quod Experientiſſimi Anatomici ſatis luculenter potuiſſe adhuc demonſtrari, negant, tum majores, ut vocant, radices Cyſtis quæ ad cervicem pertinent, tum minimas quæ ad fundum, manifeſto in ipſis hominibus cum Hepatico ductu communicare: quarum illas *Cyſti-hepaticas*, has *Hepati-cyſticas* nominas vaſa. Verum utraque prope Cyſtim uſque adeo tenuia pingis, & præſertim ſecunda, ut his addita inſuper *majori per cyſtis* 943
involucra, trajectu ſuo obliquitate, magnopere venæ, ne maxima difficultas inveniendi ad ea quæ ſupra commemoravimus adjuncta, magis magiſque augeat dubitationem. Sed rem indicas quæ inveniendi difficultatem poſſit minuere; nam horum ductuum *Hepati-cyſticorum* extrema in bilis folliculo foramina *admodum quidem minuta* eſſe, confiteris, *ſed per quandam* tamen *circumpoſitæ caruncula eminentiam in plurimis ſubjectis ſatis conſpicua*. Et ſane caruncolas appingis decem, ſatis proſtantes, atque conſpicuas, ut lenticulares glandulæ eſſe videantur. Sed veniam dabis ingenuitati meæ, ſi candide confitebor, me iſtiuſmodi caruncolas in nulla unqam Veſicula, quod meminerim, vidiſſe, etſi plurimas, & in his quaſdam interdum valde amplificatas, diſſecui. Veruntamen in rebus ejuſmodi quas tu & pingis, & *in plurimis ſubjectis ſatis conſpicuas* eſſe, affirmas, meæ non memoriæ modo, verum etiam diligentiæ diffiſus, nuper Veſiculas quamque, quanto maximo ſtudio potui, perluſtravi; nec mihi adhuc contigit, ut unam ſaltem iſtarum caruncularum

(1) Progr. Anat. n. 23.

Digitized by Google

viderem. Quid ergo est? In quibusdam Vesiculis caruncolas istas interdum apparere posse, non negabo; attamen num caruncolæ sint, an potius distentæ glandulæ, iis qui viderint, decernendum relinquam. Sed fac, quod ego non video, adesse; quomodo per has caruncolas in tua vascula traducemus, non dico specilla, sed tenuissimas setas, si non modo foramina *admodum minuta* esse, confiteris, sed nonnulla vascula quacumque seta delineas tenuiora? Quæres, & illorum fere omnium tenuitas minor ad Pori biliarii ramusculos, quam ad Cystim delineata, non satis præterea videntur convenire cum his quæ a te, Vir cl. diserte scribuntur: *hepati-cystici*
944 canales *ampliores sunt* ad *proprias in cystim extremitates*, *angustiores in suis ad poros biliarios radicibus*. Imo qui tuam delinationem attendent, cum rem contra pingi, animadvertent; non istos esse canales *hepati cysticos* existimabunt, sive ab ductu Hepatico ad Cystim vehentes, sed *Hepaticos*, hoc est, ab ea hepatis substantia quæ Cystim contingit, ad ductum Hepaticum referentes, nec a cæteris quos in vicinia similes pingis, origine, & munere discrepantes.

41 Neque vero de iis aliis vasis quæ *Cysti-hepaticorum* nomine a te pinguntur, multo aliter existimabunt. Longe enim tua differt delineatio a descriptione Glissonii, qui propterea longe etiam aliud munus vasi adscripsit, cujus finem in cervice Vesiculæ observavit. Namque ille (1) *radicum vasorum bilariorum insignem*, *integrumque truncum* describit *vesiculam ingredientem*; tu contra, ex pluribus qui sunt ad Vesiculam divisi, *ramis* coalescentem ostendis truncum qui Hepaticum ductum ingreditur. Ille suum truncum ait, *ramusculos aliquos, & vasa capillaria in hepatis cavum distribuere*; tu a truncis bene longis ne unum quidem proponis ramusculum, aut vas capillare quod in jecur ipsum spargatur, ad idque pertineat. Ille in Vesicula docet *vix vestigium foraminis* sui trunci *apparere*, ejusque insertionem comparat cum *insertione ureterum*, aut *ductus communis*; non sine quadam, instar huius, sed *exigua protuberantia*; tu nullam hic protuberantiam pingis, imo doces, hanc *ut plurimum* deesse, & hæc vasa *folliculi tunicas plerumque transmittere directius*, *quam vasa cælia primi generis*, orificia autem ipsorum satis manifesta, & patentia delineas. Postremo Glissonius qui monuit, *ut in certum trunci hujus sui, ejusdemque distributionis atque insertionis notitiam deveniamus*, *hepar ipsum sua carne exuendum esse*, & toties sane ipse exuit; non modo nullum ejus trunci cum Hæpatico ductu commercium memoravit, sed certe, ut diximus, truncum ad Vesiculam docuit pertinere. Tu vero ita rem proponis, quasi Glissonius exiliores quidem vasis partes, seu ramos, crassiorem autem, seu truncum videre non potuisset! duros enim truncos delineas cum tronco Hepatici ductus connexos, imo satis amplis cum hoc orificiis communicantes.

42 Hæc omnia cum ita essent; tamen ego tibi tantum tribui, ut tot dubitandi causis neglectis, tua ista in Cystis cervice tot, & sic patentia foramina, tum vero ista etiam satis ampla in tronco Hepatico orificia diligenter inquirerem. Verum necesse est ut in cadavera inciderim quæ, quamvis viderentur, minime tamen essent ad hanc perquisitionem idonea. Tibi enim pro certo affirmare queo, me neutra in parte quæ a te pinguntur, adhuc videre potuisse. Quod vero ad ipsos attinet ductus; cum aut Hepatici canalis ramos persequerer qui in vicinia Cystis discurrunt, aut cum Cystim lenta ac suspensa manu a jecinore separarem, surculos quidem conspexi quosdam qui cum sanguifera essent, aut bilaria etiam vascula, sed Vesiculam denique non subeuntia, ductus *hepati-cysticos* facile, siquis non caveret mentiri posse viderentur: quinetiam interdum nonnulla vidi quæ me post multas perquisitiones dubium incertumque relinquerent; nulla tamen unquam quæ manifesto pespicerem intra Vesiculæ fundum hiare.

Quod

(1) Anat. Hep. c. 23.

Digitized by Google

Quod ſi alias unquam me perſpecturum, ſperavi; certe quidem ſperavi nuper, cum videlicet jecur diſſecarem quocum Cyſtis non niſi modica fundi parte jam prope ejus limbum cohærebat, toto autem reliquo ſuperiore fundo, totaque cervice ſic laxe adhærebat, ut ſine cultro, ſine ulla vi ab hepate disjungi poſſet. Multa enim eo toto intervallo jecur inter, & Cyſtim intercedebat pinguedo. Cum igitur lente disjungerem; ſanguis quidem paucus, ſed nihil quidquam effluxit bilis, neque ullam prorſus *Cyſti-hepaticorum* canalium indicium fuit. Reſtabat illa dumtaxat pars infima ab arcto hepatis nexu dividenda: quod intra modicum omnino ſpatium cum tot collecta vaſa tum *Cyſti-hepatica*, tum *Hepati-cyſtica* eſſe oporteret; non difficile fore ſperabam, ut aliquod ſaltem luculenter mihi in conſpectum ſe daret, ſive ad Veſiculæ exteriorem faciem id quærerem, ſive oſcula ad intimam ſuperficiem inveſtigarem. Et ſedulo utrumque feci; ſed fruſtra. Nam neque extra, certi aliquid inveni, neque intus ullam prorſus caruncularn, aut foramen ullum; cum tamen jecur recens, & quam ſaniſſimum foret, Veſicula autem optime conſtituta; iſque homo probe nutrito, atque adeo obeſo corpore prope ad ſenageſimum, cum apoplexia ſublatus eſt, annum perveniſſet.

43 Tabula VI. mihi meas quaſdam ad memoriam revocat obſervationes, in hiſque duas; in quarum altera Cyſtim tam brevem, tamque anguſtam inveni, ut imo fundo ab jecoris limbo ſatis diſtaret, majorem autem oleam tota continere vix poſſet. Bilis inerat perpauca ex viridi pallida. Hepaticus truncus duplo erat amplior quam par fuiſſet, rugoſaque intus ſuperficie, ſed non in retis formam diſpoſita. Nimirum credo, quæ bilis in Cyſtim divertere debuiſſet, eam magna ex parte in eo truncо ſubſiſtere coactam, hunc olim dilataſſe. Ut hanc obſervationem in Anu, ſic alteram in Sene habui, cujus cadavere ante aliquot annos ad publicam Anatomen uſus ſum. Huic Seni Communis, Cyſticus, & Hepaticus ductus intra hepar uſque, dilatati erant adeo, ut perimetrum duobus tranſverſis digitis æqualem haberent. Orificium tamen ductus Communis naturalem fere, in ſua caruncula, anguſtiam ſervabat; ut proclive eſſet intelligere, ſubſiſtere ibi calculum potuiſſe, bilique exitum intercludere, cujus propterea tanta collecta vis fuerit, ut non modo eos omnes ductus ſic diſtendere, ſed cyſtim inſuper potuerit ad digitorum tranſverſorum octo longitudinem amplificare. Erant autem calculi vel intra jecur in ductu Hepatico, hujuſque præſertim majoribus ramis paſſim obvii. Sed in Cyſti nonnullis cum calculis erat bilis ejuſcemodi ac ſi admiſtam haberet aquam in qua caro recens lota eſſet. Subcruentus is color acceptus referendus videbatur ſanguini, & ichori qui ex carnea quadam excreſcentia deſtillarent inæquali, flaccida, ſubrubicunda, ad coraſi magnitudinem ex imis Veſiculæ ipſius internis parietibus extante. Cui non abſimilis altera ad urethræ initium inventa eſt quæ veſicæ orificium fere obſtrueret, urinæque exitum difficilem redderet. Sed calculi qui in ejuſmodi ſubcruenta aquoſaque bile concreverant, ut quo plerumque invenire ſoleo, colore non erant, ſic; ut fieri poſſe prædixeram; non ea quæ plerumque ſoliti ſunt, præſtiterunt. In aquam enim conjecti, etſi ad fundum non ruerunt; non æque tamen ac ſolent, eos vidimus ſupernatare. Flammam autem non ſervaverunt, neque ad flammam in guttas liquati ſunt, neque crepitus edidere, nec quod gratum eſſet, oluere. Quæ omnia accidere poſſe, prædixeram ob ea quæ de nigris calculis non modo in III. *Adverſariis* ſcripſeram; verum inſuper eodem quo illa edebantur, tempore animadverteram. Cum enim Jo. Bapt. Vulpius Vir Cl. meuſque nunc Collega meritiſſimus, tunc quoſdam ad me calculos attuliſſet, ab ſe olim de Veſica fellea extractos, nonnulliſque eorum diſruptis vidiſſem ſub tenui cruſta ex viridi ſubflava nullam niſi nigram atque friabilem latere ſubſtantiam, eoſdemque

Digitized by Google

que flammæ admotos illa omnia quæ nigros ſcripſeram, omnino præſtare; tum vero ipſos in aquam conjectos primum quidem ad ſummum redire animadverti, ſed mox emiſſis bullulis paulo poſt ad fundum prolabi. Quæ cum obſervaſſem, deliberare mecum cœpi, an ad calcem eorum *Adverſariorum* hoc quoque nigrorum calculorum diſcrimen adjicerem.

Nec feci tamen, primum quia non eſt meæ conſuetudinis ex una obſervatione quidquam magnopere affirmare. Deinde quia ne id quidem; ut infra oſtendam; iis quæ in *Adverſariis* ſcripſeram, plane adverſabatur. Noviſſime quia ſi id a me ſcriptis adverſaretur; Fernelii quoque, & Bidloi obſervationibus repugnaſſet. Ille (1) enim ſcripſit: *calculum in cyſti fellea plerumque concreſcere nigrum, ſed tamen levem, & qui aquæ immerſus innatat.* Bidlous (2) autem: *calculos ex bile oriundos, aquis innatare, atque igne, cujuſcunque ſint coloris, figuræ, & magnitudinis comburendos exiſtere.* Quorum Virorum obſervationes pro falſis habere, ac prorſus repudiare ego ſane non auderem, ne ſi plurimas quidem omnino adverſas ipſe vidiſſem; propterea quia variæ eſſe poſſunt in nigris calculis ſubſtantiæ, varioque modo compactæ, ut non omnes ad fundum ruere neceſſe ſit. Atque adeo ut ad illam meam, publice in Gymnaſio habitam obſervationem revertar; cum de calculis quos in Hepatici ductus ramis fuiſſe plurimos dixi, plures vel in aquam projicerentur, vel flammæ admoverentur, alii quidem quæ plerique ſolent biliosi calculi, præſtiterunt; alii vero, etſi pariter flavi erant, non modo eadem non præſtiterunt, ſed quæ ex illo eodem Sene cyſtici, ut dictum eſt, nobis præbuerant, obſervanda omnino præbuerunt; ut neceſſe ſit ſub eadem facie, & colore non eandem compoſitionem fuiſſe. Quæ omnia haud alio propoſito memoro, ac cætera illa in *Adverſariis* memoravi; ut quid ego obſervaverim, conſtet; non quod aliter ab aliis, in rebus præſertim hujuſmodi, obſervari poſſe, negem.

44 Idemque te, Vir Cl., ut pro amicitia noſtra ſimpliciter dicam; in re eadem facturum ſperavi. Sed quando tibi aliter videtur placuiſſe, in mearumque illarum obſervationum examen plures tibi ſocios, cum Bononiæ eſſes, adjunxiſti, in iiſque, quod tunc multis mirum eſt, Virum Præſtantiſſimum, mihique non uno nomine conjunctiſſimum Antonium M. Valſalvam; tantum abeſt, id ut graviter feram, ut hujus, incredibili Rei Anatomicæ detrimento mortui, memoriam majori propterea quam alias feciſſem, meo labore, & contentione ornandam ſuſceperim; vos autem qui eſtis ſuperſtites (& diu, precor, ſitis) quocumque poſſim, ac mihi liceat, officio ſim libens proſecuturus. Neque enim alia quam veri quærendi cauſa id factum a vobis eſſe, dubito, ut ego viciſſim pro eodem veri ſtudio nunc a te quæſo, ut quæ ſcripſiſti, mecum recognoſcere, & cum meis conferre obſervationibus ne graveris. *Calculi*, inquis, *veſicæ fellæ duplicis generis ſunt; alii nigri, flaveſcentes alii: & cæt. Nigri nunquam perfecte cuboidei* 474 *viſi ſunt, ſeu ſex lateribus præditi, quidquid aliqui aſſeverent.* Ego (3) quoque meas obſervationes in duo capita diviſeram, in eas quæ ad nigros, & in eas quæ ad cæruleos (quos ego quidem ſæpius invenio), calculos pertinerent. In hoc ſiles. De figura autem non ſiles, in qua me lapſum eſſe, putas. Verum ego de figura *perfecte cuboidea* nunquam *aſſeveravi*, qui ſcripſerim, obſervatos a me calculos *vera* fuiſſe *figura, quanquam omnes, uti ferme ſolent, a cuboidea longiſſime non aberant.*

Hoc tu in *pauciſſimis* nigrorum agnoſcis, ſed eorum reliquos *ut plurimum deprehendi* aſſeveras *quatuor triangulis æquilateribus, & æqualibus circumſcriptos; Flaveſcentes* autem calculos *ſphæricum plerumque aut ovalem affectare figuram; — quod ſi angulioſam nanciſcentur ſuperficiem, pentagonum ut plurimum corpus, ſeu dodecaedrum, duodecim æqualibus, æquilateribus, atque æquiangulis pentagonis contentum imitari.*

(1) Pathol. l. 6. c. 5. (2) Vindic. (3) Adv. III. Animadv. 28.

Digitized by Google

si. Ego vero cum te animadverto istam facierum similitudinem, & æqualitatem usque adeo inculcare, ut; quasi timeres, ne non satis quid tibi velles assequeremur, pentagona dicens *æqualia*, & *æquilatera*; adjiciendum insuper censeas *æquiangula*; non possum interdum non sorti meæ subirasci, qui cum calculos non paucos nigros, longe autem plurimos flavescentes invenerim; neque ex his quos multos asservo, neque ex ullis quos unquam viderim, in unum incidere potuerim qui tantam istam omnium seu triangulorum, seu pentagonorum æqualitatem, & similitudinem exhiberet. Sed hoc me interea solatur, quod etsi a te ut plurimum id visum credo; perraro tamen ab aliis conspectum animadvertam; atque ita perraro, ut vix unum Bartholinum producas, qui tamen inter *infinitos* calculos *figurâ feminum cnici* præditos, quinque, haud amplius, memorat *figurâ mathematicorum corpora pentagona repræsentante*, quibus ipsis verbis ut corpora significantur quinque angulis, ut pyramis cujus basis quadrilatera sit, non viginti, ut dodecaedrum, instructa, ita certe in illiusmodi corporibus nulla omnium angulorum, aut laterum æqualitas potest significari. Magis fortasse ad tetraedrum pertinet Vesalii (1) locus, quem poteras attulisse: Bilis Vesicula *decem & octo lapilli continebantur perquam læves ac trianguli imagine æquis undique costis ac superficiebus formati*. Re tamen vera ex nigris non erant, sed *colore virides, & quasi nigrescentes. at quum exiccati essent, magis videbantur cinericei*. Quod si tu vicissim ex me quæras, ut Auctorem producam qui cubica hos calculos figura observaverit; primum is in promptu est quem ipse *accuratissimum* vocas, Exercitatissimus certe, & Præclarissimus Vir Mangetus (2).

907

Hic enim scribit, se *aliquando reperisse vesiculam biliariam ad absolutam turgescentiam infarctam bile nigerrima & cæt. aliquando præterea vidisse eandem vesiculam calculis ad formam & magnitudinem tesserarum lusoriarum efformatis completam*. Deinde tantum abest ut ego perfectam (quod tu facis) aliquam figuram hisce calculis adscripserim, ut juvet hic mea paulo ante producta verba iterare quibus hoc tantum scripsi, *ferme solere a cuboidæa longissimo non abesse*. Et sane eorum quos ego vidi, plerosque memini a propositis a te figuris multo longius quam a cuboidæa abfuisse. Atque adeo ex iis quos forte asservo, plerosque videre est factos magnam partem ex duabus quarum altera alteri basim utcunque obvertit, triangularibus pyramidibus, inæqualibus, & inæqualiter junctis, atque inæqualibus facierum tum spatiis, tum angulis, horumque perpaucis, quales in dodecaedris esse omnes debent, obtusis: quæ omnia videlicet faciunt, ut existant corpora nulla *regulari*, ut vocant, figura prædita, ideoque non cubica, imo neque (nam ne id quidem scripsi) cuboidæa, sed ab hac ultima tamen figura longe minus quam a certis illis, a te propositis, usque adeo regularibus, remota.

45 Etsi vero has meas de felleorum calculorum figura a tuis adeo diserepantes observationes omnibus qui apud me inspicere velint, facile possum demonstrare; non tamen tuas propterea reprehendo, neque scribo: *numquam perfecte* tetraedrici calculi, aut dodecaedrici *visi sunt, quidquid aliqui asseverent*. Quinimo etsi egomet tanto ante quam tuas legerem observationes, in quosdam ut supra ostensum est, tum nigros, tum flavos calculos incidi qui in aquam conjecti, deorsum laberentur; non tamen tecum possum pro *semper inconcusso* statuere: *Ex flavis ejuscemodi calculis plurimos aquæ immersos submergi, ex nigris vero prorsus omnes*. Quam enim tibi, Vir cl. fidem habeo, eandem Fernelio, & Bidloo me habere, par est, quorum illa, ut vidimus, diserte de nigris, hic de *cujuscunque coloris* calculis contrarium affirmavit. Horum autem doctorum fides, & quod neque ego, neque tu pro certo unquam asseverare poterimus, nos de nigris, cujuscunque generis inveni-

476

(1) Epist. ad Roel. (2) Theatt. Anat. Tom. I. p. 382.

Digitized by Google

veniri possint, experimenta cepisse, hæc, inquam, cogunt me assensum sustinere, cum te aut illa quæ protuli, aut hæc etiam scribentem lego: *nigros felleæ cystidis calculos in aquam projectos statim immergi, & fundum petere, extra omne dubium est.* Quid? quod si me mihi ipsi æquum est credere; ex nigris habeo qui in summo innatent; nigros autem illos alios calculos *immergi* vidi quidem, & *fundum petere;* non tamen *statim.* Nam, ut supra expositum est, in aquam projecti, primum ad summum redierunt, deinde emissis bullulis paulo post ad fundum descenderunt.

Quod quidem satis est, ut vere scribi possit: hos *aquæ immersos, non ut ii qui de urinaria vesica extrahuntur, in imo subsidere, sed innatare.* Urinarii enim quos ego quidem hic habeo, calculi, in aquam projecti, neque sursum redeunt, neque in summo vel punctum temporis consistunt, aut innatant, sed recta ad fundum continuo ruunt. Qua in re satis ab ipsis discrepare flavescentes Cystis calculos confitearis, necesse est, qui scribas, *ex his — plurimos — aquæ immissos eidem primum supernatare; binc post aliquam in aqua maceratione, tum eandem imbiberint, sponte non minus submergi, & fundum petere, — te summâ cum voluptate observasse.*

Tu vero ad hanc potissimum observationem habendam tot tibi Bononiæ socios adjunctos narras, & in his Cel. Valsalvam, cujus etiam *in ædibus* eandem *semel, atque iterum* cum ipso simul a vobis *tentatam* scribis. Tanti erat videlicet, ut illud confici, & concludi adversus me posset: „jam animo excu„tiendam esse, veluti non veram, bo„næque observationis expertem, pro„positionem illam in genere: *Fellei „folliculi calculos aquæ immersos, non „ut ii, qui de urinaria vesica extrahun„tur, in imo subsidere, sed innatare:* „Quam quidem post Bidloum, Ferne„lium, Riolanum, aliosque, Moder„niorum aliqui nimis fidenter, minusque experti receperunt, propriisque in „Operibus exscripserunt.„ Sed vide, quæso, hac in re quantum inter meum interfit, tuumque judicium. Tu propter vestram istam observationem mea illa verba damnanda censes; Ego, ut paulo ante ostendi, ista ipsa observatione judico mea illa verba satis comprobari potuisse, si forte ea (quod non est meæ consuetudinis) *nimis fidenter, minusque expertus* ex Fernelio, & Riolano *exscripsissem.* Quid enim tandem ea sibi verba aliud volunt, nisi felleis, & urinariis calculis in aquam conjectis, non idem pariter utrisque accidere, sed hos in imo subsidentes conspici, illos autem innatantes? Aut quis est qui significari omnino iis verbis contendat, felleos vel *post aliquam in aqua macerationem,* & postquam hanc satis *imbiberint*, adhuc esse innataturos? ut propterea ad me arguendum, sibi insuper, si Diis placet, eos calculos cogendos existimet, quod vos feciſtis, atque adeo *per manum mergendos, ut citius aquam imbibant, citiusque etiam fundum petant.* Ego vero neque id unquam volui, neque mea verba ex Bidloo, Fernelio, Riolano omnia exscripsi, neque etsi omnia exscripsissem, horum loca, & nomina laudare omisi, neque demum ut *minus expertus* ipse (quanquam iis minus expertum libenter me fateor) eos Scriptores memoravi, sed ut suum omnibus redderetur, & tu in posterum, aliique Cl. Viri non ad Bidloum dumtaxat, sed ad illos potissimum qui Bidloum præcesserunt, Auctores istam eandem observationem referretis: quibus sane omnibus posteros magis gratias agere quam obtrectare, par videlicet, æquumque est.

46. Verum me idcirco, opinor, *minus expertum* putasti, quod me *aliquoties expertum* id *esse*, scripseram. Sed ego toties ea quæ propono, experiri solitus sum, ut cum *aliquoties* dico, sæpe *pluries* dicam quam alii plerique soliti sint observare. Idque adeo hæc ipsa res ostendit. Neque enim quæ tu observasti, iis adversantur quæ me expertum esse, scripsi; sed iis quæ te expertum esse, scribis, quæ ego observavi, adversantur. Nimirum tu scribis, atque pronuncias, ex flavescentibus

Digitized by Google

tibus calculis *plurimos* ad fundum mox labi ; aliquos dumtaxat excipis , quos noviſſime videris obſervaſſe , *non ita pridem ab amico quodam dono acceptos , tum nonnullos a te ex fellea hydropici cujuſdam veſicula extractos* . Hos *curioſe inter cæteros reſervas* . Hos concedis *aquæ vel diutius immerſos , eâque quantum velis imbibitos , nunquam in imo ſubſidere* . Sed *annotandum* cenſes : *valde adhuc molles eſſe* , & cum illis fluvialibus tophis comparandos , qui *leviſſima digitorum preſſione in arenulas omnino diſſiliunt* . Contra ego ex iis quos variis temporibus , variiſque de cadaveribus flaveſcentes Cyſtis calculos extraxi , longe plurimos inveni qui in aquam projecti , ad fundum minime deſcenderent . Quinimo repetitis nuper , atque adeo hiſce ipſis diebus in iis omnibus qui ad manum erant , cyſticis calculis experimentis , ut ſi forte contra atque alias , ſuccederent , id tibi ingenue fateri poſſem ; ne unus quidem fuit qui poſt horam , poſt horam autem ? poſt unum , atque alterum diem fundum peteret . Quid verbis opus eſt ? Totum triduum in aqua reliqui . Omnes tamen totum triduum in ſummo innatantes perſtiterunt . Neque ullum prorſus indicium dederunt , aliter futurum fuiſſe , ſi vel aliquanto diutius reliquiſſem . Quos enim fregi , ſiccos intus , non humidos deprehendi ; ut nihil aquæ viderentur imbibiſſe . Neque hæc ideo acciderunt quod *molles* eſſent , aut *leviſſima digitorum preſſione* in fragmina diſſilirent ; duri enim ſatis ſunt , nec levi digitorum preſſione frangendi . Imo vero , quantum ego judicare potui , idcirco ſic contigit , quod bene compacto , firmoque cortice muniti , imbibere aquam non potuerunt . Itaque fracti , & in aquam iterum conjecti primum quidem in ſummo natarunt , mox vero quædam citius , alia ſerius omnia ſane fragmenta brevi ad fundum corruerunt ; inde autem extracta , & in minora fragmina diffracta , intime aqua imbuta apparuerunt . Inter calculos autem qui aqua triduum innatarunt , præter plures ex flaveſcentibus , fuerunt plumbeo colore quidam , aliqui etiam valde fuſco , nonnulli nigro , ad ſummam omnes quicumque , nullo habito delectu , a me in aquam projecti ſunt . Hi omnes olim (recentibus enim quos ipſos alias vidi innatare aquæ , nunc carebam) hi , inquam , omnes alii ex aliis Veſiculis felleis extracti fuerant : quod hic omittendum non putavi , cum tu quidem quos calculos *poſt aliquam in aqua maceracionem* ter vidiſſe ſubmerſos narras , hi ex una omnes Cyſti , an ex pluribus ; recentes , an veteres fuerint , non adnotaveris .

47 Cum autem ea quæ iſtis calculis ſive adeo fuſcis , ſive nigris contigiſſe , modo ſcribebam , attendo , illudque præterea quod obſervaſſe alias memini in nigris calculis quibuſdam non uno ex cadavere extractis , præſertim vero in viginti varia magnitudine præditis quos in Peripneumonici fellea Cyſti deprehenderam , rara videlicet ac friabili carbonis inſtar fuiſſe ſubſtantia ; cum hæc , inquam , omnia attendo ; certe in univerſum *liquere* non puto , *nigrorum horumce calculorum ſubſtantiam magis eſſe compactam* , --- *ut flaveſcentes nigris leviores ſint* , neque inde horum , illorumve calculorum in aqua citiorem , aut tardiorem deſcenſum potius eſſe repetendum , quam ex eo quod aquæ particulæ citius , aut tardius ea copia intra calculos ſe inſinuent quæ horum ponderi addita , efficiat , ne ab aqua amplius ſuſtineri jam poſſint . Cæterum quod ad calculorum ſtructuram attinet ; illud primum a te ſcribi animadverto : *revera calculos hujuſmodi flaveſcentes ex ſuperpoſitis invicem , numero pluribus , aut paucioribus ſtratis , veluti ſupercretis corticibus --- creſcere , & conſtrui , diligenti inſpectione deprehendi* . Neminem videlicet hic deſignas. Sed paulo inferius cum addis : *Illam* 477 *tamen in hujuſmodi calculorum ſtratis concinnitatem , & regularem elegantiam non cerni , ut ſi , ad exemplum , primum ſtratum ex albo flavum ſit , alterum ſit viride , tertium rurſus ex albo flavum , quartum denuo viride &c. ;*

Digitized by Google

hîc vero nonnullas contimus notas, *veluti*, inquis, *ab aliquibus prædicatur*. Et tamen idem ego & probatam a te, Vir cl. ſtructuram illam ex ſtratis, & hunc a te improbatum eorum ordinem deſcripſeram, neque tamen hunc quidem *prædicaveram*; ſed in *nonnullis* duntaxat mulieris cujuſdam calculis fuiſſe, ſcripſeram. Tu vero cur improbas? *Nunquam*, inquis, *ego certe in tot inſpectis cyſticis calculis hunc ordinem deprehendi*. Sed hinc profecto non efficitur, me in illis calculis non deprehendiſſe, in quibus ad hunc uſque diem ſervatis, poſſum omnibus iſtum ipſum quem deſcripſi ordinem luculentiſſime demonſtrare. Fortaſſe ne alia quidem vidiſti de quibus ſiles; a me non jam in nonnullis unius, ſed in multis plurium Veſicularum calculis deſcripta, ut ſtrata illa *tot quaſi lineolis ad centrum tendentibus diſtincta*, ut *flavam bilem* (*primis diebus mollem, poſt in nucleum ex obſcuro crocetum concretam*) *manifeſto* in media calculorum ſingulorum parte *concluſam*. Ego tamen vidi, & videre adhuc omnes apud me poſſunt, atque ita videre, ut in his quidem haud paucis flaveſcentibus variorum hominum calculis locum non habere agnoſcant, quæ tu de flaveſcentibus in univerſum pronuncias: *Minimum nucleum, ſeu potius ſolidiorem quandam arenulam centrum occupare*.

Huic vero ſolidiuſculo principio bilis corpuſcula *hærentia, indeque indurata, molem paulatim amplificare, veluti foliis ad folia ſuperſtructis*. Nam neque *minimum*, ſed ampluin pro mole calculorum *nucleum*, neque *arenaſum*, ſed bilioſum, neque demum *veluti foliis ad folia ſuperſtructis*, ſed ſimili prorſus bile adauctum videbunt, donec ſtrata incipiant ipſum complectentia, firmioremque calculorum partem efficientia. Sed alia quoque conſpicient ab iis quæ tu pariter doces, magnopere diſcrepantia.

48 Tu enim univerſe pronuncias: *calculos hujuſmodi bifariam, ſeu in æquales partes ſectos, aggerrimos exhibere elegantiſſimos circulos, quorum minores a parallelis majoribus ufque ad externam faciem continentur*. Hi vero ſubtem de quibus dicebam, calculi, ſic diſſecti, non *elegantiſſimos circulos*, ſed ſtratorum lineas exhibent ei figuræ quam ſupra in iiſdem deſcripſi, reſpondentes; quanquam vel in tuis ipſis calculis non ſatis intelligo, quomodo, ſi *dodecaedri* forma ſint, illa quoque ultima quæ *ad externam faciem ſunt*, ſive externam faciem componunt, ſtrata *elegantiſſimi circuli* videantur, aut quomodo, ſi *ſphæricam aut ovalem effectent figuram*, vel neceſſe ſit, vel ſatis ſit *in æquales* partes ſecari, ut iſtos exhibeant *circulos*; nam ſphærici ſectione quacunque, ovales omni quæ majorem axem ad perpendiculum ſecet, circulos exhibebunt; iidem autem ovales, ſi per eundem majorem axem non ad perpendiculum ſectio ducatur, quamvis *in æquales partes ſecti* eſſe poſſint, non *circulos* exhibebunt, ſed ellipſes. Non me præterit, inter Anatomicos, & *ovalem feneſtram* dici foramen quod ellipticum ſit, & *cubiforme* os vocari quod cubica revera non ſit figura, atque alia ejuſdem modi inter noſtros ad mathematicam loquendi normam ſolicite exigi non conſueviſſe. Verum tuos iſtos *circulos* ad eandem non eſſe exactos, qui credam? cum mea illa certe exegeris verba quibus horum calculorum figuram vel cauciui aliquanto quam Anatomici ſoleant, ſic ut potui, indicavi: *ferme eſſe ſolitos a cubeidea longiſſime non abeſſe*. Eadem animadverſio facit, ut cum de nigris calculis ſcribis: *Id maxime dignum adhuc obſervatione eſſe, quod calculis hujuſmodi in cuiuslibet magnitudinis fragmina fortuito abruptis, hæc tetraedricam adhuc affectant figuram*; ſilere hic non debeam, neque iſta fragmina ſi, ut mihi accidit, ita *fortuito* abrumpantur, ut rupturæ ſectio vel plures planas facies, vel unam quidem, ſed aut curvam, aut ſi planam, parallelam annexæ baſi repræſentet, *tetraedricam ſatis affectare figuram* poſſe, neque cum affectant, id calculorum, ſed tetraedri naturæ & proprietatibus acceptum eſſe

refe-

Digitized by Google

referendum. Cæterum quod hos nigros calculos *arbitrariis* compingi *absque* arenoso illo *nucleo*; huic opinioni, a me olim habitæ observationes non adversantur. Sed cum nucleum & in pluvabeis nonnullis frustra quæsivi, & in valde fuscis, quorum illi ferme ad cuboideam, horum plures ad pyramidis figuram accedebant triangularis, sed in inæqualibus faciebus, ut a vero tetraedro longissime abesset. Nolim tamen existimes, me istum arenosum nucleum credere ne in iis quidem quos ego non viderim, calculis invenirii, aut, si crederem, a ceteris propterea dissentire quæ ex Medicis colligis de *calculorum fellea cystis*, & *urinariorum vasculorum affinitate*. Imo vero quantum hæc probem, Doctissimi illi, & Celeberrimi Viri sciunt, qui meum, ante hos quinque annos scriptum, Consilium legerunt pro Fœmina Principe quam renum calculi & dolores quibus subinde obnoxia vixerat, tum denique amplius non vexarent ex quo aliis corripi doloribus cœperat quorum semper sub dextris costis spurius initium erat. Sed & olim in Illustrissimo Præsule Anguisciola, Pontificis Max. ad Inclytam Venetorum Rempublicam Legato, qui urinariis etiam morbis laborare consueverat, tres aut quatuor in fellea Cysti calculos vidimus. Amplissimus autem Vir, & omnibus quæcumque in Principem cadunt, Virtutibus Ornatissimus Georgius Cardinalis Cornelius, Antistes Patavinus, ut renes abnormi magnitudine, & ramosis farctos lapidibus, sic incredibilem in modum flaccidam, omnisque humoris expertem habuit Vesiculam fellis, unum, sed insignem, calculum complectentem. Verum hæc, & alia fortasse ejusdemmodi fusius alias persequemur.

49 Nunc ad illa transeo quæ olim primus, ut puto, scripsi de iis quæ inter comburendum utrumque felleorum calculorum genus observantur. Neminem hic pariter designas, ubi nihil credis esse quod arguas. Easdem proponis observationes, ac quædam addis quæ 479 utinam ego omnia possem accipere; verum istud: flaves calculos illa observanda præbere *qui præcipue molliores, aut recentiores sunt*. Plures enim calculos habeo neque molles, neque recentes, in his etiam ex iis quosdam in quibus illa primum Bononiæ vidi. Hi autem (nec ceteri discrepant) post hos totos viginti annos nihilo difficilius flammam concipiunt, servantque, aut reliqua præstant, quam olim vel recentissimi.

Illud etiam, quod, *ut ad proxim apprime faciens; annotandum* censuisti, *multo scilicet in genere difficilius flammam concipere calculos cysticos, quam qui biliferis duntaxat poris insederant*, quomodo verum sic in universum esse credam, qui, nigris, pauciscque aliis exceptis calculis, cysticos omnes in quibus id quidem expertus sum, facillime inflammari vidi; ex Hepatici autem ductus calculis quosdam, ut supra indicatum est, deprehendi, qui etsi flavi erant, minime tamen flammam servabant? Nec vero quæ addis alia cysticorum, atque hepaticorum calculorum discrimina priore certiora existimo. *Ut ductuum*, inquis, *hepaticorum calculi oblongi semper sunt* —: *cystici ex adverso ad rotundam plerumque, & conglobatum figuram accedunt; Ita minores calculi hujusmodi ductibus inhabitare quidem; majores vero felleum folliculum duntaxat occupare possunt*. Verum, si tu ipse jam supra scripseras, tot illos calculos a Cl. Lentilio observatos, *sedes suas figere forsan potuisse, non tantum in cysti fellea, quam etiam per hepaticum ductum, & melius per poros altiores biliarios, ubi molis rotunditatem, & parvitatem assumpserint; instar calculorum in iisdem fistulis nidulantium, a Cl. Reverhorstio observatorum*; quonam hic pacto, *ductuum hepaticorum calculos oblongos semper esse*, pronuncias? Vel quomodo *cysticos ex adverso ad rotundam plerumque, & conglobatam figuram accedere*, fatebor, quando; ut te ipsum docere, fileam, ex cysticis nigros esse *tetraedros*, vel utcumque *cuboideos*, flavescentes autem non omnes *sphæricam*, aut *ovalem affectare figuram*, sed ex iis esse qui *angulosam* etiam *nanciscantur superfi-*

480

190

ciem ; certe mihi alia plerumque quam rotunda, & conglobata figura occurriſſe, ſatis antea oſtenſum eſt ? Poſtremo quî credam, a minoribus calculis hepaticos ductus, a *majoribus vero felleum folliculum duntaxat occupari poſſe?* cum legerim, atque adeo viderim, Hepaticum ipſum ductum ad eam interdum amplitudinem dilatari, ut non minores quam quos plerumque in Cyſti invenimus, calculos poſſit continere. Quo magis ſuſpicor, in eodem, ejuſve ramis illos, minoris fortaſſe magnitudinis, calculos, ſi modo bilioſi fuerint, delituiſſe, quos alibi, ut hic memoras, ſcribis, *in vena portæ* S. Ignatii a Columbo *repertos* eſſe. Nam; ut recenti adhuc re, atque adeo ſexto ab illius obitu die Polancus is qui a ſecretis viventi fuerat, ad Socios ſcripſit (1); hepar *durum*, *& intra hoc quidam lapides* inventi ſunt ; Intra hepar autem tam arctus nexus, tamque ſimilis intra eandem Capſulæ vaginam, venæ Portæ, & bilarii ductus inceſſus eſt, ut proclive Columbo fuerit in ejuſmodi præſertim extiſpicio quod honoris cauſa expedite, ut fit, non diſciplinæ gratia diligenter habebatur, id in venæ ramis eſſe credere quod fortaſſe in conjuncti meatus ramis hærebat ; Quorum quidem perpetuam cum ea vena conjunctionem num Columbus idem probe noſſet, dubito, cum alibi (2) ipſum animadverto eoſdem, *inter venæ Cavæ, portæque ramos*, deſcribentem *per jecinoris ſubſtantiam diſperſos*. Nec ſane meliora Veſalius (3) docuerat, eos *in dictorum* utriuſque venæ *ramorum medio* proponens, & *aliquibus* duntaxat *in locis*. Quod ſi hæc Summi Anatomici ; tanto magis excuſandi Medici eſſent, ſi qui forte per ea tempora ob eandem illarum rerum ignorationem ad eundem eſſent modum hallucinati. Hoc autem dico propter Jacobum Camenicenum (4), cujus obſervatio non unâ ratione ad *Hiſtoriam* pertinebat tuam, atque aptius certe quam iſta Columbi, ad propoſitum illud tuum de bile *ante ſecretionem hepaticam a toto ſanguineo in vena portæ diſtincta, & ſecreta* ſpectare poſſe videbatur. In viro enim diu primum icterico, deinde hydropico, ſcripſit, *hepatis venas in parte ejus cava, priuſquam in communem illum caudicem portæ deſinunt, omnes obſtructas fuiſſe, lapillis eas diſtendentibus foris nigris, intus flaventibus*. Quos ego lapillos quanto magis bilioſos fuiſſe, credo ; tanto magis ſuſpicor in ramis hæſiſſe ductus Hepatici, omnes venæ Portæ ramos arcte comitantibus, præſertim cum legam, Communem quoque bilis meatum, cujus finis coaluerat, *lapide ejuſmodi obſtructum fuiſſe*, verique minus ſimile videatur, hunc eo ex Cyſti fellea, in qua bilis quidem plurima, at nulli memorantur calculi, quam ex ramis illis deſcendiſſe canalis Hepatici, cujus truncus *liberrimus erat*. Quod ſi non hujus, ſed venæ Portæ rami lapillis *omnes* ad eum locum *obſtructi fuiſſent ;* haud ſatis video, qua via ſanguis in truncum ejus venæ tot ex partibus comportatus, inde cavam verſus porro pergere, & quomodo hepar ipſum *grande, colore nigricante, & fere tali qualem in ſplene alias conſpicimus*, eſſe potuiſſet. Verum ut hunc in quem forte incidi, de venæ Portæ calculis ſermonem abſolvam ; mihi certe horum obſervationes tanto magis ſuſpectæ videbuntur, quanto difficilius eſt in venis calculos, quam in hepaticis ductibus concreſcere; niſi forte cautus, & ſedis horum ductuum, ac meæ ſuſpicionis probe gnarus Anatomicus qui ejuſmodi in poſterum hiſtorias ſcribat, idem ſe quod Columbus & Camenicenus tradunt, omni ſublata dubitatione luculenter perſpexiſſe teſtetur.

191

50 Illud nunc reſtat ut de calculis in Cyſti ipſa cognoſcendis tantum addam, quantum illæ meæ obſervationes requirunt. Cum enim minime me præteriret, haud raro cum iis calculis conjunctum regium morbum fuiſſe obſervatum, imo nonnullos Medicos eſſe audirem, qui ſemper conjungi arbitrati, ipſum

(1) Bartoli Vita di S. Ignat. l. 4. n. 31.
(2) L. XI. c. 8.
(3) De corp. hum. fabr. l. 5. c. 7.
(4) Vid. inter Epiſt. Matthioli l. 5. Epiſt. 2.

Digitized by Google

ipſam in eorum calculorum notis quas graviſſimi, cautiſſimique Doctores ambiguas, obſcuras, incertaſque cenſuerunt, ſine ulla dubitatione ſemper crederent eſſe ponendum; ob hanc ipſam cauſam ne hæc magis magiſque in Medentium animis opinatio inoleſceret, in illarum obſervationum calce non omittendum exiſtimavi: *mihi* vero *forte contigiſſe, ut ex* illis calculis ad eam uſque diem a me compertis *nullam unquam peculiarem noxam, ſed ne ictericum quidem colorem iis in quibus compereram, inductum eſſe, obſervarem.* Sive enim calculi a me reperti, nondum ea fuerant magnitudine, aut pondere, aut figura qua ſatis lædi Cyſtis poſſet, ſive eo numquam compulſi fuerant, ut bilis exitum prohiberent; illud certe mihi obſervare contigerat, argumento evidentiſſimo, eſſe igitur in Cyſti lapillos poſſe, neque ullam tamen peculiarem, quæ quidem manifeſta ſit, noxam, ſed ne ictericum quidem colorem inducere.

Tu contra, Vir cl. pronuncias: *Qui*
482 *calculo hepatico, aut cyſtico, ut ut exiliori, mitiorique detinentur, malo ſemper, ictericoque plus minus corporis habitu perfuſos deprehendi.* At quonam pacto id evincere te poſſe, ſperas? Num forte rationibus? Scilicet his magis credam, quam ſenſibus,

(1) *Qui niſi ſint veri, ratio quoque falſa ſit omnis?*

An tuis, atque aliorum obſervationibus? Quaſi vero illud hic ageretur, an ſæpe Icterus cum cyſticis calculis jungatur, quod cum veſtræ confirmant obſervationes, tum ego certe negavi nunquam. Hoc autem agitur, an *ſemper* jungatur, id quod tu affirmas, ſed nullis, ne innumeris quidem, obſervationibus probari unquam poterit, quando ego, ego autem? tot etiam alii contrarium toties obſervatum eſſe, non ignorant. Neque eos tantum dico Doctiſſimos Viros qui eas mecum obſervationes ſummâ tum in cadaveribus inſpiciendis, tum in viventibus adhuc, vel eorum notis atque domeſticis interrogandis, diligentiâ habuerunt; ſed omnes præterea dico quicumque aut Andream Lacunam (2) legerunt nobilem præſertim fœminam memorantem, *cujus veſica fellis ducbus, vel corpulentiſſimis inſtar glandium lapidibus occupabatur, quum ne minimum quidem regii morbi antea medicis ſuſpicionem dediſſet*, aut Joannem Sculteum (3) de Veneta ſcribentem, cujus ipſe *reperit veſiculam felleam calculo inſtar cryſtalli pellucido repletam*, neque tamen icterica, ut ex hac alteraque hiſtoria colligat, *quod ad obſtructum porum bilarium, & cyſticum, non ſemper ſequatur icteritia*; aut Jo. Jacobum Wepferum (4) affirmantem, ſe *aliquando lapidem inſignis magnitudinis in fœmina, in alia plures inveniſſe in veſiculis bilaria, quarum neutra Ictericæ erat*, aut denique; ne nunc plures quæram; Theophilum Bonetum (5) qui, præter ſuperiorem Sculteti, alias producit obſervationes, ſuam videlicet, ac Medici Florentini, hujus quidem, calculorum cyſtis XVIII. *numero, nucis Ponticæ magnitudine in Conſtantia Acciarolia, & Elizabetha Capponia repertorum*, quarum *neutram* tamen *arquatus morbus infeceraf*; ſuam vero in muliere, *in cujus veſica fellea reperti 44. lapilli, quorum maximus fabam æquabat, reliqui piſi, & lentis erant magnitudine: Vultus tamen Ictero nequaquam fœdatus fuit.*

Mirum videri poteſt, hæc tot exempla omnia in fœminis fuiſſe. Verum in maribus quoque idem promiſcue obſervavi, ut ſic fortuito acciderit, hæc de mulieribus fuiſſe litteris mandata, ut mihi *forte* (id quod dixi) ad illud uſque tempus *contigerat* eos lapides cum icterico colore vidiſſe nunquam.

51 Hæc cum ita eſſent, neque meæ modo, ſed ne a Boneto quidem, cujus locum indicas, productæ obſervationes te, Vir cl. latèrent; tuum illud nimis certe patens pronunciatum mox tibi neceſſario contrahendam eſſe, intellexiſti. Itaque hæc repente ſubjeciſti: ex ejuſmodi calculoſis *illos dumtaxat non eva-*483 *dere ictericos, in quibus præpedita bilis*

in

(1) Luer. de rer. nat. l. 4. (2) Anat. Meth. (3) Armam. Chir. Obſ. 61.
(4) De Cic. Aqu. (5) Sepulchret. l. 3. Sect. 18. Obſ. 8.

Digitized by Google

in aliquod determinatum vitium, ad ſa-
tum, & plerumque lethalem peculiarem
protrahendum morbum destinabit. Quæ
cum ſcripſeris, non illud tantummodo
falſus es, non eos igitur *malo ſemper*,
interitoque plus minus corporis habitu
perfuſos deprehendi; ſed hoc inſuper fa-
cere debes: illis etiam qui neque icte-
rici ſint, neque ejuſmodi decubitu affe-
cti, poſſe tamen calculos in felis veſi-
culâ illidere. Nam ſi ii decubitus
fiunt ob *prepeditam* a calculis *bilem*;
ſunt igitur jam calculi tum ſine ictero,
ut concedis, tum antequam decubitus
illi fiant. Quid? ſi præterea poſſunt
eſſe eodem tempore ſine *ulla*, quæ qui-
dem ſub ſenſus cadat, *peculiari noxâ*.

Te quidem non fugit, præter nos
481 „ Gerbezium, & Loſpichlerum in Ob-
„ ſervationibus *Nat. curiof. Germ.* aliof-
„ que alibi, memoriæ tradidiſſe: *Ho-*
„ *mines vel a numeroſiſſimis cyſticis cal-*
„ *culis, quorum aliqui ad piſorum,*
„ *alii ad mediocrium caſtanearum mo-*
„ *lem excreviſſent, obſeſſos, citra quo-*
„ *relam diu ſanos vixiſſe, propriaque*
„ *naturalia munia obire incolumes vi-*
„ *luiſſe.* „ At reſpondes, te quomodo
id ſcripſerint, *non intelligere. Nam vi-*
ſitatus, inquis, *plus minus cutaneus to-*
lor, aut profundæ quædam, lentæque pri-
marum, ut dicitur, viarum affectiones
ab his forte, atque ab ipſiſmet patientibus
fuere non ſatis perpenſæ. Ego ve-
to non intelligo, cur ejuſmodi Viris id
ſcribentibus non ſatis credas, qui alibi
1142 ſine ulla dubitatione credis Chirurgo nar-
tanti, virum, cujus *muſculi omnes ſe ſe*
contraxerant, ita ut homo ſtaturæ juſtæ,
& elegantis formæ, in homunculum re-
dactus, ſtaturam infantis duorum, ſed
non trium annorum vix attingeret, cujus
thorax ad formam thoracis gallinæ ſe ſe
coegerat, hunc, inquam, credis, *interea*
temporis uſum fuiſſe cibo, & potu, ſom-
no, & vigiliæ, prout uti ſolebat in IN-
TEGRA SANITATE, OMNESQUE
functiones animi, & corporis ſatis libe-
ras exercuiſſe excepto motu, atque ita
credis, ut hinc inferas, *ex probis omni-*
bus corporis, & animi functionibus in-
columem nunc temporis extitiſſe liquido-
rum craſſim jure conjiciendum eſſe. Nulla-
ne eſſe in hoc poterunt *profundæ illæ*
tem, lentæque affectiones, ab eo forte
Chirurgo, *atque ab ipſomet patiente non*
ſatis perpenſæ? Sed in hoc me fefellerunt;
In illis qui fuerint? Eas, inquis, *ne-*
ceſſario interfuiſſe docuerunt ipſimet om-
nium illorum ullorum hominum improvi-
ſi obitus. Quaſi vero hic illud quæ-
ramus, num *improviſi obitus* ſine prævi-
is contingere affectionibus poſſint, non
illud dumtaxat, num ſiquæ prævie ſint
affectiones, hæ ſemper ſatis ſub ſenſus
cadant aut eorum hominum, aut Me-
dicorum, & ſi etiam cadant, nulla
peculiaris noxa ex ſint, hoc eſt propria
cyſticorum calculorum indicia. Sed ut
tandem aliquando hunc omnem de iis
calculis diſputationem abſolvam; tu qui-
dem pro tuis pronunciatis non dubiis
ſcribere: *Hæc nos cum accuratioribus a-*
micis, longa obſervationum ſerie perſpe-
ximus: An viderint alii, an noverint, 485
id certe nobis non referet. Ego contra,
cum in meis illis vulgandis obſervatio-
nibus haud mirror tua mihi *fuerit adju-* 486
vandis hominibus animi ſollicitudo, mea
non parvi referre cenſeo, quid de ipſis
homines judicent, & an ſuis, aliorum-
que accuratis obſervationibus reſponden-
tes, cum iſque conſentientes inveniant,
doliturus, ſigna forte pronunciaſſem quæ
cum univerſe nimis prolata eſſe videri
poſſent, tum eadem Fernelii, Riolani,
Bidloi, Lacunæ, Sculteti, Wepferi,
Boneti, Gerbezii, Loſpichleri, aliorum-
que Præſtantiſſimorum Virorum non fa-
cile refutandis obſervationibus repugna-
rent.

52 Nunc quando illa ſunt a nobis
expedita, in quorum mentionem a Ta-
bula VI. deducti ſumus; jam omiſſis
omnibus quæ in eadem Tabula, quæ
tua non eſt, poſſent fortaſſe perpendi,
ad VII. tranſeamus. Figurâ I. *reticu-* 968
latam intimæ faciei Veſiculæ fellis ſtru-
cturam demonſtras, quam *per cyſticum*
ulterius, ipſumque choledochum, & he-
paticum ductum, quantumvis leviorem,
produci, atque conſpici, affirmas. Quid
ergo eſt, quod non *leviorem*, ſed craſ-
ſiorem multo denſioremque in iis ductu-

bus

bis quam in Cysti delineas? Equidem in aliis rete ductuum esse crassius, in aliis autem exilius, & rarius quam Vesiculæ, a me quoque observatum est. Tamen quæ hic dicis, aliquanto magis Explicationi Tabulæ V. quam hujus Figuræ conveniebant. Cæterum cum ductuum rete bis pingas, & alio Iconismo aliter pingas; mirari subit, cum Cystis rete quater ostendas, cur nulla in Figura sic tenue, atque ita factum commonstres, ut Cel. Ruyschius (1) exhibuit. Mihi quidem accidit nuper, ut cum Vesiculas quinque, continenter apertas, cum tuis omnibus, & cum una illius delineatione conferrem, cunctarum rete multo ad hanc propius quam ad illas, accedens invenirem.

53 Figura II. apertum cum Vesicula canalem Cysticum tertio proponis. Numquam tamen hujus Valvulas pingis in cochleæ modum eleganter circumductas, ut a Præstantissimo Heistero (2); a meque ipso nonnumquam sunt observatæ, & hæ quidem valde extantes, neque ingressarum, aut egressurum specillum admittentes. Non miror tamen; 973 quando tales *non bene te hactenus conspexisse, fateris*, sed nulla certa norma *ut plurimum* dispositas, quales mihi quoque sæpe occurrerunt, eadem specillo impedimenta afferentes, alias vero teniores. Alia miror, & in his illud primum, te supra declinantem observationes Doctissimi Heisteri, *sinum* dixis- 103 se *hucusque invisum* quem, ad finem cujusdam Vesiculæ, ductusque Cystici initium, is observavit, & pinxit (3); cum Jasolinus (4) olim, itemque Bauhinus (5), quasi rem observari solitam, istum sinum *ad* eam locum verbis, & Icone proposuerint. Deinde hoc miror, te in prima, atque adeo in hac etiam altera Editione statuentem, *ima-* 108 *ginarias* esse *quorumdam antiquorum valvulas colli, & cervicis cavum in cysti fellea occupantes*, nulla alia propria, 974 nisi *una, aut altera*, ut fateris, *observatione* in re ejusmodi *innixum esse, in quibus scilicet illud facile contigerat, — vesicæ fellis digito vel leviter pressæ, bilis a cysti in choledochum seu cysticum ductum liberum sursum ac deorsum effluvium*. Nam ut tibi semel, aut iterum id contigisset; æquum fuerat existimare, multo sæpius Adriano Spigelio (6) contra accidisse, alioqui non sic præcepturo: *Has valvulas si videre cupias, expressam ex vesicula bilem in meatum digitis reprime. nam circa Valvulas immobilem consistere advertes.*

Sed nihil adeo possum mirari, quin magis in eo te, Vir. Cl. probem, ac laudem, quod Valvulas a te tandiu pro *imaginariis* habitas, ac semel, atque iterum publice impugnatas, hoc tandem in loco ingenue agnoscas. Usum quoque laudo quem iisdem adscribendum esse putas, nempe ut his obicibus, *bilis* 971 *neque tam libere, rapideque a biliario puro in cystim descendat; neque tam facile, subitoque a cysti in hepaticum, atque choledochum erumpat*. Quo in usu magnum te in parte Auctorem habere animadverti, Jo. Riolanum (7).

Hic enim scripsit quidem: *intra cysticum ramum bilarium juxta corpus Vesiculæ, valvulas contineri: — esse potius rugositates, quæ bilis semel elapsæ refluxum impediunt*; at supra, facere eadem, scripserat, Highmorus (8) adstipulante, *ne tam facilis & lubricus esset descensus bilis:* itemque alibi (9), ut *festinum bilis prolapsum utcumque sistant & moderentur*: atque ut bilis *per angustiorem meatum sensim exstillet, & vacuetur*.

54 Verum ut te impugnatus Valvulas candide agnoscentem laudo, sic non minus probo alia ingenue *retractantem*. Cum enim supra id quod in prima Editione posueras, in hac quoque his 104 verbis confirmasses: *Quod vertum est; Nos in cujuscumque generis animalium cysti fellea non nisi ad cervicis finem, & colli principium angustiam quandam ab*

(1) Tab. ad Epist. Probl. V. Fig. 3. (2) Eph. N. C. Cent. VI. Obs. 28.
(3) Ibid. (4) De poris cholid. c. 5.
(5) Theatr. Anat. l. 1. c. 45. & Tab. 38. Fig. 1. (6) De hum. corp. fabr. l. 8. c. 13.
(7) Antrop. l. 2. c. 22. (8) Corp. hum. Disq. l. 1. P. 3. c. 2.
(9) Animadv. in Laur. c. 20. l. 6.

Digitized by Google

ab annulo muſculari obvoluto productam vidimus; in quo concurrimus cum cl.
972 *Gliſſonio*; nihilominus hic, fateris, te *reſpectu ad muſcularem hanc faſciam, ſeu ſphincterem folliculo proprium, ea ipſa moderari, imo retractare, quæ* ibi ſcripſeras *Gliſſonii authoritati non parum fidens &c.* Fortaſſe tamen *retractationem* iſtam tuam aliquanto magis contrahere potuiſſes, ibique præſertim ubi nimis, niſi fallor, univerſe ſcribis: *ad initia Canalis cyſtici nullum eſſe interſertum ſpecialem annulum, muſcularem, aut diſtincte membranaceum, vel interius a canalis ſuperficie, inſtar pylori; circumquaque eminentem, ſumus nunc adeo poſt innumeras obſervationes certiores redditi.* Cum enim memoria tenerem, me in quibuſdam certe Veſiculis quâ cervix in Cyſticum ductum ſe contrahit, *ſpecialem annulum membranaceum interius* vidiſſe *inſtar pylori circumquaque eminentem*; de hoc etiam in iis quinque quas nuper a me inciſas eſſe dixi, Veſiculis quærendum exiſtimavi. Vidi autem in quatuor ſaltem, interiores ſummæ cervicis tunicas ſic ibidem introrſus, & ſurſum verſus duplicari, ut inſignem quandam valvulam infimam omnium efficerent, circumcirca extantem, atque ita ad ſuperiora converſam, ut ingreſſuro potius, quam egreſſuro, appreſſo ad latera, ſpecillo obſiſteret.

55 Hæc dum quærerem, in nonnullis ſaltem animadverti, Cyſtis rete jam ad colli ſummum minus extare, quam infra: id quod a te quoque adnotatum
975 eſt. Verum ut hoc libenter confirmo; ſic illud vellem probare poſſe quod
976 de his Cyſtis retibus in univerſum ſubjicis: *ad lentam ſtabulantem bilem forte quaſſandam, ſuoque modo a concretione inhibendam facere, non improbabile a te duci ſi validus ventriculorum cordis reticulatas aſperitates ad attenuandum, atque in inſitis ramoſis particulis veluti diſcerpendum trajicientem ſanguinem, multam præſtare operam cogites.* Quid enim, te obſecro, ſimile? Craſſiſſimus cordis, & validiſſimus muſculus alternis jugiter parietes contra adverſos parietes urgens, & Veſicula, *ad* quam *vix quidpiam muſcularis naturæ percipi*, te ipſum *tradidiſſe*, in proxima pagina fateris, & *potius muſcularia* 977
extare rudimenta, confirmas; Veſicula, iuquam, illa, in qua ſtatuiſti *ex nullæ contractionis naturalis exiſtentia, & im-* 197
poſſibilitatem ſuperaddita per vim propriam contractionis. Huc retia adde ex vel *majoribus illis valvularibus extantiis per ductum cyſticum, & interdum communem, atque biliarium porum diſſeminatis*, quibus tamen in ductibus ſic *lenta* non *ſtabulatur* bilis.

56 De Glandulis autem tum Cyſtis, tum eorum Ductuum illud a te veriſſime ſcriptum eſt, *in aliis* quidem *puſillas adeo* eſſe, *& immerſas, ut quacumque ut plurimum induſtria utentis viſum adhuc effugiant*: quod tamen num ideo in Cyſtico hujus II. Figuræ meatu accidat, quod *crebrioribus valvuloſis complexibus forte admodum obſcurentur*, ipſe videris, qui in I. Figuræ Cyſtico ductu, crebrioribus craſſis retibus magis impedito, eas glandulas luculente delineaſti. Verum utcunque hoc eſt; ejuſmodi glandulas crediderim te artificio aliquo anatomico retegere conſueviſſe. Nam cum Veſiculas quatuor diſſectas proponas; in omnibus, vel in Veſiculis ipſis, vel in Ductibus ejuſmodi glandulas demonſtras, quas ego quidem nullo, niſi oculorum, & cultri auxilio, uſus vix in ullis aut Veſiculis, aut Ductibus vidiſſe memini. Quinetiam Malpighius (1), qui *poſt diutinos labores* ejuſdemmodi glandulas in *ſuilla, & ovilla* Cyſti deprehendit, non modo de humana, qua de hic agimus, ſiluit, ſed ne in earum quidem animantium *poro biliario* ex obſervatione, ſed ex conjectura poſuit. Ruyſchius (2) autem Anatomicus Diligentiſſimus in homine quidem oſtendit, ſed cum minores, rariores, minuſque luculentas atque extantes quam tu, Vir cl. repræſentavit, tum inſuper monuit, *aliquanto majores a ſe eſſe delineatas, ut melius conſpici poſſint; præterea in omni ve-*

(1) De Lien. c. 6. (2) Ad Epiſt. Probl. V.

Digitized by Google

veſicula humana non æque diſtincte conſpici; quam quidem in ſuilla, aut bovina. Quid? quod Præſtantiſſimus Heiſterus (1) ſe *in veſicula fellis boum ſæpius parvas glandulas flavas, cerumino-ſis in meatu auditorio haud abſimiles, vidiſſe*, teſtatur; *In humana vero quandoque tantum videre potuiſſe. Vide*, inquit, *Ephem. Nat. Curioſ. Cent. V. & VI. pag.* 243. *Tab. VI. fig. I. & II.* ubi tamen in una, neque ea tota, Ve-
205 ſicula, imo potius in parva ejus Appendice, quam tu quoque *in rariorum cenſum arrogandam eſſe*, non dubitas, *plura* quidem oſtendit *corpuſcula glandulis ſimilia*, ſed Ruyſchianis, atque adeo tuis fere omnibus tanto majora, ut veri ſimile ſit, dilatata fuiſſe ac diſtenta; quæ *exiguis foraminulis in cavitatem hiantibus prædita* erant.

Denique ante hos duos annos, Eruditiſſimus idemque Exercitatiſſimus Santorinus (2) cum Cyſtis glandulas *a plurimis nullo detegi vel optico auxilio*, animadvertiſſet; ad has confirmandas, non quomodo ab omnibus in Cyſti ſecundum naturam ſe habente conſpici poſſent, ſed quomodo ipſe in quadam *turgente nimium*, obſtructaque Veſicula conſpexiſſet, edocuit nimirum ſe, & qui aderant, in ea *probe purgata Cyſti aliquot potiſſimum ſub interiore membrana conditas lenticulares glandulas luculenter* vidiſſe, quarum cum *diſpar eſſet moles, maxima quæ fundo inerat, lenticulam pene æquabat; ex harumque ſingulis, in quibus conſpicuum oſculum erat, non difficile fuiſſe id exprimere quod continebatur, bili prorſus ſimile, ex quo maxime pellucente, & glandulæ figura, & magnitudo internoſcebatur, eo prorſus modo ac in plurimis diſjectis inteſtinorum glandulis evenit.* Ego vero, qui neque glandulas, neque certa & vera foramina videre potui in illa amplificata Veſicula, dilatatiſque bilariis ductibus de quibus ſupra commemoravi; nuper cum id minus ſperarem, nonnulla, huc maxime, ut puto, ſpectantia, vidi in Veſicula alterius Senis, cujus viſceribus quibuſdam ad hanc publicam Anatomen uſus ſum. Illa igitur, quæ ſuo cum jecinore, bilariiſque meatibus ſana, & recte conſtituta apparuit ſive extra, ſive intus examinaretur; quinque, aut ſex foramina mihi præbuit obſervanda, quæ per faciem ipſius intimam tam ab ea parte qua hepati adhærebat, quam ab oppoſita, omnia a medio deorſum diſjecta erant. Singula erant tum circuli figura, tum atro colore conſpicua quem ſubniger annulus cingebat, ut lenticulares glandulas repræſentarent atra quadam materia plenas, in ambitu translucente, per foramen autem ſe ſe manifeſto oſtendente. Cum ſpecillum, quod foramina admittebant, tenue illud quidem, ſed non tenuiſſimum, facile indidiſſem ſingulis, non humorem, ſed ſolidum ſubeſſe corpuſculum, ſenſi; erat autem ater calculus: quo educto, liberum ſpecilio fuit intra cellulam qua is continebatur, quoquoverſum in gyrum agi. Singulæ cellulæ, non perexiguæ, membranei inſtar ſubrotundi folliculi erant, inter Cyſtis tunicas locati: quibuſcum cellulis an ulla ex annexo adhuc hepate bilaria vaſcula communicarent, cum ſumma adhibita diligentia quæſitum eſſet, non a me modo, aut ab Nicolao Mediavia Philoſ. & Medicinæ Doctore cujus egregia opera jam aliquot annos in publicis utor diſſectionibus, verum etiam ab Experientiſſimo, qui forte aderat, collega meo Vulpio (ſum enim ſolitus in controverſis præſertim rebus obſervandis, meis ipſe oculis diffidere, & eos quos mecum magis habeam exercitatos, ut ipſi quoque obſervent, rogare) cum, inquam, id ab omnibus eſſet quæſitum; nihil ejuſmodi inventum eſt. Id autem ideo quæſivi, & quæri volui, quod mihi ſuſpicio inciderat, ejuſmodi cellulas humore farctas atque diſtentas poſſe fortaſſis ita extare aliquando, ut carunculas, a te eodem in loco in V. Tabula delineatas mentiantur. Veri autem ſimillimum cenſeo, has cellulas fuiſſe quaſdam ex cyſticis glandulis a ſubſiſtente ob additum fortaſſe len-

Morg. Epiſt. Anat. I. F

(1) Comp. Anat. n. 391. (2) Obſ. Anat. c. 9. n. XI.

Digitized by Google

lemodem ea quam fecernunt, materia, in calculumque concreta ad eum modum dilatatas: quam quidem materiem bilem esse quandam, id ipsum videtur indicare quod in ejusmodi nigros calculos, ut bilis haud raro solet, concreverat. Nam quod vereri aliquis posset, ne se bilis ex Vesicula per cellularum foramina illuc conjeciisset, minus in hac nostra observatione credibile est, cum in ea Cysti nec ejusmodi bilem, neque ullos calculos invenerimus. Utcunque id est; sicut has cellulas fuisse cysticas dilatatas glandulas, credo; ita hinc potes intelligere, me eas quidem glandulas secundum naturam in Cysti esse, & continuatis etiam non ita absimili structura Ductibus, existimare; sed adeo parvas, ut per se, nullo adhibito artificio, multo rarius conspiciendas se præbeant, quam tuæ istæ omnes Figuræ videntur significare.

57 Quod quidem artificium si in ulla, certe in Figura III. generatim saltem a te fuisse commemorandum, censeo, aut illud sane non omittendum, ut Lectores moneres, haud semper ita res inveniri, & ostendi posse, ut a te istic proponuntur. Nam ut Cystis tunicarum numerum prætermittam, quem, ut quisque aut cultro indulget, aut contra timet, ne lacerare magis, quam separare videatur, ita augere facile possit, aut imminuere; illud mihi per anatomen compertum est, istam alteram tunicam *vasculosam* non semper saltem ita inveniri, ut *cumulatissimam*, quam pingis, *elegantissimamque sanguineorum vasorum sylvam undequaque sustentet*, sed ne subjectam quidem tertiam, quam vocas *glandulosam*, istis pariter haud inelegantibus *plurimis sanguiducorum vasculorum plexibus* ita *instratam*.

Verum ut hæc etiam omnia sileam, & de prima, ac tertia tunica illa dumtaxat de quibus a te plura verba fiunt, attendam; *muscularis fibras*, quas tamen *potius muscularia rudimenta* mox vocas, *diligenti anatomico cultro ab extima, cui incumbunt, & annectuntur, tunica non difficile solvi, ac separari*, doces. Nimirum in fellea illud iteras quod in urinaria Vesica, me vix credente, atque adeo dissentiente, indicaveras (1), exteriorem ipsam tunicam *plano ulterius obtegi musculari*. Imo; quantum intelligo, proximas aliquot paginas cursim hic illic inspiciendo; ita in ea adhuc es opinione, ut me potius in eo in quo a te dissensi, loco (2) in multos, gravesque errores prolapsum esse, non dubites.

58 Ego vero te longe aliter sensurum existimo, si iterum, sed magis quieto animo, quæ ibi scripsi, & quo spectent singula, reputaveris, ac præsertim si, quod rei caput est, Vesicæ urinariæ examen, omni præjudicata opinione paulisper sepositā, institueris. Quod si feceris; primus ipse pro veri studio tolles de medio illud, Anatomicis inauditum, discrimen quod inter ventriculum, aut intestina, & urinariam Vesicam excogitasti, ut muscularis tunica in illis sit *extima revera intimaque tunicæ intermedia*, sive (quod eodem recidit) in ventriculo quidem & intestinis *peritonæum ipsum extimum* 984 *sit*; sed non in Vesica, quippe in qua tantum abest ut musculare planum intermedium agnoscas, ipsam *externam tunicam propaginem peritonæi, musculari plano obtectam* scribis. Nam quid, te obsecro, causæ est, quod in ejusdem Vesicæ anatome mihi, & cæteris supra extimam membranam fibræ illæ musculares occurrant nusquam; imo sæpe ne illa quidem sublata, omnino, & undequaque in conspectum veniant, adipe videlicet hic illic intercedente, cujus causa Gravis Anatomicus Heisterus (3) *in vesica humana tunicam cellulosam statui posse credit*, nimirum *quia manifesto inter extimam & musculorum tunicam plerumque, si non semper, pinguedo, eaque sæpe copiosa, ibidem reperitur, in peculiaribus cellulis adiposis secreta, collecta atque asservata*. Igitur externa, imo etiam secundum Heisteri rationem altera quæ externæ subjicitur, de-

(1) Theatr. Anatom. Manget. Tom. I. pag. 416. (2) Adv. III. pag. 76.
(3) Comp. Anat. Not. 13.

Digitized by Google

detracta tunica; tum demum nobis sub hac altera conspicuum prorsus fit illud *musculare*, ut vocas, *planum*, quo tu, Vir cl. ipsam extimam *obtegi tunicam*, contendis. Necesse ergo est, ut istud non minus in Vesica, quam in ventriculo, & intestinis locum teneat intermedium. Si hoc autem necesse est; tu videris, quonam modo tuum istud tuearis discrimen, & *quo pacto probes*, — *a nemine negari ullo modo posse, urinariam vesicam solum extrinsecus rubere, interius vero, & præsertim in media ejus tunica insigniter albescere*; ut alia præteream quæ tibi minus fortasse attendenti istic crediderim excidisse. Nam quod in ista pariter media sede fibras ego locari scripsi æmulantes fibras trium fasciolarum Coli intestini, cum id, ut testatus sum, *conferendo perspexi*, nec unus sane perspexi; tum in meis ad Posthuma Cel. Valsalvæ, Scripta Adnotationibus quidquid & eo tempore, & insequentibus annis de iisdem rebus observavi, jam pridem candide in utramque partem ad eum modum expositum est, ut facile omnibus futurum sit intelligere, an præstet Virum Summum, & de utroque nostrum egregie meritum Lancisium (1) sequi, cujus judicio apud nostrates, Coli *musculares fasciæ* appellari cœptæ sunt, an tecum potius *communi, consultoque*, ut tu ais, *nomine uti debeamus Ligamentorum intestini coli* propterea, quia illarum fibræ *tum leves, & candidissimæ sint, tum nulla fabrica, usuve musculari sint præditæ*: quod ut te alibi esse explanaturum promittis, sic nos ibi satis superque examinavisse, patebit.

59 Nunc enim quando in media Vesicæ tunica tu nullum alium, nisi *insigniter albescentem* colorem agnoscis, & ne *subalbidum* quidem fers, quem tamen negare in parte nemo potest, & qui primi eam tunicam diligentius inspexere, diserte memorarunt; quid dices, si *subalbido* eo colore non contentus, rubentem quoque in eadem tunica, quibusdam præsertim in cadaveribus, & conspectum esse, & conspici, affirmem? Nam quid sibi aliud tandem volebat aut Adrianus Spigelius (2), cum illam tunicam esse scripsit *nonnihil fibris carneis conspersam, quæ se se egregiæ, facta aliqua sanguinis affusione, in conspectum proferunt*, aut Caspar Bauhinus (3) cum easdem docuit *nonnunquam ex sanguinis affluxu ita fieri conspicuas, ut membranam carnosam diceres*, aut ante eorum utrumque Archangelus Piccolhominus (4), quem ab ipsis laudari auctorem par erat, cum de exteriore propria Vesicæ tunica, hoc est de illa de qua hic loquimur, media, *sub communi a peritonæo deducta*, invenienda hæc literis mandavit: *exterior paulo crassior, & fibris carnosis tota conspersa. Quæ tametsi rubrum vividum carnis calorem non promant, quia inter membranas candidas conserta, albicare nituntur, tamen carnosæ sunt, & cum sanguinis appulsu & confluxione increverint, colorem vere rubrum expromunt. Quinetiam uberiore sanguinis in vesicam confluxu, interdum ita grandescunt, & conspicuæ fiunt, ut totam illam exteriorem membranam, quasi membranam carnosam diceres. Vidi equidem superioribus annis puellam, undecim annos natam, cujus vesica ob exesionem, & acrimoniam humorum spoliata erat interiore tunica: Exterioris vero fibræ carnosæ, adeo erant inflammatione vexatæ, ut totam eam carnosam judicares.* Sed hæc, inquies, constitutio morbosa erat. Fateor. Illud tamen primum dico, sanguinis appulsum illum quem sine inflammatione Archangelus memorat, fere idem videri quod in hanc ipsam rem nostram Bohnius (5) indicavit, scribens, *præprimis si cum stagnatione sanguinis animal perierit*, atque adeo cum illo sanguinis appulsu comparandum, quem Anatomici ad melius perspiciendos examinandosque nonnullos musculos quærunt, ex iis, exempli causa,

(1) Ad Eustach. Tab. x. Fig. 2.
(2) De hum. corp. fabr l. 4. c. 12.
(3) Theatr. Anat. l. 1. c. 31.
(4) Anat. Prælect. l. 2. Lect. 24.
(5) Circ. Anat. Prog. 14.

Digitized by Google

ſa, qui ad oſſicula auris pertinent: quem certe ob appulſum, muſculi naturam manifeſtari potius quam fingi, exiſtimamus. Deinde ajo: ut ejuſmodi conſtitutio qualis in puella fuit, in parte, alia ſit ac quæ ſecundum naturam deprehenditur; maxime tamen ipſa erudiri Anatomicum, aptioremque fieri ad eorum plura in cæteris Veſicis quærenda, & melius dignoſcenda quæ ſpectant ad fibras earum muſculoſas. Sic ego etſi ſæpe alias, ut mox apparebit, in harum examine verſatus fueram; numquam tamen rem melius intelligere viſus ſum quam in accurata anatome viri apoplectici qui urinariis morbis obnoxius vixerat.

6o Cum enim extimam Veſicæ tunicam; in qua nullæ carneæ erant fibræ; eique adhærentes magna copia adipoſas cellulas facile abſtuliſſem muſculus in conſpectum venit in tunicam conformatus, muſculus, inquam; nam quo alio appellem nomine firmum, craſſum, rubicundum ſtratum ex firmis, craſſis, rubicundis compactum fibris? Eo detracto, ſubalbidi, & in retis fere modum impliciti alii fibrarum faſces, & intima, quam nervoſam vocant, ſucceſſit tunica. Media igitur inter extimam, atque intimam illa erat tunica muſculoſa: cujus fibræ eadem qua circum veſicam craſſitudine, rubedine, directione ſuper faciem, anticam præſertim, glandulæ Proſtatæ pergebant, ut ibi quidem hæc glandula vero, ac longe evidentiſſimo obducta muſculo dici poſſet. Verum hæc, atque alia fuſius alibi perſequemur. Nunc quæ ad Veſicam dumtaxat pertinent, exponamus. Erat ejus tunica muſculoſa anterius craſſior, quam poſterius, ex fibris autem ubique facta ſecundum longitudinem poſitis, ut nullam ne ad infimam quidem cervicem ſatis perſpicere potuerim quæ curva eſſet, aut in tranſverſum ferretur. Non tamen propterea continuo adſtipulabor Viro alioqui, dum viveret, Diligentiſſimo Johanni Bohnio (1). Nam quod hic ſcripſit: *unicum tantum, eumque longitudinalium, licet cernere hujus tunicæ fibrarum ordinem, reliquos fictos crederem;* ſic quidem ingenuo, & Celeberrimo Scriptori viſum haud dubito; mihi tamen tum aliorum Præſtantium Hominum, tum meæ obſervationes aliquanto aliter oſtenderunt; ut verear, ne nimia in illa, a me deſcripta, Veſica muſcularium fibrarum conſtipatio nonnulla obſcurarit, quæ in aliis vidi, ut eadem certe, intenſuſque rubor quædam vicißim illuſtrarunt, quæ in aliis perſpicere ſatis non potui. Nam vidi nonnumquam in Veſicæ antica, & poſtica facie fibras per medium recta primum ferri ſecundum Veſicæ longitudinem. Sed vix ullæ apparebant quæ hanc totam emenſæ, ſummum Veſicæ fundum attingerent. Pleræque enim, aliæ non multo, aliæ majore a Proſtata glandula intervallo hinc, & hinc ad latera curvabantur, nec quid deinde his accideret, nec quæ rectis aliæ in medio ſubeſſent, erat manifeſtum. Nam ſive cultro, ſive unguibus adniterere; nil proficiebas, imo rem magis obſcurabas. Sin oculis dumtaxat fideres; nihil præterea perſpiciebas: tantum ad imam cervicem plures quam alibi, fibræ eſſe videbantur; ſed qua directione, non apparebat. Contra alias fuit cum fibras pleraſque recta ſummum petere, & aſſequi perſpicerem, unde in oppoſitam faciem ſe demittebant. Quaſdam propter imam cervicem videre viſus ſum in modum arcuum, cornua ſurſum convertentium. Verum alias viciſſim nihil tale videre potui; ſed fibras ibi potius tranſverſas, ut alias videram, eaſque plures. Rectæ autem, quæ per poſteriorem Veſicæ faciem occurrebant paucæ, minuſque diſtinctæ, ſatis multæ erant in anteriore, quas ubi divellerem, earum aliquas in ſubjectas tranſverſas inflecti, & degenerare, intelligebam. Has omnes fibras, quarum poſitum, quantum ad hoc tempus obſervare licuit, ſignificavi, ſub detracta, cum pinguedine, extima tunica deprehendi, & muſculoſi generis eſſe,

(1) Ibid.

Digitized by Google

esse, cognovi, quanquam non ita rubicundo, sed pallido colore apparebant.

Quoniam autem has fere omnes observationes in Vesicis habui, ut par est, aere distentis, nonnunquam etiam post id siccatis; ut ea semper figura essent quam plenæ lotio obtinuerant; quædam mihi contigit animadvertere ad eandem figuram, & Vesicæ Sphincterem musculum pertinentia, quæ ubi adscripsero, protinus ad illam a qua tecum digressus sum, Vesicam fellis redibo.

61 Vesicæ urinariæ rotundam, imo inversi pyri figuram assignari passim, ex Anatomicorum descriptionibus, & Iconismis notius est, quam ut hic a me inculcari oporteat. Mihi tamen inflatas, quales Anatomici pingunt, Vesicas accuratius inspicienti, præsertim vero quinque, aut sex quas continenter e cadaveribus extraxi virorum, mulierumve urinæ vitiis minime laborantium, imo nonnullorum etiam qui dum saniissimi viderentur, vulneribus, aut apoplexia repente occubuerant, contigit non sine admiratione longe aliam figuram spectare. Nam siqua erat pyri similitudo, non inversi illa erat, sed basi innixi; ut inferior Vesicæ pars fere media, nedum superiore, latior esset, ac inversi potius, ut vulgo loquuntur, cordis quam pyri imaginem tota Vesica repræsentaret. Ac sane cordis in eo quoque similior erat, quod neque tam longa, quam delineare plerunque solent, pro latitudine apparebat, & satis amplior a fronte inspecta, quam a lateribus, inveniebatur. Glandula autem Prostata cum imo Vesicæ orificio, non Vesicæ basis centro subjiciebatur; sed ita erat in medio quidem, verum anticæ faciei magis subjecta, quam posticæ, ut cum Vesica a fronte vel ad basim ipsam spectata, non ultra Prostatæ anteriorem faciem prominеret, contra a tergo ultra ejus glandulæ posteriora ad tres nonnunquam, aut quatuor transversos digitos protuberaret, hujusque protuberantiæ, atque aueo Vesicæ ipsius posticæ basi annexæ vesiculæ seminales totæ subessent. Erat autem intra Vesicam eadem basis; hoc est Vesicæ ipsius cervix, instar plani ad imum orificium versus leniter declivis, non in angusti, oblongique coni modum extenuata, circum quem possimus musculi Sphincteris fibras circumductas esse, intelligere. Quamobrem etsi plures ad cervicem musculosas fibras perspexi, velut antea dictum est; non tamen video qui possint in distenta præsertim Vesica orificium a quo pleræque earum sic distant, contractum servare; ut id muneris iis tantum quæ orificium proxime cingunt, ideoque non multis sane fibris adscribendum videatur. Sed hæc, atque alia ad hæc pertinentia posteaquam cum multo pluribus tum cadaveribus, tum Scriptis Anatomicorum collata fuerint, a me fusius alibi fortasse exponentur.

62 Nunc ad fellis Vesiculam, exterioremque ipsius tunicam rediens, caute illud abs te, Vir cl. factum censeo quod nullas in *extima* Vesiculæ, hoc 982
est exterioris ejus tunicæ *facie* fibras carneas delineaveris. Quod autem scribis, *in obesioribus tandem* tunicam *adiposis* 997
acervulis, hinc inde obtegi; mihi quidem, contra videntur adiposi acervuli hac tunica obtegi, *exteriore, seu communi dicta*. Sane Verheyenius (1) quoque adnotat, *communi immediate subjectam* tunicam quæ utrique vestrum est *vasculosa, in obesis continere multum pinguedinis, parvoque labore in diversas lamellas separari;* ut permirum mihi videatur, neminem adhuc, quod sciam, extitisse qui cellulosam tunicam, ut alibi, & nominatim in intestinis, vesicaque urinaria, sic in fellea Vesica sub communi tunica statueret, aliarumque numero superadderet, præsertim cum non modo in habitioribus fœminis sæpe pinguedinem viderim ubique, aut fere ubique sub extima Cystis tunica collectam, aut in obeso, neque tamen plurimum, viro multam ibi crassamque pinguedinem maxima ex parte circumfusam, verum in aliis etiam, carnosis quidem, sed non pinguibus, viris ibidem satis, siquis attenderet, conspicuam non

(1) Anat. corp. hum. l. 1. tr. 2. c. 17.

Digitized by Google

non uno in loco deprehenderim. Igitur hujuſmodi tunicam celluloſam facile agnoſco eodem hic poſſe, quo in urinaria veſica, jure conſtimi, potiore autem, quam in tenuibus inteſtinis, ſi ſub horum communi tunica ſecundum Cl. ac Solertiſſimi Albini (1) obſervationes, certos dumtaxat ad tractus ſtatui debet, quod & in ventriculo fortaſſe locum habere, ſuſpicor, cum in obeſis præſertim, celluloſam, pinguedinis plenam, ſubſtantiam ejus vaſa video quadantenus, ſub extima tunica, comitantem. Verum utcunque hoc eſt; cellulas quidem, atque pinguedinem ſub communi utriuſque Veſicæ tunica nullo negotio demonſtrari poſſe, conſtat; Glandulas autem ſub intima utriuſque tunica poſſe pariter oſtendi, non liquet.

63 Neque hoc eo dico quod glandulas negem iis ineſſe, aut ſub intima ineſſe tunica. Tibi enim, mihi, aliiſque credo qui hæc viderunt. Nam quod ad felleæ Cyſtis attinet glandulas; ubi eas ego, & Cl. Santorinus perſpexerimus, ſatis ſupra indicatum eſt. Neque aliter ſenſiſſe videtur Malpighius (2), cum glandulas ejuſdemamodi in poro bilario, quem *veluti coarctatam, & ramificatam veſicam* ſpectabat, *ſub ipſius tunica* quærendas eſſe, indicavit. Quod ſi alii in tunica interna locavere; non tamen continuo neceſſe eſt, ut eos omnes erraviſſe, credamus, cum videlicet uno ejus tunicæ nomine plures fortaſſe lamellas compreheuderint, quas ſingulas tunicarum vocabulo non dignarentur. Idemque pariter de his ajo qui in Veſicæ urinariæ interna tunica, tot in laminas a Borrichio (3) diviſa, glandulas conſtituerint: quas tamen Bidlous (4) diſerte in tertia ſtatuerat tunica, cui deinde *villoſum adhærere tegmen*, hoc eſt, intimam membranam, docuit; ut mallem, a te minus univerſe ſcriptum (5), in tunica intima illas non eſſe, *ut hucuſque putatum*. Cum igitur in utriuſque Veſicæ glandulis, harumque ſedibus agnoſcendis inter nos conveniat; quid jam eſt in quo diſcrepemus? Magnitudo nimirum, propter quam paſſim obviæ ſint ac manifeſtæ. Tu enim illas eſſe affirmas (6) in Veſica urinaria *patenter obvias*. At Amicus alter meus Experientiſſimus Heiſterus (7), etſi id a te pronunciatum ſciebat, ſcripſit tamen, *maxime prope collum, attamen raro conſpicuas eſſe*. Ego vero ſemel iis qui mihi ſecanti aderant, firma, albida, ſubrotunda, disjecta granula oſtendi; alias autem ejuſdem figuræ veſiculas, magnitudine inæquales, ſed omnes parvulas, & ex fuſco ſubflavas, quæ illo expreſſo quo diſtendebantur, humore, evaneſcebant: hæ ſub tenui intima Veſicæ lamella conſitæ erant. Verum neque illorum granulorum, neque harum veſicularum ulla oſcula videre potui, neque aliquid iſtiuſmodi alio in loco, quam in cervice, neque in aliis demum Veſicis præter illas, quæ certe ſecundum naturam non prorſus ſe habebant; intus enim vel rubebant, vel erodi etiam alicubi cœperant. In Veſicis autem recte ſe habentibus fruſtra omnino oculorum aciem intendi, ſi forte ullas conſpicerem glandulas; fruſtra etiam nonnumquam, dum intimam tunicam ſeparrem, an huic ſubeſſent, in illiſve quas memoras, *areolis* conſitæ eſſent, quæ- 987
ſivi. Itaque nihil præter rationem facere mihi videor, cum hinc non jam illud infero, eas glandulas nullas eſſe, neque ipſis, ut tibi videor, *indicere bellum intendo*; ſed hoc unum infero, non ea eſſe magnitudine, ut paſſim, ac manifeſto ſe ſe offerant, ſive ut *patenter obviæ* ſint. Neque magis indico bellum Veſicæ bilariæ glandulis; velut ex iis quæ ſupra ſcripta ſunt, conſtat. Hoc tamen miror, tibi adeo eſſe patentes, ut earum nonnullas vel per tunicam ſecundam, ſeu vaſculoſam tranſpicias, quantum ex Figura hac III. mihi videor intelligere, cum litteris

B,

(1) Vid. Act. Lipſ. A. 1725. M. Sept. (2) De Liene c. 6.
(3) Vid. Bartholin. Anat. quart. ren. l. 7. c. 20. (4) Anat. hum. corp. Tab. 44 Fig. 2.
(5) Mangeti Theatr. Anat. Tom. I. pag. 416. (6) Ibid.
(7) Comp. Anat. n. 391.

Digitized by Google

B, & E interjectum ejus tunicæ tractum diligenter inspecto: contra ausem mihi in iis quarum tunicas accuratius separavi, Vesiculis nondum ne unam quidem ulla in tunica ejusmodi glandulam se se obtuliſſe, sed aereas tantum, id quod manifesto deprehendi, spumosas bullulas, istiusmodi glandularum corpuscula mentientes. Quod reliquum est; 979 sane gaudeo, te meis *Adversariis*, quasi sinceris quibusdam monitoribus, hic, atque alibi usum, tandem induxisse animum ad illa tuæ *Hepaticæ Historiæ* addenda quæ ad ipsius complementum pertinere videbantur; at magis gauderem, si quemadmodum Cystis, ita biliariorum quoque Ductuum tunicas singulas, harumque descriptiones aut figillatim adjecisses, aut quæ esse possent, hic generatim indicasses, aut saltem minime prætermisisses quid de iis quas alii vel ante hos totos tres & triginta annos proposuerunt, habendum esset. Hæc omnia cum ad *Historiam* pertinebant tuam *numeris tandem omnibus absolutam*; tum longe minus erant in vulgus nota, quam *in intermedia* mesenterii *tunica*, *seu cellulosa*, ejus *glandulas sitas esse*, quod tu hic nobis *autopsia satis edoctus confirmas*.

64 De Figura IV. qua Salamandræ cujusdam nonnulla viscera repræsentas, crederem me fortasse aliqua posse adjicere, si vel ejus bestiolæ mihi in præ- 990 sentia copia esset, vel quorum tandem *errorem longe, luteque patentem* redderes, in *hujusmodi*, opinor, *insecti* (sic enim vocas) anatome, intelligerem. Sed quoniam neque in Joh. Pauli Wurfbainii *Salamandrologia*, neque alibi quidquam inveniſſe memini quod istiusmodi controversiæ ansam daret; totam eam rem mitto, ut illud quoque, an Salamandra, quod Eruditus ille Auctor (1) negat, recte vocari *insectum* possit. Ad humanam ergo anatomen redeamus; vel si de brutis animantibus sermo a nobis habendus est; non Salamandræ, cujus de viscеribus nulla mihi dubitatio fuit, sed Viperæ de qua fuit; jecur, & ventriculus quo se modo habeant, videamus. Affirmaveras, *In Vipera* --- 123 *hepar* esse *non tantum supra, & circa ventriculum protensum, sed usque ad duodenum; ad ultimam scilicet chilificationis opellam ibidem adjuvandam incubatu suo*. Ego vero qui si aliorum Tabulis, meique ipsius non recenti memoriæ omnino credere voluissem, oppositum affirmare potuissem; malui non minorem tibi, quam mihi, aliisque, fidem habere, & rem propterea in dubio relinquere. Itaque scripsi (2): id *num ita sit, dubito*. Verum emissis *Adversariis*, cum tempus rediisset habendis, secandisque Viperis opportunum, subiit quærere pro veri studio, quemadmodum res se haberet. Comperi igitur, me mea memoria non falli. Nam pluribus Viperis diligenter inspectis, nullam invenire potui in qua hæc tria non luculentissime observarem. Primum: jecur, ventriculum, & ingentem illam vesicam in quam degenerat pulmo, ut secundum Viperarum longitudinem natura sunt; ita esse in eum modum disposita, ut vesica aere distenta ventriculum ab jecore, hujusque *incubatu* diducere potius videatur, quam adducere. Alterum: etsi vesica ei rei minime officeret; hepar tamen ne totum quidem ventriculi unum latus stipare, imo quæ præcipua ventriculi pars videtur, hanc fere non attingere. Tertium: jecoris finem ab intestini duodeni initio non exiguo intervallo distare. Quæ duo postrema ut præclarius intelligantur; scire licet, ventriculum Viperarum solere formam referre duorum conorum qui inter se basibus juncti sint. Superior conus in quem imus œsophagus ipse expanditur; hujus structuræ similior est.

Inferior autem manifesto crassior est, ob intimam tunicam non modo in crebriores fere, altioresque rugas secundum longitudinem, complicatam, verum etiam crusta quadam instructam subflavi obsoleti coloris, ex plurimis, quod in supremo limbo præsertim apparet, minutis particulis compacta, ipsaque specie atque habitu glandulosa: quanquam præterea non semel vidi huc illuc per cru-

(1) c. 5. n. 4. (2) Adv. III. pag. 61.

Digitized by Google

cruſtam disjecta albida quædam, ovalia, aut ſubrotunda, ſed compreſſa, corpuſcula parvarum inſtar lenticularium glandularum, quorum ſemel nonnulla quidem in ſuperiore etiam cono animadverti, ſed qua inferiori vicinior erat, & perpauciſſima, cum in hoc longe plura conſpicerentur. Ejuſmodi autem cruſta ad hujus inferioris coni verticem non extenditur; ſed duorum fere tranſverſorum digitorum emenſo ſpatio, deſinit. Mox coni vertex non perficitur, ſed in tubum ſe ſe arctat cylindri forma, donec exiguo, ſed minima tamen ſæpe diligentia conſpiciendo annulo, ita poſito ut regreſſui magis quam egreſſui obſiſtat, ſeu pyloro, intercedente, ſuaque albida, compactaque facie in ſubrubentem, ac mollem converſa, aliquanto amplius inteſtinum fiat, in quod ſub ipſo annulo bilarius canalis influens bilem viridem importat. Eſt autem inter pylorum, & ſupremum deſcriptæ in ventriculo cruſtæ limbum intervallum tranſverſorum digitorum circiter trium, idemque fere eſt a pyloro ad finem jecoris intervallum. Jecur enim inſigni ſanguifero vaſe quaſi in duos ſecundum longitudinem diremptum lobos, qui ad finem extenuari ſolent, & alter altero paulo inferius extendi, vix aliquando extremam ac tenuem laciniam infra illum cruſtæ ſupremum limbum, neque tamen niſi ad exiguum tractum, demittit. Itaque cum jecur longitudine ſex fere æquet tranſverſos digitos; ſuperiore quidem parte quæ prope cor incipit, & deinceps reliqua quæ ut craſſior, ita ad *incubandum* aptior eſt, œſophágum; inferiore autem, quæ jam tenuior eſſe ſolet, eam ventriculi regionem quæ œſophagi ſimilior eſt; quantum pulmonaris veſica permittit; comitatur, & ſtipat; regionem autem ventriculi alteram, quæ, ut ex deſcriptione etiam intelligitur, potiſſima eſt, hanc, inquam, vel potius ſummam ejus dumtaxat partem vix tenui extrema laciniæ attingit, ſic ut propoſitum trium fere digitorum intervallum inter hepatis finem, & inteſtini duodeni initium ſervetur. Cum hæc omnia in pluribus illis quas eo tempore diligenter ſecui, Viperis ad hunc omnino modum ſe habuerint; non me tunc pœnituit quod aſſenſum ſuſtinuiſſem, te contrà docente, *heper* in Vipera *protenſum* eſſe *uſque ad duodenum: ad ultimam ſcilicet chilificationis opellam ibidem adjuvandam incubatu ſuo:* neque vero in præſentia pœnitet, quamvis tu dubitationi meæ opponas *tuam*, *omniumque* (ſic enim ais) *accuratiorum Anatomicorum autopſiam*, qua videlicet *ſuaderi luculenter poſſim*. Nam etſi omnes a me adhuc viſæ Anatomicorum Tabulæ non tibi; quod conſtat; ſed mihi adverſarentur; in re tamen quæ non dexteritatem, neque artificium, ſed oculos tantum requirit, me meis oculis non minus ſaltem quam veſtris, credere æquum eſſe, exiſtimarem. 1137

65 Poſtrema hujus VII. Tabulæ Figura, ut *extra ordinem* addita eſt, ſic oſtendit, quam præter expectationem tibi, Vir cl. acciderit aliquid intueri de illo genere quod tandiu Malpighii Aſſeclis negaviſti. Verum hoc in præſentia omitto quod tibi permirum viſum eſt. Illud ego viciſſim miror, te id rete intra ſuillum jecur pingentem, nuſquam in tot Iconiſmis delineaviſſe, nec, quod ſciam, in tam longo Opere memoraviſſe rete illud quod ultro, ac ſine ulla prorſus ſectione, nedum præparatione, in externa facie humani, & plerarumque beſtiarum jecinoris ſæpe vel luculentius obſervamus quam intra ipſum humanum, ſuillum, & aliarum animantium jecur, nulla pariter adhibita præparatione, ſpectemus. Sed de hoc fuſius alibi ſcripſimus.

66 Ad Tabulam denique veniamus VIII. in cujus Figura I. *Sinum Ductus hepatici* non ſecus proponis, atque indicas, ac ſi in omnibus cadaveribus iſta occurreret peculiaris dilatatio. Video quidem, a Gliſſonio (1) tranſverſam quandam in eo ductu amplitudinem pingi in quam rami omnes corrivantur. Sed neque perpetuæ hæc res ſunt, ut ſive inanes, ſive immiſſo aere diſtentos 1054

ductus

(1) Anat. Hep. c. 27.

Digitized by Google

ductus observando, comperi, & quibus sunt, eorum nunnullis an potius a bile majore copia congesta, & diutius sæpe restirante accidissent, quam ab ortu paratæ jam essent, dubitavi. In ramorum autem ejusdem Ductus numero, habitudine, finibus quantum ista vel a tuis reliquis Iconismis, te silente, discrepet delineatio, manifestius est, quam ut animadverti a me debeat. Verum si qua in re te, Vir cl. silere non oportebat; in iis certe non oportebat tot, tamque conspicuis *fasciculis musculoribus* quibus Glissonianam Capsulam *robuste instructam* repræsentas; neque enim ad istum modum perpetui magis occurrunt, quam adeo manifestæ Glandulæ in ipsa occurrant. Quod autem *Septum capsulare primum opinaris*
1055 *Cl. Bohnium observavisse*; opinio plane te fallit tua. Ejus enim quæ profers, verba: *vaginam crassiorem esse illa sui parte, qua portam, ac qua porum biliarum involvit; imo binis his vasis processus ejusdem involucri vices intermedii sepimenti præstare*, miror, te non vidisse fere secundum vulgatissimam Anatomiam Hepatis, Francisci Glissonii conscripta esse. In ea nimirum hæc legimus (1): *Capsula communis, ubi vas istud* biliarum *obtegit, minus, quam alibi crassa est; quippe pars ejus magna inter Portam, & vas isthoc intervenit*: & mox: *Præterea, toto vasis hujus tractu, capsula communis, prominentia quadam tereti, duraque extuberat*: & infra (2): *Cum Capsula ea sui parte, qua Portam tegit, crassior sit, quam illa qua ramos bilarios obducit, septuploque minimum latior reperiatur; cumque nonnulla ejus portio inter Portam & porum bilarium (præsertim in majoribus eorum ramis) manifeste intercedat; & cæt.* Sed ut id Septum Glissonio est restituendum; sic ipsam Capsulam; quanquam, ut a Glissonio diligentius descriptam, eoque nomine insignitam, Glissonianam Capsulam communi more nos quoque appellare consuevimus; aliis Inventoribus acceptam esse referendam, non ignoramus. Quamobrem tibi minime possumus adstipulari scribenti, eam *primum* 27
detexisse laudatum Virum Glissonium. Etsi enim ipse quoque id opinabatur, cum hæc verba (3) edidit A. 1654. *Mihi primum (nisi fallor) contigit, partem hanc detegere; cum ante duodecim annos, ex mandato Collegii Medicorum Londinensium, mihi publice prælegendi munus incumberet*; tamen; ut de Eustachio ex conjectura nil dicam; sane Joannes Walæus in altera *de motu chyli & cæt.* ad Bartholinum Epistola, scripta A. 1640. diserte hæc posuerat: *in ipso hepate, tot rami arteriæ cœliacæ sunt, quot sunt rami venæ portæ, & totidem quoque sunt rami ductus cholidochi, quæ omnia hactenus ab Anatomicis pro venis portæ habita sunt, quod COMMUNI TUNICÆ tria illa vasorum genera in hepate includantur*: quibus insuper Walæi verbis suspiciones illas meas de calculis a Columbo, & Cameniceno, haud in Portæ vena, sed in bilario ductu inventis confirmari maxime vides. Denique cum ais, *Concursum* Ductus *cystici, ac hepatici* esse *in hoc exemplari quasi ad angulum rectum*; id quidem omitto; nam tuam tibi Figuram adversari satis video, quæ a parte jecoris acutum, ab altera obtusum angulum quam luculentissime ostendit. Sed cum eundem illum *concursum* ibi delinees, ubi revera esse potuisse non videtur; obsecro te, ut diligenter, consideres num etiamsi ductus Hepatici Sinum *in naturalem sedem*, ex qua *diduxisti, atque elevavisti*, repositum intelligamus, ille tamen *concursus* eo non cadat, ut intra Capsulam delituisse, necesse fuerit.

67 Etsi tum veteres, tum recentiores Anatomici plures nobis totius venæ Portæ delineationes reliquerint; tamen tua quoque, Vir cl. industria probanda est, qui novam adhuc, eamque majorem in II. Figura insuper addere voluisti. Verum optandum fuerat, ut id aliquanto felicius præstares. Nam si nihil proportione est pulchrius, si contra nihil ad perturbandos Tirones aptius,

(1) Cit. cap. 27. (2) C. 28. (3) Ibid.

Digitized by Google

quam partium in una eademque Icone minime servata proportio; quid tanti fuit, ut *gastricas omnes venas adeo*
1065 *contraheres fuisque in extensionibus in hac Figura abbreviares, ut angustissimus hic admodum infra naturalem magnitudinem repræsentaretur ventriculus? ut repræsentati ventriculi sedem justo altiorem efficeres? ut truncum Portæ justo longiorem delineari curares?* Nimirum *ne subjectæ venæ occultarentur*, atque *ut vasa hepatis ventriculo superimposita distinctim ostenderentur*. Sed aut ego quidem plurimum fallor, aut potius quam usque adeo à proportione recederes, decebat idem in gastricis facere quod in tot aliis venis fecisti, ut nihil nisi fines ostenderes, vel si reliquum addere placebat, ut crassiorum dumtaxat trunculorum ductum, & sedem per lineas è punctis factas indicares; cætera autem, si velles, seorsum peculiari Icone persequereris. Huc illud accedit quod Tirones magis perturbet, te supra pollicitum in tuis Figuris
988 *omnia magnitudinem naturalem servantia*, venæ Portæ truncum in III. Tabula aliquanto, in hujus vero Figura I. multo longiorem, quam in hac qua de loquimur, II. pinxisse, in qua tamen *truncum Portæ justo longiorem delineari curavisse* te, dicis; ut vel in superiore Figura errorem, vel in hac minorem hominis magnitudinem (quamquam huic cogitationi, præter silentium tuum, Sinus, & ramorum venæ in utraque Figura comparata dimensio obstat) vehementer suspicari cogantur.

Sed in eo quoque minus felix fuisti, quod in subjectum incidisse videris nimium discrepans a cæteris ex quibus superiores Icones descriptæ sunt. Nam si a Tironibus dextera, ut par est, earum pars cum hujus sinistra, & vicissim conferatur, vel si tantummodo in hujus Tabulæ Figuris duabus primis ramorum ortus, sedes, primæque partitiones inter se comparentur; vereor, ne hæc magis dissideant, quam verba
1062 significant tua quæ in eorum dumtaxat *distributione ramorum ad varias jecoris regiones nonnihil variari per homines va-*
rios habitudines esse, indicant. Huc ad- 25
de quod Tirones magis magisque perturbet, te qui recte alibi, & in hujus quoque Explicationis initio venam Portæ in radices, truncum, ramosque dividendam esse, agnoveris, ipseque diviseris, sæpe deinde in hujus Explicationis progressu, ejus oblitum divisionis videri. Quæ enim venæ tanquam minores radices ab aliis ventris partibus in radices majores, & truncum convenire dicendæ erant, eæ contra a majoribus radicibus, & trunco *egredi*, 1063
emergere, *germinari*, *oriri*, & ad illas ventris partes *produci*, *dividi*, *propa-* 1065
gari, *ramos disseminare* dicuntur. Alia prætermitto; sed unam tamen, ad 1066
hanc, aliasque in quibus venæ Portæ Sinum delineas, Figuras pertinens, ante subjiciam, quam de proxima finem scribendi faciam.

68 Proximæ igitur Figuræ III. quæ Tabulæ Eustachii XXVIII. (in Theatro Mangeti XI.) prima est, cum Amplissimi Lancisii interpretatione productæ, altera a te adjicitur Interpretatio in *Animadversione* videlicet quæ inscripta est: *De vero in hac Figura Au-* 1098
thoris Bartholomæi Eustachii sensu. In quo assequendo utinam longe felicissimus fuisses. Sic enim operæ pretium apparuisset, cur illam altera, & sponte tua interpretationem suscepisses neque facilem, neque ejusmodi ut confici sic posset sine multiplici reprehensione Viri de utroque nostrum egregie meriti.

Ego vero præsenti coactus instituto, tertiam quidem interpretationem afferre conabor, sed earum dumtaxat partium de quibus & dubitatio sit, & sententiam meam firme, ac luculenter probare possim. Sic enim ratio apparebit cur aut revelare Eustachii mentem aggressus sim, quam alioqui multis in Figuris, ut in hujus quoque nonnullis partibus, me nondum satis assecutum confiteor, aut quædam ab Lancisio non scripta adjicere, quem minime dubito hæc quæ proponam, per se, & longe quidem facilius, visurum fuisse, nisi innumeras illas suas rerum difficillimarum Explicationes intra

eas

Digitized by Google

eas temporis anguſtias, interque illa tot, ac tanta quibus diſtinebatur, negotia effundere debuiſſet. Illud principio eſt ſtatuendum quod ex inſpectione Figuræ illius I. ac proximarum II. & IV. apertiſſime colligitur: cum Euſtachius vellet univerſam venam Portæ ſociis ubique ſtipatam arteriis ſive cœliacis, ſive menſentericis ab anteriore facie demonſtrare; in I. venæ illius ramos, & radicum fines; in II. & IV. ramorum initium, & radices; in omnibus interjectum ramis, ac radicibus truncum propoſuiſſe. Ex quo conſequitur, ut ſiquid forte dubitationis in Figura I. explicanda occurrat, magno adjumento eſſe debeat vel II. vel IV. quippe quæ, ſi varium, a Lanciſio animadverſum, *vaſorum numerum*, ac præterea variam inſertionem excipias ejus venæ quæ inferiorem arteriam meſentericam ſociam habet, & ſiqua ſunt alia iſtiuſmodi; in reliquis certe partibus eædem ſunt, in eoque præſertim, ut continuationes ſint trunci venæ Portæ, in hiſce ambabus, ut diximus, Primaque Figura delineati. Hoc quod poſuimus, exemplo aliquo illuſtremus.

Amanuenſium Lanciſii culpa ingens error in Figuræ I. Explicationem irrepſit, cum *Majores venæ portæ rami ſubſtantiam hepatis penetrantes* ad 13. $\frac{1}{1}$ 12. indicati ſunt, ſive ad litteram *c* in Theatro, & apud te quoque, Vir cl. quem minus gravia notantem, tale erratum tua Animadverſione non emendaviſſe, plurimum miror. Atqui illos non eſſe ramos *ſubſtantiam hepatis penetrantes*, ſed radices in truncum Portæ confluentes, ſi ex anatome non conſtaret, ſatis ſuperque intelligi poſſet ex ambobus trunci illius extremis in triplici propoſito Iconiſmo inſpectis, atque collatis. Cum igitur res ad hunc modum ſe habeant; in propoſitis ſuper Figura I. dubitationibus dirimendis, recte atque ordine facere videbimur, ſi proximis illis Figuris pro re nata ſubinde utamur.

69 Illud primum animadvertis, *illam ubicumque duplicatam, quam ad quoslibet majores, minoreſque Portæ ramos, conſtanter delineatam intuemur, parallelam diſtributionem*, illam, inquam, *Lanciſiana explicatione adnotatam non perſpici*. Eſto, Lanciſius breviſſimis Explicationibus illis ſuis majora potiſſimum adnotare ſolitus, duplicem iſtam diſtributionem diſerte non memoraverit; quanquam incuria, opinor, Pictorum, Scalptorumque Euſtachianorum non *ubicumque*, neque ad *quoslibet minores ramos* illa *conſtanter delineata* eſt; Poteras tamen Lanciſio ignoſcere, quod diſerte duplicem non adnotaverit, cum tu qui triplicem adnotare debebas, duplicem dumtaxat notes. Nam eſſe triplicem, vel ſola comparatio ſatis docet Figuræ hujus I. cum proximis illis duabus, in quibus duplicitas ternis in ſingulis ramis parallelis lineis, non quaternis, ut in hac fere ubique, deſignatur. Quo poſito, fallaris neceſſe eſt, cum per iſtam parallelam diſtributionem *nil aliud indicare voluiſſe accuratiſſimum Auctorem Euſtachium*, doces, *præter quam parallelam per totum jecoris corpus vaſorum Portæ, ac biliarium Ductuum, ſe ſe perpetuo comitantium, diſtributionem*. 1099

Nam ſi vel duplex tantum parallelum vas Euſtachius delineaſſet; *nil aliud indicare voluiſſe* præter ramum venæ Portæ, & bilarium ductum, negare tamen poſſem, præſertim cum id tu ex Figura ipſa non probes; ipſe autem pro eo ductu, hepaticæ arteriæ ramuſculum pariter indicare potuiſſet; Quanto ergo magis negare potero, *nil aliud indicare voluiſſe*, cum vas, non duplex, ſed triplex eadem diſtributione delineaverit? Quid verbis opus eſt? cum ex hac ipſa Figura mox ſim luculenter oſtenſurus, in ea Euſtachium conjunctos cum ſingulis venæ Portæ ramis binos demonſtraſſe ramuſculos, arteriæ videlicet, ac ductus hepatici, ad ultima uſque, quantum ipſi perſpicere datum eſt, illius venæ extrema deductos. Nec mirum; quando olim Galenus (1) non modo *excarnare*, ut nunc loquimur, hepar, docuit, & ſingu-

(1) De Anat. Admin. l. 6. c. 11.

Digitized by Google

gulos venæ Portæ majores ramos *in ramos* minores, & hos *in ſuſculos*, & hos denique *in germina* diviſos perſequi; verum inſuper tradidit, *ſi animal amplæ magnitudinis extiterit, UNA CUM iis VENIS, & meatus, qui bilem recipiunt, & arterias ipſius, dum in jecore, ſicut oſtenſum eſt, detegis, conſervare eſſe integrum: Sin autem parvum fuerit, non adeo AD FIBRÆ CUJUSQUE EXTREMUM tria vaſorum genera poſſe ſalva relinqui.* Igitur Euſtachius in Galeni lectione, ſiquis alius, exercitatiſſimus, ab hoc propoſitam *excarnandi* hepatis rationem amplexus, eadem quærere aggreſſus eſt.

Et ſive aperta Capſula qua terna illa vaſa in unum faſciculum jungunter, ſingula quoad potuit, ſcalpello eſt perſecutus, reliquum immiſſo, ut jam tum ſolebat (1), aere, aliove humore, perſpexit; ſive flavus illi color, ductus hepatici, hiantes autem, ut in arteriis, ſectiones, arteriæ indicium; ut nobis etiam, in valde ulterioribus hiſce ramuſculis; nonnunquam dederunt; certe nihil eſſe manifeſtius poteſt, quam ipſum olim, cum Summi alii Anatomici, ut ſupra vidimus, hiſce in rebus cæcutirent, hunc trium vaſorum faſciculum, & quod facile conſequitur, Capſulam ea concludentem perſpexiſſe & Poſterorum in his retegendis induſtriam tanto antea tempore præveniſſe.

70 Sed priuſquam id oſtendo: neceſſe eſt cuidam occurram dubitationi tuæ.

Nam *præterea valde ambigere te*, ſcribis, *pro binis illis trunculis d. d. duos arteriarum ramuſculos, ut interpretatur clariſſimus Commentator* Lancisius, *noſtrum intellexiſſe Bartholomæum*.

Te autem *cogitaviſſe*, ſubjicis, *incomparabilem illum Anatomicum per binos hoc trunculos, arteriam, ſimulque nerveum aliquem majorem ramum indicare potius diſtinctim voluiſſe. Ita*, concludis, *Euſtachianæ figuræ neceſſariam partem, ſeu nerveam, quæ quidem in memorata explicatione deſideratur, jure reſtituimus*. Ego vero de eo primum ambigo, num Lancisius, cum duos illos ramuſculos arterioſos per 12. 11. deſignavit, de ambobus trunculis intellexerit, quibus nunc pariter litteras *d. d.* appoſitas eſſe, video, an de ramuſculis duobus qui ex ſiniſtro trunculo cooriuntur. Hoc enim ſi voluiſſet; Euſtachii mentem præclare mihi videretur aſſecutus. Ab hac autem, quod pace tua dixiſſe liceat, te longe cenſeo receſſiſſe, cum in alterutro eorum trunculorum (utrum enim dicas, ſiniſtrum, an dexterum, non definis) *nerveum aliquem majorem ramum*, eumque tanquam *figuræ neceſſariam partem* agnoſcendum eſſe, arbitraris. Volo enim, tuis ex Tabulis, tuoque ex arbitrio judicemus: optionem tibi do, ut de duobus illis trunculis utrum velis ſeligas, quem pro ramo nerveo, & quem pro arterioſo Euſtachius pinxerit. Utrumlibet pro nervo accipias; nonne reliquus, pro arteria videlicet accipiendus, æqualis nervo illi erit, vel fere æqualis? Nunc igitur ex tua ipſa Tabula IV. in qua hepaticos nervos omnes cum arteria demonſtras, ex ramis nerveis illis omnibus unum mihi, ſi potes, indica, qui non ipſo hepaticæ arteriæ trunco plurimis partibus minor ſit. Fatearis igitur neceſſe eſt, de iis trunculis neutrum pro nerveo ramo ab Euſtachio eſſe delineatum, præſertim ſi illud inſuper attenderis, neque conſuetudinis ipſius fuiſſe, ut cum viſcerum ſingulorum vaſis, nervos commonſtraret, &, ſi maxime fuiſſet, in nullis tamen ejus Tabulæ Figuris, illiſque potiſſimum proximis quæ hujus continuationes ſunt, id feciſſe, &, ſi etiam feciſſet, in hac certe Figura, hiſque trunculis non feciſſe, quorum videlicet ſectiones ambas ad eundem modum repræſentarit: tantum abeſt, ut nervus vel in *memorata explicatione* Lancisii, merito *deſideretur*, vel ut abſte, ceu *Figuræ neceſſaria pars* ſit *jure reſtitutus*.

71 Verum ut de iis trunculis *d. d.* neutrum eſſe nervum, contendo; ſic non utrumque, ſed alterum dumtaxat eſſe

(1) De Renib. c. 42.

Digitized by Google

esse arteriam, agnosco. Nec me tamen plane permovent quas in hanc rem producis, rationes: *neque binos arteriarum truncos ex cœliaca in hepar proficisci; neque unquam super Portæ truncum ad jecoris ostium arteriam hepaticam in ramusculos, præcipue æquales, & parallelos, jam distributam observari.* Nam bini nonnunquam earum arteriarum sunt trunci, quod in nostro quidem Theatro publice ante hos novem annos demonstratum est; nunc autem ramusculos esse æquales, & parallelos, nil prohibet; *nunquam* vero *super Portæ truncum ad jecoris ostium* jam ortos *observari*, quis concedat? Me igitur magis moveri fateor ab duabus illis Figuris proximis, quas hujus esse continuationes, sæpe diximus. Nam per istam ipsam faciem trunci venæ Portæ unum trunculum, non duos, commonstrant ex cœliacæ arteriæ ramo sursum contendentem, cujus trunculi sedem, magnitudinem, partitionem si diligenter attenderimus, ac simul hæc omnia cum trunculis in Figura hac pictis contulerimus; facile intelligemus, unum arteriosum esse trunculum, eumque sinisteriorem de duobus quos hic Eustachius delineavit.

Reliquus vero trunculus, sive dexterior, cum arteria non sit, nervus autem esse nequeat, velut supra ostensum est; relinquitur, ut bilarius sit Ductus; neque enim alius istiusmodi truncus superest qui propter truncum venæ Portæ cum hac in ramos dividatur. Quod si Figuram diligentius inspiciamus; hæc magis magisque confirmabimus. Sinistri enim trunculi ramus dexter mox ramusculum emittit, venas cysticas ita comitantem, ut pari cum ipsis passu incedat, ac pariter dividatur: quæ res profecto neque bilariis ductibus, neque cysticis nervis convenit, sed arteriis.

1100 Itaque tu ipse in calce *Animadversionis* hoc agnoscis, ubi de venis *cysticis* verba facis *cum trunco ex iisdem producto, sociâque arteriosa propagine, quæ quidem omnia*, inquis, per *figuram Auctoris elegantissime distinguuntur*. Necesse ergo est, ut trunculus, unde ramus oritur, ex quo *arteriosa* ista *propago* enascitur, arteria sit. At ille idem ramus ulterius progressus, alios manifesto ramusculos præbet qui socios se dant ramis venæ Portæ, pictæque ab Eustachio illius triplicis *parallelæ distributionis* unam efficiunt partem. Igitur palam est, arteriæ hepaticæ cum vena Portæ progressum per hepar, ac conjunctionem ab ipso fuisse cognita, & hic delineata, neque ea distributione *nil aliud indicare voluisse præter quam —— vasorum Poetæ, ac biliarium Ductuum* perpetuam conjunctionem: quod certe scripsisses nunquam, si semel attente quem descripsimus, ejus rami progressum, ac partitiones in ipsa autographa Eustachii Tabula, non in ea quæ oscitanter hac præsertim parte a tuis Scalptoribus descripta est, Icone inspexisses. In eademque Eustachii Tabula alterius trunculi ramum dexterum ulterius quam in tua Icone pergentem, ac dexterum venæ Portæ ramum jam comitantem vidisses.

Quacum re si cætera, quæ in eodem spectantur trunculo, conjunxisses, illudque præsertim quod qua parte Cystis felleæ sedem respicit, Cystici in se influentis, & hinc abscissi meatus adjunctam adhuc particulam servat; non sane video, cur de nervo potius quam de bilario Ductu cogitare debuisses. Huc illud denique accedat quod & perspicuitatis ratio, & servata ab Eustachio in Figuris illis proximis, totaque adeo illa Tabula consuetudo plane postulat. Cum enim quorumcunque vasorum conjunctam parallelam distributionem proposuit, nunquam trunculos ad quos ea pertinent, prætermisit; ut videlicet vasorum origines, finesque sciremus, & ex truncis naturam, ac nomen cujusque rami, & vicissim, facile possemus cognoscere. Hoc cum ita sit, qui fieri potuit, Vir cl. ut qui de duobus trunculis alterum arteriam esse, arbitrareris; *nil aliud* in ramorum distributione *indicatum* credideris ab Eustachio *præter quam biliares Ductus*; & vicissim ut qui ramos, *biliares* esse *Ductus* censeres, trunculum al-

Digitized by Google

alterum non hisce Ductibus, sed nervis tribueris?

72. Hactenus quæ Eustachiani Iconismi partes diligentia nostra explicari poterant, satis, ut opinor, dilucide, & sane explicatæ sunt; ut planum jam sit, Ductus biliarii, & Arteriæ hepaticæ perpetuam intra hepar cum vena Portæ conjunctionem minime Eustachium latuisse. Nunc ea sequuntur partes, quæ potius quid non esse videantur, quam quid sint, affirmare possim.

Nam quod tu *intelligendum ducis*, Eustachium *per illum ramum*. f. (Lancisio 8. $\frac{1}{2}$ 12.) *non quidem venam umbilicalem excuratam delineave intendisse, ut explicat cl. Lancisius; sed potius sinistram sinus Portæ productionem*: quod deinde addis, *ramum illum* rami f extremo sinistro superimpositum, *quem tu peculiariter admotas superaddita Littera*. g. (*sed a doctissimo Interprete non adnotatur*) —— *ab Eustachio* ——, *ut tubum meteplum fœtus venosum procul dubio adumbratum fuisse*: quod denique *concipi posse*, negas, *Eustachium* 1100*uas illud*. e. (Lancisio ta. 14. $\frac{1}{2}$) *pro vena ipsa umbilicali delineasse*. —— *Cautius igitur juvare decernere, cl. Eustachium canalem hujusmodi*. e. *in ramos diffissum, non jam pro vena umbilicali adumbrasse, sed totum pro ulteriori sinus Portæ sinistræ productione*; quod, inquam, hæc tu omnia pronuncias; ego ut rationes haud improbo tuas, propter quas ea non esse videri ais, quæ interpretabatur Lancisius, ita vicissim spero, te non improbaturum meas, quibus adductus, neque illa esse videri ajo, quæ ipse nobis interpretaris. Nam; ut ab ultimis inoipiam; fateor quidem, canalem e non videri esse venam umbilicalem, cum ejus attendimus ramos, quos certe in ea vena nos adhuc conspicere non potuimus.

Non tamen Sinus venæ Portæ ea videtur esse productio, quæ cum eo Sinu non communicet, sed cum ulteriore demum ramo, non solum ex Sinu jam profecto, sed in alios etiam ramos divito. Quid? quod non modo Sinus, sed ne productio quidem esse videatur istius rami venæ Portæ, cum & multis partibus crassior sit cavo illo ramusculo f. per quem a latere cum ramo illo continuatur; & suos ipse ramos contra obversos habeat, ac rami illius productio haberet. Quid ergo est? Num forte major aliquis ex iis ramis quos aliquando Falloppius (1) (ut ejus verba, supra a nobis ex parte allata, demonstrant) hinc communicare vidit cum intima sinistri hepatis lobi substantia, inde vero aut *sub pancreo cum quibusdam aliis venis ab eodem portarum trunco extra hepar ortis*, aut *in lienem* cum hujus *ipsius substantia*.

Non hoc dico; neque enim delineatio hæc cum Falloppii descriptione satis convenit, quamvis ad id rerum genus quadantenus videri possit accedere.

Hoc tantum dico, Lancisium in vena umbilicali designanda attendisse locum e. ejusque canalis crassitudinem venæ umbilicali convenientem. Atenim, hic niges, *cui unquam vere anatomico contigisset perspicere, umbilicalem venam suo per hepar itinere in ramos facessere?* Hoc Lancisius vel quibusdam crediderit Scriptoribus, vel potius in tanta rerum copia satis fortasse non attenderit.

Sed tu vicissim (quod pace tua dixisse liceat) non vidisti, quærere ex te, si viveret, Lancisium posse, *cui unquam vere anatomico contigerit perspicere*, Sinum venæ Portæ, posteaquam in majorem ramum, deinde in ramusculum contractus est, mox repente in ampliorem, & tam longum ramum expandi, cujus præterea furculi contra atque oporteret, non secundum motum sanguinis a Sinu venientis, sed contra eundem conversi sint, nimirum, ut ob hæc tandem omnia; quæ non umbilicalis esse vena, ea *cautius*, si Diis placet, Sinus illius esse productio ipsa videri debeat.

73. Sed hæc fortasse pro se Lancisius. Ego vero pro ipso ad alterum respondebo quod in ejus perbrevi Explicatione desideras, ut ramum videlicet g. adnotasset, quem tu ab Eustachio pro

tubo

(1) Obs. Anat.

Digitized by Google

sub multiplici venoso textus procul dubio adumbratum fuisse, pronuncias. Scilicet hoc ipsum Lancisio dubium visum fuerit, neque injuria visum. Nam si Anatomen, atque adeo tuam ipsam, quam istic memoras, II. Tabulam consulamus; certe neque sedes, neque initium, neque finis ejusmodi solet esse, tubuli venosi. Totus enim a sinistro latere Trunci venæ Cavæ; non ad hujus anteriorem faciem positus est: Ex Sinu autem oriar venæ Portæ; non ab ramis de quibus antea dictum est: Denique in Cavam desinit ex hepate jam emergentem, hoc est ad *a*; non ad *g.* multoque minus ubi delineat Eustachius, cujus Autographum Scalptores tui nescio cur hac ipsa in re non secuti, hujus rami finem tum aliquanto altius produxerunt, tum bifidum non expresserunt, quæ res videlicet ipse quoque isti repugnasset interpretationi tuæ. Cui tamen interpretationi ne illud quidem satis esset, nec quod in illos alios furculus ramus idem *g.* toto itinere non dividatur, quando Eustachius a dextris cysticæ venæ dexteræ alterum vel longiorem pinxit ramum venæ Portæ qui nullos circulos de se emittit.

74 De ramo autem *f.* quod *Sinus Portæ productio* esse non videatur, ex iis quæ supra sunt dicta, intelligitur. Quod si ex me forte visissim quæras, quid fuissem ipse facturus, si triam istorum ramorum *e. f. g.* interpretationem aggredi debuissem; sic habeto: me utrinque rationes fuisse propositurum, cur vena umbilicalis, productio Sinus venæ Portæ, tubulus venosus tum esse, tum non esse videri possent: iisque propositis, rem in medio relicturum, ut siqui vel alia vestigare, & credere mallent, vel hæc quidem, sed ita uti Eustachius aut humani aliquid passus esset, aut ex quam rarissimo exemplari, aut ex non humano rem descripsisset, aut ejus Pictores, Scalptoresque non satis fideliter expressissent; hæc per me omnibus sive meliora statuendi, sive divinandi facultas libera esset. Itaque multum censeo laudandum esse consilium tuum, ubi ratione illa proposita quod vena umbilicalis ad hepar in ramos non findatur, nihil ipse de alia quadam Eustachii delineatione constituere videris, sed ita scribis: *Ob similem rationem, an Eustachius in fig. 3. Tab. II. ex Tabulis suis, quæ inserta sunt Theatro Anatomico (& II. est Tab. X. Romanæ editionis) pro trifido vase illo. h (Lancisio 6. 27.) seu in tres ramos ad ingressum in hepar diviso, venam umbilicalem significare voluerit, Probi Anatomici viderint.* Quanquam in ea Figura; ne tecum quidquam dissimulem; res aliquanto minus difficilis videri potest. Nam illud primum, quod Lancisium, opinor, movit, ex anatome perspicuum est, nullum eo loco vas ejusmodi crassitudinis subire jecur, præter venam umbilicalem. Neque aliud voluisse Eustachium, altera ejus Figura commonstrat, quæ in proxima ipsius Tabula sequitur, ac numero IV. designatur. Si enim hanc eodem quo illa positu, locatam fingamus, sique jecoris fissuram, si isthmum, summæ fissuræ latera committentem, in utraque attendamus; ut in hac ibi nullum aliud vas, nisi umbilicalem venam, membraneo ligamento annexam, ostendisse videbimus, sic in illa quoque nullam aliud ibidem vas, nisi eamdem venam, ab ligamento jam liberatam, voluisse Eustachium ostendere, non difficile conjiciemus. Cur autem in vena illa, sic liberata, & fortasse etiam versus jecinoris limbum aliquantum protracta, supremam partem pinxerit trifidam, sive singulos se minores ramos ab singulis lateribus in hepar mittentem; certam quandam mihi posse videor exanatome conjecturam afferre.

75 Quod ut faciam; necesse est ad memoriam revocem, imo paulo fusius exponam quod supra ad tuam III. Tabulam adnotavi: solitum me esse invenire, Sinum venæ Portæ, cum a dextero jecinoris lobo ad sinistrum se extendens, contra interjectam utrique lobo fissuram pervenit, se ipsum, aut potius quendam quasi ramum ex ima sui parte deorsum mittere, qui obviam scandentem umbilicalem venam mox insi-

Digitized by Google

infimo ſuo extremo ſic excipiat, ut non facillimum ſæpe ſit utriuſque fines ſtatuere, præſertim cum venæ ſummæ pars (quod nonnunquam obſervavi) non prorſus adhuc in adultis occluſa eſt. Ex ejuſmodi igitur ramo, in quem ipſa umbilicalis vena recta producitur, & quidem prope hujus venæ finem, cum alii minores rami ab anteriore, ſeu ſuperiore facie oriuntur, tum duo præcipui ab lateribus recedunt, ſinguli ab ſingulis; ut haud raro, extrinſecus inſpiciendo, non abſimilem effici figuram viderim ac ſi vena umbilicalis in fine trifida eſſet, quemadmodum ab Euſtachio in eo Iconiſmo videtur repræſentari. Etſi vero ramum illum Sinus, duobus ramis interjectum præ his invenire ſolitus ſum craſſiorem, quam Euſtachius delineavit; ab ſingulis autem lateribus non ſingulos ſemper præcipuos ramos, ſed binos interdum comperi; ſæpe vero non ſurſum, ſed deorſum potius oblique ductos inveni; nunquam tamen hæc quæſivi (quæſivi autem in adultorum jecinoribus ſaltem decem) quin ſi extrinſecus ſpectarem, illa ſe ſe mihi ſpecies offerret venæ umbilicalis quæ in ſummo hinc, & hinc ramos emitteret; ſi vero intrinſecus ſcrutarer, Sinus caveam deprehenderem ſe ſe manifeſto demittentem in occurſum illius venæ, iiſque ramis initium præbentem. Itaque etiam atque etiam miratus ſum, te eum Sinum toties delineantem, vix ſemel aliquid pinxiſſe quod ad ea quæ ſunt a me decies continenter perſpecta, accedere videri poſſet, in Tabula nimirum II. ad litteram *q*. non ſecus ac ſi id ipſum pro re *ſingulari* æque habuiſſes ac diviſiones illas de quibus ibi verba feciſti in explicatione litterarum *r. r. r.* Sed longe aliter viſum iri iis ſpero qui di-
897 ducta jecoris fiſſura, hujuſque iſthmo, ne ulla ex parte obſtet, diſſecto, umbilicalem venam ad ſuum uſque finem perſequentes, qui rami denique hinc, & hinc in ſummæ fiſſuræ latera, eamve vicinam immittantur, inquirant; mox autem trunco venæ Portæ, & continuato Sinu a ſiniſtris aperto, ſectionem ad venam uſque umbilicalem deducant, eorum quos diximus, ramorum oſcula perquirentes. Hi igitur ſi in iſtiuſmodi perquiſitionibus fuerint diligenter verſati, cum facile mecum conjicient quid Euſtachius per trifidum illud vas ſignificare voluerit, tum percipient, cur ejuſdem vaſis truncum Lanciſius venam umbilicalem appellarit.

76 Verum; ut ab hac ad quam tecum digreſſus ſum, Euſtachiana Figura ad priorem illam revertar; non erat denique cur tuam in Ampliſſimum Lanciſium Animadverſionem ita concluderes, ut ſcriberes: *cur* ipſe venulas *cyſticas gemellas ---ſeparatim ab aliis vaſis, per propriam hepatis ſubſtantiam diſperſis non indicaverit, id eſt ulterius, quod certe haudquaquam intelligo*. Multo enim æquius fuerat, ſi negaſſes, te intelligere, quomodo affecta Vir ætate, ac valetudine, idemque tot, tantiſque negotiis diſtentiſſimus, in reſcribendo autem ad innumerabiles Amicorum litteras, de ipſiſque bene merendo (quod nos ambo ſæpe experti ſumus) diligentiſſimus, tantum tamen ſomno, aliiſque neceſſariis vitæ ſubſidiis detraheret temporis, ut tot, tam copioſa, tam utilia, tam diverſa tam brevi commentari, ſcribere, vulgare poſſet; hoc, inquam, multo æquius te intelligere, negaſſes, quam ſi in eo Opere quo ipſe princeps viam cæteris, aditumque pateſaceret: quo in tot alienis, antiquiſque delineationibus ſine ullo adjecto Auctoris Scripto nuperrime inventis, quæ hujus mens eſſe potuiſſet, conjicere ac divinare cogeretur: quo demum preſſis illis ſuis, brevibuſque interpretationibus quas pro anguſtiis temporis effudit, innumera, & maxima evolveret; ſi in eo, inquam Opere minutum aliquid forte prætermitteret, vel potius non ſatis diſerte ac *ſeparatim* indicaret. Sed hæc melius pro tua æquitate, tuoque adverſus Summi Viri, Optimique Amici, ac Fautoris memoriam grato animo ipſe videris. Ego enim, his jam omiſſis, priuſquam de Euſtachii Tabulis finem ſcribendi facio, nobis haud inutile eſſe cen-

Digitized by Google

censeo, ut ex ipsis cum alia, tum illud præsertim addiscamus, Arteriarum
1682 Aortæ, & *emulgentis angulum* magna ex parte non esse *rectum angulum ex longitudinalis atque transversæ fistulæ concursu productum*, qualem videlicet tu scribis, & plerique passim Anatomici videntur existimare. Hic nimirum error ex non satis accuratis delineationibus olim ortus, perque tot alias non absimiles etiam apud Summos Anatomiæ Scriptores ad hanc usque diem propagatus, eo magis discentium animis inolevit, quod qui in Theatris exemptos cum vasis magnis Renes in tabula spectandos disponunt, quam in plerisque editis Figuris vident, eam solent partium dispositionem imitari. At si rem diligentius in cadaveribus, non in picturis, aut si in picturis, in Eustachianis præsertim, perpauciique aliis inquirerent; sæpius Renes aliquanto inferiores, vasisque magnis viciniores statuerent, & quod consequitur, emulgentia vasa sic disponerent, ut cum magnis non rectos angulos, sed supra obtusum, infra autem acutum efficerent.

77 Tuas reliquas Tabulas, quod anatomicæ non sunt, in præsentia quidem prætereo: ad aliaque potius transeo quæ unam, aut alteram ex tuis *Orationibus*, hic illic inspiciens, adnotavi, ad Anatomes ipsius, ac Medicinæ historiam pertinentia. In I. Oratione Arantium
19 pronuncias *Canaliculorum seminalium in testibus inventorem; licet a Graafio, Higmoro, Slado, Coupero aliisque collecta fuerit inventionis Laureola.* Ibidem Alexandrum Achillinum affirmas *primum glandularum maxillarium inferiorum excretorios Canales juxta linguam dehiscentes invenisse, primumque salivæ fontes perspexisse, primumque foramen Uveæ, seu pupillam ipsam ad lumen mediocre mediocriter dilatari, magis ad minus, maxime ad minimum, aut nullum, ad majus, aut maximum vicissim constringi evulgavisse; Quod deinceps nobilissimum inventum velut arcanum Fabritius ab Aquapendente cujusdam Amici sui investigationibus retulit.* Sed Bononiensibus nostris, apud quos illam Orationem habebas, cum aliis in locis, tum in istis potissimum meum tamen nomen ad memoriam redibat. Meminerant nempe, ante illos totos tredecim annos hæc quæ in I. *Adversaris* (1) edita sunt, ex me audivisse: *Minimam testiculorum structuram (quam tamen antiquioribus aliis adscribi non ignoro) ab* Arantio vestro *visam comperio, sicut postea a Cabrolio perstrictam, fusius vero a Riolano expositam scio, tametsi ab nemine; ut in consimilibus erat captus temporum eorum; probe intellecta, & cum illa, cum qua debebant, parastata connexa est: quæ nempe tanus diligentissimo Graafio reservabatur:* itemque illa (2): glandularum *maxillarium* canales, *uti Eruditis notum est, neque aliis antiquis Anatomicis fuerunt ignoti, & in his Achillino vestro, homini, ut illis temporibus, bene docto, cujus in scriptis unum quoque ex iis arcanis reperio quæ Fabricius postea suo cuidam Amico observata primo esse, arbitratus est;* videlicet: *Uvea, & cæt.* Utram tandem laudationem; ut sincere, quemadmodum Amicos decet, inter nos loquamur; utram, inquam, laudationem fuisse Bononiensibus gratiorem putas? meam qui veritus sum ignota credere Doctissimis Viris aut verba Theophili (3), *vasculæ multa capillacea aranealique tenuitate* in ipsis testibus memorantis, aut aliorum Veterum, quos ex parte indicavi, cum Avicenna (4) docentium, *sub* lingua *esse duo orificia quæ ambo ingreditur stilus, & sunt fontes salivæ, quæ ad carnem proveniunt glandosam*, ac propterea Arantio, & Achillino his in rebus tantum tribui quantum licuit; An tuam qui plus æquo tribuens, sine ulla dubitatione ambos harum rerum inventores pronunciasti? atque ita quidem pronunciasti, ut nihil Graafio relinqueres: quocum Sladum, & Cowperum quare ad eum modum conjungas, Claudium autem Uberium sileas, ne-

(1) N. 19. (2) N. 26. (3) De corp. hum. fabr. l. 5. c. 27.
(4) Can. l. 3. Fen. 6. c. 1.

Digitized by Google

ſcio; qui Patavio Piſas evocatus, nomine Vauclii Dathirii Bonglari (1) *totum teſtem eſſe totum vas*, decem ante Graafium annis & pictura, & verbis oſtenderat.

78 De Mundino autem in eadem Oratione cum diceres, putaſne, Bononienſes ipſos non intellexiſſe: qua ratione quæcunque tibi liberet Mundino inventa tribueres, ea ipſa ratione contendi poſſe, Arabes, & cæteros qui ante Mundinum ſcripſere, nihil prorſus ex tota Anatome ignoraviſſe? Rem, ſi
18 placet, exemplo illuſtremus. *Nonne*, inquis, Mundinus *per venam chylin videri poſſet chyloſa itinera quodammodo indicaſſe? Tanto enim ductore —— Euſtachius —— lacteam venam ſuam meditatus eſt, ut ab Euſtachio in clariora lacteorum indicia properabat Aſelius, & ab Aſelio Pecquetus.* Quid ſimile? Ex accurata Euſtachii (2) deſcriptione inter omnes conſtat, ipſum revera Thoracicum ductum vidiſſe, atque ante Pecquetum propoſuiſſe. Mundinus autem cum *venam chylin* ſcribebat; quid, quæſo, aliud, quam venam Cavam intelligebat? Eſtne aliquis cui ulla unquam hac de re dubitatio fuerit, atque adeo eſſe potuerit, quando Mundinus (3) ei capiti quod inſcriptum eſt de *Anatomia Venæ Chilis*, hoc initium fecit: *Quibus omnibus elevatis tibi apparebit vena magna, quæ eſt ramus venæ chilis deſcendens, & arteria magna, quæ eſt ramus aborti deſcendens, & quando illa vena chilis eſt indirecto renum, ab ipſa ramificantur duæ venæ, quæ vocantur emulgentes, quarum una vadit ad renem dextrum, & altera ad ſiniſtrum.* Mitto alia Mundini loca, omnia non minus perſpicue comprobantia, venam cavam fuiſſe ab ipſo *venam chilin* vocitatam, idemque apud Mundinum ſignificari per *illam venam*, *chilin*, quod apud Ciceronem (4), eoſque fere omnes qui latinis litteris anatomen attigerunt, per *venem illam cavam*. Nec mirum, quando Græcis idem eſt κοῖλος, quod Latinis *cavus*. Sic Fernelius (5) diſerte: vena κοίλη, *id eſt cava dicta*. Sic Maſſa (6) *quam venam græci chilim, latini cavam vocant*. Sic Falloppius (7): *cavam venam appellavimus, aliorum anatomicorum more, Latino nomine: Græcis vero κοίλη dicitur*. Sed in re minime neceſſaria cæteros prætermitto. Jam enim ſatis ſuperque patet, non modo rem, ſed ne nomen quidem quo uſus Mundinus eſt, *vena chilis*, vel ut Matthæus Curtius edidit, *cylis*, vel potius *cilis*, excitare Euſtachium potuiſſe ad cogitandum de venis chyliferis, niſi forte exiſtimamus, Virum græce doctiſſimum aut ea quæ diximus, ignoraviſſe, aut quantum eſſet diſcrimen, neſciviſſe inter vocem *cilos* (κοῖλος) qua *cavus*, ut diximus, & vocem *chylos* (χυλὸς) qua ſuccus, & apud Medicos is peculiariter qui *chylus* dicitur, ſignificatur.

Quid? quod Euſtachius (8) cum Thoracicum invenit ductum, non aliunde uſum habere *credidit*, quam ſanguiferæ venæ, neque unquam oſtendit, ſuſpicari ſe, an chyli via eſſe poſſet; ut quanquam uſque adeo rerum, & verborum imperitus fuiſſet, ut per Mundini venam *chylin*, venam chyliferam ſignificari putaſſet, manifeſtum ſit tamen, in chylifero Ductu inveniendo *ductore* Mundino non eſſe uſum.

79 Quod ſi verba pariter Jacobi Berengarii indicaſſes quibus inductus es ad pronunciandum, *primum detexiſſe ipſum ductus ſalivales conſpicuos, tum ſcaturigines effluxuum ſub nervis opticis per cavernas oſſis baſilaris ad aures, & palatum; quorum primas Steno, alteras Nuckius, velut in propria inventa, ſibi inde arrogarint*; vereor ne facile hæc demonſtrare potuiſſes. Sed ne forte credas, me Bononienſium Anatomicorum laudibus refragari; ſic habeto: neminem plus ipſis tribuere poſſe, quam ego tribuam, ſemperque tribuerim; imo vero tanti eoſdem a me fieri, ut cum propriis laudibus & plurimis, & maximis celebrari illos poſſe videam, propterea ſatis æquo animo ferre nequeam, tantos 23

Ana-

(1) Teſt. exam. (2) De Vena ſine pari Antigr. 13. (3) Anatom.
(4) De Nat. Deor. l. 2. (5) Phyſiol. l. 1. c. 11. (6) Lib. Introd. Anat. c. 17.
(7) Inſtit. Anat. c. de Ven. & cet. (8) Antigr. cit.

Digitized by Google

Anatomicos, quasi propriis quibus redundant, omnino carerent, alienis encomiis exornari. Bononiensem ipsam Academiam, Cives ipsos Bononienses, quorum illam, ut Parentem amantissimam, hos, ut Viros amicissimos colo, si quis veris laudibus extollere cupiat, nunquam tam copiosa uti oratione poterit, ut cum plurima dixerit, non multo plura mihi videatur omisisse. Idem tamen si in eandem orationem conjici videam quæ minus certâ fide subnixa, cætera quæ longe verissima sint, secum trahere in dubium, atque infirmare vehementer possint; Oratorem, quod nunc facio, etiam atque etiam rogem, ut vera alia, atque alia, quæ in tam ubere materia non desunt, conquirat; inania illa prætermittat. Hæc si forte quæ sint, requiras; ea
7 nempe sunt: *Bononiam post sex supra triginta sæcula scientiarum Genetricem* esse: *Academiam Bononiensem ipsam primos inter vetustissimos Hetruscos flo-*
11 *ruisse: Hetruscis debellatis, Gallisque Bojis regnantibus, musas excolendas dedisse: Gallis inde Bononiâ hospitibus, & restauratoribus peditis, sub Romana Republica principem studiorum sedem non amisisse:* quæ profecto ne cum iis quidem valde cohærent quæ paulo ante
8 posueras: *compertum esse antiquarum rerum Cultoribus genuinam Medicæ Academiæ Originem a sequi Epocha ad Augusti Regnum indacta:* quanquam hoc ipsum num satis compertum esset, poteras de Viri Cl. Curti nostri (1) eruditissimo libro intelligere. Quem sane, & Lipsi. Actorum Supplementa (2) si diligentius versasses; ne illa quidem sine ulla hæsitatione scripsisses quæ *de-*
12 *clinante Imperio*, quæ *Barbaris Italiam deprædantibus de servata dignitate* ejus Academiæ *sæculis omnibus* asseveras.

80 Sed ut melius videas quam difficile sit probare quæ remotissimis, vel obscurissimis sæculis fuere; iis prætermissis, ad propiora veniamus. Af-
14 firmas, *in primis finitimarum, Scholarum OMNIUM erectione ex Bononiensi Liceo in operam invocatos esse Præceptores, & Duces, —— similiterque contigisse in ortu, aut restauratione Romanæ, Pisanæ, Parisiensis, Monspelliensis, aliarumque plurium, quibus omnibus* Bononiense *Archigymnasium propagare valuit doctrinæ germina, & VELUTI SOL PLANETIS MINORIBUS, mutuam dare lucem, & radios.* Hæc etsi scio Bononiensibus ipsis nostris; Viris Æquissimis, Modestissimisque, in hunc modum dicta, placere non posse; tamen pro meo in Academiam illam, & Civitatem longe Præstantissimam grato animo demonstrari omnibus, & plana fieri, vehementer cupio. Tu igitur quo modo id præstas? *Ioannem* producis *a Concurezio, & Marsilium a Sancta Sophia*, Mediolanensem illum, hunc Patavinum, atque alium præterea neminem; quasi vero quæ dixisti omnia aut ad Ticinensem dumtaxat Academiam inchoandam, instaurandamque pertinerent, aut ex Bononiensibus ipsis nemo unquam *in* ejusmodi *operam invocatus* fuisset. Sed tamen id ipsum quod de Ticinensis Academiæ initiis affirmas, videamus. *Sæculo*, inquis, *decimo quarto ad primam Papiensis Academiæ fundandum lapidem, ut alter medicinæ Lycurgus operam & decus instrueret, advocabatur Marsilius a Sancta Sophia* Bononiensi *in studio celebratissimus antecessor*. Equidem hunc Marsilium (quem Lucas Tozzius Vir alioqui Doctissimus, cum Sanctorii nostri *Commentaria in primam Sectionem Aphorismorum Hippocratis* non uno in loco dissimulanter describeret, atque aliquid tamen vel iis in locis addere de suo vellet, cum Marsilio Cagnato, qui scribebat sæculo XVI. ad finem properante, confudit (3)) hunc, inquam, Marsilium a Sancta Sophia ego quidem ex Alidosio (4) non ignoro A. 1402. fuisse Bononiæ Professorem Medicinæ ad diem usque qua ibidem mortuus est. *Evenisse* autem *ei, ut extra Patriam* Patavium *moreretur, quod* Carrar. *Principi parum gratus haberetur*,

(1) Notizie Istor. & cæt. (2) Tom. VI. Sect. X.
(3) Comment. in Aph. l. 1. Aph. 3. (4) Dottori Foresti. & cæt.

Digitized by Google

tur, quasi secutus partes Galeatii Principis Mediolanens. quum Patavii imperaret, præter alios, docet Jacobus Salomonius (1), qui cum Venetis, ac Patavinis Historicis, id imperium cœpisse, ostendit (2) A. 1388.; desiisse autem A. 1390. Atqui Ticinensis Academia *fundata, apertaque est* A. 1362. quod laudatus Curtius (3) demonstrat. Igitur uti certum est (4), Marsilium & Patavinum, & Nicolai filium fuisse, qui *præstantissimus Medicinæ Professor usque ad annum* 1350. in Patria Academia vivebat; ita non ex hac, sed ex Bononiensi profectum fuisse eundem Marsilium ad Ticinensem inchoandam, adhuc ostendendum est, præsertim cum ex Albis vetustissimis (*) Professorum Gymnasii nostri liqueat, ipsum inter hos plurimis ante annis docuisse, quam ab Alidosio inter Bononienses referatur.

81 Locus hic est, ut superiora quædam verba attendamus, quibus de Car-
13 dano, & Mercuriale *ad Cathedras* Bononienses *munifice conductis* sermonem habens, *primum*, ais, *suis erga Urbem* Bononiensem *expletis officiis, Romam ad summos a Pontifice atque Optimatibus colligendos honores se contulisse: Alterum Patavini Gymnasii instauratorem fuisse, & jubar.* Nempe videris sic in transitu significare, Mercurialem a Bononiensi Gymnasio ad hoc Patavinum *instaurandum* venisse. Quod si verum esset; quinam magis placere posset quam mihi, qui tanto Cive jure ac merito gloriari soleam? Sed ut de altera Parente mea Bononiensi Academia, ita de ipsa quoque Patria, quam summa prosequar pietate necesse est, sic existimo: satis utramque habere verarum laudum; ut, inanes debeat respuere. Mercurialis noster Patavini Gymnasii *jubar* fuit; *instaurator* non fuit. *Studium* Patavinum *hoc anno* 1570. *non parum luminis accepit ex adventu doctissimi Viri D. Hieronymi Mercurialis, qui ad lecturam Practicæ ordinariam in locum Fracancziani defuncti, ROMA advocatus est.* Sic Tomasinus [5]: ex quo (6) scire licet, eo ipso tempore in hoc Gymnasio res ad Medicinam spectantes tradidisse Bernardinum Paternum, Paulum Crassum, Hieronymum Capivacceum, Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, Melchiorem Guilandinum, Albertinum Bottonum, alioque Homines Celeberrimos, Collegas autem in cæteris Disciplinis habuisse Franciscum Piccolomineum, Archangelum Mercenarium, Bernardinum Petrellam, Josephum Moletium, Jacobum Menochium, Marcum Mantuam, Tiberium Decianum, Joannem Cephalum, Guidonem Pancirolum, Franciscum Manticam, alioque in sua quemque Facultate usque adeo illustres Viros, ut eorum singuli ad alias potius instaurandas Academias mitti, quam in qua universi essent, opus ullo *instauratore* esse posset. Summa igitur Mercurialis mei, & prope divina laus fuit quod inter tot ejusmodi Professores advocatus, *non parum luminis* tanto, & tam præclaro Gymnasio addiderit adventu suo. Huic autem Gymnasio eo charior fuit, & glorioſior novi ejus luminis accessio, quod Mercurialis non aliunde id attulit, sed eodem unde acceperat, retulit. In hac enim ipsa Academia, Oddo de Oddis, Bassiano Lando, Victore Trincavellio, Gabriele Falloppio, M. Antonio Genua, Bernardino Tomitano, Francisco Robortello docentibus, medicis, philosophicis, & humanioribus studiis eam operam dederat, ut annos duos & viginti natus hic scriberet, typisque committeret opusculum suum primum, quod *Nomothelasmus, seu Ratio lactandi infantes* inscribitur, aliudque opus *propediem in lucem edendum parare, die, nocteque laboraret*, ut ipse ad civem suum nobilissi-

[1] Inscript. Urb. Patav. [2] Ibid. in Fast. Prætor. [3] Libro cit.
[4] Vid. Tomasin. Gymn. Patav. l. 3. c. 1.
[*] Ex his Excerpta, a Salomonio conscripta, Patavii sunt apud Antecessorem Doctissimum, Celeberrimumque Nicol. Commenum Papadopoli, quem audio iidem niti in amplissima *Historia Gymnasii Patavini*, quæ nunc sub prælo est, propediem vulgabitur.
[5] Ibid. l. 4. [6] l. 3. & l. 2.

Digitized by Google

lissimum, Franciscum Paulucium scripsit in Epistola illi Opusculo præfixa, & *Patavii* data *M. D. LII. Sexto Augusti die*: cujus libelli, iis qui vel de Mercurialis Vita, vel de Medicorum Scriptis egere, quantum video, incogniti, rarissimum apud me exemplar asservo. Hinc (1) Philosophica, & Medica corona meritissimo donatus, in Patriam rediit, a qua Romam ad Pium IV. Pontificem Max. legatus, ibi apud Alexandrum Cardinalem Farnesium tandiu fuit, donec in hanc altricem suam Patavinam Academiam veniret. In qua (2) cum duodeviginti annos docuisset, tum vero in Bononiensem maximis stipendiis accersitus est, ubi quinquennium moratus, Pisas transiit, unde senio, morboque confectus in Patriam demum reversus, quantam huic vivens gloriam pepererat, tantam moriens tristitiam reliquit. Hæc Summi, atque Eruditissimi Medici initia, hi progressus, hic exitus fuit, digni certe qui Patavini Gymnasii *instaurator* esset, si egens instauratione inveniisset: quod ea tamen quam hinc hauserat, & quam hinc alio, non aliunde huc importavit, doctrina, atque eruditione perfecisset.

82 Num vero *sæculo decimo sexto*, an decimo septimo, *expertissimus Julius Cæsar Claudinus ingressuum ad Infirmos, consultationum, præsidiorum omnium, praxeos, uno verbo, felicioris regimina pervulgarit*; num *Garzonius*, *Nicolai V. Medicus*, num *Varolius*, *Gregorii XIII.* ille *Bernardinus*, hic *Constantinus* nomen habuerint, an *Bernardus*, atque *Constantius*, hæc, inquam, ac alia istiusmodi ipse videris; In his illud quod in eadem I. Oratione scripsisti; *Sanguis, te*, Bononiensis Academia, *monstrante, circumactus in orbem*, quomodo cum his conveniant quæ in IV. Oratione scribis: *Columbus minorem, sive per solos Pulmones inductam sanguinis circulationem primus invenit, Cæsalpinus majorem & cæt.* hic enim Pisis, ille vero Patavii, Pisis, & Romæ docuerat. Verum ut intelligas, Vir cl. me non de hujus, aut illius Academiæ laudibus, sed de vero in Medicinæ, & Anatomes historia laborare; sic habeto: non Columbum, quem quidem Virum in serie illa incomparabili repono Summorum Anatomicorum qui Patavii docuerunt; non Columbum, inquam, sed nihil ad te, aut ad me attinentem, imo ab utroque nostrûm ob insana cemmenta damnandum quæ in Religionem invehere conatus est, Hispanum Medicum Michaelem Servetum sex & viginti annis ante Columbum minorem illum circuitum sanguinis diserte tradidisse: quod ex ejus verbis liquet per Cl. Sievertum (3), aliosque ante hos annos duodecim evulgatis, ab ipso autem Serveto editis A. 1533.

83 Sed eorum quæ in eadem VI. Oratione subjicis de Inventoribus Anatomicis, si non omnia, pleraque saltem in præsentia pro veri studio consideremus. *Œsophagi, ventriculi, intestinorum structuras, atque tunicas a Willisio detectas* dicis, *proditas* autem *a Kerkringio Conniventes Valvulas*. His ego objicio quæ in I. (4) & III. (5) *Adversariis* jam satis indicavi. Deinde quæro, si de *Mappa hominis Anatomica*, si de *humani corporis imagine* hic verba facis, cur Willisianam Œsophagi structuram, ex bestiis descriptam, huc trahas? cur *patefactos ab Asellio Chyliferos Ductus; reseratam a Peequeto nutritii laticis cisternam; —— enodatas a Bohnio Hepatico-cysticas fistulas* hic commemores? Certe horum nemo in humanis corporibus ea patefecit. Sed quæ chylifera vasa in bestiis Asellius, & ante hunc olim, ut ipse (6) candide fatetur, *vidit omnino*, sed non agnovit Erasistratus, illa in hominibus *primum omnium Venetiis privatim ac publice* se ostendisse, testatus est Cæcilius Folius (7) in libello edito A. 1639.: quod eodem anno a se ipso, imo

[1] Vid. Tomasin. Elog. Tom. I. [2] Vid. Erythr. Pinacoth. I.
[3] Dissert. de Morbis & cæt. n. 61. [4] N. 23. [5] Animad. 4. & 7.
[6] De Lactib. c. 13. [7] Sanguinis a dextro & cæt.

Digitized by Google

imo biennio ante ab alio Medico, factum esse, duodecim post annis scripsit Highmorus (1). Pecqueti autem bavum Receptaculum, ut vasa quoque Lymphatica, videtur primus in homine conspexisse, & delineasse Olaus Rudbeckius (2). Vasa denique Hepatica, nisi tu, Vir cl. omnibus sublatis dubitationibus, certius demonstres, nondum aliquem habemus a quo satis in humanis cadaveribus perspecta esse, scimus. Quod si promiscue (id quod tua superiora verba credere non sinunt) sive in homine, sive in bestiis inventa, hic enumeranda fuscepteras; cur *prodiisse* a *Pejero* intestinorum *Glandulas* dicis; quas nimirum in brutis animantibus a Pechlino (3) ante *proditas* esse, constat? Quod vero ais *evoluta ab Eustachio Coli intestini ligamenta*; quæro, num tertium quoque? & si omnia, num ut initium, sic omnium finem evolverit? Nam *in Hepate* num *pansa a Glissonio* fuerit *Musculoris capsa*, satis visum est supra. *Explicata* autem *in Liene* ab recentissimo Summoque Anatomico *penicillaria Vasa* num ita vis nos accipere, ut nihil discrepans intelligamus ab eo quod in I. Oratione
18 scripseras, eundem Anatomicum *distributionem penicillorum in lienaribus vasis — a Casserio recepisse videri*? Scilicet Casserius id invenerit; hic dumtaxat *explicarit*? Sed quoniam ad ea probanda quæ in hac, vel illa Oratione a te de inventis Anatomicis pronunciantur, nulla Auctorum loca proferre soles; si forte id Casserio adjudicas propter eam Iconem quæ ad VIII. Spigelii librum Tab. IX. n. IV. adjecta est; animadvertere te decet, ad eundem modum picta esse a Casserio vasa rum Jecoris in Fig. II. Tabulæ proximæ, tum Placentæ in Tab. VI. *de Formato Fœtu*: ideoque non a Casserio, sed ab suo singulari artificio eum didicisse qui cum una in Tabula *Ramorum lienalium*, *hepaticorum*, ac *Placentæ uterinæ* figuras repræsentasset, monuit (4): *histe ries perspecta facile fore judicare, vasorum sanguineorum extrema summopere inter se differre*, itemque nominatim vasorum *extremitates* in Arteria splenica *penicilla detorta repræsentantes*, non in *placentæ uterinæ — locum habere*.

84 Ais deinde, fuisse *Pancreaticum Ductum, ceu fontem salivalem inferiorem, ab Hoffmanno, & Wirsungo propositum, ut salivarias superiores scatebras denegere datum esse Stenonio, Whartono, Nuckio, & Casp. Bartholino, atque dudum Achillino*. Non est mihi in animo urgere hic multum Galeni (5) loca, ne dicam Herophili, & Eudemi, & Marini, quæ Eruditis Medicis satis cognita esse, scio: *ex glandulis quæ ad radicem linguæ sunt, saliva eodem (in fauces) fertur. Jam vero in intestina reliquiæ ex ventriculo, biliosus vero humor ex jecore, ex glandulis item quibusdam aliis quæ hic quoque sitæ sunt, lenea humiditas saliva perquam similis descendit*, & infra: glandulas *raras & humidas quibus conceptacula ipsa committuntur, — humorem quendam quasi pituitosum gignere, quo inferior intestinorum tunica sublinitur. nam quod quæ salivam gignunt glandulæ, ipsam in os evidentibus venulis stillatim effundant, quodque totæ ejam fauces a glandulis ejusdem utilitatis causa humectentur, nemo est amplius qui nesciat. jam enim inter omnes dissectionis professores maxime constat*.

Non, inquam, hæc volo hoc in loco multum urgere, quæ etiam paulo ante cum de intestinorum glandulis sermo esset, prætermisi, neque vero alia ietare quæ supra sunt cum de Achillino diceremus, commemorata. Hic satis erit quærere, cur ubi de homine agitur, inter *salivarium scatebrarum* Inventores *Nuckius*, & *Casp. Bartholinus* qui suas in bestiis detexerunt, ponantur, cum his autem Rivinus ne memoretur quidem? aut cur in Pancreatico ductu retegendo cum Wirsungo

[1] Corp. hum. Disq. l. 1. P. 2. c. 7.
[2] Exercit. de Duct. Aquos. Tab. 10.
[3] De Purg. Med. Fac. c. 36.
[4] Thesaur. Anat. II. Ass. 4. n. 2. & 4.
[5] De Sem. l. 2. c. 6.

Digitized by Google

go *Hoffmannus* laudetur, qui (1) eum ductum non in hominibus, ſed in *gallo indico* monſtravit?

85. Quoniam ad Wirſungum ventum eſt; non dubito, te Vir cl. de ejus morte ſæpius legiſſe quæ a Graafio, Kerckringio, aliiſque conſcripta ſunt. Tradit ille (2) id quod verum eſt: Wirſungum A. 1642. *Patavii primum reperiſſe Ductum Pancreaticum, quem in Reip. Medicæ bonum ari inciſum publici juris fecit.* Sed hæc addit: *a quo plura potuiſſemus ſperare, niſi ab invidis nefarie in ædibus ſuis, eo forſan nomine, fuiſſet ſclopeto interceptus.* Kerckringius (3) autem de eodem: *a quo ne plura acciperemus, invidia, eum in flore ætatis ſclopeto, dum ſupra omnes anteceſſores ſuos in gloriosa Medicinæ cathedra quotidie de ignorantia ageret triumphos, perimenti, ferimus acceptum:* quæ (neque hæc tantum) Kerckringii verba, ſua deinde facit Munnickius (4). Hæc atque alia ejuſdemmodi quis commentus ſit, ad eoſque Clariſſimos, Honeſtiſſimoſque Scriptores detulerit, neſcio. Illud ſcio, cum Inclytæ Nationi Germanicæ quæ pulcherrimarum Artium ſtudio in noſtra Academia degens, meæ fidei commendata eſt, annis ſuperioribus auctor eſſem, ut Tabulam ipſam æream in qua Wirſungus retectum a ſe Ductum naturali magnitudine ſculpendum curavit, ſculptumque eidem Nationi donavit, ceu rarum Immortalis nominis Viri, & Sodalis quondam ſui tum Virtutis, tum Amoris teſtimonium, diligentiori cuſtodia in propriæ Bibliothecæ Ærario aſſervandam decerneret, atque ingreſſi eſſemus in eum ſermonem, a quo, & qua cauſa Egregius ille Anatomicus hic interfectus fuiſſet, cumque alii, ut fit, alia dicerent; illud, inquam, ſcio, veniſſe in mentem mihi, ut Acta inſpicerentur quæ a pluribus ſæculis, in ſingulos annos, ſumma fide ipſa Natio conſcribit, & conſcripta, diligenter aſſervat. Ibi homines mei amantiſſimi, cum Acta ſuperioris ſæculi protuliſſent; non quærendi modo, ſed etiam deſcribendi quæ ad Wirſungum ſuum pertinerent, mihi libentiſſime copiam fecerunt. Hæc igitur Tomo IV. pag. 80. Anno ipſo 1643. quo anno mortuus Wirſungus eſt, de ejus fato ab ejuſdem Civibus, atque Sodalibus conſcripta invenimus: *22. Auguſti illuxit fatalis dies Nob. Excellentiſſ. & Clariſſ. Viro D. Joh. Georgio Wirſung Philoſophiæ ac Medicinæ Doctori, Inclytæ Nationis noſtræ Aſſeſſori honorando, qui circa 24. noctis horam, ex ſolito, ſub propria domus janua, familiariter cum aliquibus Dominis Concivibus eodem contubernio utentibus converſatus, a D. Jacobo Cambier, ob neſcio quod odium privatum, ſclopeto majori, quod Carabinet vulgo dicunt, petitus, globoque transjectus cum ſanguinis copia ſimul & animam fudit, hæc verba identidem repetens „ ſer morto io, a Cambier, a Canshier.„* Hunc autem *Cambier* fuiſſe Dalmatam quendam, cum rei ſummula indicat, ad libri oram ex inſtituto ſic adſcripta: *Quidam Dalmata interficit ſclopo longo noſtrum Concivem ſub propria Domus Janua;* tum illa confirmant quæ in Actis ſubjiciuntur: *Interea facti hujus Author, ſuo Cognato Nicaſio Cambier, ut & alio quodam Dalmata comitatus, in hoc facinore comitibus, hoſpitio ſuo in qua pernoctarat, axiens, Pataviumque relinquens, fuga ſibi conſuluit.* Porro Wirſungus quo anno Patavium veniſſet, ex Albo conſtat laudatæ Nationis, in quo, more inſtitutoque Majorum, ſua ſe manu inſcripſit, *Anno*, ut ipſe vidi, *1629 die 8. Novembris.* Hoc autem toto annorum ferme quatuordecim ſpatio nullum docendi munus geſſit, tantummodo a Veslingio noſtro (5) inter diſcipulos, qui *maxime proſeverant*, ſelectus eſt qui ſibi *miniſter, vel inciſor, ut dicunt*, foret (6) quo in miniſterio *meritæ* ipſum *diligentiæ laude* celebravit. Itaque male natas illas de cauſis ipſius

[1] Vid. Bartholin. Anat. quart. renov. l. 1. c. 13.
[2] De Succo Paner. c. 1.
[3] Spicil. Anat. Proem.
[4] Anat. Præf.
[5] Præf. Edit. 2. Syntagm.
[6] Vid. etiam Molinett. Differt. Anat. l. 6. c. 5.

Digitized by Google

ipſius mortis ſuſpiciones evelli ex animis penitus, decet, quando ex tam antiquo, fideli, ac ſimplici teſtimonio conſtat, Wirſungum ob privatum quorundam Dalmatarum odium, non ob invidiam qua ejus Inventum, aut ejus Prælectiones (quæ, ut diximus, nullæ fuerunt) quiſpiam Patavii proſequeretur, ſic interiiſſe, ut hic plures alii ea tempeſtate, crebris in maximo Juvenum Exterorum numero inter ſe diſſenſionibus interierunt.

86 Ad Orationem tuam jam redeo, Vir cl. in qua porro, *Renales Papillas ab Euſtachio revelatas; —— expoſitos a Bellino Urinarios Tubulos* fuiſſe, dicis. Sed de his ut Falloppium, atque Euſtachium videndos alibi (1) indicavi; ſic viciſſim Renales Papillas jam ante Euſtachium *revelatas* fuiſſe, manifeſtum eſt. Nam, ut omittam quod tradidit Joannes Poſthius (2): *in renibus proceſſus mamillares primum obſervaviſſe D. Rondeletium, in cadavere D. Fontanoni, Collega ſui;* certe cum Fontanonus adhuc viveret A. 1542. (3); ſex ante annis Nicolaus Maſſa (4) diſerte ſcripſerat: in rene *verſus cavitatem, ubi ſunt pori uritides, videbis quaſdam caruncolas habentes figuras papillæ uberum, - - & dicunt, aquoſitatem —— per extremum papillæ mitti ad porum uritidem.* Sed verbum iſtud quo utitur, *dicunt*, non obſcure ſignificat, alios quoque priuſquam Maſſa hæc ſcriberet, papillas in renibus vidiſſe. Et ſunt revera qui has Berengario acceptas referant; ſed nec verba proferunt, nec locum ipſum ſatis deſignant. Verum tamen ſcribunt. Nam in *Iſagog.* ubi agit *de Renibus*, hæc invenio: *Prædicta lacuna* (quam nunc *pelvim* vocitant) *habet circa ſe panniculum ſolidum perforatum ultra decem foraminibus magnis: per quæ mediante certa Renis ſubſtantia parva ſimili papillis mamillarum mulierum in prædictam concavitatem naturæ emulget urinam.* Sed & in *Commentariis* quæ ſuperiore anno 1521. ediderat in Mundini Anatomiam *Comment. XIII.* ubi *de Renibus* ſcripſit, & de Injectionibus *per ſyringam aqua calida plenam* jam tum ab ſe in eorum vaſa inſtitutis; hæc tradidit: *in illa lacuna ſive in illo vacuo quod facit porus uritides, ſunt certæ carnes: quæ aſſimilantur papillis mamillarum mulierum: ſunt tamen minores: —— & prædictæ carnes papillares habent baſim verſus partem in qua terminantur rami venæ emulgentis & cuſpidem verſus lacunam pori uritidis. Et porus uritides nerveus eſt: perforatus foramine notabili ubi eſt cuſpis talis carnis papillaris, forte ut tale foramen non claudatur.* Foramina autem hæc pertinent ad eos quos nunc vocitamus *pelvis tubulos*. Vel hinc igitur vides quæ Bononienſi huic Profeſſori poterant in I. Oratione certiora fortaſſe anatomica Inventa tribui, quam quæ ſupra examinavimus.

87 Quæ porro ſubjicis: *Septum ſcroti deſcripſit Maſſa; Teſtium, ac Paraſtatæ Syphunculos exhibuere Arantius, & Graafius; Highmorus centro poſitum eorum fulcimen*; hæc quoque ejuſmodi ſunt, ut non ſine examine omitti poſſint. Nam *Teſtium Syphuneulos* fuiſſe ante Arantium indicatos, ſupra oſtendimus; *Paraſtatæ* autem *ſyphunculos* neque ab Arantio deſcriptos meminimus, & ante Graafium ab Highmoro (5), ante hunc autem ab Riolano, ut alibi demonſtravimus (6), propoſitos eſſe, conſtat. Ibidem pariter indicavimus, ab eodem Riolano *exhibitum* eſſe ante Highmorum id quod iſti ejus *fulcimini* in humanis teſtibus reſpondet.

Nam quod tu, Vir cl. hoc *centro poſitum* eſſe, ſcribis; id vero in beſtiis quibuſdam, non in hominibus ſic inveniri, Graafius (7) monuit. Hinc intelligis, iſtud *fulcimen*, ut ab Highmoro exhibitum eſt, ad tuum inſtitutum non pertinere; vel ſi pertineat, nihil eſſe cauſæ cur Maſſam quaſi primum Septi Scroti Inventorem, producas.

At-

[1] Epiſt. in Euſt. Tab. pag. 2x11. [2] Obſ. Anat. [3] Vid. Linden. de Scrip. Med.
[4] Lib. Introd. Anat. c. 18. [5] Corp. hum. Diſq. l. 1. P. 4. c. 2.
[6] Adv. l. ad n. 18. [7] Tract. de Viror. Org.

Digitized by Google

Atque olim quidem cum Maſſam ipſe memoravi [1]; qui ante hunc, illud indicaſſet Septum, ignorabam; ſperabam tamen, fore ut *vetuſtiora Majorum teſtimonia comperirem in Epiſtola quam Cl. Joh. Jacobum Ravium de Inventoribus Septi Scroti conſcripſiſſe*, intellexeram. Et quanquam antiquiora iis quæ ego protuleram, in ea Epiſtola non inveni; ipſe tamen poſtea incidi in Columellæ locum, ut in mea I. in Auctores Rei Ruſticæ Epiſtola ad Cel. Virum Jacobum Facciolatum ſcripſi; quo in loco (2) *media quaſi cutis, quæ intervenit duobus membris genitalibus*, hoc eſt, teſticulis, ea ratione memoratur, ut planum ſit, Columellæ minime ignotam fuiſſe membranam quæ teſtibus ſive inſtar communis utrique Septi (neque enim adhuc ſine ulla dubitatione ſtatuere id licet) ſive peculiaris ſingulorum Sacculi interjecta eſt. Si ergo quod in beſtiis Highmorus vidit, ad propoſitum pertinet tuum, ad idem pertineat neceſſe eſt quod Columella agens de Suum caſtratione commemoravit. Cujus ſi hunc unum attendas locum, aliquid fortaſſe mutatum cupias in I. Oratione; ubi videlicet hæc de Anatome in univerſum ſcripſiſti: 6 *poſt inventores Ægyptios exculta hæc ab Empedocle, Alcmeone, Democrito, Hippocrate, & Galeno, Romanis inde Profeſſoribus Celſo, Paulo Eginetæ, Aetio, Cælio Aureliano, Antonio Muſæ, Columellæ, aliiſque omnibus obſcura jacuit*. Quanquam, ne quid tecum diſſimulem, alia ſunt his in verbis, quæ magis flagitant mutationem. Nam; ut Ariſtotelem, Herophilum, Eraſiſtratum, Marinum, alioſque e Græcis illuſtres Anatomiæ Cultores, Auctoreſque reticeam, quos, inter Hippocratem, & Galenum memorari, decuiſſet; quid *Romanis Profeſſoribus* annumeras; mitto Columellam, & Cælium Aurelianum, quorum ille etſi neque Medicus fuit, & veterinariam medicinam, aliud agens, modica ſui Operis parte attigit, hic vero num medicinam Romæ, an apud Afros ſuos fecerit, neminem legiſſe memini qui doceret; latine uterque ſcripſerunt tamen; ſed quid *Romanis Profeſſoribus* accenſes Paulum Æginetam, & Aetium Amidenum, qui neque Patria, ut ex adjecto patet cognomine, neque incolatu, quod ſciam, neque vero, ut longe omnibus notiſſimum eſt, qua in ſcribendo uſi ſunt, lingua, Romani Profeſſores fuerunt, imo inter Græcos Medicos relati ſunt ſemper, hodieque referuntur?

88 *Seminales veſiculas primum indicaviſſe Ingraſſiam, ſecundum alios Rondeletium*, ſcribis. Sed mirum eſt, te, Vir cl. qui in nova *Hiſtoriæ* tuæ Editione tam ſæpe Hippocratem cites, incidiſſe nunquam in illa verba quibus Eruditiſſimorum non hujus modo, ſed ſuperioris etiam ſæculi Virorum judicio, ſatis ipſe eas Veſiculas indicavit (3): *Semen porro velut favus ab utraque veſicæ parte eſt*: quæ ſane, atque alia ejuſdemmodi in Hippocraticis libris obvia, *ſub quibus* nunc *te totum reponis*, tibi longe notiſſima credidiſſem, niſi Hippocratem *talem tantumque Virum*, & quem vel tu ipſe, ut paulo ante vidimus, inter eos certe a quibus Anatome *exculta* eſt, reponis, *ex anatomicis diſquiſitionibus, pro temporum ſuperſtitione, & incuriâ, vix quidpiam ſibi comparaſſe*, nuperrime pronunciaviſſes (*). Quæ autem addis: *Alghiſium Urethræ compoſitionem — illuſtraviſſe; — Terraneum* ejuſdem glandulas *internas; ejuſque tranſverſales, ſeu potius urinariæ veſicæ depreſſones muſculos Bidloum*; hæc omnia tu ipſe *illuſtres*, neceſſe eſt; Primum quid tandem in perpauciſſimis Alghiſii verbis ſit, unde *Urhetræ compoſitio*, quæ videlicet ignota, credo, aut obſcura eſſet antea, *illuſtretur*? Deinde quomodo eas Terraneus *illuſtraverit* glandulas de quibus tu uſque adeo ejus familiaris, ſive, ut Præſtantiſſimus Santorinus (4) loquitur, *ejuſdem Amicus, cui is ſua communicaverat*, tu, inquam, ipſo 212

[1] Adv. I. n. 18. [2] De Re Ruſt. l. 7. c. 11. [3] De Off. nat.
[*] Præfat. nova Hiſt. Hep. [4] Obſ. Anat. c. 10. n. 9.

Digitized by Google

jam mortuo, ſcripſeris (1): *nec datum adhuc fuiſſe* tibi *glandulas illas diſgregatas diſtincte conſpicere, quas pro ductuum hujuſmodi* (urethræ) *principiis ſtabiliebat laudatus Terraneus*, imo oſtenderis, neſcire te, ubi eædam, ſcilicet *vel in intimiori urethræ ſubſtantia, vel in corpore ſpongiformi, urethræ circumpoſito, vel alibi ultra eam ſupponendæ* ſint. Denique tranſverſales urethræ Muſculos qui *potius urinariæ veſicæ depreſſores muſculos* credas, cum hoc nomine (2) ipſe nobis rem profecto longe aliam deſcripſeris? Cæterum non modo *ſuſpenſorii majoris virilis Mentulæ Ligamenti*, ſed & Tranſverſalium urethræ Muſculorum tum Auctores, tum Illuſtratores cum ipſe olim in *Adverſariis* (3) laudaverim; hic illud addam, hos tamen muſculos videri mihi vel olim non fuiſſe ignotos Carolo Stephano (4), imo ab eo pictos eſſe in *Parergo* Tabulæ, capiti 20. libri II. ſubjectæ, & ad litt. D in hunc modum deſignatos: *Alii duo muſculi ad virgæ latera minimi.*

44 89 Porro *muliebria Ova enucleaviſſe Stenonem, genuinam rotundorum Uteri Ligamentorum fabricam Hornium, oviductus Falloppium, Noveſium cervicis uteri veſiculas, Swamerdamium uterina vaſa*, tu dubitari non poſſe, exiſtimas.

Verum quod ad *muliebria Ova* attinet; me quidem non præterit, A. 1667. ante omnes ſcripſiſſe Stenonem (5): *ſe non amplius dubitare, quin mulierum teſtes ovario analogi ſint, quocunque demum modo ex teſtibus in uterum, ſive ipſa ova, ſive ovis contenta materia tranſmittatur:* idque *alibi ſe ex profeſſo oſtenſurum*. Sed in *Obſervationibus* (6) quas A. 1675. edidit, *ſpectantibus ova viviparorum*, cum muliebrium ovorum nomine nihil ſe, præter notas jam diu Anatomicis veſiculas teſtium, cum aliis intelligere ſe ſe, oſtenderit; has autem non videri eſſe ova ſecundum Malpighii & ſententiam, & anatomiam, atque adeo ex ipſius Graafii obſervationibus petita ratione, in *Adverſariis* IV. (7) non obſcure indicaverim, cumque Celeberrimi Viri qui poſtea ſcripſerunt, eandem ſententiam, atque rationem copioſe, & docte confirmaverint; vehementer dubito non modo ne Steno, ſed ne alius quiſpiam vera adhuc *muliebria ova* viderit, nedum *enucleaverit.*

Num autem *genuinam rotundorum Uteri Ligamentorum fabricam enucleaverit Hornius*, etſi ex iis quæ ad Poſthuma Valſalvæ Scripta adnotavimus, alias judicare melius poteris; tamen ſatis erit in præſentia, ut judices ex animadverſione Graafii (8) de omiſſis in illorum fabrica venis Hornium, & merito quidem, arguentis, quando vel olim Euſtachius (9), qui princeps ejuſmodi *fabricam* obſervavit, venas in ſuis Tabulis non omiſerat. Quod vero *Oviductus*, hoc eſt, Tubas Uteri *euncleaſſe Falloppium*, non dubites, valde miror, cum Riolanus [10], Lindenius (11), aliique Graviſſimi Viri cenſuerint, *eleganter* illas ab Ruffo Epheſio fuiſſe *deſcriptas*, ubi (12) adverſus Herophilum, *fœminas varicoſis aſſeſſoribus carere*, exiſtimantem, ſe vero conſpexiſſe, affirmat, *e teſtibus enata vaſcula, atque utrinque varicis inſtar revoluta*, quæ *in uteri cavum perforata ſubibant: e quibus mucoſus quidam humor, ſiquis exprimeret, emanabat.* Nonnulla enim quæ pro Falloppio reponi poſſent, illudque in primis quod hæc Ruffus non in mulieris, ſed *in pecudis utero* vidiſſe ſe, ſcribat; haud ſatis intelligo cui tibi uſui eſſe queant, qui Mundinum *uterinas tubas* vel ſolo *ſeminariorum vaſorum nomine indigitaſſe* ante Falloppium, non dubitas (*), atque, ut ſæpius vidimus, ſeu quis in beſtiis, ſive in hominibus rem primus invenerit, non laboras.

Quod

[1] Manget. Theatr. Anat. Tom. II. pag. 32. [2] Ibid. Tom. I. pag. 423.
[3] Adv. I. n. 18. & IV. Anim. 21. [4] De diſſect. part. corp hum.
[5] Hiſt. Diſſ. Piſc. ex Can. gen. [6] In Bartholin. Act. Hafn. Tom. II. Obſ. 88.
[7] Animadv. 28. [8] Part. Genit. Defenſ. [9] Tab. XIII. & XIV. Fig. 2.
[10] Anthrop. l. 2. c. 35. [11] Medic. Phyſ. c. 7.
[12] De corp. hum. part. appell. l. 1. c. 29. [*] Orat. I. pag. 17.

Digitized by Google

Quod autem *Noveſium* ſcribis *cervicis uteri veſiculas*, *Swammerdamium uterina vaſa enucleaſſe*; primas velim animadvertas a Viro illo cl. ne nominari quidem, non modo ſatis non deſcribi, ante autem quam ipſe ſuas vulgaret obſervationes, non unum fuiſſe qui in uteri cervice diſerte veſiculas memoraverit, quod ex noſtris I. Adverſariis (1) intelligi poteſt. *Uterina* autem *vaſa*, arterias videlicet, itemque venas tum ſuperiores, tum inferiores, tum dexteras, tum ſiniſtras inter ſe jungi, cum ante Arantium, cui hæc quidam tribuunt, Falloppius (2) docuit; ſane Swammerdamii, aliorumque in iis vaſis *enucleandis* induſtriam magna ex parte ab eo uſque tempore occupavit.

90 Atque hæc de ventris tantum organis; nunc pauciora quædam de peculiaribus ſive thoracis, ſive capitis, & de communibus totius corporis partibus videamus. Lowero *primum compertam heliceam muſcularem cordis ſtructuram*, ſcribis. At Jo. Alphonſus Borellus (3), ſpiris fibrarum cordis propoſitis, *hanc*, inquit, *mirabilem ſtructuram primum mihi videre contigit Piſis, adſtante clariſſimo Malpighio anno* 1657. *poſtea novi alios eadem adnotaſſe; tandem Clariſſ. Louverus, & Laurentius Bellinus exactam cordis contexturam indagarunt & cæt.* qua de re ipſe quoque Malpighius [4] videri poteſt. Sed & biennio ante Lowerum, Anno videlicet 1667. Nicolaus Steno (5), *Modernos ſpiralem fibrarum ductum in corde detexiſſe*, *jam* ſcripſerat, ſive Piſanas illas, ut in Etruria tunc erat, deſignans obſervationes, ſive alias etiam quæ ipſas anteceſſiſſent. Nam Lindanum a Th. Bartholino (6) laudari, video, qui in elixato corde obſervarit, *a baſi fibras deorſum cochleato prorſus ductu circumductas*. Quanquam ejuſmodi, in corde, fibræ, non fuglſſe omnino videntur Andream Veſalium [7], qui eas quoque fibras in illius viceris deſcriptione commemorat, *quæ quidem orbiculatim cor ventriculoſque amplectuntur, at oblique ſecundum cordis longitudinem procedunt*. Porro *Bronchialia Sanguiduca vaſa Ruiſchium expoſuiſſe; bronchiales glandulas oſtendiſſe Borrichium*, dicis. Ego vero qui alibi de utriſque ſcripſi, hic tantum dicam, primum quod ad Bronchialia vaſa attinet; niſi adhuc verum eſt quod ſua tempeſtate ajebat Galenus (8), *a magna vena, quæ ſpinæ incumbit, venam aliquam in pulmonem tranſire, neque nos unquam vidiſſe, neque diſſectorum quemquam ſcripſiſſe*; niſi *pneumonicam*, ut Rolfincius (9) appellabat, venam, quam nunc *bronchialem* vocitant, *in pulmonem inſertam*, *& ſparſam* ab Nicolao Sammichelio primum (10), deinde a Fabricio ab Aquapendente demonſtratam eſſe, negamus; niſi demum ſpernimus quæ de eadem, vel iiſdem (numero enim, ac trunci inſertione, ut bronchialis arteria, diſcrepant) a Williſio, Bourdonio, Verheyenio, Cowpero, Heiſtero, aliiſque ejuſmodi Exercitatiſſimis Anatomicis, ſicut omnibus eſt notum, litteris mandata ſunt; ſed ſi contra venam aliquam bronchialem agnoſcimus; neceſſe profecto eſt, ut Cel. Ruyſchio non hanc tribuamus, quam ipſe (11) *negat adhuc ſibi videre licuiſſe*, *neque autem hic magis neceſſariam eſſe*, putat, *quam in hepate* venam aliquam arteriæ hepaticæ ſociam; tribuemus autem, ſi non bronchialem dumtaxat arteriam, ſed in univerſum *Bronchialia Sanguiduca vaſa* ab ipſo *expoſita* eſſe, affirmabimus. De *Bronchialibus* vero *glandulis* hoc unum dicam, tot, atque ejuſmodi, præter Borrichium, fuiſſe Auctores a me in *Adverſariis* V. [12] commemoratos qui illas propoſuerint, ut minime proclive ſit, Borrichium ſic ſine ulla dubitatione quaſi primum earum Inventorem laudare. Gaudeo tamen, illo meorum

[1] N. 32. [2] Obſ. Anat. [3] De Mot. Animal. P. 2. Prop. 37.
[4] Op. Poſth. [5] Elem. Myol. Specim. [6] Anat. quart. renov. l. 2. c. 6.
[7] De corp. hum. fabr. l. 6. c. 10. [8] De loc. aff. l. 5. c. 3.
[9] Differt. Anat. l. 5. c. 29. [10] Ibid. [11] Ad Epiſt. Probl. VI.
[12] Animadv. 41.

Digitized by Google

Adversariorum loco illud saltem videri esse effectum, ut tu, Vir cl. sententiam mutaveris, neque amplius Verheyenium, qui sane post illos omnes Auctores scripsit, *primum harumce* glandularum *Promulgatorem*, & *Indagatorem* (1) appelles. Quo libentius tecum has quoque meas dubitationes communico, si forte alia aliqua tibi placere, & quadantenus prodesse possit.

Nam & pro amicitia id cupio, & pro tua ista erga quasdam meas, in uvula saltem, & larynge habitas, observationes humanitate etiam debeo.

91 Itaque illud non satis assequi me, fateor, cur *extricatum* ajas *a Sylvio quartum cum tertio* cerebri *ventriculo communicantem Aquæductum*. A quo, obsecro, Sylvio dicis? Jacobo illo vetere; an Francisco de le Boe? Si a Jacobo dicis; jam major Magistro Discipulus (ut antiquiores Anatomicos prætermittam) Andreas Vesalius (2) satis clare ante ipsum descripserat, imo & pictura indicaverat nomine *Meatus ex tertio cerebri ventriculo in quartum sub cerebri natibus tendentis*. Sin a Francisco; quid, quæso; præterea hic *extricavit?* A *Tertio*, inquit, *Ventriculo sub Ponte nostro, Testibus & Natibus in quatuor ipsius extremis eminentibus ornato, Canalis vel Aquæductus est versum Quartum Cerebelli Ventriculum* (3). Sed hæc ipsa sunt quæ Vesalii descriptio, & Figura docent.

Neque ea ipsa nomina *canalis vel Aquæductus* ante hunc Sylvium fuisse incognita, vel unus satis superque ostendit Arantius (4), cum diserte scripsit: *canalis, vel aquæductus quidam est potius censendus, qui a centro cerebri, tertio scilicet vocato ventriculo, inter cerebellum, atque ipsam jam efformatam spinæ medullam, ad occiput descendens, confectos animæ spiritus in cerebri cisternam, aut sinum deferat.*

De *Arachnoidea* autem Cerebri *Tunica* quod videris indicare, hanc *Slado & Blasio* acceptam esse referendam; certe Præstantissimus Ruyschius (5) inter *primos* illius *inventores* hos ponit, sed æque tamen *Quinam* etiam, ac *Swammerdamium*, qui nempe omnes *consortum quoddam inter se fovebant A. 2665. & 1666.* Ego vero hic opus esse distinctione quadam, existimo. Nam quod ad superiorem ejus tunicæ partem attinet, nihil in præsentia est quod adversari huic Recentiorum Anatomicorum Invento, sciam. Quod autem pars ejusdem inferior, quæ videlicet tum Oblongatam Medullam operit, tum Spinalem comitata, intra vertebrarum cavum se se demittit, aut ab iis Cl. Viris, aut a *Tulpio primum detecta sit*, quod Bohnius (6), & Ridleyus (7) putabant; certæ quædam causæ sunt quæ me longe aliter cogant existimare. Julium enim Casserium (8) video illam præclare delineasse tum qua Oblongatam Medullam, & ab hac prodeuntes nervos late obducit, tum qua intra vertebras se se immittit. Cum hæc animadverto, tum Varolium (9) invenio qui ante Casserium hæc scripserit: *Firmatur autem tota spinalis medulla intra calvariam in propria sede respectu cerebri & cerebelli a quadam membrana tenui, lucida, atque robusta; qua mediante anterior pars medullæ annectitur cerebro, & posterior cerebello: ad quam posteriorem membranam extra spinalem medullam desinit spatium, quod quartum ventriculum vocant.*

Infra etiam de hac membrana fusius loquitur. Sed ego non plura proferam quam quæ satis sint, ut simul intelligatur, alia insuper quæ ætate hac nostra observata primum creduntur, a Varolio fuisse perspecta: Ubi igitur docuit, Infundibuli *foramen existere in medio* illius *membranæ*, hæc subjecit: *Hac itaque membrana ablata, sub ipsa quidam vasorum se mutuo intercussantium plexus apparet, quem si cuidam arrideret vocare rete mirabile, nihil*

[1] Manget. Theatr. Anat. Tom. II. pag. 261.
[2] De corp. hum. fabr. l. 7. c. 6. & Fig. 10. [3] Disput. Med. 4. n. 21.
[4] Anat. Obs. c. 7. [5] Ad Epist. Probl. IX. [6] Circ. Anat. Prog. 21.
[7] Anat. Cer. c.2. [8] Ad Spigel. l.10. Tab.9. & 7. Fig.2. [9] De Nerv. Opt. Epist. I.

Digitized by Google

hil curo. Removeo deinde hæc omnia vasa, unde tanto magis conspicua evadit reflexio spinalis medullæ in anteriora, atque progressus ad superiora: si vero talis membrana removeatur etiam a subjecta spinali medulla versus posteriora (quam remotionem cæteri vel vanam, vel impossibilem existimarunt) detegitur series quædam fibrarum transversalium cum eminentia, & distinctione a fibris rectis spinalis medullæ; est autem ille processus cerebelli, quem pontem appello; hoc est, quem *Protuberantiam Annularem* nunc vocant, cujus *tractus*, sive *strias*, præter novum illud *rete mirabile*, vide ut Varolius perspectas habuerit.

92 *Aurium Tympanum, & Labyrinthum protulisse in medium Casserium, atque Coiterum; Achillinum Incudem, & Malleum*, ipse pronuncias. Sed, ut monuit Eustachius (1), ne ipse quidem Achillinus *sibi tantum sumpsit, ut inventionis sibi palmam vendicaret:* ex quo intelligere debemus, etsi Achillinus primus omnium quos legerimus, iis de ossiculis scripsisset, videri tamen ab alio aliquo fuisse inventa, primumque demonstrata. Nam *Tympanum, & Labyrinthum* neque a Casserio, neque a Coitero primum fuisse proposita, satis superque *ex Anatomicis* Falloppii *Observationibus* intelligitur. Neque tamen quidquid nunc vocamus *Labyrinthum*, nedum *Tympani* cavitatem Falloppius princeps deprehendit. Aristoteles (2) enim hæc scripserat: *Pars* auris *interior forma anfractui cochleæ similis.*

Et ante hunc Empedocles *audire nos*, censuerat, *aere partem intimam aurium impellente, eam siquidem in modum cocleæ obvolutam, ac tanquam tintinnabulum edito in loco suspensam, irruentis aeris pulsus omnes agnoscere:* quod in libro extat Galeno adscripto *de Historia Philosophica* (3). Quod si nos haud satis hæc movent quæ ab Eustachio (4) etiam, aliisque sunt animadversa; Corn. Celsi (5) verba insuper adjiciamus: *In aure quoque primo rectum & simplex iter procedendo flexuosum fit. Quod juxta cerebrum in multa & tenuia foramina diducitur, per quæ facultas audiendi est:* quæ quidem nisi conspecti jam essent quadantenus Canales Semicirculares, scribi potuisse non videntur; & sane de his quoque Rubeus (6) hunc Celsi locum interpretandum esse, censuit. Quod ad *Tympanum* autem attinet; res quidem multo clarior est. Nam siquis etiam illa velit minus attendere quæ inter Hippocraticos occurrunt libros (7): *Foramina aurium ad os durum, & siccum lapidi simile pertingunt. Jam vero ad ipsum os est cavitas antrosa. --- Pellicula vero in aure juxta os durum tenuis est, velut aranei tela;* at aliorum negligere verba non poterit, qui Tympanum, ante Falloppium, manifesto proposuerunt, ut Berengarii (8) qui exposuit nomine *certæ vacuitatis, quam claudit quidam panniculus subtilis, & solidus --- Et huic panniculo intra prædictam vacuitatem adjacent,* inquit, *duo ossicula parva:* quam *vacuitatem* alibi vocat (9) *concavitatem anfractuosam*, & *cavernam;* vel etiam ut Massæ (10), qui *esse cavitatem* dixit *quandam rotundam, quantitatis unius ungulæ, & istam cavitatem tegi a quadam membrana subtili dura, --- supra quam membranam intus sunt duo ossicula ad modum malleorum timpani & cæt.*

Cum vero de *cochleæ spirali lamina* sic loquaris, ut minime liqueat, velisne hanc a Præcl. Verneyo *inventam*, an *oculis* tantum *accuratius subjectam;* æquum est, hoc alterum potius a me credi, quam ea quæ Eustachius (11) de eadem scripsit, tibi incognita existimari.

93 Quod autem *Eustachium* Auris *Tubam revelavisse*, diserte subjicis; magis vulgata Aristotelis (12) verba sunt

[1] Epist. de Audit. Org. [2] Hist. Animal. l. 1. c. 11.
[3] Tit. de auditu. [4] Loc. cit. [5] De Medic. l. 8. c. 1.
[6] Annot. in hunc loc. [7] De Carn. [8] Isag. ubi de Aurib.
[9] Comment. 37. in Mundin. [10] Lib. Introd. Anat. c. 41.
[11] Loc. cit. [12] Hist. Animal. l. 1. c. 11.

Digitized by Google

sunt, quam ut dissimulari a me queant: A parte auris *interiore meatus ad cerebrum nullus est, at in oris palatum usque semita pertendit*. Quid? quod ad Problemata quædam de auditu, ejusve organo solvenda, mihi quidem videtur ista eadem *semita* ad eundem modum esse usus ad quem Recentiores Anatomici uti solent, ejusque viæ cum via respirati aeris communicationem, & quam ad audiendum requiratur ut illa pateat, nullaque turbetur ratione, non ignoraſſe: ut cum sciscitanti (1), *cur nonnulli cum suas inscalpunt aures, tussiant?* respondet: *An quia sensus audiendi foramen cum pulmone, canalique ab asperitudine cognominato fortitur? indicium, quod his ipsis repletis, obseptisque, homo surdescit*; vel cum quærenti (2): *qua de causa, oscitantes, minus audire possimus?* satis sic facit: *An quod multum spiritus effluentis inter oscitandum aures etiam intrinsecus subit? — Igitur cum interior renititur exteriori illi occurrenti, efficitur, ut motus interioris strepitus motum exterioris retorqueat, atque offuscet*. Valsalvam autem nostrum cum de aliis multis, tum de hac potissimum Anatomes parte egregie meritum, cur *tertium mallei musculum revelaviſſe*, pronuncies, non sane video. Neque enim ipse *novum* esse, dixit; imo ut de proposito ab aliis musculo est locutus, cum videlicet in libri ora adnotavit (3), cur *aliqui* hunc *non admitterent*. Et revera is musculus *Externi* nomine descriptus fuerat a Verneyo (4) qui Casserii musculum, aliquanto potiori jure Externum appellandum, omisit. Hunc Casserii *Musculum Processus Minoris Mallei*, illum vero *Processus Minimi* Valsalva dixit, ut *Processus Majoris* Internum longioremque illum vocavit qui ab Eustachio olim inventus fuerat. Postremo scribis, *Eustachium durum* acusticum *Nervum affabre prosequutum esse; Falloppium huic traditum canalem osseum, seu Aquæductum exposuisse*; quasi vero Falloppius idem in quo libello (5) duri Nervi canalem, in eodem vel fusius, ac operosius quam ipsum canalem, ejus nervi incessum persecutus non esset. Certe Eustachius cum post Falloppium scriberet, non modo cum hoc in eo contendere non est aggressus, sed *de eodem incessu* dixit (6), sibi *loqui non esse opportunum*. Quod si non descriptiones, sed delineationes attendimus; neque certum est, Eustachium, antequam Falloppium legeret, nervi illius incessum pinxisse; neque tamen hunc tantum pinxit, sed canalem quoque ipsum osseum (*), nisi ego quidem plurimum fallor, delineavit.

94 Verum illud magis miror quod ais, *Turbinata ossa Schneiderum edocuisse*. Nam si de re ipsa sermo sit; hanc 46
vetustissimis Anatomicis non ignotam fuisse, Galenus (7) indicat, scribens, *satius fuisse ipsa (ossa hæc admodum foraminulenta, & cavernosa) non magis ἰδμοειδῆ appellasse, quam a spongiæ similitudine σπογγοειδῆ, quemadmodum Hippocrates ea comparavit*. Atque ut ad minus antiqua tempora descendamus; certe Ingrassias præsertim (8) haud brevem mentionem fecit de *hujusmodi spongiarum, pumicumve instar asperis ossiculis, septum* nasi *versus oblique sæpenumero contortis, & gibbosis*, quæ *viatoriam perulam referre*, dixit. Illud quoque minime prætermittendum est quod, ut a Fernelio acceptum, scribit Riolanus (9): *spongiosa ossa constrvi, & componi ex tribus ossiculis cavernosis seriatim contextis, ita ut unum alteri superjectum sit*. At si & de re multo diligentius descripta, & de nomine simul loquamur; utrumque certe in eo Casserii nostri Capite reperitur quod diserte *de Turbinatis Ossibus* inscriptum est (10). Quo ex Capite cum verba pleraque, Casserio nominatim

[1] Probl. Sect. 32. 6. [2] Ibid. Sect. 11. 29.
[3] De Aure Hum. c. 2. n. 7. [4] De Aud. Org. Part. I.
[5] Obs. Anat. [6] Epist. de Aud. Org. [*] Tab. 44. Fig. 2.
[7] De usu Part. l. 8. c. 7. [8] In Gal. de Off. c. 1. comm. 8.
[9] In Gal. de Off. Comm. c. 8. [10] Pentaest. l. 3. c. 6.

Digitized by Google

tim laudato, Schneiderus in librum (1) tranſtulerit ſuum; atque adeo cum tu ipſe, Vir cl. alibi, (2); ſcripſeris: „ quæ a plurimis *oſſa* vocantur *ſpongioſa*, -- a te cum *Caſſerio*, aliiſque „ accuratioribus Anatomicis vocari *oſſa turbinata*; „ non injuria, opinor, mirari me, dixi, cur hic pronuncies, *Turbinata oſſa Schneiderum edocuiſſe*. Veniam quoque dabis, ſi candide fatebor, me non ſatis aſſequi quod ſubjicis: *Malpighium reticulare corpus* in lingua, *Heiſterum vaginales tunicas evulgaſſe*. Neque enim Amicus hic meus Eruditiſſimus (3) tegumenta linguæ proponere ſe dixit, ut nunquam deſcripta, ſed dumtaxat ut *nuſquam adhuc delineata*. Quinetiam ait in *Programmate de Inventis Anatom.* ſe linguæ *tunicam reticularem*, *quam ab aliis recte delineatam non novit*, ea *figura illuſtraviſſe*; ut non intelligam, cur non hanc quoque alteram tunicam (ſive reticulare corpus) *evulgatam* ab eo dicas, quando primam dicis; nam certe utraque cum jam diu nota eſſet, ab ipſo pariter fuit eadem delineatione illuſtrata.

95 In illis autem verbis: *Qui non — excoluit — in Venarum valvulis Aquapendens*? viciſſim eſt unde, Vir cl. te laudem. Neque enim, ſi vera fateri volumus; Venarum Valvulas primus ipſe vidit, aut memoravit, quamvis ſcripſerit (4), *ad ſuam uſque etatem tam priſcos*, *quam recentiores Anatomicos adeo latuiſſe*; *ut non ſolum nulla prorſus mentio de ipſis facta ſit*, *ſed neque aliquis prius viderit quam A. D.* 1574. quo videlicet ipſe anno obſervavit, etſi anno tantum edidit 1603. Nec tamen hæc dico aut propter Jo. Poſthium (5), qui *femorarias venas circa diviſionem ipſarum inſignes habere valvulas*, tradidit, aut propter Archangelum Piccolhominum (6), qui docuit, *in mediis venis reconditas eſſe innumerabiles pene valvulas*, *quemadmodum in orificiis vaſorum cordis*, — *idque ex parvis venarum intervallis*, *alias ſurſum*, *alias deorſum ſpectantes*, harum exemplo prolato *ubi vena cava diducitur in jugularem externam*, *& internam*, illarum vero *in inferioribus venis*. Quamvis enim neuter horum imitatus ſit Andream Laurentium (7) qui ejuſmodi *oſtiola* non ſe quidem, ſed *recentiores quoſdam obſervaſſe*, confeſſus eſt; imo Archangelus rem hanc *magni momenti*, *ab omnibus prætermiſſam* ſe *comperiſſe*, affirmaverit; Salomon tamen Albertus (8), qui ipſe quoque ante Fabricium de his Valvulis plura edidit, imo duobus, quos primos omnium habemus, Iconiſmis propoſitis, earum aliquas monſtravit; quo erat candore, minime ſiluit quod audiverat, ante ſe, id eſt *anno* LXXIX (Sæculi XVI.) *ineunte Hieronymum Fabricium ab Aquapendente anatomicum*, *& chirurgum clariſſimum*, *Patavii ſpectantium oculis ſubjeciſſe oſtiola in venis*. Veruntamen multis antequam Fabricius vidiſſet hæc, annis tum Veſalio (9), ut alias indicavi, Cananus dixerat, *ſe in venæ conjuge carentis initio*, *& in ſectionum venarum renes adeuntium*, *& in ſectionum venæ juxta elatiorem ſacri oſſis ſedem occurrentium orificiis*, *membranas ejuſmodi obſervare*, *quales in venæ arterialis*, *& magnæ arteriæ occurrunt principiis*; tum vero Jacobus Sylvius (10) (quæ loca etiam Riolano, aliiſque, nunc video, eſſe animadverſa) tradiderat: *Membranæ quoque epiphyſim eſſe in ore venæ azygi*, *vaſorumque aliorum magnorum ſæpe*, *ut jugularium*, *brachialium*, *cruralium*, *trunco cavæ ex hepate proſilientis*, *uſus ejuſdem cum membranis ora vaſorum cordis claudentibus*. At his quæ addiderit, & quæ item in his emendarit Fabricius, manifeſtum eſt. Itaque cum quæris: *quid non excoluit in Venarum valvulis Aquapendens?* recte quidem, & docte *excolendi* verbo uteris. Sunt tamen

[1] De Oſſe Cribrif. [2] Duct. Lacr. Part. I.
[3] Comp. Anat. Expl. Fig. 20. [4] De Venar. Oſtiol. [5] Obſ. Anat.
[6] Anat. Prælect. l. XI. Lect. 3. [7] Hiſt. Anat. l. 4. c. 7.
[8] Obſ. Anat. [9] Exam. Obſ. Fallop. [10] Iſagog. l. 1. c. 4.

Digitized by Google

tamen quædam in iis Valvulis quæ Posteris *excolenda* reliquit. Exemplo sint quæ Kerckringius addidit (1) de valvulis *ternis sæpe a se repertis in venis hominum*, itemque de valvulis, *quæ affixæ sunt venis, ubi ramos majores emittunt, quæ differunt longe figura ab aliis venarum valvulis: non enim*, inquit, *lunæ crescentis, sed pyri oblongioris formam referunt.* Quanquam hoc videtur non modo observatione alterius Celeberrimi Anatomici, verum etiam iis quas olim Salomon Albertus (2) ediderat, confirmare potuisse. Hic enim scripsit: *ad exortus emulgentium* (venarum) *in bobus visam esse membranam triquetram, ostio emulgentium subter ita prætensam, ut una cum eo repræsentaret quasi corpus terræ umbram in plano abs se projicientis. Nam emulgentis orificium, orbis forma est, ipsa vero membrana, trigoni specie. Ejusmodi membranas passim occurrere tam in cavæ trunco majore, dum per dorsi declive defertur, quam in cruribus, ramorum minorum ostiis inferius præfectas. Majores enim ramos alteras illas, de quibus mox dicetur, συμφυδεῖς membranas adipisci.* Quæ tametsi cum Kerckringii observatione, atque adeo cum vero (quod ad hominem certe attinet) non cuncta conveniunt; figura tamen ab Alberto descripta mirifice cum iis convenit, quæ a Kerckringio in vena cava equina, humanaque delineantur.

96 Quæ autem addis: *Habere nos lymphatica vasa a Jolivio, Rudbeckio, & Bartholino deprompta, depromptas a Ruischio eorum valvulas;* vide, quæso, num æque proprie ac superiora illa, dicantur. Hic enim Summus Anatomicus Opusculum illud suum quo vere eas valvulas, siquis alius, evidentissime demonstravit, inscripsit ipse *Dilucidationem Valvularum in Vasis Lymphaticis, & Lacteis*, profetsus (3) *& alios*, quos candide nominat, *ante se* (*quanquam non ita dilucide*) *in Lymphaticis valvulas observasse*. Et sane Rudbeckius præsertim (4) ea vasa sic descripserat: *Sunt ex membranis conflata, intus infinitas habentia valvulas, exterius nodosa & cæt.* Quod si Vir Candidissimus tunc novisset quæ, Opusculo illo suo, *paucas ante septimanas edito*, protulit Blasius (5); omnino ne ipse quidem reticuisset, *jam Anno 1664. 28. Junii Lugd. Batavorum præsente D. Nicolao Stenonis* Swammerdamium in vasis lymphaticis flatu distentis, exsiccatis, & denique secundum longitudinem apertis, ut III. apud Blasium Figura ostendit, illas ipsas valvulas oculis penitus subjecisse: quibus de rebus haud inutile tamen erit Swammerdamium ipsum consulere, idem tempus, sed alium locum, aliosque testes memorantem in *Tractatu de Respiratione* (6). Cæterum in lacteis venis si non luculentissime demonstratæ, & sub oculos ipsos positæ; statim certe fuerunt valvulæ animadversæ, neo perpaucissimis verbis descriptæ; ut non intelligam, cur Almeloveenius, Vir alioqui Eruditissimus, in eo libro quem inscripsit *Inventa Nov-antiqua* (7) omnino adnotandum existimaverit, se *primam valvularum in lacteis venis mentionem factam legisse apud Cæcilium Folium.* Nam quo in libro primum venæ lacteæ descriptæ fuerant, in eodem ipsarum valvulæ propositæ sunt. *In his* canalibus, ipse inquit Asellius (8) *illud admiratione dignum, quod pluribus valvulis, sive ostiolis interstincti sunt, sive intercisi, quas ego valvulas, sæpius vanescente jam chylo, instar minutissimorum veluti marsupiolorum, aut concretarum guttularum, stillarumve, dependere ex illis, non modo, qua comitantur intestinis, sed etiam in reliquo ductu animadverti.* —— Hæ valvulæ *intus foras spectant*: & alibi (9): Harum valvularum *usus est impedire, ne quod semel haustum est materiæ, inani, atque*

[1] Spicil. Anat. Obs. 4. [2] Loc. cit. [3] Præfat.
[4] Exerc. de Duct. Hep. c. 7. [5] Append. ad Vesling. Part. 23.
[6] Sect. 3. c. 2. n. 6. [7] §. 23. [8] De Lactib. c. 18. [9] C. 28.

Digitized by Google

que irrito labore, remeet vicissim, ac restagnet in partem, unde haustum est. Id, quod adeo exacte hic præstant, ut nec digitorum compressu, nec alio nisu ullo retro cogere unquam, semel conceptum in iis liquorem, etsi varie id conatus, potuerim. Quæ cum duodecim annis ante quam Folius scriberet, edita essent, non est igitur apud hunc *prima* earum valvularum *mentio*, nisi forte (id quod neque ibi quærebat, neque attendit Almeloveenius) in lacteis hominum vasis, quemadmodum supra indicatum est. Scilicet Viros, quantumvis doctos atque eruditos, nonnunquam memoria fallit.

Sic Highmorus (1) dum venas lacteas a Falloppio visas, atque adeo *perlustratas* esse, demonstrare contendit, hæc ejus verba protulit: *In sima hepatis parte sunt meatus quidam minimi, qui desinunt, & terminantur in Pancreas, & in glandulas ibi proximas; qui minimi meatus succum quendam oleaginosum, album, & ad aliquam amaritudinem tendentem, deferunt.*

Sed Falloppius (2) eum succum, non *album*, *sed flavum* esse, scripsit, quod & Asellius, & Riolanus confirmant, qui de ea Falloppii observatione ante Highmorum meminere, omnesque cognoscent, qui cum Falloppii libro verba illa, ab Highmoro haud satis accurate producta, contendent. Quod si Highmorus cum ea scriberet, non lactea solum, verum etiam lymphatica vasa perspecta habuisset; vix dubito, quin potius conjeciisset, meatus a Falloppio descriptos, illos ipsos esse quos in duabus proximis Tabulis (3) inter simam hepatis faciem, & pancreatis interiora ductos, pro vasis lacteis, cum lymphatica revera essent, Highmorus ipse demonstravit. Huc illa faciunt quæ litteris mandavere cum Glissonius (4) de causa cur lymphæ ductus ex hepate prodeuntes, *serius innotuerint*, inde videlicet petita quod *simillimum vero sit*, hosce cum aliis vasis intra pancreas *sæpe abscondi*, tum præsertim Franciscus Sylvius [5] de folliculi fellis vasis hyphaticis, quæ, *sicut Hepatica, liquorem flavescentem vehere — se sæpius animadvertisse, & aliis quoque — ostendisse*, testatur. Eadem enim Falloppio accidisse, nihil prohibet. Itaque etiam Th. Bartholinus Anatomicus Eruditissimus (6), quem inter lymphæductuum *Depromptores* merito nominas, minime negavit, meatus illos Falloppii, sua *vasa lymphatica* fuisse. Verum ut Falloppius, multoque magis Asellius, Highmorus, & quotquot lacteas venas, in hepar tendentes, se vidisse, scripserunt, lymphæ ductus, quamvis non agnitos, conspexerunt; sic vicissim se & vidisse, & agnovisse tribus ante cæteros lustris, affirmavit Schneiderus [7], cujus huc verba, a paucis animadversa, transcribam, quanquam ab Doctissimo etiam Professore Joh. Guilielmo Pauli (8), ut Walæi quoque supra adductum locum, indicata esse, nunc video: *Extant in corpore etiam Aquæ ductus, eo nomine eos appellabam, cum anno 1636. in Academia Jenensi notarem. Locupletissimus testis præsto est. Eum nominatim ciere quid attinet? Illorum positionem, ordinem, figuram, ac reliquas conditiones exactius persequi distuli, iter in peregrinas oras capiens. Vasa Lymphatica postmodum perquam commode cognominata fuere.* Sed Rudbechii, Jolivii, aut Bartholini Fautores, siqua alia in re, in hac certe locupletissimum testem *nominatim ciere* attinuisse, contendent. Quod vero.....

Hactenus ad Amicum; sic enim credebam; ea scripseram, quæ, Vir Doctissime, legisti. Restabat, ut quædam adjicerem non de iis modo quæ in VI. illa Oratione ponuntur, sed de iis etiam quæ omittuntur. Cum enim

[1] Corp. hum. Disqu. l. 1. P. 2. c. 7. [2] Obs. de Venis, Obs. 3.
[3] Tab. II. & III. [4] Anat. Hep. c. 31.
[5] Disq. Med. 6. n. XI. & de Meth. Med. l. 1. c. 10. n. 2.
[6] Anat. quart. renov. l. 1. c. 13. [7] Lib. de Catarrhis specialiss. in ipso fine.
[8] Annot. in Horn. Microc. §. 30. & 28.

Digitized by Google

eorum ſuſcepta eſset commemoratio qui a Mundini ætate ad annum uſque 1723. Rem Anatomicam auxerunt; cur Alexander Benedictus, Carolus Stephanus, alteruter Sylvius, Jo. Baptiſta Carcanus, Vidus Vidius, Archangelus Piccolhominus, Jo. Riolanus, Adrianus Spigelius, Caſp. Bauhinus; cur, ut multos alios præteream, Redius, Dodartius, Lanciſius, Meryus, Ravius, cur horum ſimiles qui apud cultiores fere cunctas Nationes adhuc vivunt, tot alii de Anatome egregie meriti Scriptores omiſſi ſunt? Verum ne hæc, atque alia adderem, omniaque (id quod paucis perfeciſſem diebus) emendata, multiſque etiam in locis magis emollita, extremâ denique impoſitâ manu, cum illo tantum cujus gratia conſcripta fuerant, communicarem, ea nimirum cauſa factum eſt quam a principio demonſtravi. Tu, ſi me amas, his qualeſcunque ſunt, litteris ad eam potiſſimum rem uteris, cujus rei gratia ad te mittuntur. Hoc in præſentia mihi optatius facere nihil potes. Vale.

D. Patavio Idib. April. CIↃ IↃCCXXVI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA ANATOMICA II.

AD ea quæ curſim, & aliud agens in *Hiſtoria Hepatica* notaveram, invenit tandem poſt annos ſeptem Auctor ejus cl. quid reponeret, cumque plurimum, ut qui me nondum bene videtur noſſe, ne ſecum ejuſmodi contentionis ferram reciprocarem, vereretur, & ne ipſi gloriam hanc fortaſſe inviderem, ut ſicut primus, ita & poſtremus in laceſſendo foret; in id omnes intendit nervos, &, ne quid diſſimulem, egregie denique, ac ſe ipſe, ſi dicere fas eſt, ſuperans, etiam effecit, ut, non modo mihi, ſed & omnibus nullæ ad ipſum reſpondendi partes neceſſariæ amplius videantur.

Hiſt. Hep. pag. 899. & 900. 2. Nam (ut a primis ejus Animadverſionibus incipiens ex ordine venias ad extremas) videbis in duabus primis, Vir Doctiſſime, nihil eſſe omnino ad quod oporteat reſpondere, niſi forte quiſpiam, vel quod eſſet *cavæ totius regionis Hepatis centrum*, vel quæ *regio ejus ima*, *& poſtica*, prorſus ignoraret. Verumtamen de his, ſi voles, alibi (1).

912 3 Ad tertiam autem Animadverſionem, multo minus eſt cur quidquam reponam. Nam primum, quod ipſe nondum intellexit, ſatis ſuperque intelligunt omnes, me cum ipſo nunquam, ſed cum Præcl. Mangeto, & ibi quidem *ad hominem*, ut loquuntur, diſputaſſe. Deinde me huic Malpighii, Nuckii, Reverhorſtii loca, & *contraria*, & quæ *ſupra*, aut *infra*, in *Theatro* probaret ſuo, diſerte objicientem, non iſta profecto quæ mihi Animadverſio ſupponit, intelligere potuiſſe: videlicet non verba ex Malpighii exercitatione *de Hepate*, quam Mangetus 913
omiſit, ſed ex Epiſtola *de Gland.* quam propoſuit; non XI aut XV. Nuckii Figuras (2) ad aliarum partium glandulas attinentes, ſed illam quam Animadverſio tranſilit, XIV. quæ tamen una, ut ex Nuckii deſcriptione omnes ſciunt, ad rem pertinebat, nimirum ad *Glandulas ad concava Hepatis portæ adſitas;* non denique II. Re- 915
verhorſtii Figuram (3) neque cavam hepatis faciem, neque glandulas exhibentem, ſed dumtaxat III. in hac autem quod contra cl. Provocatorem evidenter eſt, expectabimus dum homines ipſius gratia credant *ſolo mentis luſu fuiſſe præſtitum* a Reverhorſtio graviſſi- 914
mo Viro: neque tamen hoc faceret quo minus illud a Præcl. quocum diſputabamus, Mangeto probatum jam eſſet. Nihil enim ad nos, ſi vel *intolerandis*, ut alibi Provocator dictitat, *erroribus* ambo illi Iconiſmi ſcaterent, quamquam in altero id quod plurimum reprehendit, & ceu *nuſpiam in hominibus viſum* miratur, mirari nos poſſumus ab Auctore tantum *Hiſtoriæ Hepaticæ numeris tandem omnibus abſolutæ* adhuc ignorari, de quo quidem aliiſque ejuſcemodi opportuniore loco agemus (4); in altero autem Iconiſmo id tanquam certiſſimum arripitur ad reprehendendum, de quo ejus Explicatio prorſus ſilet, contra vero *id prorſus ignotum eſſe* dicitur, quod eadem Explicatio aperte docet ad litteras *h. h.* ſed de hoc in proxima Animadverſione.

4. Hic illud minime eſt prætermittendum quod omnem reſponſionis neceſſitatem tollit: hanc pro nobis Animadverſionem pugnare, cum Bartholi- 916

[1] Vid. ſupra Epiſt. I. Artic. 24. 25. & 14.
[2] In Mangeti Theatr. Anat. Tab. LIII.
[3] Ibid. Tab. LXII.
[4] Vid. Epiſt. I. 33.

Digitized by Google

num laudat, qui si *non semper*, at *modo*, cum Rudbeckium exhibet, qui si non omnes, at *perplurimos ac interdum omnes* hos hepatis lymphæ ductus *glandulas*, aut *glandulam quandam* ingredi vidit, cum denique ipsum producit cl. Provocatorem *non revera negantem*, *dari etiam in ipso homine* hoc *posse*. Erat enim hæc nostra dissensio: Ipse in summa suarum ab aliis discrepantium observationum sine ulla dubitatione ita
201 scripserat: *in omnibus animalibus præsentia sunt hepatis limphatica: In quibus autem observabiles sunt hæ glandulæ, easdem solum superscandi a limphaticis, non intime penetrari, manifeste adnotavimus*. Ego vero *credere* me, scripsi, (1) Mangetum ipsum *dubitaturum*, *huic ne potius uni*, quam tot aliis; at quibus Viris! aliter docentibus *crederet*.

De eo igitur quod ex illius observationibus contra tot aliorum observationes colligebatur, dubitare non liceret? Imo, ipso auctore, jam licet. Neque enim, iis quidem in verbis, illa erat nostra dissensio, an illam *penetrationem* agnoscere *necessario oporteret*, multoque minus an illi ductus ab iis *glandulis orirentur*, nullo autem modo (nam hoc quoque *obtrudere* Animadversio videtur) *de his* erat dumtaxat *humanis cadaveribus*, sed erat de his *omnibus animalibus*, *quæ ipsi observabiles præbuerant has glandulas*: quamquam jam supra quod olim observaverat, & hic *confirmat*, in dubium traxit, imo qua solet constantia, in *subjectis* etiam humanis, longe aliter habere se, docuit, ubi videlicet scripsit:
906 *has* glandulas *Lymphatica hepatis trajiciunt, vel earum dorso prorepentia, vel per intimum etiam corpus interdum transmissa*.

5. Quarta Animadversione Provocator cl. tria tentat, ad quæ nihil attri-
917 net respondere. Non ad primum, nisi quis forte sit aut tam ineptus, ut de incertissimo aliquo pronunciato dubitanti *incumbere putet* contrarium *ostendere*, aut tam *facilis*, ut existimet, prima lymphæductuum initia, quæ sub sensum cadere vel nullo modo, vel 918
difficillime possunt, ea sic posse demonstrari, ut *non solum autopsia*, *sed etiam ratione constet*, cum demonstrata initia, prima illa esse, tum *nullum* de 920
innumeris *vas lymphaticum in partibus animalis omnibus* non sic nasci, præsertim; ut nunc cætera omittantur; cum *Nuckius*, *accuratissimus ille Nuckius*, ex iis quæ in vitulino splene, aliisque humanis partibus observaverat, se conjecisse, professus sit, *Vasorum Lymphaticorum principia ab arteriarum surculis emanare*, *idque aliquando intermedia vesicula*, *aliquando deficiente vesicula*, *immediate ab ipsa arteria*, *venave*.

6 Ad secundum autem sane respondere necesse esset, si vel levem aliquam veri speciem haberent quæ fidenter nimis non secus ac si verissima forent, in Animadversione *obtruduntur*.

Verum enimvero, ubi quis illum perlegerit ad quem Animadversio provocat §. V. in quo de cavæ, de con- 920
vexæ hepatis partis, de cystis felleæ lymphaticis vasis verba fiunt, prima autem *omnia* (in hac enim una voce, a me notatus, error est) prima, inquam, *omnia* videbit ex eo unde ego retuli, loco prodire scribi, cum meam non desiderabit fidem, tum vehementer mirabitur, primum hanc temere insimulari, deinde laudatam in Animadversione Tab. III. a meis ipsam partibus stare, ut quæ lymphatica vascula non omnia ex eo loco prodeuntia demonstrat. Sed ubi alteram (2) ex illis de quibus supra dictum est, Reverhorstii Figuris, ejusque Explicationem inspexerit; tum vero majorem in modum mirabitur novum istud genus admirationis, quo se cl. Provocator perculsum ostendit, quasi ego Lectoribus, si Diis placet, imposuissem, cum scripsi nimirum, ipsum quidem tradere, lymphatica vasa, quæ *super convexam hepatis partem serpunt*, *iter habere per suspensorium ligamentum usque* (quam vocem

[1] Adv. III. pag. 38. [2] Manget. Theatr. Anat. Tgb. LXII. Fig. 2.

Digitized by Google

vocem hic *ſuaviter mutilatam omittit, & ſilet*) *uſque ad glandulas lumbares;* Reverhorſtium autem in illa Figura *aliud oſtendere, & docere*. Ipſe autem hic illud arripiens, de quo nulla unquam eſse potuit dubitatio contendit lymphæductus in ea Figura per ſuſpenſorium Ligamentum reptantes oſtendi, idemque Explicatione confirmari *ad litt. gg.* & *ad litt. ii.* ac verba his, iisque litteris reſpondentia producit. Sed interjectas utriſque litteras *hh.* interea *ſuaviter* tranſilit, & reſpondentia ipſis hæc verba, quaſi nunquam ſcripta eſſent, aut huc una maxime non pertinerent, omittit: *Eadem vaſa* (lymphatica ſuſpenſorium ligamentum perreptantia) *reſecta, ubi Diaphragma perforando ejus lymphaticis uniuntur*. Et ſane Figura ipſa ita in ſuperiore Ligamenti ejus limbo reſecta vaſa lymphatica commonſtrat, ut ne unum quidem ſuperſit quod per idem Ligamentum pergere non modo *uſque ad*, ſed ne verſus quidem *lumbares glandulas* oſtendatur. Nunc intelligo, cur in ſuperiore Animadverſione de iſta ipſa Figuræ parte mature Lectoribus *obtruſum* ſit: *Quo vero illa pergant lymphatica, tam directe ſupra ligamenti aciem pre-*
915 *tenſa, id prorſus ignotum eſt*: quaſi hoc Reverhorſtius ſiluiſſet, & hoc ejus ſilentium inter ejus eſſet *intolerandos* illos *errores* recenſendum.

7 Denique Tertium Animadverſionis caput neque in eo reſponſionem re-
921 quirit, quod verum id eſse confitetur, quo ex anatome poſito, noſtra oriebatur dubitatio, neque in eo quod id tamen ipſum in *Hiſtoria* etiam *Hepat.* traditum intelligi debuiſſe, contendit.

Quicumque enim memoratum illum §. V. legerint, omnino perſpicient
21 primum iter tradi lymphæductuum cavæ hepatis partis, deinde vero convexæ; & horum quidem iter per ligamentum ſuſpenſorium: poſt hoc autem continuo hæc ſubdi: *lymphæductus cyſtis felleæ prædicti HUIC etiam categoriæ adnumerandi veniunt*. Quænam autem ſit *hæc categoria*, niſi de qua continuo dictum eſt? Atenim, inquit, *cum* id *dixi, intelligo quidem eorum diſtributionem, & greſſum in genere ad lumbares pariter glandulas, ſeu chyloſa receptacula*. Sed neque Lectores intelligere aliter poſſunt ac verba ſignificant, non commune quidpiam, ſed *hanc categoriam* deſignantia, & tam ineptum ibi erat id dumtaxat docere, quod nunc ediſeritur, ut ſimplex erroris confeſſio decere magis poſſet, quam iſtiuſmodi interpretatio.

8 Idemque judicium, vel me ſilente, laturos omnes exiſtimo de iis quoque binis interpretationibus, quas Animadverſio quinta producit. In duobus capitibus (1) vaſa hepatis deſcribere anatomica fide inſtituerat. In poſteriore ſine ulla dubitatione, non aliena, ſed ſua auctoritate id ipſum docuit, quod in priore ſe videre potuiſſe, negaverat. Manifeſtiſſimæ inconſtantiæ accuſavi. Reſpondet, in poſteriore capite id docuiſse, non quod ſic viderit, ſed quod ſic conjecerit. Quanto erat melius inconſtantiæ non ſatis a ſe animadverſæ culpam deprecari, quam homines non obſcure monere, ut ſibi ſemper in ejus anatomicis deſcriptionibus caveant, ne cum hiſtorice loqui maxime putent, ibi ex conjectura dumtaxat loquatur. At *conjeci*, inquit, *tuto — & toto jure auguratus ſum*. Non vidit tamen; & nihi- 923
lominus (id quod argui (2)) *ſine ulla dubitatione, quaſi vidiſſet, hiſtorica aſſeveratione affirmavit*. Sed *quis*, inquit, *inficiari poſſet, nos ad uſque ULTIMA hepaticorum lymphaticorum ſtamina perveniſſe, — cum ulteriores horumce productiones non viderimus?* Id vero ſi non inficiari, at certe pro maxime dubio habere poteſt quicumque novit, eandem ſubtilitatis naturæ, & viſus noſtri menſuram non eſse. Atenim inquit, *an forte nobis — ad extremas fere viſceris oras deventis putare non liceret, poſtrema lymphaticorum ſtamina attigiſſe?* quaſi vero iſtud *putare* eſset videre, & *extremæ fere* eſſent extremæ oræ. Et ſane tempus jam eſset,

[1] Part. I. cap. 7. §. 2. & cap. 8. §. 6.

[2] Adv. III. pag. 38. 39.

Digitized by Google

esset, ut non alii modo, sed ipse tandem didicisset, quam sæpe suæ se conjecturæ deceperint. Testantur id potissimum duæ illæ postremæ hujusce *Historiæ* paginæ, aliæque de quibus alibi commemorabimus, tum duo hæc loca inter se comparata. Hæc affirmans scribit in primo: *Rami omnes pori biliarii, non minus majores, quam minores, & ultimo gracilescentes — portæ furculis inalterabiliter paralleli, communem directionem prosequuntur; pari passu, paribus divisionibus excurrunt; immediate ubicumque accumbentes; communique cum eadem amictu per totum hepar arcte, & inseparabiliter devincti.*

941 Hæc vero, negans, scribit in altero: *quæ quidem postrema vasa (portæ & arteria hepatica) licet per totam hepatis substantiam cum vasis biliferis interventu capsulæ sociata progrediantur, non easdem tamen cum istis porus bilarius exacte distributiones init, ut horum vasorum divisiones & cursus variis modis, lociſque non discrepent.* Qui, quæso, hanc tantam, tamque manifestam inconstantiam defendat? Prima, inquiet, scripsi ex conjectura; secunda ex inspectione. Sic igitur *tutæ* sunt conjecturæ, & sic sunt decentes interpretationes!

9 Neque vero decentior est interpretatio altera quam ad non leviorem alteram inconstantiam defendendam excogitavit. Cum enim lymphæductus qui ad *capsulam* sunt, primum docuisset *extimam solum ejusdem capsulæ superficiem perambulare*, deinde autem scripsisset, *communi* (capsulæ) *tegmine tanquam vagina quaquaversum involvi*, in 27 manifestissima inconstantia deprehensus, non modo negat, se in utroque loco de iisdem vasculis verba fecisse, sed ne dubitat quidem, me contra affirmantem redarguere quasi verba *superaddentem* quæ *aliam statim intrudant revera significationem*. Dixi, inquit, *prædicta*; tu autem dicis *ista ipsa*. Sed quid, si *prædicta* alia esse non possunt, quam *ista ipsa*? Non licebat igitur mihi non ipsius quidem, ut omnes recognoscere possunt (1), sed meis verbis id affirmare? Nam si de ullis quæ ad capsulam sunt, lymphaticis vasis supra ipse docuit, alibi quam extra capsulam intra hepar perreptare; nihil est causæ quin me hallucinatum esse confitear. Sed si res ipsa apertissime contra est, si scopus confutandi Courtialem ne posse quidem id docere permisit, si denique Index primæ Editionis universe hæc, diserteque inculcat: *Limphatica in hepate, capsulæ non immerguntur, sed eam desuper repunt*; certe qui *prædicta* scripsit, nulla alia quam *ista ipsa* significavit. Verum hæc minime necessaria responsio est. Continuo enim in Animadversione, ea subjicit, quæ non 924 oscitanti Lectori ostendant, illiusmodi interpretationem ne Auctori quidem suo satisfacere. Quorsum enim illa tandem aliquando expressa, confessio, sibi *properanter scribenti — contingere interdum humanum aliquid pati?* Utinam *interdum* solum, & solum *properanter scribenti*, dicerem; nisi illud adderet, in mea quoque *elimatissima scripta irrepsisse non raro quidpiam* ejusdemmodi.

Utinam essent *elimatissima*; & fuissent fortasse, si post septennium, ut ipse, emisissem; nunc talia sunt, qualia angustiæ temporis, & assiduæ ægrotationes concessere. Qualiacumque tamen sunt; *nihil* enim *humani a me alienum puto*; talia saltem sunt, ut quod alios facere posse, fateor, ipse ad hoc tempus certe non fecerit, ut jure in iis aliquid redargueret.

10 Etsi enim scribit, *mittere se centena*, quæ in iis invenit, *assertis memoratis his suis obscuriora satis, sibique minus constantia*; tamen quæ de tam multis, ex nostris omnibus scriptis seligendo, tanquam insigniora, specimina hic producit, ne ipse quidem, opinor, existimat esse cum ullo de tot quæ in libello illo *Historiæ* suæ deprehendimus, comparanda. Quid vero si in istis ipsis speciminibus omnes perspiciunt, non me, sed ipsum esse, nec sane leviter, arguendum? Nam primum profert, & alia quidem litterarum forma, ac si mea

[1] Ibidem pag. 40.

Digitized by Google

mea ipsa essent verba; quod nullo modo ferendum est; nonnulla, revera iis quæ in I. *Adversariis* scripseram, omnino contraria. Ibi enim eos, quos Bidloo perinde ac si perpetui essent, in tuberculis Areolarum pilos depinxit, usque ad id tempus me *nunquam vidisse*, monui. Verba autem quæ nunc mihi, tanquam ex *Advers.* V. fideliter descripta, supponuntur, hæc sunt: *concedit Bidloo, semel atque iterum illos ipsos pilos, ut ut tenuissimos, vidisse, etiam antequam primam illam sententiam evulgasset.* Sic autem omnino scripsi: (1) *ut eum antequam illa* (Prima) *Adversaria ederem, & postquam edidi, innumeras non muliebrium modo, sed virilium etiam cadaverum Areolas diligentissime inspexerim, semel tamen, atque iterum tenuissimos, & visum ferme eludentes pilos, semel ex aliquot, alias ex perpaucissimis, cum plurima quidem essent, ejusmodi Tuberculis, & quidem e summa eorum mediaque parte erumpentes videre potuerim.* Itaque omnes, non modo sine ulla ex istiusmodi superioribus; sed sine ulla prorsus interpretatione, satis superque per se vident, me hoc certe dicere: etiam antequam Prima Adversaria ederem, innumeras Areolas me inspexisse; eos autem *pilos etiam antequam* Prima illa Adversaria ederem, *vidisse*, hoc vero me quidem non dicere. Eâdem fide, eâdemque litterarum forma, alia atque alia tanquam in *Adversariis* a me scripta subjiciuntur, quæ me nego ad eum modum unquam scripsisse: & quamquam graviter fero, quæ mea non sunt, mihi supponi; tamen aliqua ex parte etiam lætor, cum video, post septuennes in sex meis *Adversariis* assiduas perquisitiones, ne colorem quidem inconstantiæ objici mihi potuisse, nisi quæ a meis scriptis, & ex parte etiam sententiis discreparent, pro meis denique venditarentur: Et quoniam de quatuor, primi tantum loci sedes indicatur, videlicet *Animadversio VII. Adv. V*; peto a te, Vir Doctissime, ut videas, num in illa tota Animadversione hæc ipsa verba legantur: *Tuberculorum in areolis intimam partem efformari ex lactiferis ductibus*, an vero hoc ità bis indicetur, ut *tuberculorum intimam PROFUNDAMQUE partem efformare — Ductus Lactiferi* dicantur, & *tuberculorum efformatio eorum ductuum & dilatationi, & ultra areolæ planum prominentiæ MAXIMA EX PARTE deberi* affirmetur, &, quod gravius est, isti ipsi qui nunc quasi a me non animadversus objicitur, incostantiæ colori diserte ibidem occurratur.

Quid? quod hæc mea ipsa, quæ modo protuli, verba quibus ajo, tubercula ductibus *maxima ex parte* deberi, videtur Provocator cl. in hunc modum deformasse, in quem scribit, *alio loco* me docere: *totum hujusmodi tuberculorum corpus constitui ab inflatione veluti varicosa contenti vasis lactiferi:* quæ verba me numquam scripsisse, numquam de *toto* illo corpore id docuisse, confirmo. Quid? quod *superius adduxisse se*, dicit, argumentum *Verheyenii — illic* a me *rejectum*, *hic approbatum*, cum in superioribus Animadversionibus neque Verheyenium, neque ejus argumentum ullo modo memoraverit. Denique *mittere se illud*, ait, *in polyporum cordis, & aortæ Disputatione in se projectum:* (*Animadv.* 41. *Advers. II.*) „ *Hic vides* „ *ut obliviscatur, polyps per ve-* „ *nas e corde productis redeuntis san-* „ *guinis motum obstare:* „ *veluti si lentissimus sanguinis per cavam ad cor redeuntis motus, qui polypis, cum producebantur, obstare non poterat, posset iisdem jam productis obstare.* Interea autem silet, mea quæ hic producit, verba iis continuo fuisse subjecta: *expansionis* (Aortæ) *successiva productio sic explicatur. Polyporum in cordis caveis inchoatorum productiones directo quidem tramite Cavam, VENAMQUE, & arteriam PNEUMONICAS* „ *TOTA LIBERTATE* „ *percurrebant; sed quæ Aortam pervadebat, ea cum parvo ab egressu e corde intervallo in flexum canalis, seu arcum* „ *impingeret; hinc in* „ *ELONGATIONE ULTERIORI val-* „ *de*

[1] Adv. V. pag. 4.

Digitized by Google

„ *de impedita* „ *subsidebat*, *ibidemque adaugebatur*. Ex quibus nimirum cognoscent omnes, me de iisdem, de quibus ibi ipse, polypis verba facientem, neque de *jam productis*, sive jam absolutis dicere, sed de iis quorum *productiones*, sive *elongationes ulteriores* e corde per vasa fieri, aut non fieri *tota libertate* adhuc possint, &, si de *jam productis* dicerem, hoc ad hominem, ut loquuntur, dicere, ad oblitum videlicet, iis polypis, quos ipse; non ego; *tota libertate* ponit *productos*, obstare sanguinis motum, quamlibet lentissimum (etsi in vena, quam ipse hic omittit, *pneumonica* lentissimus certe non est) quo minus *tota libertate producti* ponantur. Atque hæc sunt selecta illa specimina, per quæ magno studio collecta, & summa industria adornata cl. Provocator speravit, fore qui crederent, me *centena* scripsisse loca superioribus suis, *obscuriora satis*, *sibique minus constantia*.

11 Sexta Animadversione cum Provocator cl. nihil aliud iteret, atque ingeminet, nisi hæc duo verba, *non intelligo*; minime mihi id inficiari ne-
925 cesse est. Nam etsi ipse *non intelligit* quid mihi velim, sic in transitu notando quod ille docuit, *arteriæ ramum* „*pergrandem*, *& satis notabilem*„ *jecur subire*; intelligent tamen omnes, ramum qui etiam aliquanto major esset quam ipse pingat, haud recte in tanto viscere, quantum est hepar, *pergrandem* dici. Certe Galenus (1) *par-*
926 *vam quidem plane arteriam* hepaticam dixit. *Non intelligit præterea*, *quo pacto* nonnullis aliis quæ per præteritionem subjicio, *confirmare putem* sua: quod quidem neque unquam mihi venit in mentem, & miror admodum ipsi venisse, illud præsertim ponenti, quod nunquam facile concedam, me suum *Adversarium* esse. At cæteri omnes præclare intelligent, me cum Præst. Mangeto disputantem, illa impugnare, nostrum vero cl. Provocatorem nihil respondere, imo alienissima agere cum incredibili quadam facilitate jam totus in eo est ut mihi, quasi ea quærenti, argumenta suggerat, quibus sua possim, ut putat, *præclarius* confirmare. *Demum non intelligit*, quid obstent sibi quæ Mangetus ex 927
Malpighio, & Litrio protulit.
Verum ubi releget postremas illas duas novæ suæ Editionis paginas, ut tandem vel ipse intelliget, *exhibitas* ab ipsis *glandulas — ab intortis simul hepaticis concurrentibus vasis* debere *di-* 928
stingui, nedum *posse*; sic etiam intelliget, quid magis *cautum* fuerit, *honestumque*, num se illas *acriter* negasse, quas agnoscere nunc cogitur, an me neganti non assensisse; tum quænam *tricæ*, *& gerræ* fuerint, num quæ structuræ sunt a me laudatæ, an illæ 31
quas ipse *nugas* appellare tandem aliquando coactus est.

12 Septimæ Animadversionis hoc est argumentum. Cl. Provocator, enumerans ex ordine & in universum chyli vias, ita scripserat: *Lacteas duplicis generis*, *glandulas lumbares*, *ductumque thoracicum*. Ego omissum videns receptaculum chyli, jure metitoque redargui, quod *glandulas lumbares pro chyli receptaculo se habere*, *non obscure ostendisset*. Quid poterat honestius facere, quam confiteri, se plus æquo Bartholini auctoritati tribuisse, qui ut invenit nonnunquam, ita se rem semper habere credens, lumbares glandulas idem esse in hominibus docuit, quod in bestiis cisterna, seu receptaculum chyli, quod tamen postea cavum, ut in bestiis, atque membraneum, sed mole, & sæpe etiam numero discrepans, in ipsis hominibus Cowperus, Henningerus, Cantius, aliique Solertissimi Viri invenerunt, quos inter numerandus præsertim est Doctissimus, & erga me Humanissimus Saltzmannus, qui etsi uno in subjecto idem vidit quod Bartholinus, huic tamen id universe statuenti non assentitur. Noster vero quasi hoc etiam tempore, cum receptaculum chyli nominatur, non cavum membraneum, sed solidæ glandulæ per quas vasa lactea

[1] De Us. Part. 4. c. 15.

Digitized by Google

lactea traducantur, intelligerentur, sperat id sibi negotii dumtaxat impositum videri posse, ut Lumbares glandulas de *Lactearum* genere esse, ostendat. *Lacteas esse*, inquit, *cl. Thomas Bartholinus fatetur*. Verum si hoc satis est; jam chyli *Receptacula* tot erunt, quot glandulæ Mesaraei. Addit: „ cl. „ Petrus Wium in sua figura relata in „ Actis Lipsiensibus, chylari receptacu„ lo immediate adjacentes adeo delineat „ (Glandulas Lumbares) ut *iisdem* „ *Lactea vasa, non minus quam recep*„ *tacula, adhæreant, & competant.*„ Quis non crederet, hæc verba, sic aliâ characterum formâ proposita, omnino esse illius Auctoris? Qui tamen cum hujus Explicatione conferet, sic inveniet: *Lactea vasa abscissa receptaculis, & glandulis adhærentia*. Scribit autem *receptaculis*, quia duo prorsus disjuncta, & dissita proponit in *delineatione illa Ductus thoracici*, qua Noster hic nititur, supra autem, ut est, ita *singularem & prorsus extraordinariam* vocaverat. Quæ omnia ut animadverteret nemo; certe sperare non debuit, ne hoc saltem animadverterent omnes; ut glandulæ *receptaculo immediate adjaceant*, non esse tamen id ipsum cui adjacent, & quod nunc passim Anatomici intelligunt, cavum evidenter, & membraneum receptaculum. Me quoque postremo (quis crederet?) *in suam ipsam descendere sententiam*, & *me mihi ipsi manifeste opponere*, dictitat, atque ut inconstantiæ hujus nota major appareat, *non longe*, inquit, *ab illo insimulationis loco*. Et tamen totis duodeviginti grandibus piginis ab hoc (1) distat is alter locus (2), in quo me mihi *manifeste* adversari, contendit.

909

Nam supra antequam ad *Hepat. Historiam* accederem, in homine scripseram, *tale esse Receptaculum quale vel Cowperus vel Henningerus proposuit*; non, ut ipse aliis, ut solet, characteribus refert, „ *tale esse Receptaculum* „ [*Chylare*] *quale Cowperus propo*„ *suit*. „ Sed vel ita scripserim; quo unquam modo ipse mihi adversatus sum? Num forte Cowperus chyli Receptaculum non cavum membraneum, sed ipsas lumbares glandulas esse docuit? Non, inquit; sed tamen Cowperus in Explicatione cujusdam Figuræ tradidit, ad lumbares glandulas *tendere*, & *desinere* vasa *partium inferiorum* lymphatica: ergo *in primis mesenterii*: hæc autem ipsa, secundum *Adversaria* sunt lactea; igitur lumbares glandulæ secundum *Adversaria*, *chyliris etiam excipuli necessario munera præstare* debent. Quamquam ex iis quæ paulo ante dicta sunt, patet, quam ad rem faciat istiusmodi argumentum; tamen cum professus sit, hanc Animadversionem se habere *in Tyronum gratiam*, facere non possum quin addam, vel ipsos Tirones ex illa eadem Figura Cowperi, quæ in Actis quoque est Lipsiensibus (3) per se esse cognituros, *desinere* quidem in lumbarem glandulam dexteram lymphatica illa vasa inferiora, ex eadem tamen magnum vas lymphaticum prodire quo lympha deinde in receptaculum chyli transvehatur: tum ex ejusdem & antecedentis Figuræ quæ easdem partes suis in sedibus commonstrat, explicationibus perspecturos, Cowperum hic lactea a lymphaticis illis vasis inferiorum partium distinguere, & diserte tradere litteris *ss* inscriptis in iisdem illorum fasciculis, ea ipsa vasa lymphatica *a glandulis inguinalibus* pronasci, *ac ab aliis glandulis quæ circa vasa iliaca occurrunt, & lympham a partibus inferioribus revehunt*: & sane is dumtaxat unde fasciculi *ss* ascendunt, inferior locus, satis ostendit, num sint illa lymphatica *in primis mesenterii*, multoque magis, num illa *ab hepatis partibus agminatim ascendentia*; ut Tirones docentur in ista singulari Animadversione.

930

934

13 Venio ad octavam, in qua hæc de ipso a me scripta cl. Provocator Lectoribus judicanda proponit: *Willisius, & Vieussenius de nervis hepaticis neque ista eadem prorsus, neque ista eadem ambo unanimiter tradidere, quæ hic ab ipso tradidisse narrantur*. A Lectoribus igitur videnda sunt primum omnia, quæ illi ab ipso tradidisse narrantur, deinde omnia quæ tradidere:

[1] Adv. III. p. 50. [2] Ibid. p. 32. [3] A. 1699. M. Febr.

Digitized by Google

hæc ni videant ; inter se conferre , & judicare qui possint ? Verum etsi Animadversio multis, longisque textibus legentes obruit ; in ea tamen plures ex iis rebus non videmus , quæ præ cæteris videndæ hic fuerant . Lectores id sentient ubi illa omnia per se conferent. Tunc enim videbunt primum, in *Historia Hepat.* sic narrari : *SEX*
22 *ab eisdem* (Willisio , & Vieussenio) *graphice describuntur fibræ nerveæ*: quot quidem apud secundum videbunt , non apud primum , qui etsi in Animadversione dicitur *similem nervearum fibra-*
935 *rum — numerum ostendere in Tabula* XI. *Nervorum descript. & cæt. sub notis* ♂ *&* ♀ ; tamen neutra sub nota sex , sed plures ostendit , suæ consentiens descriptioni , suæque sub nota *o* , magis huc quam ♀ , pertinente , Explicationi in quarum illa *maximum* memorat *fibrarum nervearum fasciculum*, in hac *magnam nervorum conjugationem* . Videbunt deinde , narrari quidem de ambobus , sed Vieussenium tantum , non Willisium , docere : earum sex fibrarum *TRES vesiculæ felleæ ramisque ductus biliarii impertiri*.
Videbunt tertio, cum ambo pariter dicantur tradere : ex cæterarum fibrarum *ac fibrillarum octavi paris dextri concursu plexum effomari hepaticum ;* ab uno tamen Vieussenio hæc tradita esse, non a Willisio , qui tantum abest ut id doceat ; nullum alium hepaticum plexum agnoscit , quam qui a Vieussenio vocatur *Plexus ganglioformis semilunaris nervi intercostalis* , ideſt ganglium ex quo fibræ effecturæ hepaticum Vieussenii plexum proficiscuntur, non reticulum ex harum , & fibrillarum octavi paris dextri concursu formatum ; quod quidem reticulum a Vieussenio pro hepatico Plexu habetur.

14 Cum hæc Lectores tria viderint, sicque perspexerint , num *ista eadem ambo* Auctores *unanimiter tradiderint*, quæ tradidisse narrantur; videbunt porro , num *ista eadem prorsus* quæ ibidem subjiciuntur, tradiderint. Nam quarto narrari invenient , hepaticum plexum *ad totum inde jecur* esse *distributum*, quod neuter illorum diserte docet. Quinto denique (ne longior sim) narratum legent, hepaticum plexum *fibrarum fasciculis quaquaversum expansis cum plexu lineari , mesenterico aliisque abdominis communicare* . Sed , missis nunc cæteris, plexus iste *linearis*, quem utraque *Historiæ Hepat.* Editio fideliter, & primo quidem loco , quasi evidentius communicantem , inculcat , cum alius esse non possit quam *lienaris*, ut in ea quoque Parte legitur ejusdem *Historiæ* quæ in Theatro Anatomico edita est ; certe cum hepatico non communicat secundum Willisium, neque vero secundum ipsum Vieussenium. Non secundum hunc , ut ejus descriptio, ac delineatio commonstrant; non secundum Willisium , qui cum id docet, ac pingit, non de plexu hepatico reticulari de quo in *Historia Hepat.* sermo est , sed de longe alio plexu intelligit ganglioformi , quem ipse hepaticum vocat, ut supra diximus. Quæ omnia cum ita sint ; quid reliquum est , nisi quod fidenter nimis Animadversio concludit , ut *videant nunc ingenui Lectores* , ac judicent inter me negantem , a duobus illis scriptoribus illa eadem prorsus, atque unanimiter tradita esse, atque inter Provocatorem dictitantem adhuc , amborum *tam consonas sibique invicem respondentes* esse *sententias*, ut locum habeant , quæ non dubitat illo suo attico lepore subjicere, hæcque præsertim : *Videant tandem* inquit Lectores , si „ *monendus ipse pluera fuissem, imprimisque ut loqui ante discerem* „ *: cum neque monendus plura sit neque loqui edisendus , quæ aliorum verbis fidelissime loquitur ;* quasi ego ipsum esse *loqui edisendum* , non *loqui edocendum*, monuissem. 937

15 Cum reliquæ omnes , tum vero potissimum nona Animadversio nullam a me postulat responsionem. Cl. quidem Provocator , quod de ipso hactenus demonstravi ; id mihi non dubitat affingere , quod verba *plurumque perhumaniter assoleam mutilare* . Sed cum eodem in loco fateatur , me ubi 938

ma-

Digitized by Google

maxime conduxiſſet, id minime feciſſe, hoc ipſo omnibus ſatis oſtendit, in ejuſmodi re ignarum prorſus, & inexpertum me eſſe. Contendit deinde, ſe *vel ipſos nervos hepatis, vaſa hepatis appellare nervoſa cum pleriſque Medicorum* potuiſſe, non *proprie* quidem, & *in ſpecie*, *ſed ipſum nervoſarum partium genus, quod certe liquidum non eſt, redigendo in genere, ad canales*, videlicet ſecundum *genericam* Partium diviſionem *in liquida, & canales*.

Sed etſi ſecundum hanc ipſam rationem *Membranas vaſa membranoſa*, Oſſa, & Cartilagines, *oſſea, & cartilaginea vaſa* appellare liceret; cum videant tamen omnes quam abnorme eſſet hiſce uti appellationibus *proprie*, & *in ſpecie* loquendo, quæ contra ubi illa inſtitueretur *generica* diviſio, in ejuſmodi ſermone ſuum certe locum haberent; illud profecto hic unice quærendum exiſtimabunt, cum ipſe *vaſa* hepatis *nervoſa* dixit, illamne ibi diviſionem *genericam* inſtituiſſet, an contra locus requireret, ut *proprie*, & *in ſpecie* loqui crederetur. Invenient igitur id dixiſſe, non obſcure, & ex conſequenti, in neſcio quibus, ut Animadverſio *obtrudit*, ſuorum Capitum inſcriptionibus, quas certe eſſe in Theatro quod examinabam, Anatomico, innuere non potuiſſem, ſed perſpicue atque diſerte ubi mea Adverſaria ſatis indicant, videlicet ubi venâ portæ, arteriâ, ductuque hepaticis, & venæ cavæ portione deſcriptis, vaſis hepatis *proprie* & *in ſpecie* vocatis, ad capſulæ pleraque eorum involventis deſcriptio-
27 nem pergit. *Vaſa*, inquit, *hæc omnia, prædictaque lymphatica, & nervoſa, exceptis venoſis ductibus, & cæt.* Hæc cum perpenderint, tum intelligent, in quem illud iterum cadat (1).

Dic aliquem ſodes, dic, Quintiliane, colorem.

16 Animadverſionis decimæ propoſi-
944 tum duplex eſt. Alterum, ut *evertat omnes in ſuos Hepati-cyſticos, & Cyſti-hepaticos ductus effictas objectiones.*

Alterum, ut hi ductus *a quolibet dubitandi loco expediantur*. Et primum quidem facile obtinet Provocator cl. nam plerumque *objectiones* a ſe ipſo *effictas*, non a me productas, *evertit*. Ego enim de ipſius, non de aliorum plerorumque ductibus dubitavi. Alii in beſtiis quibuſdam craſſiores bilis canales hinc cum hepaticis ductibus, inde cum veſicula communicantes tradiderunt: Num de his dubitavi, qui, ingenti ſpectato animalium numero, ſcripſerim (2): id *in perpaucis tantum brutis locum habere?* Ipſe vero tradidit, etiam illos quos paſſim minimas Cyſtis radiculas vocant, tradidit, inquam, *minutos etiam hoſce ultimos canaliculos,* 112 *non minus ac priores, ex ipſiſmet pori bilarii ramis exoriri*: qua de re me dubitaſſe, profiteor. Alii humanæ etiam veſiculæ adhærere radices ejuſmodi, imo craſſiuſculos ductus in eam influentes, neque tamen cum hepaticis canalibus manifeſte communicantes, docuerunt. Num hæc omnino negavi, qui ſim ad hunc modum locutus (3): *quamvis in humanâ etiam veſiculâ certa quædam oſcula, aliquam ſtyli portionem admittentia interdum ſaltem videamus; graviſſimos tamen Anatomicos & in his Cowperum, dubios hærere, an ſemper occurrant, multoque magis, an cum hepatico ductu communicent?* Quod ſi Provocator hanc communicationem vel in ipſo homine, ſicut nunc facit, contendit eſſe manifeſtam; de hoc certe dubitavi, quanquam *fieri poſſe* tamen addiderim, *ut hæc omnia in cæteris etiam animantibus, ipſoque adeo homine retegantur*.

17 Quæ cuncta cum ita ſint; *effictam* igitur eſſe omnes vident objectionem primam, in qua plurimis Auctoribus, quorum ego obſervationes in dubium nunquam revocavi; nominatis, hæc ſubdit: *Poſt tantorum hominum teſtimonia; quis crederet potuiſſet inveniri ſcriptorem; qui ut adverſus mea omnia opera videretur luctari, vel hujuſmodi ductus revocare in dubium ſtuderet? & tamen cl. quidam Anatomicus, cum his explorandis nunquam forte operam in-* 945

[1] Juven. Sat. 6. [2] Adv. III. pag. 57. [3] Ibid.

Digitized by Google

ſumpſerit, firme aſſerit „ etſi fieri poteſt „ & cæt. „ Effectum eſt, me *his explorandis nunquam forte operam inſumpſiſſe*, qui quæ viderim, ea probaverim, atque indicaverim; effectum eſt, me illa ſcripſiſſe, *ut adverſus ſua omnia opera viderer luctari*, quæ niſi Præcl. Mangetus, quocum diſputabam, probaviſſet, non facile unquam, in publico ſcripto, vel minimo attingere digitulo voluiſſem. Effectum eſt, me quæ fere omnes unanimiter doceant, ea de his ductibus *revocare adhuc in dubium ſtuduiſſe*; quaſi vero falſum omnino eſſet, quod non ita pridem in Diſſertatione de *novo Bilis Diverticulo* ſcripſit Profeſſor Eruditiſſimus Abrahamus Vaterus: *plurimos ex recentioribus horum vaſorum exiſtentiam in homine negare, & tubulos illos, quos pro hepati-cyſticis reputarunt quidam, nil niſi ramulos ſanguineos ex arteria & vena cyſtica oriundos eſſe, demonſtrare.*

18 Quod ſi Provocator cl. non id ipſe feciſſet, quod mox præter rationem mihi imputat, ut quæ de his ductibus vel in ipſo homine non negavi, *perhumaniter mutilaret*, continuo vidiſſent omnes, me tantum de his agnoſcere, quantum plures alii agnoſcere hac tempeſtate noluerunt, etſi nondum, ut in beſtiis quibuſdam, ſic in homine exploratum eſſe, dixerim, illos cum hepatico ductu communicare: quod ſane neque Bidlous, neque Bohnius, neque, quantum ſcio, Cheſeldenius, neque vero Caldeſius aut ipſi explorarunt, aut ab aliis exploratum eſſe; docuerunt: *quos* tamen, ſcribere non dubitat, a me *conſuli potuiſſe*. Quid, ſi magis quam ipſe conſului? Nam illa quam in Theatro laudat Bidloi Figura, nonne illa ipſa eſt in qua id omiſſum notavi (1), quod poſtremo loco ibidem repræſentari ab ea, dicit? nonne illa ipſa eſt, ad quam reſpiciens Incomparabilis Profector Ruyſchius (2), *nullas radices e Veſiculæ fundo emergere* docuit, *quantumvis eæ in figuris ab exercitatiſſimo Highmoro, & poſt eum a cl. Profeſſore Bidloo repræſententur?* nonne illa ipſa eſt, ob quam *præjudicio potius, quam experientiæ* obſecutum eſſe Bidloum, ſuſpicatur *Schroerus*, a Ruyſchio laudatus, qui denique illas radices id eſſe quod ſupra ex Vatero indicavimus, ſine ulla dubitatione conſtituit. Bohnium vero an magis quam ipſe confuluerim, cum illa oſtendunt quæ agnovi alias ex Bohnio fuiſſe a Provocatore ſumma cum diſſimulatione deſumpta, tum hoc præcipue commonſtrabit, quod cum ipſe *obtrudat*, Bohnium ſcribere „ oſcula huſmodi ductuum ad fellei folliculi „ cervicem patentia, — *in homine* — „ *ſtylum* interea æque *ac in bovino* „ *ſubjecto* æque *recipientia*; „ recordor, multo aliter Bohnium (3) ſcripſiſſe, videlicet *ſtylum interdum æque ac in bovino ſubjecto recipientia*. Heiſterum autem non ſolum *Accuratiſſimum*, ſed etiam Prudentiſſimum Anatomicum magis quam ipſe, de Cheſeldenio conſului; nam cum Provocator cl. illud dumtaxat attenderit, quod Heiſterus *enunciavit*, *Cheſeldenium Anglum radices felleas in homine delineaſſe*, ego illud etiam attendo quod nihilominus Heiſterus idem, qui Cheſeldenium conſuluit, ibidem (4) rurſus pronunciavit: *Radices felleas in bobus non in homine adeſſe*. Denique cl. Caldeſium uter noſtrum aut diligentius conſuluerit, aut fidelius expreſſerit, tu Vir Doctiſſime, judicabis. Provocator ſine ulla dubitatione affirmat: *Caldeſium vaſa hominis hepati-cyſtica deſcripſiſſe, atque delineaviſſe*. Ego id a Caldeſio factum, diſerte nego: ac plurimum miror, Provocatorem cl. ſcribere, Caldeſium *in* ea *delineatione ſecum non omnino convenire*; nam ut mitiſſime loquar, is qui paulo poſt non veretur ſcribere, me *fortaſſe non parum eſſe excuſandum quod res ſuas non ſatis intellexerim*, minime ipſe intellexit, Caldeſium (5) Tab. II. Fig. VI. non communicantes cum veſicula, ſed ab hac antepoſita

[1] Ibid. p. 64. [2] Ad Epiſt. Probl. V. [3] Circ. Anat. Prog. 17.
[4] Comp. Anat. 2. Edit. n. 217. [5] Oſſerv. int. alle Tartarughe.

Digitized by Google

posita fortuito opertos in medio excursu aliquot hepatici ductus ramos delineasse : usque adeo (ut ipsum quibus alias, verbis excusem) usque adeo *proclive est hominibus ea videre , quæ non sunt , quando ea quærunt , quæ ut sibi animo confinxere , ita cupiunt invenire.*

19 Vellem non minus excusare ipsum posse in iis quæ ad *alteram objectionem* respondet , inde petitam quod *bruta* quidem, *in quibus se se exercuit, memorasset , humanum autem jecur ne in tota horum ductuum descriptione memoraret , diligenter cavisset .* Et sane quis non miraretur, ne verbum quidem ipsum feciſſe unde intelligi liceret, hos ductus , ut nunc contendit , jam tum in hominibus vidisse . Re autem vera ne verbum quidem de hoc feciſſe, id satis superque demonstrat , quod unum respondet , videlicet se memoraviſſe ductum *exacte jam — a Glissonio,*
946 *aliisque descriptum , a ductu hepatico paululum ante cystici insertionem emergentem & cæt.* Fateor . Sed num propterea *humanum jecur* memoravit ? *Cum*, inquit , *Glissonius in homine hæc vasa describat , jam ergo — humanum jecur — amplissime memoro : imo per illud „ aliisque descriptum „ Bohnium inprimis indigitare intenderam , qui nempe ductum illum majorem cysticum , prius a Glissonio descriptum , in binis humanis cadaveribus satis conspicuum offendisse memorat.* Scilicet hoc erat , unde liqueret , *quanta esset fidei propositio* mea , Provocatorem *humanum jecur ne memoraret , diligenter caviſſe* ! Ne si illud quidem diserte feciſset, quod *intendisse* se dicit , ut Bohnii nomen adjungeret ; meam poſset *fidem* redarguere : quid enim ? num propterea quia nominavit Gliſsonii ductum ; *humanum jecur* memoravit ? num forte is ductus non etiam est in brutis animantibus ? imo neque Gliſsonius, neque Bohnius , neque alii, quos sciamus, illum in homine *a ductu hepatico paululum ante cystici insertionem emergentem* descripserunt ; igitur qui ductum hujusmodi ceu ab *aliis jam exacte descriptum* memoravit , ille non modo *humanum jecur*, ne humanum quidem ductum eo tempore memoravit . Quid ? si hominem fateri cogerem , se non potuisse tunc, ut dicit, *intendere Bohnium inprimis indigitare.* Attende, quæso , diligenter, Vir Doctiſsime . Rem enim magni momenti , incredibilem , inauditam, aggredior ; hanc cum ostendero, tum recte judicare poteris , quam Provocatorem nostrum deceat in hoc aliisque innumeris locis meam fidem immerito insimulare . Hic certe ubi sibi commodum esse existimat , se tunc in animo habuisse affirmat , Bohnium ob duas illas in humanis cadaveribus obſervationes , indicare . Alibi pariter, ubi ipsum cogo fateri , apud Vesalium nequaquam esse quod apud Vesalium esse, tunc scripserat, ad Bohnium con- 1047
fugit. *Fateor*, inquit , *me casum illum ex honoratiſsimo Bohnio , inconsulto tunc Vesalio (quem quidem præ manibus non habebam) desumpsisse . En illius locum in Circul. Anat. Progymnasm. x. de Chylificat. fol. edit. Lipſ.* 153. *ub & cæt.* & loco Bohnii producto , *An tanto* , inquit , *Vitro , ut Bohnius est, adhibenda fides non fuerat ?* Quod si cogo hominem confiteri , neque illum primum , neque hunc alterum Bohnii locum tunc respicere , aut ex Bohnio desumere potuisse ? Qui facies? inquis ,

Ego vero faciam nullo negotio ; proferens dumtaxat longe alia ejusdem Provocatoris verba , ex hac eadem , quod incredibile videtur, Animadversione de- 959
sumpta. *Bohnius cæterum ille est , cujus quidem Opera nusquam ante primam meæ hujus Historiæ editionem legeram : sed postquam cl. Adversarius mihi eum , veluti contrariæ nostris sententiæ fautorem , objicere dignatus est , natâ mihi in animum curiositate consului ; eoque libentius inde perlegi , quo ipsa mihi rebusque meis , ut si propria inventa , rationes , & experimenta ad mutuas aures nobis invicem communicassemus , adeo adamussim facientia undequaque reperiebam.* Me ipsum hominis, utcumque de me meritus sit, miseret ; nam ; ut ego fileam ; quis hæc per se non deprehendat , ipsique videat , hanc infelicem optio-

Digitized by Google

optionem esse reliquam, vel ut Bohnium *nusquam ante primam suæ hujus Historiæ editionem legisse*, defendat, quo postro jam fateatur necesse est se in, ea prima editione neque ad Bohnii observationes illas respicere, neque ex eo loca desumere, contra ac semel atque iterum affirmavit, potuisse; vel ut hæc ante editionem illam primam ex Bohnio hausisse, ex Bohnio desumpsisse, contendat, quo utcumque posito, quis amplius credat, non eodem modo tot alia ex eodem, ut ego objeceram, Bohnio, innominato desumpsisse, idque cum fecerit, hic tamen nobis ut permirum aliquid venditavisse, se ita in eadem cum Bohnio incidisse, *ut si propria inventa, rationes, & experimenta ad mutuas aures sibi invicem communicassent*. Post hæc, quæ ejus in libro recognoscere omnes poterunt, semel bene cognita, atque deprehensa dictitet, quantum velit, magnas *ulterius in ambages* me *ruere*, me *verba*, *atque versiculos suos mutilare & hinc inde diruto ordine transponere*; ne multis; me ea omnia quæ ipse fecit, facere, dictitet; quis erit qui jure censeat ullam a me ipsi responsionem deberi? præsertim cum omnes vel ex ejus Animadversionum argumentis, vel ex ista ipsa pagina cum meis *Adversariis*, quæ *Historiæ Hepat.* ordinem plus etiam quam oportebat, sequuntur, diligenter collata, facile percipiant quam ipse ordinem invertat, ex proxima autem pagina quanto detrimento verba mutilet, sint æque percepturi; quæ si ego aliquando melioris ordinis, aut brevitatis causa vel transposui, vel ex parte omisi, nihil inde tale consequitur, ut omnibus in locis poterunt æqui Lectores cognoscere. Sed tamen tantæ istæ *ambages*, in quas *ruere* in tertia *objectione* me, dicit, *effictæ* sunt. Non ego ibi (1) de ejus *sententia* loquor, aut huic dico Verhe-
947 yenium esse contrarium; imo ex eo quod huic Verheyenius præivit, infero, non verum igitur de aliorum sententiis cl. Provocatorem narrasse, dictitantem *horum omnium canalium usum ad UNICAM bilis in recipiens suum deportationem decantatum fuisse*.

20 Quarta *objectio* etiam manifestius *efficta* est. Neque enim ego scripsi, ut diversa characterum forma obtrudit, *familiare illud Verheyenii argumentum: Ita in brutis; ergo & in homine, fallax esse;* sed ita scripsi (2) *quam sæpenumero fallax sit, liquet*. Hæc autem hæc vera *mutilatio* est, quæ sententiam sic mutat meam, ut nihil sit opus ad id quod subjicitur, respondere, præsertim cum altero illo in loco (3) satis mihi constiterim qui eo argumento non ad demonstrandum, sed dumtaxat ad revocandum in dubium rem quidem longe alterius ordinis, usus sim, nihil ipse pronuncians, sed pronunciantem dumtaxat monens, non *objurgans*. Nunc vicissim in quinta *objectione* quænam tandem nostra illa fuerit mutilatio videamus, de qua tantopere conqueritur, ac si revera *conati essemus* sic *amplam illam horum vasorum ostensionem, quæ a se, aliisque plurimis Anatomicis* (de quibus jam vidimus) *in quolibet majori bruto, ipsoque homine creberrime*, ut ait, *instituitur, obscurare, & invertere*. Quis non existimaret me aliquid de insigni aliqua ejus ostensione, & quidem in homine, prætermisisse? Nihil ejusmodi. Queritur enim, me *verba illa præcipuam*, ut ait, *textus sui significationem aperientia mutilavisse*, hæc videlicet: *Varium amborum canalium numerum in subjectis variis attingebam*. Sed in quibus tandem? Hominem nunquam nominaverat, sed *animalia quamplurima, Boves, equos, sues, & etiam Molossos*. Cur hic ubi res agitur, non dicit in quibus? ut experiri etiam alii, & credere possint. Deinde quid est *varium canalium numerum attingebam*? Non de numero quærimus, sed de origine. De hac diserte loqui oportet, ut credere possimus. Utrumque demum fecit. Hepar fuillum unum, & in hoc vasa de quibus a me quærebatur, duo cum eorum origine, ne dicam qualicumque nexu, commemoravit. Itaque ego, non

[1] Adv. III. pag. 57. [2] Ibid. [3] Adv. II. pag. 77.

Digitized by Google

non mutilatis, ſed præteritis, ut incertiſſimis, & ad rem diſerte non pertinentibus, neque propterea fidem facientibus indefinitis ſuperioribus illis verbis, ab iis dumtaxat incepi, quæ de certo ſubjecto eſſent, ad propſitum pertinerent, & fidem aliquam facere poſſent. Ex iis, quibus ipſe uſus ſum verbis, mens ſatis elucet mea; neque enim univerſe dixi: *At quid affert?* ſed ſic [1]: *At quid affert quo id credere poſſimus? In hepate, inquit, ſuillo & cæt.* Itaque non mutilavi qui illud reliqui *quo id credere* non *poſſemus*, illud autem omne protuli *quo* dumtaxat *id credere poſſe* videremur; certe ex iis quæ protuli, nulla verba intermedia ſubtraxi (ut illa ipſe, *quam ſæpenumero*) quibus ſubtractis, ſententia continuo mutaretur.

21 Antequam ad *objectionem* ſextam tranſimus, hic duæ pariter non leves ſententiæ noſtræ mutationes occurrunt. Ait, *Verheyenium*, (cujus de *lapſibus*, & multo tamen majoribus laudi-
948 bus dicetur alibi) „ *peritiâ & diligen-* „ *tiâ mihi ſpectabilem modo* „ *a me renunciari*. Ego vero haud paulo aliter quam ipſe animadvertere videatur, de Verheyenio ibi (2) ſcripſeram, ſic videlicet, *cujus peritia, ac diligentia nobis aliquanto magis ſpectata ſit, quam iſtius* Provocatoris. Ait quoque, *magnificas* quaſdam *laudes D. Calvo diſcipulo ſuo* a me *profuſe impenſas*. — *magnis* hunc *laudibus* a me *exundatum eſſe*, dictitat. Num igitur cenſet, qui ſui diſcipuli fuerint, eos a me laudibus ornandos non eſſe, præſertimſi in re non levi, ſed graviſſima, multo diligentiores Magiſtro ſe præbere videantur? Sed inſpiciamus, obſecro divinum iſtud, & inuſitatum laudum genus, quibus a me *profuſe* illum ait eſſe *exundatum*. Quid quæris? error ejus ſimilis eſt ſuperioris. Ea enim ipſi incomparabilis, quæ mihi mediocris laus videtur, quod ego ex Epiſtola Chirurgi Peritiſſimi Calvi, a Præcl. Anellio vulgata, & ex iis quæ, eodem Calvo communicante, edidit Eximius Vir Fontenellius, crediderim (3) eam qua de agebatur. Hiſtoriam *multo accuratius* a Calvo *traditam*, quam extet in litteris illis Cl. Provocatoris, quas ipſe *curſim ad cl. Mangetum conſcriptas* fatetur. Non igitur Calvum credidi; ut Animadverſio obtrudit, *res* Noſtro *ignotas*, ſed res ut diſerte ſcripſi, a Noſtro *parvipenſas* evulgaſſe. Neque aliam in Calvum laudem ullam contuli, niſi forte pro nova quadam & inaudita laude habet, quod pervulgarum, contritumque hac tempeſtate *Peritiſſimi Chirurgi* titulum addidi, non modo ne humaniſſimo horum temporum mori in iis qui vivant, non ſine aliqua laude nominandis deeſſem, verum etiam quia *Peritiſſimus Chirurgus* fuerit, neceſſe eſt, qui *juſſu* cl. Provocatoris *fœtum a viventis matris umbilico extraxerit*. Utcumque id eſt; ſi ego propterea *magnificis*, *magniſque profuſe laudibus exundaſſe* Calvum dicendus ſum; quid de Præſtantiſſimo, ad quem ſcribebam, Mangeto, qui (4) eundem Calvum, non modo ut ego, ipſum imitatus, *Peritiſſimum*, verum inſuper *magni nominis Chirurgum* vocaverat; quid item de Auctore Folii cujuſdam dicemus typis editi A. 1720. inſcriptique: *Requiſiti del Dottore di Medicina Giambattiſta Bianchi*. Cum enim is Auctor celeberrimus in celebri illo Opere, ſive Folio, ſcribat de Noſtro: *Fanno menzione delle di lui già ſtampate Fatiche — i più celebri Autori*, tum vero inter hos ponit *il Sig. Dottore Calvo, già Scolaro del Sig. Bianchi, nella ſua operetta Italiana*: „ *Del* „ *feto fuori dell' utero*. „ quæ nimirum illa eſſe videtur, quam hic cl. Provocator memorat *ſcriptam ſub oculis ſuis*, *italico ſermone*, *relationem cum publico* a Calvo *communicatam*. Ejuſdem quoque Folii Auctor, a quo incredibilem etiam illam, & cujus infra erit uſus, primo loco notitiam habemus, videlicet Provocatorem noſtrum, qui ſibi adeo ſenior videtur, eſſe natum (haud multis denique ante nos men-

[1] Adv. III. pag. 57. [2] Ibid. pag. 58. [3] Adv. IIII. pag. 83.
[4] Theatr. Anat. Tom. II. pag. 143.

Digitized by Google

menſibus) A. 1681. idem, inquam, Auctor inter edita a noſtro *Opera Medica* Opus etiam commemorat, ut a Mangeto evulgatum eſt, quinque & triginta, haud amplius, verſiculorum, *De fœtu a ventre viventis Matris extracto*: quod Opus hic noſter ſic extenuat, ut epiſtolam; quod ſupra diximus; vocet, *curſim ad cl. Mangetum conſcriptam*.

22 Sed ad ſextam *objectionem* veniamus. *Redeamus*, inquit, *ad Verheyenium, cujus propoſitum locum ſi demonſtrem noſtras horum ductuum oſtenſiones egregie firmare, neque ideo a cenſore noſtro fuiſſe hunc authorem intellectum, de cauſæ noſtræ bonitate apertum aliquando lectores judicium prolaturos fore confidam*. Æquum poſtulat, ſi promiſſa *demonſtret*; ſed quid, ſi *propoſitus* Verheyenii *locus*, contraria utrique promiſſo luculentiſſime *demonſtrat*? Igitur *propoſitus* Verheyenii *locus*, ut *Adverſarior*, III. (1) perſpectis diligenter oris quiſque intelligit, eſt *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 17. *quod in I. Edit. eſt c.* 15. In eo capite an quæ ego ajo, *ſic obſervaverit, atque deſcripſerit* Verheyenius, videndum eſt; ego enim *Ibidem* indicavi, Verheyenium *ſic obſervaviſſe, atque deſcripſiſſe*. Figuram quidem, quæ ex ipſo in Theatro proponitur, etiam memoravi, ſed cum *obſervationibus, atque deſcriptionibus* ita conjunxi, ut ſiqua forte in ea Figura, haud infrequenti, ut toties oſtenderam, ſcalptorum vitio, non ſatis aut perſpicue, aut fideliter expreſſa eſſent, nemini illa, niſi volenti, obeſſe jam poſſent. Quis enim, cum de Anatomico aliquo intelligendo agitur, & res a Figura, quæ præſertim, ut hæc, ſit apographa, dubia ſit; non illum potius conſulat, quam ſcalptores, aut credat hos, homines Anatomes imperitiſſimos, melius Auctorem, ſi Diis placet, quam ſe, ſuaſque obſervationes Auctorem ipſum intellexiſſe? Verheyenii Figura exigua, & confuſa eſt. At Verheyenii verba (hæc autem *locus* ille Verheyenii ſunt) ad eam declarandam Figuram in medio illo Capite de induſtria ſecundum ejus litteras, & numeros, quos inter verba repræſentat, conſcripta, plura ſane, & perſpicua ſunt.

Attamen Provocator cl. *propoſitum* Verheyenii *locum* conſideraturus, hunc deſerit, & quaſi ego Figuram duntaxat memoraſſem, ad illam decurrit, & qui de inverſo a me ſuorum verborum ordine queritur, mea ſic invertit, ut ea *e limine* arripiat, quæ poſtremo loco erant examinanda. Multus autem ipſe eſt, ut homines ſolent in mala cauſa, quem ego in optima non imitabor. Certum quendam ductum ſcripſi *Verheyenium vidiſſe maximo quidem orificio 3. hiantem, ſed minus conſpicuo, quia non, ut duo illa orificia priora, tuberculo prominebat*. Provocator, qui hæc quam ſibi adverſa ſint; videt, Figuræ apographæ, imo propriis etiam quibuſdam cogitationibus inhærens, *falſum* in ea dictitat, *orificium* 3. *maximum eſſe; falſum, minus conſpicuum eſſe, falſam* denique eſſe meam ex eadem ut ipſe ait, Figura *illationem, quod nempe Verheyenius hic intenderit potius orificia* 1. *&* 2. *quam orificium* 3. *tuberculo munita exhibere, quia ſcilicet prominentia magis vidiſſet*. Quid opus hic eſt cogitationibus, & *illationibus*, ut omnes cognoſcant, uter noſtrum intellexerit Verheyenium, cum verba illa mea ex his ipſis Verheyenii deſumpta videant, qui de illorum trium orificiorum ſitu, & intervallis cum ex ordine docuiſſet, *prout*, inquit, *in Figura per numerum* 1. 2. 3. *expreſſum eſt. Quod magnitudinem ſpectat, ſupremum erat minimum, ſecundum majus, tertium longe maximum; licet hoc, quia tuberculo non prominebat, minus foret conſpicuum*; de illis autem duobus aliis orificiis ſupra dixerat, *duo alia offendi orificia exiguis tuberculis in veſiculæ cavitatem eminentia* 1, 2. Quæ ego Verheyenium *vidiſſe* affirmavi, Verheyenius ipſe diſerte ſe vidiſſe, confirmat: & erit qui alienis ſcalptoribus magis, quam Verheyenio ipſi credat, hujuſque *locum* a me *propoſitum* deſerat, quem tamen

(1) Pag. 58. 57.

Digitized by Google

tamen *locum* neque a nobis intelligi, & pro ſe facere, ſuſceperit demonſtrandum? Deferat autem? imo, ei *loco*, qui facta certe & obſervationes continet, quaſdam ſuas facile, ſi opus eſſet, infirmandas, cogitationes longe ante-
950 ponat. Nam Verheyenius diſerte docet, Ductum *e* 3. (qui D. Medius eſt) *deſinere* 3. *oſculo: alium ductum inferius* (qui eſt D. inferior) *cum primo* (qui D medius eſt) *circa inſertionem* concurrere, denique Ductum *c.* 1. 2. qui D. ſuperior eſt ſive ille gemino quaſi crure inſtructus) deſinere in *duo* illa *orificia exiguis tuberculis in veſiculæ cavitatem eminentia* 1. 2. Cum hæc omnia ſint ita certa, & perſpicua, ut quicumque legerint Verheyenium, aliter ac nos retulimus, intelligere non poſſint, Provocator, quaſi Verheyenius *in deſcriptione confuſe* (ſic enim ait) *aliqua* dumtaxat *de his inſertionibus proferret*, non modo contendere non dubitat, ſed *probaviſſe* ſe, cre-
951 dit, Ductui inferiori D *attribuendum eſſe* oſculum 2, oſcula autem 1. & 3. *cruribus canalis ſuperioris D —— referri debere;* perinde ac ſi ipſe, non Verheyenius, iſtas ipſas a Verheyenio diligenter habitas, obſervationes habuiſſet. Si hæc quæ minime ſunt ferenda, invenire poſſet qui ferrent, invenire quoque poſſet quibus probaret, non quod ipſe, ut ſibi commodum eſt, comminiſcitur, ſed quod ego ex ipſis Verheyenii obſervationibus, & deſcriptionibus objeci, id *effictum* eſſe, & *ſat inconſulte contortum*. Eiſdem quoque probaret, ex hac Verheyenii Figura oſtendi illa de quibus me dubitare, profeſſus ſum: quaſi vero aut ea ex bove non eſſet, aut *minutas etiam* illas, *ultimaſque* Cyſtis radiculas commonſtraret *ex ipſiſmet pori biliarii ramis exoriri*.

23 Neque ſui diſſimilis eſt in ſeptimæ *objectionis* examine. Ego quod
952 objicio id Verheyenium dico *ex parte deſcriptione, ex parte Figurâ eâdem luculenter oſtendere*. Ipſe ſic *feſtinat* ad *Figuram*, ut *deſcriptionem*, non ſine cauſa a me inculcatam, omnino tranſiliat. Nam in Ductu illo D medio, *qui a* Provocatore *non minus quam Ductus D infimus, cyſt-hepaticus appellatur*, cum tamen ante tres, haud, plures verſiculos aliud omnino ſentiens, eundem *infimum ductum D. ſe hepati-cyſticum dicere*, docuiſſet; in Ductu, inquam illo D medio, id quod Figura haud ſatis oſtendit, Verheyenius præclare deſcripſit verbis illis: *Hic ductus per totum tractum inter ramum & cæt.* Quæ ad verba; ſi, ut par erat, retuliſſet; nihil ipſum habiturum fuiſſe quod reſponderet, oſtendunt ea quæ reſpondet ad illam Figuræ partem quam ſibi manifeſto adverſari, negare non poteſt. Nam poſt- 953
quam *ſpinarum piſcium* ſimilitudine producta eandem, hoc eſt Verheyenium, non obſcure deriſit (quod quidem longe aliud eſt, quam ejus *lapſus* modeſte adnotare) ſatis eſſe credit ad objectionem declinandam quod in altero Ductus ſuperioris D crure *contrariæ rivulorum inſertiones* exhibeantur, nimirum perexigua una aut altera lineola, quæ tamen neque in Lipſienſi Verheyenii Editione A. 1705. neque in Colonienſi A. 1712. invenitur. Sed quoniam has ejus Auctoris Editiones, in aliis quoque ab exhibita in Theatro Anatomico Figura (1) diſcrepantes, ſupra haud memoravi, & hic præteribo, illudque unum inculcabo, de altero tamen crure illius ductus ſibi multo certius, atque evidentius oppoſito nihil ipſum, ut neque de maxime adverſa deſcriptione reſpondere.

24 Quo minus mihi reſpondendum cenſeo de illo, ut ſemel atque iterum vocat, *Paradoxo*, *contra omnes humorum in animali circuituum leges*, quod 954
ipſe ait, excogitato; quaſi id ipſum, & quod præterea fieri, ſed *interdum*, & a *cauſa quapiam nova*, credidimus, venularum innumerarum obſervatio non indicaret; niſi forte hoc numquam *celeberrimus* Proſector animadvertit, quando ne illud quidem videtur animadvertiſſe, majus eſſe pelvis cavum ureteris cavo; neque enim *a minoribus in ma-*

[1] Tab. LXIII. Fig. 16.

Digitized by Google

pores cavitates scripsisset *CUJUSLIBET excrementii laticis cursum dirigi*.
Multoque etiam minus respondendum censeo aut de meis quibusdam verbis, aut de octava *objectione*, quorum neutra quorsum pertinerent, ipse intellexit, cum tamen omnes, nisi ad ea quæ ex Verheyenio objeceramus, respondeat, quantum hac prematur, in-
956 telligant. Quid, si alia præterea attulissemus? cum ad ea quæ attulimus, nondum, ut ostendimus responsum sit: ex quo patet, num *inutiliter*, ut ipse dicitat, *atramentum profuderimus*, & an *effictas* ipse, sed non a nobis, *objectiones everterit*, quod primo loco in ista longissima Animadversione faciendum susceperat.

25 Nunc alterum sequitur, ut illos suos, de quibus nos dubitavimus, Ductus *insignibus ulterius observationibus, atque experimentis firmet, & a quolibet dubitandi loco expediat*. Quid quæ-
957 ris? A Galeno incipit *de HIS non quidem in Brutis, at in ipso*, ut ait, *homine asseverante*, quasi inter Doctos constaret, Galenum homines dissecuisse, non quæ in bestiis viderat, ad homines transtulisse. Sed tamen num *de his* de quibus ego dubitavi, ductibus, Galenus *asseveraverit*, alia ejusdem verba clarius ostendunt non in libris *de loc. affect.* sed in libris huc aliquanto magis pertinentibus *de usu part.* (1): ea inquit, *quæ ad jecur est cystis, invisibilibus atque angustis prorsus finibus vasorum a se ipsa in viscus immissorum* bilem *attrahit*. Ego vero non de radiculis cystis an essent, sed de earum finibus quærebam an ipsi quoque cum pori biliarii ramis manifesto communicarent. Galenus *invisibiles* pronunciat. Continuo autem a *priscis illis statibus* ad hanc nostram transcurritur, & a
963 Galeno ad Collegam illum, qui suum *erga* cl. Provocatorem *studium officiumque* commemorat. Hic etsi mihi propter ætatem ignotus est, neque observationis suæ testes nominatim ullos appellat, aut ex Præceptoribus suis, aut ex Collegis; quos ego quidem præclare nossem; malo tamen cum officioso homine officiis certare, eique, ut par est, majorem fidem, quam Tabulæ sub ejus nomine propositæ habere. Nam ipse quidem *biliferos ductus, Hepaticum*, inquit, *cysticum*, & *choledochum*, *sed præsertim istum & primum — usque adeo dilatatos invenisse* se, 964
scribit, *ut ipsummet venæ portæ truncum amplitudine, seu diametro superarent*. Tabula autem primum ex parte, ultimum multo maxima ex parte, Cysticum vero totum angustiores illo trunco, & præsertim Cysticum repræsentat. Contra, affirmat ipse, *eam fuisse cavitatem* vesiculæ fellis, *ut vel ab unico parvæ olivæ nucleo tota facile occupari posset*. At multo ampliorem Tabula istam ipsam *cavitatem* ostendit. Porro describit ipse *ad ejus fundum tuberculum quoddam*. Sed nullum Tabula verum ostendit prominensque tuberculum. Quæ etsi ita sunt, non ego tamen sic ejus Amicum imitabor, ut plus scalptorum negligentiæ credam, quam Auctoris verbis, quem vel mihi ignotum cum ob ejus Patriam, mihi grato in primis homini longe charissimam, tum ob meam erga omnes, quicumque præsertim anatomicam rem amant, voluntatem, & observantiam facile diligo. Unum est in quo ipsum rogo, ut pro sua humanitate, & communi veri studio excusatum me habeat, assensumque sustinere me, sinat; nam si vel ipsi mihi idem quod illi, contigisset, assensum tamen sustinerem; neque enim specilli, quantumvis *facilis*, trajectio, cum per *spongiosam*, & *raram*, ut illam fuisse fatetur, *substantiam* accidit, naturales potius, quam manufactas indicat vias. Quod si nihilominus se illas demonstrasse sine ulla dubitatione contendat, ejus voluntati non repugnabo; neque enim ego inveniri has unquam posse, præsertim vi morbi dilatatis vasis, negavi; imo vero ultro scripsi, *fieri posse*, *ut hæc omnia in ipso homine retegantur*. Longe autem aliam agendi rationem cum longe aliter agente cl. Provocatore sequar,

[1] L. 3. c. 6.

Digitized by Google

quar, neceſſe eſt. Deſcriptionem hic non memorat, ſed *nitidam* dumtaxat *figuram — egregie ulterius hæc vaſa oſtendentem*. Lectores igitur, vel me tacente, iſtam inſpicient Figuram, & cum hæc vaſa neque ad veſiculam pervenire, neque, quod caput eſt, cum pictis in ea foraminibus communicare, perſpicient, tum illud primum intelligent, quam facile quæ ſibi conducunt, cl. Provocator affirmet, deinde vero ſi hanc magnam Tabulam ſollicite adjunxit tanquam *egregie ulterius hæc vaſa oſtendentem*, hæc autem, vel dilatatis impenſe vaſis, ne illa quidem oſtendit, quæ ejus ſuperior Tabula, vaſis ſecundum naturam ſe habentibus, aliquanto clarius propoſuit; quid cautius de toto hoc negotio interea habendum ſit, per ſe facile exiſtimabunt.

26 Neque id minus exiſtimabunt, cum ea quæ ſubjiciuntur, diligenter contulerint. Nam miſſis Amſtelodamenſium *amplis*, ut vocat, harum viarum *iconiſmis*; qui tamen uno, quod ſciam, eoque perexiguo, plures non ſunt, miſſis etiam pleriſque eorum quæ in beſtiis pariter, de quibus nunquam dubitavi, Verheyenius, & Bohnius tradidere, mox quædam deprehendent quæ eidem Bohnio nimis fidenter adſcribun-
958 tur. Velut illud: *per ſtyli, & liquefactæ ceræ introductionem enunciat attigiſſe anaſtomoſes canalium cyſtidis, non tantum cum majoribus hepaticis ramis, ſed inſuper cum minimis*; nam *minimos* non memorat Bohnius. Velut illud: *compreſſo folliculo fellis & cæt.* quæ verba quidem Bohnii ſunt, ſed ad notiſſimos omnibus hepatici ductus ramos, non ad eos de quibus Provocator agit, pertinentia. Velut illud in primis: *In his omnibus* (ideſt *in HUMANIS* etiam *cadaveribus*) Bohnius *non tantum cyſtica hæc peculiaria vaſa, cyſtidi, ac hepatico ducti intermedia, manifeſte pateſacit, ſed DUPLICATUM vaſorum genus, ſeu cyſt-hepatica, atque hepati-cyſtica non obſcure deſignat, diſcriminatque*. Nam quomodo ea Bohnius in homine *manifeſte pateſacit*, qui dumtaxat, ut infra aſſeritur, *augu-*
ratur, quod & nos fecimus, *quoſdam* 961
intrinſecus latitare canales intermedios, qui ipſi hepatis ſubſtantiæ immerſi, inter hepaticum porum, & veſiculæ cervicem mutuum aſſervent commercium; vel quomodo *duplicatum vaſorum genus non obſcure* diſcriminat, qui *inſertionem* in *minimos* ductus hepatici *ramos*, ut hic aſſeritur, non memorat, neque *multiformem* illam *anaſtomoſim*, ut in uno eodemque ſubjecto, ſed ut in variis proponit, neque demum (ne perſequar cætera perperam a Provocatore ſuppoſita) *orificia* eſſe, tradit, quod ſciam, *aut recte, aut oblique in folliculum producta*, ſed de omnibus univerſe ſcribit *obliquo ſatis tractu tunicas penetrantia*, diſerteque negat, *ſuſpicari convenire*, alium bilis eſſe motum, quam ab hepate; non igitur contrarium ad hepar motum agnoſcit, aut probat; recte, an ſecus, nihil ad me qui in nullius unquam verba juravi; certe contra cl. Provocatorem, qui hic illum quaſi ſibi adſtipulantem *obtrudit*; mihi illud ſa- 959
tis, ut quibus in locis tamquam ipſi adverſantem objeci, in iis ne adſtipuletur.

27 Ventum eſt ad *inſignia* illa, quæ titulus hujus Animadverſionis pollicetur, *experimenta*. Sed cum pleraque jam vel apud unum Bohnium legebantur; tum omnia ejuſmodi ſunt, ut quicumque novit, vel ut ex cunctis hepatis particulis, & quod conſequitur, ex iis etiam quæ veſiculam fellis contingunt, radiculæ hepatici ductus proveniant, vel quam facile, imo, ut noſter alibi ſcripſit, *ordinarium* ſit, bilem vel per ſe 101
e tunicis veſiculæ exſudare, & vicina inficere, is eorum omnium quæ in homine, plerorumque etiam quæ in beſtiis habita ſunt, experimentorum vim non ſolum eludere, verum etiam, idque jure, in dubium revocare poſſit. Verum quid in his omnibus tempus trivit quæ hactenus oſtenſum eſt quam vel dubia, vel non ad controverſiam noſtram ſint pertinentia; aut quid ex ſuppoſita nobis, ut in loco oſtendemus, alieniſſima ſententia, conatur *obtrudere*, nos iſta ipſa quæ negamus, *aperte*, *ac* 961

Digitized by Google

neceſſario fateri? quid, inquam, ſic tempus trivit, cum perpaucissimis verbis, ſi vera ſunt quæ demum ſubdit, obtinere omnium aſsenſum valeat. *Hos canales*, inquit, *ſæpius in homine ſe exploraviſſe, & oſtendiſſe*. Viros igitur nominet peritia, diligentia, auctoritate dignos quibus fidem habeamus, & quibus ipſe (ut mea cum Præcl. Mangeto diſputatio requirebat) ante primam *Hepaticæ Hiſtoriæ* editionem oſtenderit.

Nam quod ſe unum, & annum memorat 1720; nihil agit. Ipſe quidem, ut ſæpe, ut graviter aliis in Figuris aut alios, aut ſe ipſum fefellerit, a me alibi demonſtratum eſt; neque hæc ego vaſa unquam negavi, imo aperte ſcripſi (1), inveniri inpoſterum poſſe; quanquam in hac ipſa Figura quæ me dubium faciant, alio in loco (*) clarius oſtendam. Attamen ſi vere *ſæpius* hæc *exploravit*; cur me, alioſque dubitare, adhuc ſinit? Satis erat, ut adminiſtrationem anatomicam proponeret, quam ſequentes, nos quoque illa explorare poſſemus; præſertim cum ejus tradendæ *munus indeclinabile eſſe*, alias (2) pronunciaverit, *Anatomici, qui primus partem aliquam demonſtret*? Nam quod *iiſdem ac in brutis adhibuerat, tentamentis uſum* ſe, dicit; vel iſta *tentamenta* eadem ſunt, quæ aliis ſunt nota; his autem cæteri, & in his ſummi, ac diligentiſſimi Anatomici nihil ſe in homine profeciſſe faſſi ſunt; vel nova quædam ſunt atque aliis incognita; hæc autem ſecundum ea quæ ipſe pronunciaverat, effugere non poteſt quin recte atque ordine proponat.

Cum propoſuerit, tum ut alias ejus adminiſtrationes, atque utinam meliore eventu, experiemur. Neque enim ſperet, ut illi Cheſeldenii obſervationi de qua ſupra vidimus, acquieſcamus, aut aliis duabus, quæ ut multo minus huc attinerent, ne ipſe quidem ignoravit.

28 Undecima ſequitur Animadverſio, cui ſimiles ſi plures ſcripſiſſet, majorem certe laudem ſibi erat pariturus. Non modo enim, quod ait, verum eſt, *ingenuum, honeſtumque pudere Hominem* non *poſſe pro veritatis ditione mutare conſilium*; verum inſuper hæc peculiaris laus eſt quam ſibi vindicare poteſt qui erravit. Scilicet in hac Animadverſione, *ea ipſa moderatur, imo retractat*, quæ cum in prima, tum vero etiam in hac Editione docuerat ſive muſculoſum veſiculæ fellis ſphincterem affirmando, quem hic negat, ſive ejuſdem valvulas negando, quas hîc affirmat. Rem præterea ex parte fatetur quam ego in Adverſ. V. (3) neque tunc primum, animadverteram, *paucas ipſum, nec ſatis diu pertentatas obſervationes conſuevisſe in medium adducere*. Hic enim diſerte ſcribit, *uni aut alteri obſervationi, a ſe in felleis folliculis, cyſtiçiſque ductibus, valvuloſâ forte fortunâ habitudine, deſtitutis inſtitutæ impenſius iſum fuiſſe*. Laudo, quod vera hæc fateatur, non minus laudaturus, ſi alia pariter vera fatebitur, nonnullaque in primis his conſimillima, de ſphincetere ſcilicet quem in fine Ilei eſſe, affirmavit, & de valvula, quam ibidem negavit. Quod ſi mihi forte hanc, nunquam tamen a me quæſitam, laureolam non vult concedere; at Graviſſimo Profeſſori Heiſtero concedat, a quo non duobus verbis, ut de his valvulis cyſticis, quas Provocator *imaginarias* vocaverat, ſed tota *de Valvula Coli* Diſſertatione monitus eſt. 108
Hunc enim, tametſi ſupra in hac ipſa Editione (quod in me dictum gloriæ ducerem) in ejuſmodi Profeſſorem, ac utriuſque noſtrum Amicum, ferre non poſſum) *quam maximæ expectationis Virum* non veritus eſt appellare, quaſi Anatomicum adhuc præ ſe adoleſcentem; tamen; ut alia nunc omittamus; quicumque ex iis quæ ſupra a nobis ſcripta ſunt, colligent, noſtrum iſtum, ſeniorem adeo, ut ſibi videtur, Anatomicum vix uno ante Præſtantiſſimum Heiſterum anno eſſe natum, neque præterea ignorabunt, anno adhuc 1722. ut inter Ordinarios Profeſſores tandem aliquando recenſeretur, 674 104

[1] Adv. III. pag. 57. [*] Vid. Epiſt. I. Art. 38. & ſeq. [2] Duct. Lacr. [3] Pag. 5.

Digitized by Google

tur, laborare debuisse, cum tot ante annis inter Ordinarios Professores jure meritoque Heisterus esset evocatus; nihil Nostrum facere indignum se judicabunt, si ut in hoc, ita aliis in locis *hujus Auctoris diligentiæ lubenter se referet*.

29 Verum in proxima duodecima Animadversione id tantum abest ut faciat, quædam ab Heisterο, imo ab aliis etiam Anatomicis non probata, inculcare adhuc, & tueri connititur. Primum namque cum adversus omnes, quantum quidem in præsentia memini, omnium ætatum Anatomicos ipse tradere non dubitasset, musculosam vesicæ urinariæ tunicam, non mediam esse, sed extimam, atque ita extimam, ut peritonæum hanc compingens, *plano ulterius obtegatur musculari*; cumque ego id a veto alienissimum esse, ostendissem; Solertissimus Heisterus, utroque nostrum perlecto, ne transversum quidem unguem in altera Compendii sui editione a communi recessit sententia; Egregius autem alter Anatomicus Santorinus, cum errores alios cl. Provocatoris redarguat, huic errato habere tantum honorem noluit, ut iterum confutaret, sed *ceu nulla animadversione dignum, missum facere* se dixit (1), isto vesicam *plano ulterius obtegi musculari*. Hæc cum ita sint; Noster primo errore non contentus, alios non leviores quasi in ejusdem defensionem addit, eumque in primis, quod *humani* quoque *uteri* (quem inter *vesicas* cum
980 *singulis intestinis* recenset!) *extimam faciem præcipue occupent musculares fasciculi:* neque satis intellectum, ut solet, Malpighium, in suas trahere partes conatur: & quasi peritonæi, uterum in-
981 vestientis, læ em illam extimam faciem numquam vidisset; *muscularibus lacertis*, hoc est, ut definisse *muscularem substantiam* videtur, *fibris superficie asperis, scabris ac veluti nodosis*, uterum, aliaque *ejusmodi promptuaria* af-
983 firmat *ditari inprimis extrinsecus positis, seu liberioribus, veluti qui per unam saltem faciem ab alio nectenti involucro non implicantur*. His; atque aliis ejusdemmodi de urinaria etiam vesica positis, tanquam certissimis planissimis- 984
que, non dubitat scribere, *quam inanes* nostræ *objectiones sint, quemque cordatum posse vel solum legendo dignoscere*. Ego vero non dubito, ne ipsum quidem dubitare, fore ullum tam excordem quin sentiat, me in illis cunctis objectionibus nihil aliud egisse, nisi ut homines intelligerent, maluisse me alia omnia credere quibus ipse forte deceptus esset, quam id ipsum tam abnorme quod nunc confirmat sublata omni fortuiti erroris excusatione, ab eo revera Anatomicis *obtrusum* fuisse.

Itaque si meas illas objectiones *inanes* esse vult; sunto, sic tamen ut omnes intelligant, meas non tam objectiones, quam gravissimi ejus errati excusationes *inanes* esse. Quæ cum ita sint; non ero amplius tam ineptus, ut pro meis illis objectionibus propugnando, *invitum*, ut ait Flaccus, *servare laborem*. Hæc tantum addam: me non *finxisse illud non intelligere*; quod sic quidem, ut ipse scripserat, non posse intelligi, demonstravi: me 985
non *in rei veritatem remis velisque* quod *obtrudit* ipse, *niti*, cum illa ostendere quæ tunc candide scripsi, tum vero alia quotiescumque tu, Vir Doctissime jubeas, a me de vesicæ anatome producenda (2): me pro rubicundo *subalbidum colorem in musculis* non *videri* posse *instituere*, neque *ut ad subalbidum colorem mediam vesicæ tunicam quoquomodo conducam, invisum omnibus colorem eidem tunicæ accommodare*, qui de fibris carneis, quantum ad vesicam *sæpius*, & in parte attinet loquar, & Falloppii (3) Incomparabilis Anatomici verba proferam in illa vesicæ tunica *non ita rubicundam carnem, qualem in musculis; sed SUBALBIDAM* (quomodo Bauhinus (4) quoque loquitur) diserte ponentis; ad me necessario non attinuisse verba facere de tunica *universe atque uniusmodi & æqualiter, undequa-*

[1] Obs. Anat. c. x. [2] Vid. Epist. I. Artic. 57. & seq.
[3] Obs. Anat. [4] Theatr. Anat. l. 1. c. 31.

Digitized by Google

quaque ſubrubente, qui *cutaneum muſculum* refutarem, *qui tanquam rete eſſet, non tamen ex æqualibus fibrarum faſciculis compoſitum, ſed ſummâ quaquaverſum irregularitate diſtributis, coeuntibus, aut interſectis; quibus membranoſa peritonæi expanſio in fulcimentum inſeruit*; ſic enim tunc ſcripſerat, qui nunc ea, qua ſolet, conſtantia, *æqualiter*, & *undequaque* ſcribit *rubere extimam urinariæ veſicæ tunicam*, & 981 quidem a fibris *in quoſdam determinatos ordines, atque faſciculos diſpoſitis*: contra, meorum *verborum* nullam eſſe 986 *diſcordiam*, niſi apud illum, qui vel ex eo quod *extimæ veſicæ tunicæ* nondum *culter admotus ſit*, arbitratur, *conſequens* eſſe, *ſanguinolentas alias partes ad ipſius contactum apponi* non potuiſſe, vel de duobus ruboribus, diverſas inter ſe cauſas habentibus, non intelligit me verba feciſſe.

30 Nam de cæteris quæ ſequuntur quid dicam? „ Judicabunt, inquit, Le„ ctores, ſi *in fibris carneis ſtatuendis* „ *rubori tribuendum non ſit*.„ Imo vero judicabunt quam deceat aliorum verba, alia præſertim litterarum forma producendo, ſic mutilare, ut abſurda eſſe videantur; neque enim ego ita ſcripſeram; ſed ad hunc modum (*): *omnino enim in fibris carneis ſtatuendis NIMIUM tribuere rubori videtur*. Sed niſi iſtud *nimium* abſtuliſſet; ea quæ ſubjicit, contra nos addere non potuiſſet. Cætera quæ de veſica, & ligamentis Coli inteſtini ſubjiciuntur, alio in loco (1) examinabimus; quæ vero de Auctorum toties inculcatis *Lapſibus*, infra expendemus. Poſtremo de meis quibuſdam, quæ cum haud ſatis unus ipſe intelligat verbis, *valde obſcura*, & *intricatiſſima* eſſe exiſtimans, *lepidum* 987 nobis *luſum inſtituit*, quaſi *herculeas* neſcio quas *rationes*, iiſque *anatomicas inauditas res* docere contenderem; de 984 iis, inquam, verbis, *humaniſſimo* illo ſuo, ſupra dato, reſponſo utar, nimirum *meos ego deprecabor Lectores ut eidem locum illum meum explicare faveant*. Ubi id fecerint, tandem aliquando cognoſcet, neque in nos cadere, quæ duobus ſubjectis exemplis, putat, & ut melius eſt latine nihil ſcribere, quam ea ſcribere, quæ intelligere nemo poſſit, ſic melius eſſe nihil ad latine objecta reſpondere, quam ab aliis omnibus intellecta, in reſpondendo non intelligere. Iidem Lectores docere poterunt, quanto gravius, & graviore quidem in genere, mox labatur, qua 688 de re ego quoque aliquid in extrema hac Epiſtola coactas attingam.

31 Illud unum hoc in loco non prætermittam, quod; ut ad hujus Animadverſionis initium redeam; non mihi modo, verum etiam Profeſſori Experientiſſimo, cui melius fuerat hic quoque cedere, Laurentio Heiſtero, aliiſque Anatomicis adverſatur. Heiſterus namque utriuſque noſtrum perlectis ſcriptis, judicium hoc tulit (2): *Bianchus in Mangeti Theatro anatomico novos veſicæ muſculos, elevatores & depreſſores, deſcribit, pag.* 414. *& ſeq. eoſque duabus Tabulis delineat. Verum a Morgagnio in Adverſ. Anat. III. pag.* 75. *uſque ad finem, refutatur*, vel, ut alibi (3) apertius loquitur, *nervoſe refutatur*. Atque Anatomicus alter exercitatiſſimus, Doctiſſimuſque Jo. Dominicus Santorinus (4) de iiſdem Provocatoris Muſculis diſerte hæc ſcripſit, *ſe in nulla unquam incidiſſe cadavera (etſi plurima præ cæteris ſelectiora, atque ad Anatomen aptiſſima, ob hanc potiſſimum rem diſſecuerit) quæ iſtiuſmodi muſculos obtulerint*. Contra autem cl. Provocator affirmat, ſe eoſdem muſculos *& Bononiæ ſemel, iterumque in Noſocomio Mortis Publicis illius almi Archigymnaſii Præclariſſimis Profeſſoribus plurimis, atque ſtudioſorum coronæ ampliſſimos oſtendiſſe, & in ſuæ R. T. Univerſitatis Theatro publice quotannis oſtendere*. Melius in rebus quas nemo adhuc niſi ipſe, potuit invenire, feciſſet, ſi ex alterutra *Univer-*

[*] Adv. III. pag. 76.
[2] Comp. Anat. ad a. 347.
[4] Obſ. Anat. C. X.
[1] Vid. Epiſt. I. loc. cit.
[3] Progr. de Inv. Anat. Edit. in 4.

Digitized by Google

verſitate eos qui non oſtenſioni tantum, ſed fideli, luculentæque Anatomicæ adminiſtrationi interfuiſſent, *Præclariſſimos* Profeſſores nominaſſet. Nam ut Profeſſoribus oſtendiſſe, credamus; æquum tamen eſt, ut ſciamus, & quomodo, & quibus oſtenderit, ut puta, ſi de Bononienſibus ſermo ſit, *Honorariis* ne an *Ordinariis*. Etſi enim in utriſque Viri Peritiſſimi eſſe poſſunt; longe tamen magis alii ab aliis in ea Nobiliſſima, ingentique Profeſſorum numero abundantiſſima Academia differunt, quam Provocatoris Typographus videtur credere, qui ipſum ex *Honorario* dumtaxat, creavit repente (1), ſi Diis placet, *ORDINARIUM in Bononienſi Archigymnaſio Theoricæ Medicinæ Profeſſorem*. Igitur cum aliquos nominaverit, tunc ea quæ Præſtantiſſimus, Graviſſimuſque ex Bononienſibus Profeſſor negat, ipſique adeo per litteras vidiſſe negavit, tunc inquam, ex aliis etiam univerſa, & ſingula, quæ ad totam illam adminiſtrationem pertinent, ſciſcitari poterimus; in his illud quoque, num Depreſſores veſicæ muſculos oſtenderit, ut in impugnata a nobis deſcrptione, an ut poſtea, in VI. Anatomica Oratione indicavit. In hac enim ſcribit: Urethræ *Tranſverſales*, *ſeu potius urinariæ veſicæ depreſſores muſculos Bidlous* illuſtravit. Deſcriptionem autem illam quicumque cum Bidloi Tab. XLVII. Figura 5. hujuſque explicatione comparaverint, cum quantum hi ab illis differant muſculis, intelligent, tum vero magis magiſque de refutatis a nobis univerſis cl. Provocatoris muſculis dubitabunt.

44

32 Hæ tamen, atque aliæ a nobis merito confutatæ res illæ ſunt quas in proxima jactat XIII. Animadverſione.

Ego vero inquit, *qui rebus non verbis ſtudens, non ad hunc locum ſolummodo, ſed univerſe alibi, quodlibet, quod velit, oratoriæ declamationis privilegium Cenſori noſtro cl. ample dimitto, & concedo & cæt.*; quaſi vero

991

non ipſe eſſet, qui in notatis ibidem (2) a me locis bili haud obſcure mentem affingeret, ac Antiquorum Codicum infelicitatem deplorans, ipſos induceret contra *Recentiores noſtros*, *turpiſſima*, ut ait, *ignorantia obcæcatos*, opportuniſſime in Anatomico ac Medico libro *Stylo hiſtorico*, ut pollicitus erat, conſcripto, declamantes, vel quaſi ego, non ipſe, uſque adeo aut vires exiguas, aut alias occupationes ignorarem meas, ut Oratoris titulum aucuparer. Egone tantum mihi ſumerem, ut *Orationes* ſcribere, & *Orationum* magnifico titulo mea qualiacumque ſcripta ornare auderem? Utinam muneri par eſſem meo, & in anatomicis deſcriptionibus, quæ *omni ornatu orationis quaſi veſte detracta* nudæ eſſe debent, *puram* illam aſſequerer, & *illuſtrem brevitatem*, qua Tullio (3) opinor, auctore, *nihil eſt in hiſtoria dulcius*. Nam quod eos Anatomicos *qui volunt hanc calamiſtris inurere*, ego quoque *ineptos* putaverim, illa ipſa verba ſatis oſtendunt, quibus ego non in deſcribendo, ſed in aliena deſcendentis bilis deſcriptione notanda, aliiſque ejuſmodi uſus ſum.. Itaque nec ſe mecum facere, nec in quem diceret, animadvertit cl. Provocator, ubi (4) tot deſcriptionum oblitus ſuarum, in eos declamavit Anatomicos, qui idem facerent quod ipſe fecit, in eo, inquam, loco quem verba hæc excipiunt (5) *Redeo ad te, humane Cadaver*, neque poſt multo ea ſubſequuntur: *vobiſque cordi ſit illud Celſi*: „ *Ne fluctues ſemper in me-* „ *dicis conjecturis, firma te Anato-* „ *me*: „ quæ verba ita Celſi dici poſſunt, ut *humanus Cadaver*. Quorſum hæc? eo nimirum ut intelligatur, aſſentiri nos quidem cl. Provocatori, in nova Præfatione eos *medicos ſcriptores* jure meritoque improbanti, *qui ſeligendis vocibus tam avide incumberent, ut neque literulam ſcribere latine auderent, quam in Calepinis & Nizoliis (quos ſemper in manibus verſarent) non conſuluiſſent*, & qui alia quæ ibidem,

216

[1] Vid. Orationum Titul. [2] Adv. III. pag. 52. [3] De Cl. Orat.
[4] Orat. III. pag. 23. [5] Ibid. pag. 24. & 25.

Digitized by Google

dem, atque alibi recenſet, tandiu, ac tam aſſidue facerent, ut *quod ſtudium Medicis diſquiſitionibus vertendum eſt, idem totum aut plurimum elimandæ, voluntandæque diutius elocutioni, ac ſeligendis voculis impenderent:* Neque tamen a nobis iiſdem qui ejuſmodi homines improbaremus, probari viciſſim poſſe Anatomicum, aut Medicum qui latine ſcribere auderet priuſquam ſaltem ſubjectum ſuum ut puta Anatomicus *humanum Cadaver* recte dicere latine didiciſſet (1), ac non modo *in locutionem Ciceronis, Ceſaris, Terentii, Livii*, ne iis quidem annis qui hiſce, ut fieri ſolet, ſtudiis ab aliis tributi ſunt, *inquiſiviſſet*, ſed nunquam Celſum, latinum Hippocratem, cujus ſententiis in ſcribendo uti vellet, tandiu ſaltem inſpexiſſet, ne pro ejus elegantiſſimis verbis verba neſcio cujus afferre poſſet.

Neque enim horum alterutrum eſt *leve quidpiam & fere inane*, qualia ego quoque *prudentiæ eſſe* fateor *detractioni, & invidiæ*, non timendis tamen a quocumque ſcriptore malis, *concedere;* Sed tam grave eſt, quam juſtæ erga Lectores reverentiæ, quam *prudentiæ* ipſi deeſſe, præſertim ſi ita ſcripta *Orationes* inſcribantur, & de his illud diſerte jactetur (2): *Hæ nempe mutæ litteræ diutiſſime loquentur. Rebus*, inquit, *non verbis ſtudeo*. Quid? Hippocrates, Celſus, Galenus, ſummique alii Medicinæ ſcriptores in ſua quiſque lingua probatiſſimi num rebus forte non ſtudebant, aut cum rebus ſtuderent, idcirco in verbis arbitrati ſunt licere ſibi eſſe, non dicam ita negligentibus, ne tantam elegantiſſimis Scriptoribus injuriam faciam, ſed parum duntaxat diligentibus? Verum enimvero ſic ut plurimum rem ſe habere animadverti, ut qui nihil omnino quemadmodum ſcribant, laborent, iidem non multum laborent quid ſcribant.

Itaque ſi ex Provocatore cl. *Res, Res*, inquam, illas, quibus unice *ſtuduiſſe* ſe affirmat, quæramus; reſpondet quidem (3), *certe non exiguæ, & non paucæ — in Humani corporis provinciis — aſſequutum ſe fuiſſe, & lineam aliquam, eamque non minimam ad Humanæ hujus Mappæ expoliendam formam adjeciſſe*. At ſi per nos ipſos tot iſtas, & tantas *Res* in cadaveribus inquiramus; tum vero facile apparet, non multo plus ipſum *rebus*, quam verbis *ſtuduiſſe*. Verum id & alias ſatis oſtendimus, & quandocumque nobis placeat, oſtendere magis magiſque poterimus. Sed fortaſſe *Res* iſtæ ſuæ neque *minimæ* neque *exiguæ*, neque *paucæ* illæ ſunt quas eſt editurus, ſecundum ea quæ in præfatione editionis I. magnifice quidem ſponderat: *curſus*, inquit, *mei Anatomico-pathologici — triginta ſectiones — dabunt præcipue Cerebri, — Lienis, & Thymi ſtructuras, uſuſque germanos, — miniſteria glandulæ Thyroideæ, & aliarum bronchialium, earumque vaſa excretoria. — Venient poſtmodum a tergo opuſcula varia — de morbis vernis, æſtivis, autumnalibus, & hyemalibus & cæt.* Verum poſt annos duodecim *Anatomicam* habens *Orationem* (4), priora illa quæ ſe deprehendiſſe, tunc jactaverat, *ſuam hactenus qualemcumque operam, & diligentiam effugiſſe*, confeſſus eſt. *Quid enim*, inquit, *vero; proximum, quid denſâ illâ circumjectâ caligine ſatis deterſum proferrem de ſtructura Cerebri*, de *Thymi, lienis, — Thyroideæ glandulæ, ac plurimarum conglobatarum, aliorumque membrorum poteſtatibus, — quid tandem de tot aliis, ignotis hactenus, diuque fortaſſe ignorandis, Humani corporis partibus?* Quod vero ad morbos illos attinet; quæ res longe facilior eſt; ſibi nunc quidem *videtur ſuam ſatis fidem liberaſſe — de Morbis, vernis, æſtivis, autumnalibus, & hyemalibus;* & 784
tamen quos *duntaxat* morbos ſpectaverit, quoſve omiſerit, hæc verba indicant ei tractationi præpoſita: *Sed quoniam bi-* 717
lioſas duntaxat epidemias exarare ſtatuimus, ideo prætermiſſis hyemalibus mor-

bis

(1) Huc adde ex pag. 970. Hiſt. Hepat: *Porro ex cadaveribus, QUOS - Bononiæ dum degerem, in Mortis Xenodochio diſſecabamus & cæt.* (2) in Epiſt. ante Orat. I.
(3) Orat. VI. pag. 46. (4) Ibid. pag. 47.

Digitized by Google

bis & cæt. Quo igitur modo in universum *de morbis*, speciatim autem *de hyemalibus*, *suam satis fidem liberasse* se, existimat, vel quomodo tot illa alia, & tanta, quæ postea se juxta cum omnibus ignorare confessus est, in ea Præfatione promisit, nisi utrobique studuit, non *rebus*, sed *verbis*: quibus quidem alibi quoque ipsum vehementer studuisse, nobis quam facillimum esset ostendere, nisi planum facere præstaret, idem prorsus egisse in hac etiam XIII. Animadversione, ubi incassum pro eo
102 propugnat quod scripserat: *indubitabilem* esse *digressionem in cystim totius pene liquidi, ab hepate versus intestina per porum biliarium excurrentis?*

33 Nam certe quæ nunc argumenta addit, ne ipsum quidem puto existimare ad rem pertinere. Quid enim mihi
990 & seq. *Salamandra*, quid *Rana piscatrix*, quid *Xiphia*, quid *Vipera*, quid aliæ narrantur vexatæ inprimis & dilaceratæ viventes bestiæ, qui de homine potissimum, & secundum naturam disputaverim? præsertim vero quid *Columbi*, quasi hæc quæ producuntur, sed minime intelliguntur, Galeni verba: *Columbi vesicam jecinori adjunctam perinde ac aliæ quædam animantes non habent*; vesicam fellis Columbis tribuerent, non; ut anatome ostendit, & quod mirandum est, Provocator cl. alibi con-
1010 firmat; adimerent. Deinde quid hæc omnia, atque tot alia cunctis notissima, & in his rariores quoque illæ cystis fundi in nonnullis interdum hominibus a jecinore disjuncti Ruyschianæ observationes? quid hæc, inquam, omnia sibi volunt, nisi id quod Cel. Ruyschii verbis dicitur: *vesiculæ contentum maxima ex parte per ductum cysticum advenire?* Hoc vero neque mihi unquam in mentem venit ut negarem, neque illud est quod Provocator cl. probare debet. Longe enim aliud est, vesiculæ bilem pene totam ex hepatico meatu per cysticum advenire; ac bilem per hepaticum meatum ad intestinum descendentem, *pene totam divertere in cystim*. Hoc ipse *indubitabile* esse, affimavit; negavi ego; illud alterum docui semper, & adhuc doceo; ut vehementer mirer, cur mihi oppositam sententiam affingat, nec vero hic solum, sed ubicumque venit ipsi in mentem de effecto, ut sibi commodum est, quem ipse appellat, Adversario suos illos imaginarios triumphos agere. Nam ut omittam quandam ejus latinam ad Amicum Dissertationem A. 1720. a me visam, in qua etiam aliis quibusdam Amicis suis ita se venditabat, ut eorum quæ Amplissimo Lancisio promiserat, satis memor non videretur; 961
nonne supra (ubi de hepaticystici ductibus) nonne infra (ubi de cystis ipsius glandulis) me conviciisse prorsus, 1090
somniat, propterea quod *bilis ingressum in cystidem per cysticum ductum omnino denegem*; idque in *Adversf. III. Animad.* 25.; in qua tamen, ut omnes, vel silente me, vident, semel, iterum, sæpius inculco, *indubitabile* non videri mihi, non jam bilem ex hepatico per cysticum ductum vesiculam ingredi, sed *bilem ab hepate ad intestinum* descendentem *PENE TOTAM divertere in cystim*. Neque ego, quod sciam, 994
valvulosam cystici ductus constitutionem, neque contra eum quem agnosco, bilis moderatum motum, illa alia de quibus tamen in loco videbimus, commemoravi. Illud quidem nunc miror, eum qui tandem aliquando istam *valvulosam* 974
cystici ductus constitutionem non esse, ut scripserat, *imaginariam*, agnoscat, eum qui *per* istam fateatur in *non paucis* vesiculis *multo majus plerumque accidisse* 970
impedimentum sive styli, sive aquæ transmissioni a bilario *poro in folliculum*, *quam a folliculo in porum*, eum tandem qui *per* istam fieri contendat, *ut bilis neque tam libere, rapideque a biliario poro in cystim descendat; neque* 971
tam facile subitoque a cysti in hepaticum, atque choledochum erumpat; neque enim expedire, folliculum felleum tam cito repleri; neque tam cito vacuari; eum, inquam, qui hæc omnia jam agnoscat, & scribat, miror, illud adhuc sine *omni dubio* defendere, quod cum ea omnia ignoraret, aut negaret, posuerat, *bilem videlicet per hepaticum* 990

Digitized by Google

991 *ductum versus intestina continenter derivatam, digredi pene totam per cysticum ductum in folliculum felleum.* Esto enim, hoc *indubitabile* tunc crediderit, cum bilem in folliculo *libere* 110 *congregari*, arbitrabatur. At quomodo *indubitabile* nunc credit, quando hujus rei illud *multo majus* in *non paucis* vesiculis *plerumque impedimentum* agnoscit? Eodem opinor modo, quo cætera ista quæ nunc contendit, cum iis cohærent quæ alibi affirmavit: per ductus 107 cystici *amplitudinem non pedetentim, & successive vesiculæ exonerationem fieri, sed subito & impetu quodam, per leges mechanicas patere.* Sed hæc ipse viderit. Ego sane ut quæ non scripsi, tueri non debeo, sic quæ scripsi, & agnoscere, & tueri non dubito.

34 Nam *pene totius* bilis in vesiculam descensum esse *indubitabilem*, ad idque *convincendum* esse *nervosissimas*, quas memoraverat, observationes, hæc vero me negavisse, & adhuc negare, confiteor. Nam in prima observatione, quantæ sint vires obliquæ insertionis, 995 & carunculæ ductus Communis, neque pro certo definiri satis potest, & ipse satis esse exiguas, indicat, qui res aut 996 easdem, aut, quod omnino effugere non potest, similes, sed certe, ut ipse posuit, minimorum ductuum orificiis præpositas, idem, aut simile quid præstare, non concedit. Secundam observationem non esse perpetuam, nunc aperte fatetur, mutatis, neque hic solum, contra atque in Præfatione pollicetur, verbis: præterea ad primum quod animadvertimus, sua illa interrogatione respondet nihil; ad alterum etsi ita respondet, ut de alio ac loquebamur, intestino jam loqui videatur; tamen utcunque ipse intelligat, numquam ego negavi, quo minus, vi fortasse etiam morbi, per communem ductum, bilis in intestinum possit effundi, eo plus in vesiculam divertere cogi, sed num hinc sequitur *indubitabile* esse bilem *pene totam* secundum naturam eo divertere? 997 De tertia observatione quod nondum in homine sit luculenter confirmata, satis supra dictum est; & quando erit, ad bilem pertinebit sane per alios ac cysticum, de quo disputabatur, ductum in vesiculam comportatam. Ad Quartam denique, & quintam observationem, cum ipse contendat, his illud ostendi quod numquam a nobis est negatum, nihil profecto est cur quidquam iterum notemus, præsertim cum ea quæ Cl. Provocator respondet, hic quoque, ut ubique, talia sint, ut eorum infirmitatem Lector quisque per se possit animadvertere. Nam quartam certe observationem ego dixeram *judicio gravissimi ejus* Auctoris Bohnii, *nihil aliud probare, nisi a ductu hepatico aliquid bilis folliculo infundi.* Provocator autem fidenter Lectorem rogat, ut Bohnium consulat; quasi vero Bohnius (1) in laudato ab utroque nostrum Progymnasmate XVII. diserte scriberet: per eam observationem *omne dubium tolli*, quod per canalem hepaticum descendens bilis pene tota in folliculum divertat, non, ut ego fideliter retuli quod *a ductu hepatico ALIQUID fellis folliculo infundatur:* quam sententiam Bohnius, tanquam summam omnium illarum observationum, ad oram quoque sic iteravit: *A ductu hepatico ALIQUID bilis vesicula recipit.* Quintæ autem observationi quorundam videlicet animalium, vesiculam ab hepate prorsus disjunctam habentium, cum ego aliorum vicissim observationem opposuerim, quorum ductus cysticus, & hepaticus seorsum pergunt, & seorsum intestinum perrumpunt; ipse quidem ignorare se, ostendit, tum quænam hæc sint animalia, tum quantam hæc vim habeat ob- 998 jectio. Sed eruditi Lectores ea quænam sint, ex Blasio, Malpighio, Redio, aliisque, & in his ex eodem Bohnio in eodem laudato Progymnasmate non ignorant neque nesciunt in quibus cysticus ductus omnino sejunctus sit ab hepatico, in iis certum esse, bilem ex hepatico per cysticum in vesiculam non ire; in iis autem quorum vesicula ab hepate prorsus sejuncta est, in iis tamen non esse *indubitabile*, *potissimam hepa-*

(1) Circ. Anat.

Digitized by Google

hepatici ductus biliarem ſarcinam ad eandem veſiculam deferri neceſſe eſſe, præſertim ſi *difficilis*, *longa*, *acclivis*, vel *retroverſa*, & una denique ad hanc via ſit; contra facilis, neque raro multiplex ad inteſtinum, quæ res nimirum non illud indicant, de quo nunquam diſputavi, eſſe præterea aliam ad folliculum viam, ſed hoc quo de agebatur, atque agitur, ſatis indicant facilius eſſe majorem bilis partem in inteſtinum eorum animalium, quam in folliculum ire. Hoc enim eſt quod ipſum urget, hoc quod ejus *rebus refragatur*, utcumque tergiverſetur, & *ſe fatiget*, ac *clamitet*. Nam contrarium ipſe *indubitabile* eſſe, aſſeruerat, & per iſtiuſmodi *nervoſiſſimas* obſervationes magnifica
999 Geometrarum formula, probatum eſſe, pronunciaverat, ut adhuc, vel in *homine* ipſo, pronunciat. Quod ſi id forte in iis animantibus probare potuiſſet; num continuo in *homine* in quo longe alia bilioſarum viarum eſt diſpoſitio, probaſſet? Certe ego ab ea viarum diſpoſitione quæ in objectis a me animantibus obſervatur, non deduco, ut ipſe interpretatur perperam, ſimilem eſſe oportere ſtructuram, ſimilemque bilis curſum in iis quæ ipſe memoraverat, animalibus, imo illud in quo objectionis vis potiſſima eſt, deduco: tantum abeſſe, ut ex animalium, quæ ab humana ſtructura diſcrepent, obſervatione propoſitus iſte in homine bilis curſus *indubitabiliter*, & *nervoſiſſime* ſit arguendus, ut vel in ipſis animantibus alia ſint in quibus oppoſitum prorſus bilis curſum agnoſcere neceſſe ſit. Cur igitur qui merito tunc me increparet, ſi, ex variæ ſtructuræ animantibus eundem eſſe bilis curſum in aliis animantibus, intuliſſem; non meritiſſimo ſe ipſum increpat, qui ex viperis aliiſque ab homine tam diſcrepantis ſtructuræ ſerpentibus, eundem revera in homine bilis curſum eſſe, intulit. Sed quid ſe increpet, qui me illa quæ de cyſtis & de bilis ductuum ſtructura omiſerat, notantem, non dubitat ad *Lectoris qui ſuam hanc videt, perpenditque Hiſtoriam*, *judicium* trahere, perinde ac ſi Lector de his, aliiſque ejuſmodi rebus etiam alibi tam fidenter appellatus, utramque illius Editionem *Hiſtoriæ* conferre non poſſet, ac quæ in prima vere omiſſa, in hac me admonente, tandem addita fuiſſe, agnoſcere.

35 In XIV. Animadverſione ſunt alia quæ, etiam tacentibus nobis, per ſe facile perſpicere Lectores queant. Illud præ cæteris grave mihi, atque intolerandum, de quo ne pluribus aliis in locis querar, in hoc uno queri liceat. Quæ enim ratio alia facilior, eademque acerbior male mihi faciendi excogitari poterat, quam ipſa mihi Cl. Provocatoris verba tribuere? Id ejus ſæpe facit Typographus, ſublatis ex meorum *Adverſariorum* locis a Provocatore adductis, omnibus indiciis & notulis, quibus ego caveram, ne hujus verba quæ ut impugno, ſic inter mea fideliter affero, pro meis unquam ab incauto aliquo Lectore acciperentur. Quæ ſi reſtituantur verborum diſcrimina, hoc eſt, ſi (quod cauti omnes Lectores facient) objectiones meæ in meo, non in Provocatoris libro legantur; id unum videlicet ſatis erit, ut omnes intelligant, multa multis in locis, & in hoc præſertim ipſum ſcripſiſſe, quæ nullam a me poſtulent reſponſionem. Quod enim primum *obtrudit*, me *huic ſuæ*, *communique ſententiæ* (de cyſtis bile ab adjacentis ventriculi turgentia ad exitum compulſa) *de more iraſci*; ego neque iraſcor, qui ab iracundia natura, & inſtitutione alieniſſimus ſum, neque iſtam ſententiam omnino improbo; quæ cauſa fuit ut quibus illa *firmatur*, *rationes* a me excuti, non oportuerit. Sed in his tribus dumtaxat hæreo, I. quod *pervulgatam*, ut ego ſcripſi, ſive, ut nunc ipſe confitetur, *communem* ſententiam ſe dixerit *inveniſſe*. II. quod turgentiam illam ventriculi *ſine ulla dubitatione etiam* „ *a fermentativa rareſcentia* „ *quadam* „ *deduxerit*, de qua ſane plures Viri Graviſſimi dubitant. III. quod tres quas ut ei faventes ſententiæ produxit, obſervationes tam *conſpicuæ* in eo ſint, quam ipſe exiſtimare ſe,

Digitized by Google

oſtenderit. Et continuo cauſas cur illæ obſervationes non *ita conſpicuæ* videri poſſint plures ſubjicio, alias quidem ab aliis, ut in tranſitu ipſe indico, leviores, gravioreſve cenſendas, ſed univerſas tamen, & ſingulas ſane ejuſmodi, ut rebus quæ *conſpicuæ* eſſent, tot, & talia ne videri quidem adverſari debuiſſent. De his tribus primum ipſe, ut diximus, hic diſerte confitetur: alterum alibi diſcuſſurum ſe, dictitat; quamquam niſi alia atque oſtendit, incedat via, non magnopere profecturus videtur: in tertio conatur inſiſtere; ſed quaſi nihil hic aliud ageretur niſi ut objecta a nobis, utcunque diſcuteret, ita in vi trium ſuarum obſervationum tuenda prolixus eſt, ut hoc ipſo ſatis ſuperque comprobet, me non ſine cauſa dubitaſſe, an *ita conſpicua* eſſent, quæ vix tot verbis tantoque labore videri fortaſſe poſſit, utcunque defendiſſe. Quamobrem cum ita quod mihi ſatis eſt, habeam; idque præcipuum mihi propoſitum fuiſſe, illis qui mea quidem *Adverſaria* legerint ex eo verbo „ non „ ita *conſpicuum* „ alia characterum forma ſæpe inculcato; luculentiſſime appareat; nihil eſt cauſæ cur omnem iſtam defenſionem refellere aggrediar.

36 Quædam tamen quæ nullo modo prætermitti poſſunt, attingam. Nam quod in prima obſervatione *plurima omittere*, & *mutilare* me queritur, *potiſſimam in obſervatione nervi partem*
1000 *ſcientia;* minus inepta hæc eſſet querela, niſi poſt ejus verba *in aliis autem*, de meo continuo (1) adderem *contra*, qua una vocula & quod pluribus ipſe verbis, ſatis ſignifico, & tamen ut meam, extra commata ipſam ſcribendo, indicium Lectoribus ultro facio, ut ſi ejus prolixitatem deſiderent, ipſum conſulant. Quod vero in iis quæ objicio *obſcuritates*, *atque confuſas interjectiones* (*an arte*, inquit, *poſitas?*) eſſe, dictitat; ſane qui eadem apud me, ſuis diſcriminibus inter mea, ipſiuſque verba appoſitis diſtincta, non ut hic apud ipſum, diſcriminibus (an arte?) ſublatis, confuſa, non omnino oſcitanter; preſſe enim ſunt ſcripta; perleget, judicare is poterit, num egeant, cl. præſertim Provocatoris, benigna opera, ut, a *tenebris patienter expediantur*, & *evolvantur*, *bonamque in lucem quantum liceat*, *revocentur*.

Quantis autem a tenebris revera expe- 1001
dire, me admonente, conetur, & in lucem, quantum tamen licet, revocare quæ ipſe ambiguis verbis, & parum inter ſe conſentientibus ſcripſerat, & nihilominus *conſpicua* eſſe, affirmaverat, Lectores videbunt, præſertim cum adhuc memoret *analogiam hepaticorum* 1002
ductuum cum ſeminalibus ductibus a ſe *inſtitutam*, quo loco certe hæc ſcripſerat, quæ adhuc ſcribit: *Hinc quia ſe-* 106
men non ſemper in urethram derivari debet, ſed ſolo coitûs momento; ſic non ſolum vas deferens oblique immergitur in urethræ tunicas, ſed inſuper ad vaſis ejuſdem oſculum in urethræ ſinum annulus jacet muſcularis quidam, ſeu caruncula, continuam illius percolationem impediens: Quæ jam bene quadrant cum caruncula, & obliquitatis machina ad excurſum & inſertionem canalis hepatici in inteſtinum poſitis, ac nullo alio naturaliter, præterquam chiloſeos tempore, bilioſa ibidem quantitatis influxum permittentibus. Hæc enim qui ſcribat, quis eum unquam putare poſſit aſſiduum bilis influxum in inteſtina non negare? aliter namque illa ſuperiora de ſemine quomodo *bene quadrare cum* his poſſent? Non negat tamen; imo iſtis ipſis verbis illum aſſiduum bilis influxum docuiſſe ſe, dicit, & *ſolum* aſſiduum *nimiæ quantitatis fluxum* negaſſe; quaſi aut *nimiæ* ibidem ſcripſiſſet, aut per inſtitutam cum iis quæ de ſemine protulerat, comparationem ibidem ſcribere potuiſſet. Quid? quod paulo ante, Deum fidem implorare non dubitavit, quod ego *iam indebite* (ſic enim ait) *ſiluiſſem atque diſſimulaſſem* rem *toti pene humano generi vulgatiſſimam*, quæ denique hæc eſt: *quidpiam hepaticæ genuinæ bilis per choledochum ductum in inteſtinum ſemper illabi*, perinde ac ſi Docti omnes Viri tanquam

cer-

[1] Adv. III. pag. 55.

Digitized by Google

certiſſimum, ac neceſſarium agnoſcerent aſſiduum iſtum in inteſtina bilis defluxum, neque; ut Veteres omittam; Gliſſonius (1) teſtaretur, *ſæpe ſe inteſtinum e regione hujus inſertionis aperuiſſe, ſemperque ductum hunc occluſum deprehendiſſe, & propterea manifeſtum eſſe, humorem bilioſum haud perenni curſu emigrare;* neque; ut alios Recentiores ſileam; Gulielmus Cole (2), ex quo noſter, quantumvis diſſimulans, plura videtur ſumpſiſſe, diſerte traderet, *prius impleri —— neceſſe habere veſiculam, quam* bilis hepatica *in inteſtinum erumpere poſſit:* & infra: *per ſat longum tempus occludendam eſſe, ut* illud *præſtetur, ductus communis in inteſtinum aperturam, quo intervallo nil bilioſi laticis chylo affundi poteſt.* Verum ſi iſtum bilis defluxum cl. Provocator aſſiduum eſſe, contendit; quomodo *conſpicuam* eſſe vim, tuetur ſecundæ obſervationis in qua tanquam peculiare *Cervi, Equi, aliorumque* dumtaxat *quæ pene continuo devorant brutorum*, ponit quod *profluat indeſinenter per ductum hepaticum —— bilis ad inteſtinum, ibidem ad continuam pene functionem*
1004 *neceſſaria?* Cum enim ipſe nunc fateatur, *uſum inſertionis & caruncularum eſſe pariter in iiſdem illum, quem ſupra* (hoc eſt in homine & aliis pleriſque animantibus) *deſcripſit; nempe „ liberum „ bilis, ejuſque quantitatis „ ſeu copiæ, curſum quidem inhibere, leniorem vero continuum minime inhibere;* certe, in defluxu hoc bilis quem in omnibus & *continuum*, & *leniorem* agnoſcit, non magis *conſpicuum* eſt, quid peculiare tandem habeant Cervi, Equi *aliaque animalia cyſti deſtituta*, quam *conſpicuum* ſit cur inter hæc nunc annumeret; ne de aliis quæram; glires ſine ulla exceptione, aut dubitatione, & *chamæleontem*, cum hujus certe felleam cyſtim & deſcriptam, & pictam videamus tum a Præſtantiſſimis Viris Pariſienſibus, tum a Celeberrimo, eodemque Diligentiſſimo Rerum Naturæ Contemplatore Antonio Valliſnerio (3), in gliribus autem (quantum quidem noſtris in regionibus obſervatur) eandem cyſtim haud deeſſe, non ego modo animadverterim, qui parvam potius, ſed ante me experientiſſimus Redius (4) qui magnam, longeque craſſiſſimam invenit. Hos novos igitur cum addat errores, quis putet veteres deleviſſe?

37 Itaque poſtquam illa protulit quæ adverſus tertiam obſervationem a nobis ſcripta fuerant non tantum hæc, & quæcumque prioribus objeceramus, ita ſe credit, ut opus erat, diſcutere, ſed contendit, objecta noſtra *illa ipſa eſſe,* 1005 *quæ ſuum ſummopere inſtitutum adjuvent, atque tueantur, & a quolibet imposterum dubitandi loco firmiſſime vindicent.* Hic autem eſt ubi antiquos errores confirmat, & manifeſtiores omnibus facit. Nam longiſſimo quem hinc orditur, ſermoni quaſi fundamenti loco præſtruit quandam, ſecundum variam *capiendi digerendique cibi rationem*, inſtitutam diviſionem animalium.

Ex herbivoris autem, *dirimit non ruminantia, ut equos, mulos, cervos & cæt. a ruminantibus, ſeu bobus, ovibus & cæt.* Hancque rationem ſecutus, denique ſuum illum ſermonem his verbis concludit: *Interea herbivoris rumi-* 1011 *nantibus brutis fellea cyſtis conceditur, ut bobus, ovibus & cæt. non ruminantibus vero plerumque denegatur, ut cervo, equo & cæt. idque ob ſuperius adductas rationes in §. III. Cap. XIX. Partis I. hujuſce Hiſtoriæ.* Præclaras vero atque *conſpicuas* rationes quæ id quod neque eſt, neque unquam fuit, confirment: cervum videlicet inter non ruminantia cum equis poni, qui omnino inter legitima ruminantia cum bobus, ovibus, capris ponendus fuerat.

Quis enim inficietur. *Ruminantium biſulcorum* eſſe *genera quatuor ſumma*, ut (5) Peyeri verbis utar, *tritiſſima, bubulum, cervarium, ovillum, caprinum?* Neque magis *conſpicua* ſint opor-

[1] Anat. hep. c. 19. [2] De ſecret. Anim. c. 14.
[3] Hiſtoria del Camaleonte §. 64. & T. 3. Fig. 2. [4] Opere Tom. 4. pag. 135.
[5] Merycol. l. 1. c. 5.

Digitized by Google

oportet rationes illæ ob quas *brutis non*
1006*masticantibus*, *seu avibus* cl. Provocator statuit inditum esse *membranaceum* ventriculum *ad finem colli seu super cor*, *atque pulmones locatum*, quem *avium ingluviem dicimus*; nam neque cunctis avibus inditus est, & est quidem *ad finem colli*, sed non ita *super cor*, *atque pulmones locatus*, ut id præterea addi oporteat, nisi velimus, Tirones credere intra thoracem esse conditum. Quid? ubi illum quem alii secundum ventriculum, alii corpus tubulosum, alii aliter, vocitant, *verum* ipse *horumce animalium pancreas esse*
1008*putat*, num ibi *conspicuum* est, an meminerit, suum iisdem animalibus esse pancreas, idque, ut alii jure meritoque censent, legitimum, verissimumque; vel si hoc meminit, quodnam denique eidem munus atque usum assignet? Mitto *œsophagejas* illas *glandulas* quas pulli Gallinacei videtur credere esse proprias, mitto istiusmodi descriptiones harum omnium, omnibus, & mihi
1009certe qui illas, non ut ipse *superioribus diebus*, sed jamdiu observatas, descriptasque habeo, notissimarum partium.

Illa tantum mihi satis est a Lectoribus clarissime perspici, in quibus me hærere professus sum: Num esset ita *conspicua* producta causa, cur quædam animantes fellis vesicula careant, vide-
1010licet *perpetua stomachi turgescentia*, quando is qui tot tantisque conatibus meam *explodere* se credit *instantiam*, hanc confirmat, mecum fatendo, *sane nullam in avibus hujusmodi turgentiam esse* posse, cum tamen quædam aves non desint ea vesicula carentes: Num in universum ejusdem *stomachi turgescentiæ* in tribus illis propositis observationibus, totoque illo capite unice spectatæ, vis ita conspicua esset, quando nunc non ad meas modo; sed ad alio-
1015rum objectiones, ut dicitur, *delendas*, revera prima illa sententia *deletur*, vel certe plurimum mutatur, addita intestini duodeni turgentia, imo hujus, & ventriculi concussionibus: Num denique illam *inveniisset* sententiam, qui nunc tres saltem laudat Auctores qui in ea-1011 dem ante se fuerint; quanquam Bohnius (1), ille Bohnius quem nunquam nominatum ab ipso esse, præstitisset, non pro illa ut ait, *propugnat*, nec ea quæ ex eodem profert, *asserit*, sed tantum, *non adeo præfracte negare* se, scribit, neque postremo illud *adjicit*, aut iis verbis, quamvis, ceu fideliter descripta, aliis litteris edantur, *adjicit* experimentum, aut *ex hoc ipso* id quod Provocator ait, *probare intelligit*; sed ante duodecim bene longas paginas jam propositum, & paucioribus quidem verbis propositum, contra Backii & Sylvii hypothesim diserte torquet. Hæc omnia ubi Lectores animadverterint, tum censebunt an jure possem hic *mihi jam de victoria plaudere*, si ego tam1016 faciles unquam victorias adamavissem.

38 Porro in his etiam quæ sequuntur, quam facilis victoria esset quis animadvertere non possit? Agitur enim de Animadversione jam supra a nobis confutata. Agitur de glandulis lumbaribus, quibus olim alio in loco a Provocatore cl. chyli cisterna *vicina* esse dicta est, nunc *in unum idemque corpus composita* cum ipsis dicitur. Agitur de Th. Bartholini super hisce ipsis rebus ab Anatomicis nunc passim rejecta, ne dicam pene deserta, sententia; & Lectores ad eundem, de cujus sententiæ veritate quæritur, Th. Bartholinum amandantur. Agitur, inquam, de hisce rebus; atque ut de his verum *protinus dignoscatur*, consulendus proponitur tum „ Tit. *de Chyli in venas* „ *propulsione* num. 78. „ in Medicis Cel. Boerhaavii Institutionibus, qui tamen Titulus sive sub eo, sive sub aliis numeris in earum saltem (nam primam nondum vidi) secunda, tertiave Editione, nunc unice attendenda, non occurrit, tum Bohnii *Circul. Anat. Progymnasm. VII. & XIV.* quorum ta-1017 men illud *de Nutritione* est, hoc vero *de Urinæ secretione, atque Excretione*; ut vel ex hisce penes quem sit *verborum artificium*, non difficile intelligatur. Quid? quod nullum *quemlibet*, *vel*

[1] Circ. Anat. Prog. 17.

Digitized by Google

vel in anatome verſatiſſimum, ſimilia alia in humano corpore ejuſdem mechanicæ functionis exempla invenire poſſe, confidit cl. Provocator, non videns nimirum, quam ſua illa prior tum ſenſim aucta, tum perſtans ſingulis vicibus, turgentia ventriculi, & repentina, atque alterna Arteriæ magnæ turgentia diſſimiles ſint, præſertim cum in hac ſit magis percuſſionis vis, quam turgentiæ, ſpectanda: neque contra videns, quam ſint inter ſe ſimiles pulſatio trunci ejuſdem Arteriæ in chylo per vicinum thoracicum ductum evehendo, & pulſatio inferiorum arteriarum in ſanguine per venas proximas attollendo. Nam quod nihilominus quærere non dubitat: *Quorſum igitur inſulſa exſibilatio?* ut de certis quibuſdam ſane non *inſulſis exſibilationibus* in præſentia quidem ſileamus; certe quænam revera ſit *inſulſa* interrogatio, ex iis quæ mox quærit, omnes intelligent, qui quidem inter docentem, & in loco ridentem quid interſit, non ignorent. Illa vero altera interrogatio: „ Quid autem „ de *inconſtanti* noſtra ſuper *fibroſum* „ cyſtis *annulum* aſſertione Clariſſimus „ noſter effingit? „ in quemnam Clariſſimum recidat, manifeſto cognoſcent, ubi uter noſtrum *effingat*, animadverterint. Nam ego ut illam inconſtantiam oſtenderem, cum loco in quo Provocator affirmat, eum annulum, *potens ex ſe ſatis retinaculum eſſe*, alterum comparaveram locum in quo ab eodem annulo ſcripſerat *nullimode vetari* deſcenſum bilis in cyſtim ideo delabentis non quod a magna aliqua potentia urgeatur: ſed quod tota libere in inteſtinum illabi nequeat: quem quidem locum fuiſſe a me ad comparationem aſſumptum, luculentiſſime demonſtrat Theatri pagina 379., quam, ad illam comparationem, in libri ora (1) indicavi. *Clariſſimus* autem *noſter*, quaſi non illam ibi, ſed paginam 380. indicaſſem, *effingit*, longe alium ex hac locum a me ad comparandum aſſumptum eſſe. Itaque cum in ipſum recidit illa ſua interrogatio, tum hæc quoque altera: *Quo igitur Conſcientiæ conſilio ſcribere hæc potuit cl. Cenſor?* atque huic ſubjecta concluſio: *Fictæ igitur, ac prorſus inanes ſunt mihi iſtæ res imputatæ.* Poſtremo num biles ego, an ipſum potius *confundam*, omnes poterunt exiſtimare, qui ad meam quandam objectionem hæc reſpondere coactum videant: *quaſi quod in cervo, equo, aliiſque herbivoris brutis, tenerrimas, facillimeque ſolubiles ſubſtantias paſcentibus; eadem opus foret ad acuendam bilem præparatione, quæ quidem in homine, aliiſque carnivoris animalibus requiritur.* Qua nimirum reſponſione hæc duo affirmat, alterum diſerte: equos qui, ut omnes norunt, totam certe hyemem ſiccis, aſperis, duris aluntur cibis; ſi cum homine comparentur *tenerrimis, facillimeque ſolubilibus ſubſtantiis* veſci; alterum non diſerte quidem, ſed ſic tamen ut ex iis quæ dicit, conſequatur: *præparatione* illa bilis, hoc eſt ea quam in veſicula quieſcendo nanciſcitur, non opus eſſe aliis beſtiis, quæ iiſdem quibus equi alimentis veſcantur; in quibus tamen beſtiis ut ea quæ in equo deeſt, veſicula, non deeſt; ſic neque ea deeſt quæ in equo, bilis quieſcentis præparatio.

39 Sed hæc levia ſunt præ iis ad quæ in XV. Animadverſione affirmanda compellitur. Scripſerat in Hiſtoria ſua, veſiculam fellis *dividi communiter in collum cervicem, & fundum*, colli nomine cyſtico ductui aſſignato. Ego vero notavi hunc locum, ſcribendo: imo *Recentiores* veſiculæ *cervicem, & collum idem eſſe, communiter docere.* Qui ſuam manifeſtiſſimam deprecari hallucinationem honeſtius poterat, eandem, ut infra patebit, videri volet hic defendiſſe. Sed quomodo ſperare id poteſt, qui continuo id verum fateri quod ego ſcripſi, cogatur, videlicet inter Recentiores Anatomicos in veſicarum omnium deſcriptionibus *colli, & cervicis vocabulis veluti ſynonimis* uti *communem* eſſe *morem*. Attamen quid agitet, attendamus. Initium ab longe alia contro-

100 101 102

(1) Adv. III. pag. 65.

Digitized by Google

troverſia ducit : deceatne atque oporteat, hunc morem ab Anatomicis retineri, id quod conſtat me affirmaviſſe, an vero contra deſerere *neceſſario debeant ; collum* veſicarum *ipſum ab ipſa diſtinguendo cervice*, id quod Provocator hoc in loco vehementiſſime contendit. Lis eſt, quod Vir Doctiſſime intelligis, de nominibus ; ejuſmodi autem lites & ipſe averſari ſoleo, & ſapientes video non probare, niſi forte aliquis (id quod ego facio) mutationi valde obſuturæ, neque aptæ, neque neceſſariæ vocabulorum ſe opponat.

Verum noſter *ab graviſſima quadam cauſa* ad hanc ipſam mutationem ſe *fuiſſe permotum*, aſſerit, ut qui *hoc ævo in tanto Anatomiæ lumine collocato vitam ducat, atque in anatomicis diſſectionibus, atque anatomicorum librorum lectionibus jam prope conſenuerit ;* quaſi unus ipſe hoc ævo Anatomicus viveret unuſque in Anatomicis exercitationibus, atque lectionibus conſenuiſſe videri poſſet, qui neque adhuc ſenex eſt, & cum hanc primum mutationem invehere conatus eſt, ea adhuc ætate erat, quam ceu *juvenilem*, ut infra videbi-
1050omus, excuſat. Sed utcumque eſt, fructum iſtarum tam aſſiduarum, ac diuturnarum lectionum inſpiciamus.

Primum controverſia noſtra erat in bilis, & urinæ veſica ; ipſe vero ad Uterum tranſilit, quem *inſigniorem animalium veſicam eſſe, ac quolibet veſicarum privilegio exquiſite gaudere ;* nulla tamen eorum quos ſe adeo legiſſe dictitat, Anatomicorum auctoritate producta, ſine ulla ponit dubitatione.

Deinde duo *Principis Anatomicorum Galeni* profert loca, quorum alterum eſſe ait in *extraordin. Comment. V. Aphor.* 46., alterum in libro *Anat. vivor.* quaſi ipſe aſſiduis ſuis lectionibus inveniſſet, revera a Galeno ſcriptum eſſe hunc librum, quem inter *ſpurios* Viri Eruditiſſimi rejecere, aut alium eſſe Galeni in Aphoriſmos Commentarium, quem *ordinarium* vocaremus. Hæc autem loca ; ut quæ mox commemorabimus, omnia, ad Uterum non ad eas quibus de agitur, veſicas pertinent, neque ex iis tamen conſtat, *cervicis*, & *colli* vocabulis diverſas uteri partes Galenum, aut alterum illum, quicumque is fuit, ſcriptorem indicaviſſe, ſed *os uteri* quam nos cervicem, *collum uteri* quam nos vaginam, iis quidem in locis appellaviſſe, aut appellandas cenſuiſſe. Poſt hos Falloppius dicitur ſcribere, quam nunc uteri *cervicem* vocamus, *cervicem jam fuiſſe a Veteribus* 1020 *vocatam, ut a Galeno, Sorano & cæt.*

Si Falloppium, quem id ſcribere dicit, at ubi ſcribat, non dicit, in *Obſervationibus Anatomicis* forte legit, quam parum accurate legerit, hæc vera ejus verba indicant : *ab antiquis anatomicis Galeno ſcilicet, atque præcipue a Sorano in tract. de utero vocatur* (vagina) *αἰδοῖον γυναικεῖον, nec non etiam κόλπος γυναικεῖος, nunquam autem cervix.* Producitur deinde Laurentius : qui tantum abeſt, ut *colli*, & *cervicis* nominibus varias uteri partes diſtinguat, vaginam *collum uteri aut cervicem dici*, & ſcribit, & ipſe dicit. Quamobrem is ipſe qui pro ſe produxerat, cl. Provocator celeberrimum Doctorem reprehendit, & qui tam ſæpe exprobrare nobis haud dubitat quod Auctorum *lapſus* non ſine cauſa adnotaverimus, Laurentium ipſe *in gravem quandam confuſionem cecidiſſe*, immerito affirmat, nimirum quod *cervicis nomen* (id quod eſt in noſtra quæſtione) *cum collo ſeu vaginæ confuderit*, & „ hanc quam ſu-
„ perius *tertiam* eſſe uteri partem con-
„ ſtituerat, nunc *ſecundam* pronun-
„ tiet „ cum tamen neque *tertiam* eſſe dixerit, ſed quam tertio loco, ab ſummo ad imum deſcendendo, nominaverat, ab imo ad ſummum ſecundum *ſecantium* quem diſerte profitetur ordinem, redeundo, *ſecundam* a pudendo invenerit, atque, ut par erat, deſcripſerit. Noviſſime *Diemerbrockium* laudat ; & *Bartholinum*, quo nomine cum tres intelligi poſſint Scriptores Anatomici, non eſt mihi tamen neceſſe quem intelligat, quærere, neque eorum aut Diemerbroeckii libros adire, quando ex ipſis utriuſque productis verbis conſtat, hunc vaginam *collum uteri*

ma-

Digitized by Google

majus, illum cervicem *collum breve*, seu *minus* appellavisse; neque enim quidquam adjunxissent, si *colli* vocabulo unam tantum uteri partem licere intelligi, credidissent. Atque huc tandem redeunt tot illæ, & tam diuturnæ, in quibus noster *consenuit*, Anatomicorum lectiones, ut ne unum quidem cum maxime cupiat, proferre Auctorem valeat, qui *colli*, & *cervicis* appellationibus diversas uteri partes designaverit.

40 Et tamen tres saltem erant qui id fecerunt, & ad eum sane prorsus modum qui ab ipso laudatur, unus qui ante hos sexaginta annos vivebat, & cujus liber in omnium adhuc est manibus, reliqui autem duo Veteres illi quidem, & Græci, sed quorum quod supereſt non semel editum, & latine redditum, ab iis ignorari non potest qui anatomica Oribasii volumina, aut Vesalii de humani corporis fabrica editionem Venetam, aut, ne longus sim, saltem Riolani Anthropographiam, saltem Bauhini Theatrum Anatomicum mediocri studio versaverint. Quinam sunt igitur? Libenter dicam, ut qui sæpe adeo meam accusare fidem non dubitavit, quasi ejus verba, contradicendi causa, mutilare, si Diis placet, solitus essem, tandem aliquando intelligat, eo me veri studio agi, ut quæ maxime pro ipso faciunt; cum dissimulare possem, ultro proposuerim. Nimirum ille est Jo. Hornius, hi vero Moschio, & Soranus. At quamvis hi duo sic feciſse neque obscure videantur, & certissime dicantur; tamen multis de causis quas nunc singillatim recensere necesse non est, nunquam propterea existimavi, decere atque oportere eos sequi potius, quam cæteros aut ætate, aut instituto, aut auctoritate longe ipsis anteferendos. Nam ut de ipso Hippocrate nihil dicam, quem *uterorum cervicis* nomine interdum saltem ipsam vaginam appellavisse, non videtur dubitandum; Ruffus Ephesius Vir Doctissimus, cujus institutum fuit libris tribus corporis humani partium appellationes proponere, quam nunc uteri cervicem dicimus, promiscue *Cervicem*, *atque Collum* vocari, docuit (1). Hunc alii apud Veteres Viri Eruditissimi secuti sunt. A Galeno autem, quem unum cum dico, quidquid fere apud Veteres fuit hac in re auctoritatis mihi sane complecti videor, vaginam *communiter αὐχένα τῆς μητρὰς* (hoc est cervicem uteri) *nonnunquam τράχηλον*, *collum vocari*, pluribus ejus productis locis ostendere occupavit Casp. Bauhinus (2). Quæ cum ita sint etsi hic de quo dixi Moschio, & hic Soranus ita *cervicis*, & *colli* vocibus sint usi, ut apud Anatomicos varias indicare partes crediderint; haud licere tamen nobis eorum judicium sequi, non dubito, nisi velimus ostendere, alterutrum nos ignorare, vel si ante Ruffum, & Galenum scripserunt, ab his tanto ipsis majoribus Viris eorum sententiam fuisse improbatam, vel si post ipsos, non posse igitur vetustioribus illis omnibus verisque Anatomicæ Facultatis Principibus sic anteponi, ut quorum nominum promiscuum illi usum esse, voluerunt, nos horum auctoritate permoti, longe alium facere contendamus, præsertim cum Hornius qui id, ut opinor, tentavit, si forte istorum morem atque institutum longo intervallo referre posset, neminem, quod nunc succurrat, de tot Præstantissimis Anatomicis invenerit, qui sibi licere non ignobilis scriptoris, & aliquot ipsorum Magistri exemplum sequi arbitraretur: quinimo Hornius ipse (3) qui in *Microcosmo* suo uterum, ut indicatum est, in *fundum*, *cervicem*, *collum* & *sinum pudoris* divisserat, in *Microtechne* (4) postea illuc rediit, ut quod *collum* dixerat, *vaginam* appellitaret.

41 Itaque ego, qui ejus divisionis, ut Hornium mittam; Moschionem, & Soranum Auctores haberem, non tamen censeo quod ipsi fecerunt, idem fecere nos posse. Cl. autem Provocator, qui nulla, nisi ea quæ supra vidimus, Anatomicorum loca produxit, nequaquam dubitat, quasi rem confe-

[1] l. 1. c. 31. [2] Theatr. Anat. l. 1. c. 39. [3] §. 65. [4] §. 26. 28.

Digitized by Google

ciſſet, pronunciare: *jam luce clarius eſſe, uterum cum memoratis Anatomiæ Antiſtibus* (ita enim ſcribit) *dividendum eſſe in fundum, cervicem, & collum:* & cum ita ſcribat, de vi tamen vocum judicium ferre non veretur, & Chymicorum *matracia*, ac *retortas*, quaſi inſtrumenta Latinis notiſſima, eorumque partium appellationes in medium adducere. Atque utinam de his tantummodo verba feciſſet; neque, de animalibus loquendo, ſcripſiſſet: *collum anterius nemo unquam cervicem denominat.* Nam primum Latinorum omnium Medicorum Magiſter, Cornelius Celſus cum aliis in locis, tum maxime lib. 7. cap. 13. collum anterius *cervicis* vocabulo aperte ſignificat, hoc illi capiti initium faciens: *At in cervice, inter cutem & aſperam arteriam, tumor increſcit.* Deinde ſi quod Provocator contendit, anterior colli pars *proprie collum nuncupatur;* cur ipſe ſcribit *collum anterius?* Nimirum ſentit, *colli* vocabulo, niſi aliud addas, cervicem quoque comprehendi; in uteri igitur appellationibus quomodo *colli* audito vocabulo, cervicem excludi intelligemus? At cervix, inquit, *proprie* dicta, *capiti immediate connexa eſt.* Quid? reliquum collum num capiti *immediate* connexum non eſt? Quomodo ergo in utero *collum* id eſſe intelligemus, quod inter, & fundum media ſit cervix interpoſita? At ani-
1022 malis, inquit, colli cervix *ſuperior regio* eſt, reliquum collum *inferior, longiorque productio:* ſicque in utero pars *ſuperius poſita* cervix, pars *inferius ſita, & longius producta*, hoc eſt vagina, collum dicenda eſt. Quid vero ſi in animalis collo cervix illa ita collo reliquo ſuperior eſt, ut cum *ad poſteriora locum teneat*, huic collo ſuperimpoſita non ſit, ſed poſtpoſita. Quomodo igitur in utero *collum* eſſe intelligemus non quod antepoſitum ſit cervici, ſed quod ſuppoſitum? Quid tandem, ſi in animalis collo ita magis producitur ad inferiora collum anterius, ut tamen hoc totum longitudine cervicem non æquet, imo, ſecundum Elsholtii (1) menſuram, ultra dimidium ipſa cervice brevius ſit; quomodo in utero *collum* eſſe, intelligemus, quòd cervice ultra dimidium longius ſit?

42 Sed quis hæc non videt, & cum hæc videat, non intelligit, quot, & quibus de cauſis propoſitæ a cl. Provocatore uteri partium appellationes ad obſcuritatem, & *confuſionem* inducendam aptiſſimæ ſint? Ipſe tamen clamat, his eſſe utendum, *niſi velimus in novas confuſiones elabi, eaſque Tironibus noſtris oggerere:* increpat *incautum hactenus Anatomicorum morem confundendi in* veſicis *cervicem cum collo:* prædicat, *ſe anatomicas res clarius, & facilius edocere.* Sed quando ejus *claritas*, atque facilitas quanta ſit, vidimus; æquum eſt, ut quænam cæterorum ſint *confuſiones*, & quinam *incautus hactenus mos*, videamus. Nonne ipſe fatetur, *apud pleroſque recentiores cervicis nomen* ei parti uteri quæ inter fundum, & vaginam eſt, eſſe *unice, & conſtanter ſervatum:* ſubjectum autem cervici tubum *vaginam dici plerumque conſueſcere?* Eſt ergo hoc tempore communis, hoc eſt, plerorumque Anatomicorum mos Uterum in *fundum, cervicem*, & *vaginam* dividere. Plerorumque pariter eſt mos Veſicam urinariam cum toto ſuo excretorio ductu ſpectatam in *fundum, cervicem*, & *urethram* partiri; omnium vero, quantum quidem in præſentia memini, Veſiculam fellis ſimiliter acceptam in *fundum, cervicem, & cyſticum ductum* tribuere, ſemper autem in Veſicarum diviſionibus *cervicis & colli* nomine promiſcue uti. Atque adeo Hornius ipſe, qui uterum in *fundum, cervicem, collum & cæt.* diviſerat hoc poſtea ut ſupra dictum eſt, *vaginam* maluit vocitare, neque unquam in urinariæ, aut felleæ veſicæ diviſionibus a plerorumque more, modo propoſito, receſſit, & quam in *Microcoſmo* (2) Veſicæ urinariæ *cervicem* dixerat, in *Michrotechne* ejuſdem *collum* appellitavit (3). Quid tandem Provocator invenit in communi hoc more dignum

[1] Anthropometr. c. 20. [2] §. 44. [3] §. 21.

Digitized by Google

dignum ut vocetur *incautus*? Quas *confusiones* ex hoc existere, ut sit omnino deserendus? Num quia Veteres quod nos vaginam, & quod nos initium urethræ, vocarunt *collum*; nos aliter vocantes, *incauti confusiones* inducimus? Hoc si est; ipsi quoque commune est; nam utrumque Veteres *cervicem* etiam appellavere, quod contra, ipse faciendum pernegat. *Confusiones* autem hoc ipso quot, & quantas *incautus* inferat, paulo ante ostensum est; sed illam præterea *confusionem* quæ ex ipsa præsentis consuetudinis mutatione oriretur, certe invehit is, qui pro mutatione pugnat, avertunt ii qui mutationi adversantur, hac præsertim ratione permoti quod si in eo nominum utilitas est, ut loquentes intelligamur, sane illa quæ magis nostra ætate communia sunt, tanquam utiliora servanda sint. Si qua autem maxime sunt communia, ea sunt profecto quæ paulo ante in cystis felleæ divisione commemoravimus, ut non modo hac, sed ne superioribus quidem ætatibus plures existimem fuisse qui, iisdem auditis nominibus, easdem partes non intelligerent. Attamen cl. Provocator perinde quasi tot, ac tam variis, & tam controversis fuissent vocabulis hæ designatæ, quot, & qualibus uteri partes vocatæ sunt, non dubitat quas in utero appellationes eo quo vidimus jure, constituit, easdem ad hanc aliasque vesicas traducere; propterea quia *eandem*, inquit, *omnimode uteri partium habitudinem servant, nempe ex fundo sensim gracilescentes in cervicem, ex cervice in longum collum, sive excretorium ductum elongatæ*. Quod ipsum quam a vero alienum sit, cum ipsa Anatome ostendit, tum nostra illa, quam Provocator a suis partibus stare credit, Virginei uteri Figura commonstrat. Namque uterus ita creatus est, ut fundi ejus cavum jam prope cervicem angustius sit, quam ipsius cervicis; cervicis autem cavum postquam in osculo se se iterum contraxit, in latissimum canalem desinat: quarum *habitudinum* in vesicis neutra est.

43 Hæc autem omnia quæ sunt hactenus a me discussa, si in unum colligamus; patebit, quod ad litem attinet de appellationibus partium Vesicarum adhibendis, nihil a Provocatore actum esse, tum quia a Vesicis ad Uterum transilivit, qui neque vesica est, neque eandem quam vesicæ, partium habitudinem servat, tum quia ne in ipso quidem Utero licet commendatas ab ipso appellationes accipere; nisi multas, magnasque velimus in anatomen confusionis causas invehere, nulla cogente necessitate, nullo suadente, quod quidem ipse protulerit, non modo Anatomiæ Principum, sed ne unius quidem Anatomici exemplo. Quæ cum ita sint; ut non video, quomodo hæc ejus Animadversio *e vestigio deleat* quod ego in ea controversia senseram, quæ est de appellationibus partium Vesicarum adhibendis, sic minime intelligo, quomodo id *deleat*, aut *delere* ullo modo possit quod in illa altera controversia scripseram, quæ est de appellationibus partium dumtaxat Cystis felleæ a Recentioribus nostris reapse *communiter* adhibitis. Nam quod ipse tanquam notissimum affirmaverat: hanc cystim *dividi communiter in collum, cervicem, & fundum*, negavi ego, propterea quia contra, notissimum est, *ejus cervicem, & collum idem esse, communiter docere* Recentiores. Quid responderi ad hoc posset, nisi *erravi: hallucinatus sum*. Vide quid respondeat, & ex uno hoc loco quid de homine sit existimandum, cognosces: „ Cum ego, inquit, dico
„ de fellei folliculi corpore, *dividitur* 1023
„ *communiter in collum, cervicem, &*
„ *fundum*, illud *communiter* de his in-
„ telligo, qui Anatomiæ Principum
„ sensa percipiunt, ut supra, & digno-
„ scunt; non vero de *ignorantiâ obcæ-*
„ *catis*, cystim ideo in collum, cervi-
„ cem, & fundum revera non dividen-
„ tibus; qui tamen, ni *cæcitatem* cum
„ pervicacia consocient, per superius
„ exposita, magisque in vindiciis eo-
„ rum, quæ ad urinariam vesicam in-
„ venimus, atque alias evulgavimus,
„ suo loco exponenda illuminari facile

Digitized by Google

„ poterunt. „ Pene exclamavi, cum hæc legerem : (1)

Nihil eſt audacius illis
Deprenſis, iram atque animos a crimine ſumunt.

Jam *ſupra* vidimus, quænam Anatomiæ Principum, & nominatim Galeni quem merito *Principem Anatomicorum* univerſe dixit, *ſenſa* fuerint, utque ipſi omnino contraria. Faciamus tamen, non modo me, ſed ipſum Bauhinum Galeni *ſenſa* non *percepiſſe*, neque *dignoviſſe*; & eos qui ipſa *perceperint*, & *dignoverint*, attendamus. Quoſnam ut me convinceret, tandem produxit? Quoſnam, non dico, ex vetuſtioribus tantum, ſed ex paulo etiam minus recentibus, imo ex recentiſſimis Anatomicis nominavit, qui ita ut ipſe, intellexerint, & aliud *cervicem* in cyſti fellea, aliud *collum* eſſe, ſcripſerint? Profecto, cum maxime cuperet, ne unum quidem. Reliquum eſt igitur, ut illud *communiter* de ſe uno intelligat, qui *Anatomiæ Principum ſenſa perceperit, ut ſupra, & dignoverit*, cæteros autem quicunque poſt eos fuerunt, aut ſunt, Anatomicos, omnes dicat (quod alias de Medicis Recentioribus tantum dixerat) *turpiſſima potius ignorantia obcæcari maluiſſe*, & *malle*, quam a Veterum Codicibus, aut ab ipſo, unico, ſi Superis placet, eorum Interprete *illuminari*, ac verum diſcere. Et erit quiſquam (niſi forte vera *ignorantia obcæcatus*) qui oportere credat, me quidquam huic homini reſpondere, aut has, aut illas quarum tam nervoſum hic præbuit ſpecimen, aut alias ejus ſeu *vindicias*, ſeu provocationes attendere! Velut hanc, quæ ſequitur, proximam.

44 „ Quod, inquit, ſpectat ad con-
„ curſum canalis cyſtici cum felleo du-
„ ctu, Quis dixit *canalem cyſticum a*
„ *cervicis apice ad ductus fellei inſer-*
„ *tionem verticaliter produci?* en textum
„ meum utriuſque editionis. „ Ita meam fidem, qui idipſum, ut ab eo dictum, notaveram, tam ſecura interrogatione in dubium trahit, eoque me non leviter provocat. Nonne omnes, niſi jam omnes ipſum noſſent, fieri non poſſe, faterentur, ut verba illa eadem de quibus ad hunc modum interrogat, ipſe ſcripſiſſet. Attamen ſcripſit; non in texu quidem quem produxit, ſed in eo quem debebat producere. Textum enim producit, ad quem, niſi id revera facerem quod ſæpius objicit, ut videlicet ordinem inverterem, reſpicere certe non potui, ut qui, diſcuſſam modo illam cyſtis *communem* diviſionem præcedit. Textum autem omittit ad quem ut poſt eam diviſionem poſitum, procul dubio reſpexi, hunc ſcilicet: *Producto hinc verticaliter a cervicis apice canali cyſtico; ſeu potius eodem veſiculæ collo ad ductus fellei inſertionem aſcenſo*, hoc eſt, ut declarare ipſe debui, *aſcendente:* quod certe verbum, *aſcenſo*, pro *aſcendente* uſurpatum, a me fideliter in *Adverſariis* (2) adductum & miſerationis cauſa declaratum, cum omnes debet, tum Provocatorem ipſum cl. debuit admonere, me verba ipſius produxiſſe, non de meo effinxiſſe. Quid? ſi reipſa admonuit, nec permovit tamen, ut iſtam diſſimulationem prorſus tolleret, ut iſtam, facile adeo confutandam, interrogationem deleret. Certe enim vidit hunc locum, qui mox verba profert, uno tantum interjecto verſiculo ab iſto *aſcenſo* diſtantia, in quibus inconſtanter, ut ſolet, neſcio quid videri poteſt ab eo quod modo affirmaverat, ipſe diſſidere. Sed non propterea, quod affirmaverat, obliteravit; imo poſtea confirmavit, certe ſæpius contra atque ibi diffidere videbatur, ſenſit, ſcribendo, canalem cyſticum eſſe *ductum verticaliter aſcendentem: altitudinem colli veſicæ* eſſe *perpendicularem*: bilem ex folliculo *verticaliter aſcendere*: & canales thoracicum, ac cyſticum, *ductus* eſſe *verticales*. Etſi enim aliud eſt ductum cyſticum ad perpendiculum aſcendere, aliud, ad perpendiculum in hepaticum meatum influere; tamen ubi videri vult a prima illa ſententia diſſenſiſſe, nihil aliud ſcripſit, niſi *ductum cyſticum longitudini perpendiculari* eſſe pro-

102 108 110 107

[1] Juven. Sat. 6. [2] Adv. III. pag. 53.

Digitized by Google

proximum; ut aut ibi non dissenserit, aut si ibi, ut vult, dissensit, tot aliis in locis eandem illam sententiam confirmarit.

45 Sed hæc levia sunt; ad graviora
1024 veniamus. *Demus*, inquit, *quod absolute verticalem seu ad normalem lineam, esse dixerim concursum cystici tubi in hepaticum ductum: An verticaliter non producitur ductus cysticus D. in hepaticum ductum E. Fig. II. nostræ hujus Tabulæ VII.?* Nos quoque *demus*, id quod continuo subjicit, hanc ipsum
967 Figuram *diligentissime effingi ex Archetypo curavisse*, quanquam res ostendit e sua naturali sede depositas, easque res, ut una ipsarum paulo mota loco id omne quod in controversia est, continuo mutet. Id, inquam, demus. Num illud cadaver regula Polycleti erat, ut ex illo (quemadmodum *Canones* Medicis scribere non dubitavit.) Canonem Anatomicis faciat? Neque enim de uno, sed de plerisque cadaveribus controversia nostra erat; neque tametsi
974 (quod alibi dixerat) *hunc iconismum cum Archetypis plurimis concordare curavisset*; ipsi tamen uni, in causa præsertim propria, plus quam cæteris credere æquum esset. Quid? si cæteræ omnes ejus Figuræ illi Canoni apertissime repugnant. Octies enim cum horum ductuum concursum proponat; semel *verticalem*, *seu ad normalem lineam*, ut ipse loquitur, sive potius ad æquales angulos, ut multo cautiores loquuntur; septies ad angulos inæquales repræsentat; ut si velit, illam unam Figuram id quod plerumque est, exhibere, fateatur oporteat, reliquas omnes id quod raro est, demonstrare; ex quo sequeretur, pleraque ejus Figuras minus esse attendendas propterea quia cum perpaucissimis archetypis contulisset: quanquam quis credat, in una Figura conficienda in cadaver, ut pleræque sunt, constitutum incidisse; in reliquis, semper in cadavera, raro quodam modo disposita, incurrisse? Quid? quod, cum maxime cuperet, ne unum quidem invenire Anatomicum valuit, qui cum suo illo Canone conveniret. Sentio, me rem incredibilem dicere, cum ipse diserte provocet ad plures plurium Iconismos, tanquam maxime cum suo consentientes. Sed quo res minus credibilis est, eo magis omnibus facile est, vera sit, an falsa cognoscere, inde vero qua fide uterque nostrum sit, constituere. Provocat primum ad duas Figuras Bidloi, quarum una est 4. *Tabulæ* LXII. *Theatri Anat.* altera *in sequenti Tabula*, est 3.; ambæ autem sunt in Bidloi ipsius Tab. XXXVIII. illa 5.; hæc pariter 3. In illa Provocator testatur, *nullum certe manifestum observari discrimen inter angulum, qui ab his concurrentibus ductibus O, & P, illumque, qui ab O, & Q, seu meatu cystico, ductuque communi procreatur*. Ego contra testor, *certe manifestum observari discrimen* inter duos illos angulos, ut primus sit acutus, alter obtusus, quemadmodum Bellinus docet. Idemque vel magis affirmo in altera Figura, in qua Provocator negat, eos angulos *acutam ad partes jecoris, obtusam ad partes intestinorum notabilem habitudinem exhibere*. Num possumus magis contraria testari, quam testamur? Num possunt ii quibus vel Theatri, vel Bidloi copia sit, quidquam facilius internoscere, quam uter nostrum verum, falsumve testetur? Inspiciant igitur, & judicent, uter nostrum *omnium admirationi magis* obnoxius sit, an ille qui quasi nemo has esset Figuras inspecturus non tantum ad easdem provocat, sed secum ipse *apprime concordes esse*, jactitans, in me quædam, in eum merito recasura, etiam hic jacere non dubitat, an ego, si modo quidquam ad tam facile confutandum Provocatorem respondeam.

46 Post duos Iconismos Bidloi, ad 1025
totidem Glissonii provocat, *principis hepaticarum rerum scriptoris*. Hic vero artificium est nimis facile retegendum. Hos enim *principales ejus operis iconismos* esse, affirmat, si forte incautus aliquis propterea crederet, ad eam qua de agimus, rem demonstrandam fuisse potissimum elaboratos, qui vere ad ipsam vix, ac ne vix quidem pertineant.

Digitized by Google

tineant. Nam ſi magnitudinem, ſi laborem, ſi rem propter quam præcipue parati ſunt, attendamus; certe *principales ejus operis* ſunt. Quid autem ad controverſiam noſtram hæc omnia? cum illi Iconiſmi, ut res per ſe loquitur, & Auctor confirmat, oſtendendo *excarnato hepati adſcripti* ſint, eaque præparatio hepar *percoctum*, & *bacillis deruncinatum*, & *ſubinde aquæ immerſum* requirat: quæ dum fiunt, certe veſicula a ſua naturali ſede diſſolvitur, ductuſque de quibus loquimur, ſæpe, & vehementer contrahantur, diſtrahantur, vexenturque neceſſe eſt. Tamen, præſertim ſi in libro ab ipſo Gliſſonio edito iſtæ Figuræ inſpiciantur, non prorſus utrinque æquales illi anguli invenientur, de quibus alioquin ibi oſtendendis non valde Gliſſonius laborabat, ut qui ſuperioribus Figuris omnibus, in quibus eos canales pingit, ſatis demonſtraverat, iiſque præſertim quæ vere huc pertinebant, & *principales*, quod ad hanc rem attinet, *ejus operis* Figuræ ſunt. Earum prima Capite exhibetur 16. ubi Experientiſſimus Auctor hæc ſine ulla exceptione docet, & diſerte ſcribit: *meatus vero cyſticus B C. oblique inter utrumque incidens, angulum cum poro bilario acutum, cum ductu autem communi obtuſum conſtituit: quemadmodum in ſchemate videre eſt*. Figura altera in proximo capite 17. prima occurrit, ubi de iiſdem canalibus ſcribit; *quippe vaſa illa HAUD ALITER conſtructa ſunt, quam in oppoſita figura videre eſt;* in ipſa autem illos angulos, & quidem ſingulos in ſuo genere eximios, oſtendi, *omnes*, ut verbis ejuſdem Gliſſonii utar, *fateantur neceſſe eſt, niſi oculis ſuis fidem abrogare velint*. Atque has oportebat Gliſſonii *icones conſulere*, ſi, quid in re hac ſolitus eſſet Gliſſonius obſervare, oſtendi volebat, non eas *principales* dicere quæ hujus rei cauſa inſtitui non potuere; neque alio ſimili artificio conari eas quæ vere *principales* ſunt, eludere. Cum enim has, quas nos memoravimus, per ſe incurſuras in Lectorum oculos, dubium non eſſet; nonnullis interjectis de quibus mox dicemus, hæc obtenduntur: *Non interea diffiteor, interdum & impenſe obliquam ejuſcemodi cyſtici ductus productionem, cum illis diſparibus angulis, in aliquibus humanis folliculis animadverti; ut ideo & ipſe Gliſſonius, & ipſe Bidlous, aliique non pauci figuras varias cyſticas cum ductu nunc directe, nunc oblique producto proponant*. Quamvis & Bidlous, & Gliſſonius, & alii, qui tamen non memorantur, Figuram aliquam ſine illiuſmodi angulis edidiſſent, qualem neque Bidlous, neque, ſi diligentius quæramus, Gliſſonius ullam edidere; tamen ſi in hac re præcipuas, ſi pleraſque cum illiuſmodi angulis propoſuiſſent; color iſte quo Provocator utitur, locum profecto habere non poſſet. Quid enim? Gliſſonius in hepatis anatome diu, multumque verſatus (nam de Bidloo ſupra vidimus) peculiares in hanc rem proponit Figuras, & diſerte docet, eos ductus *haud aliter* ſe habere: idem cum ſexies omnino eoſdem delineet, quater illis cum angulis, ſingulis in ſuo genere eximiis, bis dumtaxat, idque iis de cauſis quæ fugere neminem poſſint, cum illis angulis, minime, ut noſter contendit, *diſtinctis* exhibet: & erit aliquis tamen qui quod idem Gliſſonius vix interdum, & aliud agens, videri poteſt ſubindicare, id plerumque: quod autem plerumque, & *ex profeſſo*, ut loquuntur, manifeſtiſſime commonſtrat, & docet, id vero *interdum*, & *in aliquibus* dumtaxat *animadverti*, nobis obtrudat?

47 Duos quos cl. Provocator, tanquam a ſuis partibus ſtantes, nominatim laudaverat Anatomicos, palam adverſari ipſi, vidimus; quid de cæteris quos haud nominat, ſed omnes a ſe eſſe jactitat, exiſtimabimus? num hos ſaltem ſine illis angulis cyſtici ductus inſertionem pinxiſſe, credemus? *Miſſos*, inquit, *facimus alios omnes primi ſubſellii Anatomicos, ejuſcemodi cyſtici canalis directum in felleos poros concurſum in homine aperientes*. Ego vero Veſalium, Euſtachium, Vidium, Caſſerium,

Digitized by Google

rium, Veslingium, alioſque ejuſdem notæ Anatomicos dico, atque affirmo, ad eum *concurſum* a parte jecinoris tam acutum angulum pinxiſſe, ut nihil evidentius, nihil Provocatoris Canoni, illique concurſui *verticali* eſſe magis adverſum poſſit, a parte autem inteſtini tam obtuſum, ut in plerorumque ipſorum Figuris, quod & in Gliſſonii nonnullis animadverti, ne angulus quidem eſſe videatur, id quod ubi ad omnium maxime obtuſum angulum ventum eſt, fieri oportere, nemo ignorat. Quæ ut eſt omnibus videre facillimum, ſic quoque eſt inter me, & Provocatorem judicare: qui hæc, opinor, perſpiciens omnia, eo denique redit quo ſupra ipſum vidimus evaſiſſe, cum illud ſuum *communiter*, apertiſſime falſum, nihilominus tueri vellet: *ut ſuper hac re non meditantes ſcriptores, ſed cultro utentes in veritatis teſtimonium advocet*. Perinde enim eſt ac ſi diceret: quid mihi Bellinum objeciſti? quid mihi alios objicis? *meditabantur* tui iſti ſcriptores, non ut ego, *cultro utebantur*. Sic vicerit; neque enim mihi opus eſt cum ejuſmodi homine, qui ſe unicum Anatomicum putat, diſputare. Afferrem enim obſervationes meas cum egregio Proſectore Bellino conſentientes. Tu quoque, reſponderet, *meditaris*, non *cultro uteris*. Ad ſummam; poſſetne mecum humanius agere quam cum Incomparabili Anatomico Friderico Ruyſchio ea ætate, ea aſſidua in pene innumeris cadaveribus, diligentique exer-
1026 citatione Viro? *Quod ipſe affert, ego* inquit, *prorſus denego: Namque in tercentis fortaſſe, quos vidi, & examinavi, folliculis felleis nunquam felicem adeo me reddidi, ut* id *deprehenderim*.

At deprehendi ego, dicerem, & vere deprehendi. Tu *tercentos* reſponderet, non ſecuiſti. Quod etſi neque nego; neque, ne diſputationis vim intelligere non videar, hic affirmo; tamen ejuſmodi hominibus melius eſt obſequi, quam adverſari, præſertim quando ea mihi diſputatio non cum illo fuit, ſed cum Cl. Mangeto, qui objecta a me Cel. Ruyſchii verba ipſe poſuerat. Affirmet igitur cl. Provocator, ſe *plane oſtendiſſe, non erraſſe qui etiam dixerit, canalem cyſticum a folliculi cervicis apice ad ductus fellei inſertionem verticaliter produci, & aſcendere*. Ego etſi ſcio, controverſiæ genus fuiſſe, non utrum etiam hoc aliquando ſit, ſed an plerumque, hoc autem *plerumque* ut continuo ſubjicit, ſcio non eſſe; non repugnabo. Scribat, 99
eundem canalem *ſolum non rectilineum, ſed aliqualiter ad ſimilitudinem colli cigni, inflexum* eſſe, *& incurvatum*, quod contra ſuam primam ſententiam eſt: deinde, ut ſibi videtur commodum, ajat, *ſæpe* fuiſſe a ſe ſcriptum, *a Tipographis* autem *deformatum in ſed*, quod ob *ſæpe*, & *ſed* diſſimilitudinem non ita videtur veriſimile; non adverſabor. Addat noviſſime: ea deformatione *ſignificationem immutari, idque perpetuo videri conſtitui, quod ſolum aliquando contigit*: quod cum *ſæpe* illo quod a ſe contendit eſſe ſcriptum, valde profecto non convenit; ſilebo: neque enim expedit cum iis diſputare, qui ut quidlibet tueri volunt, ita quidlibet non dubitant reſpondere.

48 Quod quidem in XVI. Animadverſione etiam fieri, manifeſtum eſt. Pollicitus eximium quendam, & ſingularem uſum bilis, continuo de ſaliva, quaſi hujus promiſiſſet uſum, tam prolixe diſſeruerat, ut nihil magis. Negavi id quod adhuc nego, tam longum de ſaliva ſermonem in eo loco, conveniſſe. Reſpondet Diſputator *exi-* 1028
mius, ibi ſe de ſaliva *mediocrem inſtituiſſe mentionem*. Mediocrem vero mentionem, quæ plures impleat paginas, quam promiſſus bilis uſus; mediocrem, inquam, de qua ipſe per ſe tunc ſcripſerit: *ſed indignantem nimis ſalivam movet EXUBERANS hic rerum ſalivalium ſermo*! Non eſt ſatis. Quaſi non ipſum, ſed me læderent ejus errata, eoque magis, quo majora, non modo hic, quod pleriſque in locis, fecit, ut reprehenſa a me retineret; ſed quem ipſe *exuberantem* cognoverat, *longum hunc in illo capite de ſalivæ —— ſermonem longius adhuc* in nova

Edi-

Digitized by Google

Editione *protraxiſſe* ſe, jactat. Quid? quod me accuſare non dubitat, quod *longas vel diſparati argumenti in meis operibus digreſſiones intertexuerim*. *Vide*, inquit, *totam Animadv.* 28. *Adverſar. Anat. III.* In qua videlicet de Cyſtis felleæ calculis verba faciens, digreſſus quidem ab ipſo ſum, quocum contendere nunquam volui, ſed nōn a cl. Mangeto, quocum unice diſputavi.

Hujus ego, non ipſius, *ordinem ſcribendi me conſervaturum*, in Præfatione pollicitus eram. Non igitur a primo diverti propoſito, qui quo in loco Præſt. Mangetus laudavit Bidloum *obſervantem*, *ejuſmodi calculos aquis innatare*, eodem in loco de cyſticis calculis loquutus ſum, meiſque obſervationibus illud quoque confirmavi, hos *aquæ immerſos*, *non ut ii qui de urinaria veſica extrahuntur*, *in imo ſubſidere*, *ſed innatare*. Qua de re, aliiſque ad eoſdem calculos pertinentibus ſic iterum alibi (1) verba faciam, ut quæ ex eo tempore de ipſis præterea obſervata habeo, proponam. Hic illud dumtaxat adſcribam, cum alibi, tum ibi potiſſimum a Provocatore cl. auras eſſe diverberatas, ubi *nimis fidenter* 75 pronunciavit *non vera*, *bonæque obſervationis expertia* verba illa noſtra, propterea quia *plurimos* calculos vidit *aquæ immiſſos eidem primum ſupernatare*; *hinc poſt aliquam in aqua macerationem*, *cum eandem imbibiſſent*, *ſponte —— ſubmergi*? neque enim præter ipſum qui ſibi, ut ſolet, adverſarios effingit, de quibus ſuos illos triumphos utcunque agere videri poſſit, aliquis facile invenietur, qui mea illa verba ad maceratos quoque, & imbutos aqua calculos extendenda eſſe, comminiſcatur.

Verum; ne a propoſita Animadverſione nimium digredi videamur; quomodo in hac tota, quæ de bilis uſu magnifice ſcripſerat, tueatur, ex ordine ſpectemus.

49 Initium duxit ab Hippocrate (2) bonam valetudinem repetente a ſanguine, & pituita, & bile duplici, flava nempe, & nigra tunc videlicet, *cum hæc moderata inter ſe*, *tum facultate*; 1026
tum copiâ temperationem habuerint; *idque præſertim ſi permixta fuerint*. Neque vero dubitat, *Hippocraticam bilem ipſum eſſe* (cujus de uſu agitur) *jam in hepate elaboratum*, *atque ſecretum humorem*, quando Hippocrates loquitur de bile cum ſanguine *permixta*, ipſe au- 1031
tem negat, bilem in hepate ſecretam ſecundum naturam in ſanguinem redire. Addit, Galenum propoſuiſſe *bilis in tenui inteſtino*, *& VENTRICULO* 1027
pituitæ viſcoſæ crudioris, *aliorumque mucorum abſterſivam facultatem*. Nec veretur libri 5. de uſu part. caput 4. indicare in quo (tantum abeſt ut in ventriculo id Galenus ſtatuerit) diſerte docuit, *cur in ventriculum* Natura meatus bilioſi *portionem aliquam non infixerit*, quia videlicet conſtat, *bilem omne ventriculi officium*, *ſi ad eum confluxerit*, eſſe *everſuram*. Sed quorſum hæ atque aliæ Hippocratis, Galeni, Avicennæ de pluribus, iiſque non contemnendis utilitatibus bilis congeruntur ſententiæ ab eo, qui in *Hiſtoria Hepatica* univerſe jam ſcripſerat: *Bili igitur jure gratulamur ab injuria illa noſtris temporibus vindicatæ*, *qua ab ANTIQUIS Medicinæ Proceribus inter ſecundæ coctionis quiſquilias conſcripta*, *ſtatim*, *ab ejus in inteſtinum depluvio exulabat per alvum a corpore turpis*, *omnique uſu*, *præter deſiderii proritationem*, *exauctorata*.

Quæ quidem verba quam parum conveniant cum iſtis quas nunc producit, Antiquorum ſententiis, vel ipſe tacitus ſenſit, qui in Nova Editione illud *antiquis* delevit, ex qua aliiſque diſſi- 85.
mulatis mutationibus intelligi poteſt, 86
quam verax nuperæ Præfatio ſit, ubi jactat; *vix quædam* antea editæ Hiſtoriæ *ampliata eſſe ſolemniora loca*; — reliqua *vel in ipſis ortographiæ mendis fuiſſe ſibi religioſe relicta*. Quanquam ne ea quidem mutatione ſatis ſibi cavit, ut qui iis quæ diximus, & Fernelii, aliorumque ad hæc uſque tempora Medicinæ ſcriptorum locis, nemini ignotis, & hic dumtaxat augendæ, ut ſolet,

[1] Vid. Epiſt. I. Art. 43. & ſeq.

[2] De Nat. hom.

Digitized by Google

solet, voluminis moli utilibus, larga manu per multas paginas congestis, illud denique vellet, si alicui forte post-
1038 set, obtrudere, *se ex OMNIUM cum veteris, tum recentis medicæ scholæ Antistitum, & scriptorum sententia in absterſivam, ac ſaponariam bilis virtutem manu ductum*: se *catholicam ejuſcemodi*, atque, ut infra etiam inculcat,
1041 *ſæculis omnibus, omnibuſque Medicinæ Patribus tam egregie probatam, — ſententiam amplexum*, nec potuiſſe *cum tam eximiis Ductoribus a recto tramite aberrare*, nec, quod conſequitur, a me ſine *omnium* reprehenſione non probari. Verum enimvero ſi ea igitur *omnes* tradidere; quinam ſunt illi, aut *antiqui*, aut non antiqui *Medicinæ Proceres*, qui nihil bili *præter deſidendi proritationem* relinquebant? Certe obli-
1029 tus eſt, ſe antequam Fernelium, *alioſque paucos* ſupra exciperet, diſſerte ſcripſiſſe, *fere omnibus Medicinæ Antiſtitum aſſeclis per plura ſæcula adusque nuperos dies increbuiſſe ſententiam, bilem ab hepate in inteſtinum defluam, inutile excrementum eſſe — vix ad inſtar naturalis clyſteris propriâ acrimoniâ, & mordacitate irritans inteſtina*. Huc adde non modo Moebium (1) qui, *an pituita ſemper & in omni corporis conſtitutione (in prima coctione) generetur, illâque bilis inciſione, & abſterſione opus habeat, merito dubitandum* eſſe, monebat, ſed & Verheyenium (2) docentem: *quantum ad mucum inteſtinalem, illum non egere ea inciſione, niſi debito craſſior ſit*. Non igitur *omnes* reprehendi, cum ipſum non probavi. Quid? ſi ipſum non probando, laudavi, & defendi cæteros. Neque enim quos hic Duces ſecutum eſſe ſe, dictitat, eos revera ſecutus eſt, imo apertiſſime deſeruit, ut quæ hîc producit, eorum loca cum *Hiſt. Hepat.* Part. I. capitis XI. (quod nunc eſt XVI.) §. quarto (nunc tertio) conferentibus patebit. Nam ut cætera prætermittam; certe ibi in prima Editione ſcripſerat: *ſi bilis obviantem in duodeno chylum fluidiorem, ſubtilioremque reddat, ſolu-*

ta ejuſdem partium cohæſione; — per ſalinam partem inteſtinorum mucoſitates abſtergat, craſſiores ejuſdem chiloſi laticis ſubſtantias ſcindat, tamquam totidem cuneis penetrantibus armata, hæc, aliaque ejuſmodi ſe quidem *Phiſiologis ruſpatoribus decantanda relinquere*. Se vero *ſimpliciora amplecti; uſumque bilis ire expoſiturum tam clarum, tam patulum, tam ſimplicem; ut idem futurum ſit ingenuo, & ſapienti legere, & probare*. Sic ibi. Quid igitur hic *obtrudit*, ſe uſum bilis proponentem, *tradidiſſe, bilioſi humoris particulas lixivioſas ac ſaponarias in inteſtino, inſtar totidem vividorum cuneolorum, viſcidiores chymi partes ſcindere, ſubtiliare, atque in fluenti naturam inducere?* Vel enim hæc ad eundem modum ab aliis tradita eſſe, fatetur; vel negat. Si negat; cur hîc aliorum auctoritates obtendit? Si fatetur; cur ibi, aliis omnibus relictis, & non obſcure improbatis, *ſimpliciora* ſe prolaturum, tam magnifice profeſſus eſt? Video quam nollet illa ſcripſiſſe. In ſecunda enim Editione tacite, ut ſolet, non modo *inteſtinorum mucoſitates* in *mucilagines* mutavit, ſed magnificum illud promiſſum in hæc extenuavit verba: *Uſumque bilis ibimus* 87
expoſituri qui rerum animalium concentui magis forſan accedat; pro verbis autem quæ hinc detraxit, alia poſuit quibus opportune efficiatur, ut Lectores ad prolixiorem illum de ſaliva ſermonem quadantenus præparentur, neque, ut in prima Editione, qui de bile ſe acturum ſpoponderat, is, loco bilis, continuo ad ſalivam tranſiliiſſe videatur. Non mihi ſane diſplicet, hæc illum ex me didiciſſe; illud diſplicet quod indicatas a me haſce emendationes ſic in Prefatione diſſimulaverit, ut ſcribere non ſit veritus: *loca ab Adverſariis impugnata, neque immutatâ litterulâ, recognoſci undequaque poſſe; atque obtrudendi locum non eſſe, ſe voculas Hiſtoriæ mutando, ſenſa etiam quoquomodo immutaſſe*. Contra ego omnes moneo, ne mea *Adverſaria* ad novam hanc *Hep. Hiſtoriæ* editionem exi-

[1] Diſput. de Bil. nat. [2] Anatom. l. 2. tr. 1. c. 18.

Digitized by Google

gant, imo hanc ad id inutilem habeant, ne meam fidem ibi aliquando desiderent, ubi alterius est desideranda, velut hîc. Numquam enim mihi venit in mentem, ut omnes omnium de bilis usibus sententias non probarem, imo illud venit, ne credere ipsum sinerem, se recte feciſſe quod, non probatis aliorum omnium usibus, professus esset, se vero *usum bilis ire expositurum tam clarum, tam patulum, tam simplicem, ut idem futurum esset ingenuo, & sapienti legere, & probare*, præsertim cum ipse hunc tandem usum in hæc
95 verba contraheret: *Ecce uno verbo totus* bilis *usus; prout per ductum suum super intestini parietem depluens, eumque madidans, acredine inde sua ulteriorem super eum susque deque semitam facile fodicat sibi; adglutinatam hoc ritu divellens cibariam substantiam.*

Nunc vero si ex me didicit demissius sentire de hoc usu, si eundem non *totum* amplius, sed *primarium* dumtaxat; de quo mox videbimus; bilis usum vocare, si alios, ut vidimus, aliorum usus ad suum adjungere; cur hæc omnia sic dissimulat, ut me pro aliis stantem, atque ipsum dumtaxat, & recte quidem, monentem *contendere*, dictitet, *tam solemnem, acceptamque cordatis omnibus, atque probatam bilis functionem evertere*. Quis enim, præ-
1041 ter ipsum, docuerat, hunc esse *totum* bilis usum intestina petentis, ut agglutinatum horum parietibus chymum divellat?

50 Quid? si ne primarius quidem ad quem nunc redit, is bilis usus censeri facile potest. Quid? si quæ adversus eum usum objecimus, satis dissolvere nondum valuit. Quæsivimus enim, cur idem chymus qui ventriculi, aut superioribus duodeni parietibus, etsi nulla intercedat bilis, non agglutinatur, reliquis intestinorum parietibus agglutinari deberet? Addidimus: *sane harum partium omnium parietes assidue de se destillante humore sic madere, ut naturaliter constitutus chymus, accedente præsertim peristaltico earundem motu, non facile ipsis agglutinari posse videatur*. Ad primum nihil ipse, quod satis saltem perspicuum sit, respondet. Ad alterum vero quid respondeat; video; sed quid proficiat, non video. Sermo enim est de chymo *naturaliter constituto*. Ipse vero hunc mihi cum *sebo*, & *adipe*, cum *sulphureis tenaci-*1040 *bus hærentibus substantiis*, & cum *resiniformibus corporibus* comparat, atque *in hypochondriacis, in oppilatis, in cachecticis, in diutine ictericis, in chlorosi detentis, aliisque* ejusmodi *ægris*, in quibus certe chymum *naturaliter constitutum* non esse, *omnes bonæ praxeos veritates* evincunt, *impactos* iis *partibus chymosos mucores* mihi narrat, quamvis, inquit, iis in ægris *adhuc intestinorum parietes assidue de se destillante humore, fortasse & uberiori, madeant, tum peristalticus vigeat motus*: quibus duabus de rebus cum dubitare sæpe liceat *sanctiorem praxim* consulentibus, tum de illo præsertim licet, num in memoratis ægrotantibus is aqueus, & leviter subsalsus intestinorum humor secundum naturam se habeat, an potius *mucosus apprime sit, & viscidus*, qualem nimirum quia Provocator cl. aut ob morbum vidit, aut ob mortem, ideo fortasse talem quoque *naturaliter* esse, videtur non dubitare. Nam quod denique *peristalticum intestinorum motum* ait, *non in impactis, & canalis superficiei hærentibus —— vim suam exercere*, tunc 1041 examinare oporteret, cum naturalem chymum sic impingi, & hærere, demonstrasset.

51 Videamus nunc quomodo cætera quæ addidimus, dissolvat. Negavimus (1) quæ ad suum peculiarem usum bilis comprobandum protulit, *ejusmodi esse, ut ab aliis ad alios longe usus potius comprobandos adhiberi non possint*. Subjecimus: *imo quædam ejusmodi esse, ut jure meritoque possint redargui*. Ipse vero illud primum ita dissimulat, ut si nos omnia præter illa, quæ nominatim redarguimus, probassemus. Hæc autem nunc quasi contemptim *ad complementum* dumtaxat *quoddam commemora-*

re

[1] Adv. III. pag. 52.

Digitized by Google

re ſibi *placuiſſe*, dictitat, perinde ac ſi, diſerte non eo proferre ſe, ſcripſiſſet, ut inde propoſitum *multo evidentius pateret*. Veruntamen quæ nos redargui poſſe, affirmavimus, ipſe autem redargui poſſe, hîc negat, quæ ſunt? Scripſerat: *in Struthiocamelo bilem exonerari IMMEDIATE in ventriculo*. Animadverti ego, vel Præcl. ipſum Mangetum *in adſcripta notula diſſenſiſſe*, & Cel. Valliſnerii noſtri *anatomen accuratiſſime iteratam objeciſſe*. Verane hæc ſunt, an falſa? Certe Mangetus hæc adnotavit (1): *Pernegat Præclariſſimus Valliſnerius hunc IMMEDIATUM bilis in Struthiocameli ventriculum ingreſſum — inque ea pernegatione — innititur — diſſectione — accuratiſſime iteratâ*. Valliſnerius autem nonne tradidit, *ductum biliferum*, non in ventriculum, ſed *in duodenum ſex lineis tantum infra pylorum inſeri?* Quem
1045 mihi igitur Provocator *intellectus errorem* imputat? Quid plurimis Valliſnerii verbis ſui libri molem auget? Profecto facere nunquam poterit, ut Mangetus, ut Valliſnerius id quod ego dixi, ne ſcripſerint. At enim Valliſnerius ſcripſit, magnam tamen bilis partem *directe intra pylorum excurrere*. Non tamen ſcripſit; id quod ego redargui; *immediate*, neque ſecundum ea quæ ſemel, iterumque obſervavit, id *probare, ac firmare unquam potuit*. At Valliſnerius quoque bilem cenſuit *deferri in ventriculum Struthiocameli, ut ejus digeſtiva facultas validiſſima fieret;* quaſi vero hoc a vi bilis *abſterſiva*, atque ad eundem ac Provocator contendit, modum agente repetendum, cenſuiſſet, aut ego Valliſnerii opinionem, non obſervationes objeciſſem. Nam quod (omittam enim *clementer*, alia Provocatoris errata inculcare quæ omnes intelligunt, etſi ipſe *fatetur ingenue ſe hactenus non intellexiſſe*) Nam quod, inquam, *hic denuo demirari* ſe dicit, *me in hanc ſpartam, veluti ſingularem fautorem meum, illuſtriſſimum Valliſnerium advocaſſe, eundemque ſine ullo temporis, locive intervallo, ſeu in eadem arena tam dure aggredi, ut ejuſdem ſententiæ ſtatim & aperte inimicum me proferam;* quis hæc legens, non putaret, a me Collegæ & Amici Doctiſſimi opinionem productam eſſe, eandemque dure, acerbe, inſenſo animo atque inimico eſſe impugnatam? Ego vero hæc dumtaxat ſcripſi (2): Mangetum *Cl. Valliſnerii noſtri anatomen accuratiſſime iteratam* Provocatori *objeciſſe;* quæ autem de bilis in Struthiocameli ventriculo uſu Valliſnerii opinio eſſet, neque ibi Mangetus, neque ego memoravi; atque ut verum fatear, ne memineram quidem; neque tamen aliud ſcripſi (3) niſi *illud quærendum reſtare, num tanta illa vis digeſtiva bili in ventriculum admiſſæ accepta ſit referenda. Nam & in Comite, a Cabrolio diſſecto, porum choledochum ita prope pylorum egreſſum* habuiſſe, *ut non minus ventriculo quam inteſtinis, bilem tranſmitteret: ſed hanc cauſam illi fuiſſe, non cur melius, citiuſque digereret, verum, ut inquit Cabrolius, cur ſæpius nauſearet, vomeretque.* Hæc nimirum tota eſt illa *dura, aperta*, & *inimica* a me inſtituta, ut cl. Provocator dictitat, in Cel. Valliſnerium aggreſſio, quod ſecundum obſervationem & judicium Cabrolii, non de Valliſnerii, de cujus ſententia ne verbum quidem, ſed de Provocatoris opinione dubitaverim. Neque hæc eo dico quod inter Amicos licere, non cenſeam, alterum de alterius opinione modeſte dubitare, ſed ut iſtæ penitus artes pateant cl. Provocatoris, id quod ipſe ſolet, ego vero nunquam licere, credidi, aliis affingentis, ut dure, inclementerque Amicorum præſertim opiniones impetantur. Quid in me præterea dicere, aut acrius exprobrare potuiſſet, ſi ego id facere auſus eſſem quod ipſe adverſus illuſtriſſimum virum fecit, eundemque vere *ſingularem fautorem ſuum*, cujus ſummam ſpectatamque Prudentiam ipſe quoque celebrat; ut nempe ſcriberet: *abunde liquet, li-*

[1] Theatr. Anat. Tom. I. pag. 377.
[2] Adv. III. pag. 51.
[3] Ibid.

Digitized by Google

gamenti hepatici privilegium venæ umbilicali *non esse denegandum, ut quidam Vir*
885 *inconsiderate denegat.* Verum ipse qui nihil nisi considerate negat, cur adversus Cabrolii, atque adeo Galeni judicium, scribit: *in comite a Cabrolio dissecto non fuisse incommodam, atque vitiorum digestionis altricem apertionem illam choledochi pori prope pylorum, evidens est.* Cur inquam hoc scribit? Quia *ille Comes, si ita fuisset, ad illam*, inquit, *ætatem pervenire haud quaquam valuisset.* Ad quam, quæso, ætatem? de qua ipse Cabrolius (1) ita silet, ut adolescens, an vir, an senex ille Comes objerit mortem, prorsus ignoremus. Quid, quæso, est *inconsiderate* scribere, si hoc non est? Nam quod addit: *si nauseæ & vomitus ab illa choledochi ductus introductione principium duxissent suum, ille certe non sæpius, sed semper nauseasset atque vomuisset*; nimirum hoc tanti non est, ut propterea res, quod ait, *evidens sit.* Quid enim, si illud *sæpius* Cabrolii significaret *quotidie*, ut *frequenter* apud Riolanum in ejusmodi casibus *quotidie* significat? *Probabile est*, inquit Riolanus. (2) *Galenum in brutis canalem, qui bilem in ventriculum eructat, observasse: inde conjectura quadam similem structuram in hominibus quibusdam adesse sibi persuasit, cum videret homines pituitosos meram bilem FREQUENTER vomere, ut demonstrat in Arte parva exemplo cujusdam, qui cum habitu corporis esset pituitosus, QUOTIDIE tamen bilem pallidam evomebat.* Imo illud idem *sæpius* Cabrolii significabat *perpetuo* eidem Riolano, scribenti (3): *Affirmat quoque Cabrolius, se vidisse porum choledochum in stomachum protensum, qui PERPETUO vomitus biliosos in homine dum viveret, excitavit.* Verum ut mittam Riolanum; certe bilis cystica, quæ nimirum irritare ventriculum maxime poterat, cum non *semper*, sed tumente a cibis ventriculo, fere exprimatur, neque *semper* in ventriculo adesse, & cum adesset, interdum a cibis ipsis ventriculum opplentibus vel temperari, vel repelli etiam poterat, præsertim cum ductus non intra pylorum, sed *prope pilorum* hiaret.

Potuit quoque illa bilis non parem *semper* ad irritandum acrimoniam habere: potuit ventriculus diuturno usu, & vexatione quadantenus hebescere, atque occallescere sic ut nonnisi acriore, vel multa bile percelleretur: potuit nonnunquam ea copia viscidæ lentæque materiæ ventriculo inesse, ut bilem tunc influentem diluere. Sexcenta sunt quæ satis est interdum esse potuisse; ut intelligatur, non esse igitur *evidens*, ut Provocator contendit, in eo judicio erravisse Cabrolium. Quæ illum non vidisse, mirandum non est, qui *quale negotium suis rebus facessat nova, quam* continuo ibidem *subdidi, objectio, plane non videat.*

52 Scripserat ille id quod mirum est, in hac ipsa postrema Editione retinere non dubitasse: *Et multo evidentius patet* propositum, *si naturaliter per ductum suum in ventriculi cavitatem eructetur* bilis. — *Sic ex choledochi insertione in Remigis ventriculi fundo apud celebrem Anatomicum (Vesalium) summa in hoc viro aderat voracitas, & chilosos promptitudo.* Quid sive ad ejus negligentiam demonstrandam, sive ad probationem istam confutandam proferri aptius poterat, quam apud Vesalium de illius Remigis *voracitate*, & *chylosi* ne verbum quidem esse? Protuli. Et hic, *quale* id sibi *negotium facessat, plane non videt!* Quid igitur videbit, si hoc non videt? Neque sane id modo non vidit, verum neque in quem laqueum se indueret (id quod supra demonstravimus) cum se illa ex Bohnio, Vesalio minime consulto, desumpsisse confessus est, neque etsi Vesalius dixisset, eum Remigem *calidi, sicque* 1047 *temperamenti fuisse*; ut *fuisse videri*, dixit, & *validæ* præterea *vocis, longissimi spiritus, robustissimumque*; ex 1048 nullo tamen horum effici, ut *summam in hoc viro adfuisse voracitatem, & chylosos promptitudinem*, dixerit, vel ut hæc adfuisse, *jure* asseramus, cum in multis

[1] Obs. 6. [2] Antroph. l. 2. c. 22. [3] Ibid.

Digitized by Google

multis illa omnia ; neque tamen *summam veracitatem* ſpectemus . At tamen ſcriptitare non veretur , *a me ipſo Veſalium in hac re minus adhuc conſultum eſſe* . Cur? quæſo . „ Nam „ ſi Veſalium , inquit , conſuluiſſet , „ eumque advertiſſet dicentem , *nunquam Remigem illum vomuiſſe , neque a qualibet validiſſima cauſa potuiſſe ad nauſeas concitari* , profecto „ non ſenſiſſet ſuperius cum Cabrolio „ & cæt. „ Quid ſi Veſalium non tunc modo , quod coactus fatetur ; ſed ne nunc quidem ſatis ipſe conſulnit? Mitto enim , Veſalium iſta quæ alia forma litterarum , ut ipſius ipſiſſima Veſalii verba , proferuntur , non ſcripſiſſe , ſed tantum (1) , illius *familiares* aſſeruiſſe, *ſe nunquam illum vomentem , ac ne in maximis etiam procellis nauſeabundum vidiſſe* ; Hoc , inquam , mitto , & duo tantummodo adnoto . Alterum : Veſalium quæſiviſſe , *num vomitu bilioſo , quem hujuſmodi hominibus FREQUENTEM Galenus eſſe teſtatur , vexari conſueviſſet* . Alterum : etſi id non invenerit ; non auſum tamen eſſe (id quod in aliis paſſim fecit) a Galeno in ejuſmodi re diſcrepare : imo paulo infra , hæc ſubjeciſſe : bilem *haudquaquam ventriculi fundo innoxie immitti potuiſſe* . *Nam ;* ut alia quæ hujus rei probandæ cauſa affert , omittam ; *ſi ventriculo* , inquit , *bilis influeret , tum ille (uti Galenus recte affirmat) hujus mordacitate perpetuo ad excernendum irritaretur : neque tantiſper , dum cibus probe confectus eſſet , retentrice ſua facultate fungeretur : & bilem illam reſpuens , ejuſque occaſione nauſeabundus , quod ſibi offerretur , minus quam decet , ambiret , amplecteretur que* . Quæ ſi Provocator diligenter animadvertiſſet ; hæc intelligere potuiſſet : primum , Veſalii , atque adeo Galeni , non meo dumtaxat , aut Cabrolii judicio , a bile in ventriculum influente , etſi hic *perpetuo* ad excernendum irritaretur , non tamen perpetuum , ſed *frequentem* vomitum induci , ſatis eſſe : deinde a perpetua illa ad excernendum irritatione , non *ſummam voracitatem* , *& chyloſeos promptitudinem* , ſed , Magnis illis Viris auctoribus , nauſeam & impedimentum afferri probæ confectioni ciborum , ut qui ante juſtum tempus a ventriculo in inteſtina excernantur : noviſſime id quod rei caput eſt ; tantum abeſſe ut unum *hocce* Veſalii *exemplum plane convincat , immediatam bilis e propriis ductibus in ventriculum tranſmiſſionem haudquaquam* nauſeas , & vomitus , *ſed promptiorem potius chyloſin inducere ;* ut ipſe Veſalius a contrariis ſtet partibus , neque immerito , quippe qui unum quidem exemplum ſciret ad dubitandum ſecundum rationem ſatis eſſe, ad id vero quod adverſus rationem ſit , quantum quidem ſummis iiſdem Magiſtris videbatur , adſtruendum ſatis non eſſe . Fieri etiam fortaſſe potuit , ut Veſalius , aut Remigum , viliſſimorum hominum , verba non ſatis digna cenſeret quibus haberetur fides , aut ſi id cenſeret , peculiare tamen aliquid ſubfuiſſe , ſuſpicaretur , cur vomitus , ac nauſeæ in illo homine non contingerent , quem etiam *aliis quibuſdam organis , & præcipue circa thoracis coſtas , & muſculos ab aliorum hominum fabrica variantem* deprehendiſſet . Et certe is Remex aut non ut alii homines , conſtructus , aut non faniſſimus fuerit , neceſſe eſt ; nam ſi noſtra ſtructura ferret , ut bilis in ventriculum immiſſa , non modo non vomitum & nauſeam , ſed ſine ullo detrimento , *promtiorem potius chyloſin induceret* , ſapientiſſimus hominum Conditor non in ejus tantum , ſed in omnium hominum ventriculum bilis meatum perduxiſſet .

53 Verum ſunt alia quæ Provocator ci. videre ſe , negat . „ Certe inquit , „ non video , quibus *contrariis* Bohnii „ *rationibus ſatisfeciſſe* expediret ante- „ quam *bilem ſenſiles inteſtinorum tu-* „ *nicas ad dejectionem promtare enun-* „ *ciaſſem* . „ At *probi Lectores* , ad quos ſubinde , quaſi aut ego , aut ipſi 1049 nihil viderent , fidenter ſatis provocare non dubitat , non modo quænam ſint iſtæ Bohnii rationes , *viderint* , ſed etiam

[1] De corp. hum. fabr. l. 5. c. 8.

Digitized by Google

iam eo in loco esse *viderint*, ut vel ipsius Provocatoris oculos effugere nullo modo potuerint. Ut enim Bohnii (1) verba quæ ex 17. Progymn. exscribit, prætermittamus, quanquam illa non ad *eundem vellicandi modum* pertinent qui videlicet ab acrimonia bilis fit, sed ad eum qui fit a copia; atque illa tantum verba, quæ ex XI. Progymn. affert, in hujus calce quæramus: *Neque bili ejusmodi acrimonia subest, per quam magis tunicam intestinorum nerveam quam cystis suæ propriam irritare queat*; profecto quæ inter alia verba, scripta ea sint, non videre non poterimus. Sunt autem hæc; quæ tametsi iis etiam quæ supra a nobis pro Cabrolio, Galeno, Vesalio scripta sunt, adversari videantur, tamen in præsentia examinari non oportet, quando Provocator ipse irritantem illam in bile acrimoniam agnoscit, quam Bohnius sic negat: *Ita ut non opus sit stimulum a bile hujusque acrimonia petere, eandemque ideo clysterem naturalem appellare; quatenus quicquid hæc scybalis commodius eliminandis forsan confert, illorum visciditatem corrigendo ac solvendo præstat. Neque bili ejusmodi acrimonia subest, per quam magis tunicam intestinorum nerveam, quam cystis suæ propriam, irritare queat; cum quamvis linguæ deguſtantis, ratione amaroris, notabilem sui perceptionem imprimat, minime tamen ideo tali acrimonia vel ejusmodi particulis gaudeat, quæ tactus sensoria afficiant, atque stimulent; præsertim cum fœculentias intestinorum secundum naturam se habentes, nunquam acres & vellicantes, sed vel insipidas, vel subdulces deprehendere liceat.* Et
1057 post hæc Provocator audebit aliis, ut vide-
1060 bimus, imputare, quod *Scriptorum auctoritates mancas offerant*, ipsisque *a vero alienum sensum imponant!* Negat Bohnius hoc toto loco, eam bili acrimoniam inesse qua vel intestina, vel suam irritare vesiculam possit, & rationes cur id neget, producit. Provocator autem ex hoc ipso loco pauca dumtaxat verba ab aliis divellit, quæ sic divulsa sibi utcunque favere videantur; reliqua sibi prorsus contraria non modo omittit, verum etiam reperire se posse, negat. „ Vir gravissimus, inquit, hoc est „ Bohnius, mecum est, qui sane non „ majorem bilis in intestino, quam in „ cysti, *irritantem acrimoniam* inquiro. „ Neque alias *contrarias rationes* per „ Bohnii Opera reperire contingit.„

54 Hoc igitur æque verum est, ac quod subjicitur: „ Sed illud verbum „ *acore suo* non est neque *latinum*, neque „ *medicum*, instat Censor cl. „ Scripserat cl. Provocator, bilem *sensiles intestinorum tunicas proritare ad dejectionem acore suo*. Quæ verba cum neque me fides mea mutare sineret, neque ipsa, & quod consequitur, quid mihi vellem, plane intelligere Lectores possent, ad illa, fideliter exscripta, hæc continuo adscribere coactus sum (2): *sic enim, quasi bilis acida esset, contra non Latinorum modo, sed & Medicorum consuetudinem ejus acrimoniam vocare solet.* Liquet igitur, me neque usque adeo ineptum fuisse, ut in eo *instarem*, quod in transitu admonere satis esset, neque *acorem* sive *latinum*, sive *medicum* esse verbum, negavisse, imo secundum & Latinorum & Medicorum consuetudinem eo acidum, non acrem saporem significari indicavisse. At hoc ipsum negat cl. Provocator. *Et ego* inquit, *non esse* medicum *denego; cum plurimis medicis Auctoribus non raro usui sit*, acorem *pro* acrimonia *desumere*. Ægre omnino ferendum est, quod istos *plurimos medicos Auctores* non indicaverit, incognitos certe eruditissimis illis Viris qui *Lexicon Medicum* collegerunt, & non unis curis adauxerunt; quamquam hi fortasse aliquos eorum viderunt, sed pro *Auctoribus* in eo habendos esse, non putaverunt, in quo manifestissime errarent; improbandus enim imperitorum abusus est, doctorum *consuetudo* servanda. At enim Doctos etiam atque eruditos Medicos sic loqui potuisse, Provocator contendit. „ *Acorem*, in- „ quit, non esse *latinum*, seu *gram-* „ *maticum* etiam plane nego. acor „ enim

96

[1] Circ. Anat. [2] Adv. III. pag. 52.

Digitized by Google

„ enim apud *Latinos*, atque *Grammaticos* non ſolam ſignificat *aciditatem*, „ ſed etiam & *acrimoniam*. *Conf. Calepinus* in verbo *acor* quod redditur „ italice, *acuità*, *aſprezza*. „ Itaque non dubitat, ſe viciſſe, ut qui ſibi perſuaſit (*), Medicos qui latine ſcribere velint, totos *a Calepinis, & Nizoliis quos ſemper in manibus verſent*, pendere. Illi vero, ſi quando opus eſt ut Lexicographos hoſce conſulant, tantum ipſis credunt, quantum probant, velut hac in voce, *acor*: quam etiamſi traderent, id quod non faciunt, *acrimoniam* ſignificare; niſi tamen id certo idonei Auctoris producto loco demonſtrarent, neminem qui quidem mediocriter peritus eſſet, impellerent ad credendum. At producunt, inquit; „ „ exemplum videlicet ex *Col.* lib. V. „ *ea res emendabit acorem malorum*, „ quo certe caſu ridiculum, inquit, eſ- „ ſet intelligere non quidem malorum „ (ut decet) *aſperitatem*, ſed potius „ ſtricto modo *aciditatem*. „ Sed utrum horum *ridiculum ſit* intelligere, non ego, ſed ipſe doceat Columella. Qui cum de *Malo punico* eo in loco (1) verba faciat, *ſi*, inquit, *ACIDUM, aut minus dulcem fructum feret, hoc modo emendabitur*; traditaque una, itemque altera emendandi ratione, *ea res* inquit, *emendabit ACOREM malorum*. Igitur, *ridiculum eſſe* credere, *acorem malorum* aliud quam *acidum* eorum ſaporem ſignificare, non ego, ſed Columella ipſe docet, ne forte *ajat perhumaniter ille* Provocator *præclariſſimus; ſed bone Deus, quam demiſſe hæc Pædagogium olent!* minime videlicet attendens, in quem hoc cadat, ignaruſque ſententiæ, hac quoque ætate veriſſimæ, M. Tullii (2): *non tam præclarum eſſe ſcire latine, quam turpe neſcire*, eum nimirum qui latina lingua vel grandia, ſi Diis placet, volumina ſcribere audeat. Non enim hic agitur de *invaleſcente* (3) *noſtræ hujus ætatis pro latina elegantia prurigine*, de qua *tertius hic e cælo* delapſus Cato cum ſæculo rixatur: *de hac* ipſum ſcimus undequaque ſapientiſſimum Virum *tam dulci litteratorum Hominum mentis ægritudine non laborare*. Non de *pompa* (4) *verborum inutili*, non de *eloquentiæ fuco*, non de *artificioſo illo orationis genere*, non de *elocutionis lenociniis*, non de *verborum volubilitate* illa, *quæ neque ſcienti, neque ignoranti unquam profuit*, non inquam, de ullo iſtiuſmodi declamatorio, non medico ornamento agitur. Sed de re agitur ſine qua *improvidis juvenum ſenſibus imponitur*, ſine qua fruſtra *utiliora* illa, ſiqua ſint, *Poſterorum memoriæ committuntur*, ſine qua *genuina* illa *ſimplexque ratio Medici ſcriptoris non attingitur*, ut ſaltem de lingua latina ſcriptor tantum ſciat, quantum ſatis ſit ne cum negare credat, affirmet; cum affirmare, neget; ne unum cum velit, alterum omnino ſcribat; ne cum bilis naturalem conſtitutionem deſignare ſe, putet, morboſam exprimat; ne cum acrem fellis ſaporem indicare cupiat, acidum ſignificet. Id ſi neſcit cur latine ſcribit? imo cur latine provocat? cur provocatos, ſi ipſum neceſſario doceant, invidioſo *Cenſorum* nomine appellitat? cur recte monentibus refregatur? Silere potius decet, vel alia, ſiquam forte melius calleat, lingua ſcribere, vel iis quorum manus perſæpe in ejus ultimis ſcriptis omnes agnoſcunt, omnia, non ita inæqualiter emendanda, augenda, interpolanda; ſed a capite ad calcem reſcribenda permittere, ſiquos tamen inpoſterum invenire poſſit, quibus pro moleſtiſſimæ operæ pretio illa grati animi ſenſa ad extremum perſolvat: ipſos *noſtræ hujus ætatis pro latina elegantia prurigine*, & *hac tam dulci literatorum Hominum mentis ægritudine laborare*.

55 Qui loquendi modi longe humaniſſimi in hujus novæ Editionis nova Præfatione in noſtræ ætatis ſcriptores Medicos jacti, illam ipſi excuſationem adimunt quam mox ei loco prætendit in quo Borelli, Nuckii, Reverhorſtii, aliorumque Hominum Celeberrimorum ſen-

[*] Præfat. nova Hiſt. Hep. [1] De Re Ruſt. l. 5. c. 10. [2] De Cl. Orat.
[3] Præfat. cit. Hiſt. Hep. [4] Orat. Anat. III. pag. 23.

Digitized by Google

97 sententiam *Modernorum aliqualium insomnia* nuncupaverat. Fatetur nam-
1050 que, *juvenilem in hac dicendi formula ante hos* 14. *annos displosisse igniculum.* Nunc autem post annos 14. cum multo graviora jaciat; cum in eadem Præfatione dictitet, *recentiores prope omnes* Medicinæ *scriptores* ---- *ad propria auctoranda commenta, pro innata libidine*, Naturam *distraxisse, ac veluti in alios mores coegisse; cum fatalem quandam propriæ æstimationis cupiditatem scriptorum animos plerumque adortam* affirmet *ad famosiora venditanda commenta etiam atque etiam accendisse;* cum *in tam portentosa medicarum Hæresium multitudinem pudere se* scribat, *innumera alia vigilantium insomnia recensere;* cum *Medicinæ præsentium in primis temporum tenebras & infortunia* ---- *jure* ---- *delere se*, confirmet; cum *ad Hepatis & Bilis morbos* ---- *a Nuperorum commentis vindicandos, improbo satis, diuturnoque labore se convertisse*, asseveret; cum hæc, inquam, aliaque ejusdemmodi nunc addat, credemusne, priora illa juvenili imprudentiæ, an utraque peculiari cuidam confidentiæ, & dicacitati esse adscribenda? Cui certe adscribo quod meos de eximiis scriptoribus loquendi modos cum suis *conferri* postulet, *indeque judicari, uter nostrum impensius humanum aliquid passus sit.* Quid enim simile? *Lapsus*, illos, inquam, quos tertia quaque pagina exprobrat, *lapsus* in *primæ Classis Medicis, & Anatomicis scriptoribus* adnotavi. Num usquam *insomnia* dixi? nam, ut ipse de Bachio, &
101 Sylvio, *deliramenta?* num *ridiculas confabulationes?* num *vaniloquia?* num *fabellas?* Ego vero, nisi mite, nisi moderatum, nisi inter homines communis imbecillitatis conscios facile ferendum istud *lapsuum* vocabulum existimarem; ita me Deus amet, ut quodcumque aliud multo libentius usurpavissem: quamquam hunc eundem loquendi modum is ipse, qui usque adeo in me damnat, non ita horruit, quin de Laurentio, ut supra vidimus, hæc pronunciaverit: *celeber iste Anatomicus in gravem quandam confusionem* CE-1016
CIDIT; & de Verheyenio: *in ejus* ligamenti *describenda origine* LABITUR. 887
Atenim ego, *in triginta quinque, mortuis vero omnibus*, adnotavi. Fortasse & in pluribus, qui multa, & de universa ferme Re Anatomica scripserim, adnotavi; nil tamen nisi *lapsus*. Quod si *quinque* dumtaxat ac *triginta* sunt; falsum est igitur, quod alibi *obtrusum* est, me *Lapsus Auctoribus aliis OM-*1011
NIBUS, uno excepto Bohnio, *communes reddidisse*. Quod si *mortuorum* tantum *lapsus* notavi; consulto feci, cum Eruditi cujusdam inter Gallos scriptoris documentum non ignorarem, quod utinam alii animadvertissent: sic *tolli suspicionem quandam invidiæ, nec locum esse secretæ cuidam audaciæ, quæ sæpius alterum alteri ex numero viventium opponit*. Atenim *lapsus* adnotavi *ducentos sexaginta sex* (ut sedulitati cl. Provocatoris credamus, qui summam omnium anxie subduxit) in *primæ Classis Medicis, & Anatomicis scriptoribus*, ex iis vero *signate centum & unum in solo famigeratissimo, accuratissimoque Verheyenio*. Mirum videlicet quod non in scriptore quoque infimi subsellii adnotaverim, qui non alia nisi illa multo honestissima, utilissimaque causa id fecerim, quam de Verheyenio præsertim loquens proposui (1), *ne propter Viri alioqui de Re Anatomica præclare meriti auctoritatem Juniores deciperentur*: quod ferme spectavit etiam laudatissimus Heisterus qui ejusdem Auctoris lapsus, neque in transitu, sed ex instituto, in longa, ac perutili Præfatione bene multos collegit. Neque enim mirum est, quod Viro qui de tota Anatomica Facultate duo justa Volumina scripserit, non pauci quidem errores exciderint, sed non tot denique, aut tanti, quot, quantosve parvo in libello *Hepaticæ* dumtaxat *Historiæ* cl. Provocator admisit. Quod si hunc *clarissimum* nihilominus voco; quanto magis potero Verheyenium vocare, & *singulari hominem*

(1) Adv. V. pag. 5.

Digitized by Google

minem diligentia, ſi non in cunctis, quod mortalium nemini datum eſt, at in pleriſque, & quidem libenter, dicere, præſertim cum eo me honore ſenex ipſe, & in primis clarus, adoleſcentem adhuc, neque ita multis notum, affecerit, quo tot alios fama, atque ætate majores non eſt dignatus, ut plura ex meis I. *Adverſariis* ſumpta, & aliquando ſatis prolixa loca deſcripta in ſuis adeo celebratis Operibus proponeret, eaque, & me non minus quam alios, me longe majores, ſolebat, probaret. Quæ cum ita ſint, meiſque in *Adverſariis* potiſſimum IV. Animad. 19. & hæc Verheyenii erga me agendi ratio, & mea viciſſim *Illuſtris* ejus *Anatomici* honorifica commemoratio omnibus occurrant, conſtet autem, me neque in I. neque in cæteris *Adverſariis* ullius qui viveret, lapſus nominatim, niſi provocaſſet, adnotaviſſe; profecto ita abhorme, imo ridiculum eſt quod a Provocatore nonnulli dicuntur dixiſſe, ut quamvis hos, ſiqui ſunt, qui id ſe dixiſſe fatentur, diſerte nominaſſet, vix tamen ſperare potuiſſet, ut ſanus aliquis crederet, id a ſanis hominibus dictum eſſe. Itaque neque eos nominavit, & credere ſe, negavit; id tamen peſſimo exemplo ſcripſit. Nam væ ipſi ſi nos eodem animo eſſemus, neque id imitari turpe nobis duceremus. Quid enim proclivius eſt, quam, nullo producto auctore, illud in aliquem dictum eſſe, dicere, quod te credere quidem neges, ſed interim dicas? præſertim ſi de abditis ipſis hominum cogitationibus loqui audeas. Cur ipſe in Amicum, atque adeo paulo ante laudatum Anellium ſcripſit? Cur in nos, non minus Amicos, neque minus laudatos, ſepente ſilum diſtrinxit? Quam in partem accipi voluit ambiguum illud Malpighii, atque adeo Bononienſium omnium Doctorum laudationis genus: *Famigeratiſſimus apud Nationes omnes DOCTOR BONONIENSIS?* Sexcenta ſunt in quibus ipſum larga manu pari exemplo ulciſci poſſemus. Sed in hoc uno malumus vinci, & cogitationibus omiſſis, ad facta redire. Meum igitur unum, maximum, novum, & ante hoc tempus inauditum crimen eſt, quod tot ante me Viri etiam modeſtiſſimi, non ſine bonorum aſſenſione, vereri conſuetudine, inſtitutoque admiſerunt, ut Majorum, quos nemo facile me unquam magis obſervavit, & coluit, ſiqua forte eſſent errata in quæ inter ſcribendum neceſſario incurrerem, hæc, officio erga Tirones adductus, & veri, ac publicæ utilitatis ſtudio permotus, ſic adnotarem, ut *lapſus*, hoc eſt communis humanitatis inevitabilia quædam indicia, eſſe dicerem, atque hos tamen in viventium nemine, niſi ſi quis forte me provocaſſet, nominatim retegerem. Ille vero qui hoc mihi crimini dat, & ſæpe adeo, hac inculcata accuſatione, prope capitalis facinoris loco ponit, ut ipſe adverſus Majores ſeſe geſſerit, ſupra diximus.

Nil pepercit. non puduiſſe verberare homines ſenes! (1)

Non *lapſus* ille, ſiqua graviora ipſorum errata credidit, niſi forte ſemel, aut iterum, vocare auſus eſt. Nimis hanc inhumanam, atque immodeſtam eſſe vocem, duxit. Mitioribus uſus eſt. *Fabellas*, *ridiculas confabulationes*, *vaniloquia*, *deliramenta* appellavit. Et quoniam nobis multorum adnotatos *lapſus* objecit; perpaucos ipſe dumtaxat redarguere auſus eſt. Itaque, nemine excepto, *inania veterum commenta* dixit, & ne Viventibus fortaſſe parcere crederemus, *Recentiores*, inquit, *noſtri turpiſſima potius ignorantia obcæcari malunt*. Igitur tantum intereſt inter hoc ejus crimen, & meum, ut ego id quod feci, iterum quotieſcumque publica requiret utilitas, me profitear eſſe facturum; hanc enim, omni remota injuria, & contumelia, ſecutus ſum: ipſe vero quod fecit, *damnet*, ac merito quidem; nihil enim Lectoribus proſunt quæ ipſi vehementer obſunt, jactæ in immeritos contumeliæ: quas tamen ſi penitus dam-

7

174

[1] Terent. Adelph.

damnaſſet, in nova Editione omnes, una excepta, non reliquiſſet, neque alias inſuper illas addidiſſet de quibus Supra dictum eſt, aut alias dicetur.

Atque ut intelligi melius poſſit, quantum inter ejus, meumque factum, non ego, aut ipſe, ſed Graviſſimi, Doctiſſimique Viri diſcrimen agnoſcant; cum contumelioſas quibus ipſe uſus eſt, reprehenſiones qui probet, inveniri poſſit nemo; contra meum, quod ipſe unus improbat, *lapſus* nobilium ſcriptorum modeſte adnotandi inſtitutum, ſapientiſſimi, etiam apud exteros, Homines diſerte laudarunt. Sic qui Lipſiæ Celeberrimi Viri *Acta Eruditorum* conſcribunt, me *optime de publico mereri pergere*, pronuntiarunt (1), *quodquamplurimos* M. *lapſus in quinque Adverſariis Anatomicis palam facere tali conſtituerim ratione, ut data occaſione, laudanda non minus una probarem, ac aliorum etiam Errores notarem*. Sic Eximius Anatomicus Heiſterus (2) mea Adverſaria quibus errores *indicantur, atque emendantur*, cenſet, *in incrementum anatomes, utilitatemque publicam* eſſe inſtituta, quia videlicet *ita anatomen a multis erroribus, qui tam in* M. *quam Verheyeno, aliiſque adhuc occurrunt, liberatum iri, certus confidit*.

1051 56 Quod reliquum eſt; ut recte Provocator facit, quod *Ingenioſiſſimi illius Viri publicæ æſtimationi ſe pariter ſubſcribit*, qui vel poſt editam *Hiſtoriam Hepaticam*, quæ ſententiæ *inſomnia* in hac dicta fuerant, eas nihilominus ſecutus eſt; ita extra chorum, ut ſolet, ſaltat, cum a me *nitide oſtendi, atque demonſtrari* poſtulat, quæ a me nunquam ſunt affirmata. Utrum *in inteſtinorum cavitatem*, quod ipſe verbo negaverat, *hiant venæ meſaraicæ*, a Præcl. Mangeto *in medio relictum eſſe*, ſcripſi (3). Num ergo relictum non eſt, cum denique hic faſſus ſit: *ex hiſce tamen omnibus ſe non concludere, omnem prorſus chylo in eas venas denegari tranſitum?* Cl. vero *Brunnerum experimento plane demonſtratum id cenſuiſſe*, addidi (4). Num forte non cenſuit, qui *Rem* hanc *plane demonſtrare experimentum*, ſcripſit? Hæc ſane ita ſe habere; & vana eſſe effugia a Provocatore quæſita, illi omnes intelligent, qui utriuſque Auctoris indicata alias (5) a nobis loca tota perſpexerint.

57 Abſoluta hic eſſet iſtius nimis longæ Animadverſionis confutatio, niſi qui ſuum a nobis ſcribendi ordinem toties inverſum eſſe, queritur, a calce noſtræ Animadverſionis 24. ad ejuſdem caput repente tranſiret. In quo poſtquam faſſus eſt, plura eſſe quibus nunc ſatisfacere ne conatur quidem, & hæc tamen *ſingula*, & *ſimilia alia* (neque enim ad omnia reſpondet quæ objecimus) 1052
ad ſuam ſe jactavit *Anatomicam Univerſalem Hiſtoriam diſcutiendo* ſervare, nobis *ſpecimen* non invidet *binum* ſuæ illius futuræ *diſcuſſionis*, atque adeo ſuæ illius *Univerſalis Hiſtoriæ*. Videamus, quæſo, *ſpecimen* primum. Vias 93
omnes lacteas, abſente chylo, *ſolum* a *ſalivis pancreaticis*, & *proprie dictis* percurri, & pervias ſervari, affirmaverat. Ego vero admonui, ſic ipſum, *non modo ſucci qui a ventriculi, & inteſtinorum tubulis, & glandulis deſtillans, tenuiorem ſui partem immittere in lactea vaſa poteſt, oblivioſci; ſed tot lymphatica vaſa quæ in chyli receptaculum, ductumque thoracicum lymphatum invehunt, ignorare prorſus videri*. Attendamus inſigne *diſcuſſionis* ſpecimen. Succi ventriculi, & inteſtinorum ſi illi vere ſunt, & ſi hi aliqua ex parte ſubtiliores ſunt, *ſalivales*, inquit, *ſunt*. Nimirum ut objectæ culpam declinet oblivionis, in aliam incurrit; obliviſcetur namque, ſe ibi non niſi de *ſalivis pancreaticis*, & *proprie dictis* ſermonem habuiſſe. De vaſis autem lymphaticis hæc reſpondet: *quaſi quod ſucci, qui a lymphaticis vaſis in chyli excipulum, atque thoracicum ductum importantur, valerent retrogredi, atque ex his partibus in implenda*

[1] Suppl. Tom. 7. Sect. 3. [2] Compend. Anat. Præf.
[3] Adv. III. pag. 52. [4] Ibid. [5] Ibid. in marg.

Digitized by Google

da lactea primi, & ſecundi generis — deſcendere. Novum hunc nihil obſtantibus valvulis mechaniſmum obiter Lectores expendant. Imo novum hoc potius reſponſionis expendent genus; quaſi vero hîc illud ageretur, quod ne in mentem quidem venire cuiquam poterat hoc tempore, an lympha a chyli receptaculo, ductuque thoracico relabi retrorſum queat, cum illud agatur, an quando inter omnes conſtat, lympham in id receptaculum, eumque ductum comportari, hæ duæ inter lacteas præcipuæ viæ a ſalivis dumtaxat, abſente chylo, percurrantur, perviæque ſerventur; ut ſcribi ſine ulla dubitatione potuerit: *in chyli abſentia vias has omnes lacteas;* ſcilicet non modo *lactea duplicis generis prædicta*, verum etiam prædictas pariter *glandulas lumbares, ductumque thoracicum; limpido ſolum liquore, hujuſmodi videlicet ſalivari ſubtiliori turgidulas ſe ſe offerre viſui.* Ita ſe habet *ſpecimen* primum. Attendamus alterum. *Primum & ultimum chylificationis inſtrumentum in ore, ventriculo, & inteſtinis ſalivam* pronunciaverat. Hæc adſcripſi: *oblitus videlicet, ut nunc alia prætermittam, virium aeris quem deglutimus una cum cibis, atque adeo cum ſaliva ipſa, fortaſſe ad ejus particulas implicandas, & ad ventriculum ſecum rapiendas viſciditate quadam donata.*

92

Quæ quidem ſicut eo pertinent, ut intelligatur, non eſſe igitur unicum chylificationis inſtrumentum ſalivam ſine ulla hæſitatione ſtatuendam; ita illuc viciſſim nullo modo trahi poſſunt, quo Provocator *obtrudit* aſſerens a me „ „ maximum condi *chylificationis inſtru-* „ *mentum* „ *in viribus aeris, quem deglutimus una cum cibis & cæt.* Tantum enim aeri *quem deglutimus*, hoc eſt, in nobis, tribui poſtulo quantum decet, non quantum ipſi *obtrudere* commodum eſt, perinde ac ſi aerem aut ſalivæ ipſi præferrem, aut in omni animantium genere idem prorſus præſtare, contenderem; quanquam in piſcibus ad quos conmititur id quod de nobis dixi, transferre, haud omnino aerem deſiderari qui cum ſaliva in eorum pluribus miſceatur, ii non ignorant, qui ſciunt, quo in loco hiare natatoria ipſorum veſica ſoleat. Itaque ex binis hiſce exemplis quæ ſpeciminis loco ſelecta propoſuit, quid de cæteris reſponſionibus habendum ſit quas in ſua illa *Univerſali Hiſtoria* proponet, jam nunc omnes poterunt exiſtimare.

58 Neque XVII. Animadverſio ab iis quas hactenus *exploſimus*, diſcrepat; ut ex hac quoque, etiam ſilentibus nobis, proclive omnibus ſit judicare, quinam *rebus omnibus contradicendi partes complexus, — contra ipſam veritatem remis veliſque contendere inſudet.* 1056

Nam quæritur primum cl. Provocator, *plerumque* me ſuæ *Hiſtoriæ membra in centones divellere.* De qua quidem injuſta querimonia cum ſupra vidimus, tum mox videbimus. Ipſe vero interea; ut ſolet ſui præſentis, non primi, atque ideo neque noſtri ordinis rationem habere; ab locis quæ ſunt in Animadverſione noſtra XXIV. retrorſum labitur ad locum qui eſt in XXIII. De me autem queritur quod ad examinandum locum qui ex ordine ſequebatur de Gliſſoniana Venæ Portæ Capſula, producam, & conferam alterum locum qui de eadem præceſſerat; quaſi vero ſcriptoris inconſtantia, niſi pluribus collatis locis, poſſet convinci, aut quicunque ejus rei cauſa idem neceſſario facere coguntur, ordinem invertere, & ſcripta in centones divellere dicerentur. In illo igitur altero loco, in quo ejus partes fuerant exacte nobis, quantum ipſe noſſet, eam Capſulam deſcribendi, hæc, haud plura verba conſcripſerat: *Indumentum hoc commune, ex tunica hepatis a peritonæo oriunda prognatum, primus detexit laudatus Vir* Gliſſonius; *Capſulamque ideo communem hepatis vocavit; quam rete muſculari compoſitam volunt Moderniores aliqui.* Ipſe autem, qui certe *ex tunica hepatis a peritonæo oriunda prognatam* affirmavit, de hoc *rete muſculari* quid docuit? Affirmavit? an negavit? Ne unum quidem addidit *verbulum*. Qua tandem igitur 1058

Digitized by Google

ego *indaſtria* uſus ſum, cum ejus loci ſententiam proferens, ſcripſi (1): „ „ Capſulam Gliſſonianam ſupra in de„ ſcriptione *ex tunica hepatis a perito„ næo oriunda prognatam* ſtatuerat, vix „ addens: *rete muſculari compoſitam „ volunt Moderniores aliqui?* „ Et tamen contendere non veretur: „ repel„ lendo jam igitur illud *vix*, quod „ multa quidem induſtria fuit a cl. „ Cenſore in hunc textum intruſum, „ jam plane (in eo loco) ſe dicere, „ capſulam hujuſmodi eſſe muſculari „ rete compoſitam, *ut volunt moder„ niores aliqui*, quo pacto alios can„ dide excludat, qui revera iſtud non „ *volunt*. „ Verum enimvero num illud *vix* ego *in textum intruſi*, qui imo de induſtria ab ejus verbis certo diſcrimine ſeparavi? Num plus ipſe dixerat, quam ego retuli? Num ſaltem ſignum ullum ibi dederat, a ſe *Moderniores* illos *aliquos* probari, qui alibi, ut vidimus, ſcripſit: *quantum ferunt modernorum aliqualium inſomnia?* Utrius igitur noſtrum in hæc Lectoribus obtrudendo *multa* eſt *induſtria?* Mea certe non eſt, qui rem ut erat ita reliqui. Illius potius eſt, qui contra id quod in Præfatione affirmavit, in hac nova Editione minime veritus eſt, ſuis illis verbis hæc con-
27 tinuo attexere: *Imo legitimum muſculum*, & quæ, prioribus plura, ſequuntur. Nam cum priora, id quod ego argui, non ita bene cum altero loco convenirent, in quo cum ad uſus ventum eſſet, bilem in hepate exprimi, jam ſine ulla hæſitatione affirmabat non ſolum *per naturalem membranarum* glandulas cingentium *contractionem*, ſed *& per ſuperadditam inſuper capſulæ Gliſſonianæ immediate adjacentis & advolutæ; quæ ſecundum accuratiorum indagines verus eſt muſculus*; nunc iſto novo facto; ſecundum mea, quantumvis diſſimulet, monita; peropportuno additamento, minus jam iſta ambo loca, ſi iterum conferantur, videbuntur inter ſe diſſidere. Longe enim aliud eſt, Capſulam *ex tunica hepatis a peritonæo oriunda prognatam RETE MUSCULARI COMPOSITAM velle Moderniores aliquos*: & Capſulam ipſam, *ſecundum accuratiorum indagines*, *VERUM*, ſive *LEGITIMUM MUSCULUM* pronunciari, imo quaſi id ſupra ſatis conſtitutum jam eſſet, poni, atque aſſumi.

Nam ſi hæc duo apud Anatomicos idem eſſent, *legitimum* eſſe *muſculum*, & *rete muſculari componi*, ut modo incautis vellet *obtrudere*; quid igitur opus erat, ut prioribus illis verbis *rete muſculari compoſitum*, hæc in nova Editione adderet, *imo legitimum muſculum?* Non eſt igitur amplius ut ſperet, ſe cuiquam poſſe *obtrudere* querimoniam illam alteram de me ſuam, quaſi *arte factas contradictiones* in ipſo redarguerem, qui quam parum ſibi ipſe conſtaret, iſto additamento patefecit.

Poſt hæc, opinor, jam *bene intelliget*, quid mihi voluerim, cum ipſi qui in deſcriptione Capſulæ hanc *ex tunica* quidem *a peritonæo oriunda prognatam* ſtatuerat, *rete* autem *muſculari componi*, nedum *legitimum* eſſe *muſculum*, non ſtatuerat, non conveniſſe indicavi, ut cum ad uſus ventum eſſet, repente pro *vero muſculo* eandem acciperet. Neque enim illud unquam mihi venit in mentem ut contenderem, peritonæi productionem fieri in progreſſu muſculoſam non poſſe: quanquam ſi tam ineptus fuiſſem ut id contenderem, haud ſatis ſcio, an ipſe eo quod producit, exemplo me convincere valeret. Nam „ „ cremaſteres ipſos muſculos ab i-
„ pſo peritonæo eſſe *oriundos*, *pro-* 1059
„ *gnatos*, *productos*, nemo, inquit, „ eſt qui in dubium revocet. „ Quid ergo? Ipſi qui *in anatomicis diſſectionibus*, *atque anatomicorum librorum le-* 1019
ctionibus jam prope conſenuit, nondum accidit, ut quod ego ſæpius vidi, obſervaret, Cremaſteres ab inferiore ipſorum Abdominis Muſculorum parte pronaſci? neque ut videret, Falloppium (2) Veſalii deſcriptionem, ut canibus, non hominibus convenientem, propter-
ea

[1] Adv. III. pag. 48. [2] Inſt. Anat.

Digitized by Google

ea arguere, quod Cremasteres enasci a peritonæo, docuisset; neque vero ut animadverteret, hos a Peritonæo non deduxisse Vidium (1), non Spigelium (2); non Riolanum (3), non Veslingium (4), non Highmorum (5), non Marchettum (6), non Th. Bartholinum (7), non Diemerbroeckium (8), non Blasium (9), non Graafium (10), non Dionisium (11), non Munnickium (12), non Verheyenium (13), non Fantonum (14), non Boerhaavium (15), non Cowperum (16), non Heisterum (17), non Teichmeyerum (18), non Santorinum (19), non alios tum veteres, tum recentiores, quorum omnium avide congestis auctoritatibus bene multas, ut solet, Provocator paginas impleret; Ego autem cui valde dispar mos in scribendo, & propositum est, satis superque esse, credo, hos qui longe aliud docent nominavisse, ut ab omnibus, num *nemo sit qui in dubium id revocet*, intelligatur. Quoniam autem Provocator cl. Capsulam *secundum accuratiorum indagines* verum esse musculum, in proposito altero loco pronunciaverat, negavi ego *secundum accuratiorum indagines* id pronunciare potuisse, nisi Cowperum eximium illum, & diligentissimum Anatomicum, qui aperte dissensit, ab *accuratiorum* numero expungere auderet. Ille vero hoc loco facillimam sibi esse responsionem, putat, propterea quia cum ego Cowperum *in plurimos*, quod ipse ait, *gravissimosque errores* lapsum esse, judicaverim, sibi quoque ipsi licere credit me *imitari*, & hac in re Cowperum lapsum dicere. Verum non sentit, aliud hic agi, videlicet non an Cowperus hic lapsus sit, de quo post videbimus, sed num ab *Accuratiorum* numero Anatomicorum sit expungendus; neque enim ob perpaucissimos (si cum pluribus variisque illius scriptis, ac cum multorum longe plurimis erroribus conferantur) & facile in tanto Viro excusandos lapsus, *Accuratioris*, imo neque *Accuratissimi* Prosectoris nomen debet amittere. Sic Hippocrates (20) *ego*, inquit, *etiam eum medicum vehementer laudarim, qui parum delinquat*. Sic Horatius (21)

Vitiis nemo sine nascitur; Optimus ille est
Qui minimis urgetur.

Itaque non modo alibi, ac multo sæpius, magnis Cowperum laudibus sum prosecutus, sed iis ipsis in locis in quibus ob eas quas supra exposui, causas, nonnulla notare coactus sum in quibus Cowperus aliquid humani passus videtur; semel, atque iterum (22) (id quod cl. Provocator omittit) illum *accuratissimum alioqui*, eaque ipsa in parte *in multis laudem promeritum* diserte censui; tantum a vero abest id quod obtrudere his, *multa quidem industria*, conscriptis verbis conatur, ut *ad propriam firmandam sententiam ibi loci* (*ut mihi commodum erat*) *istum scriptorem inter* accuratiores *Anatomicos habendum esse videar jubere*, *& alibi spississimorum* lapsuum *notam eidem inuram*.

59 Eâdem, ne quid gravius dicam, industria obtruditur, me scripsisse, *Bellinum non demonstrasse Glissonianam capsulam esse muscularem*. Mea verba hæc sunt, multum hic, infraque attendenda (23): „ *quasi* illud revera, ut tu, „ Mangete, adnotas, Bellinus *demon-* „ *straſſet*; quod, ut de me fileam, cer-

„ te

[1] De Anat. l. 4. c. 10. [2] De hum. corp. fabr. l. 4. c. 12.
[3] Anthropogr. l. 3. c. 36. [4] Synt. Anat. c. 6.
[5] Corp. hum. Disqu. l. 1. P. 4. c. 3. [6] Anat. c. 6.
[7] Anat. quart. renov. l. 1. c. 22. [8] Anat. l. 1. c. 22.
[9] Comment. in Vesling. locum cit. [10] De Viror. Organ.
[11] L'Anatom. de l'homme Demonstr. 4. [12] Anat. nov.
[13] Anat. corp. hum. l. 1. tr. 2. c. 21. [14] Anat. corp. hum. Dis. 8.
[15] Inst. Med. n. 641. [16] Myot. Ref. chap. 2.
[17] Comp. Anat. n. 343. [18] Elem. Antropol. c. 31. [19] Obs. Anat. c. 9.
[20] De Vet. med. [21] Serm. l. 1. S. 3. [22] Adv. II. pag. 31. 43.
[23] Adv. III. pag. 48.

Digitized by Google

„ te Doctiſſimo Fantono non videtur. „

Quid aliis non videatur, ajo; quid mihi, *ſileo*; & erit qui *obtrudat*, me illud dixiſſe quod ſilui! & is qui *a vero alienum hujuſmodi ſenſum* mihi *imponit*, hic clamabit tamen, me *a vero alienum ſenſum prudentiſſimo* Fantono *imponere*! Num igitur Graviſſi-
1060 mus, & Perſpicaciſſimus Vir Fantonus (1) ex propriis ſuper Capſula cum meditationibus, tum obſervationibus hoc diſerte non collegit: *Quamobrem Bellino eruditiſſimo aſſentiri non poſſumus, cum biliari trunco intra jecur, ejuſdemque ramis advolutum eſſe muſculum ſtatuit, quo directionem motus bilis firmius, atque elegantius demonſtret.* Quid ergo eſt, illud a Bellino ut Mangetus adnotat, demonſtratum, demonſtratum non videri Fantono, ſi hoc non eſt? Cur hæc verba, & ſenſum Fantoni is omittit, qui inter ſuas illas de me querimonias hanc quoque injuſtiſſimam poſuit: a me *ſcriptorum auctoritates mancas offerri*? Atenim Fantonus *dubium ſe adhuc* teſtatur, cum paulo poſt ſubjicit: *rem hanc in humano & bubulo jecore animum eſſe ultro inveſtigare*. Fateor. Sed quid hinc ſequitur? Num illud dumtaxat quod Provocator ait, nihilque ad me pertinet: „ Ergo falſum eſt hactenus,
1061 „ *Doctiſſimo* revera *videri Fantono*, *illud Bellinum non demonſtraſſe*. „ An hoc quoque: Ergo verum eſt hactenus, *Doctiſſimo Fantono non videri, illud Bellinum demonſtraſſe*. Nam ſi videretur; *dubium ſe adhuc* non teſtaretur, neque in animo haberet hanc rem ulterius inveſtigare. Utriuſque hujus conſequentiæ vim, & diſcrimen qui attenderit, is intelliget, quomodo in prima alienus a vero ſenſus, imo aliena verba *ſuaviter* mihi *impoſita* ſint, atque ideo in quem cadat illa altera querimonia, quod *acutiſſimi ingenii modis, & luſibus controverſia ineatur*.

Non igitur ego *mancam* Doctiſſimi Fantoni auctoritatem produxi, qui nihil dixi quod non quantumvis etiam dubitanti conveniat. Provocator autem cl. num *mancam* non attulit, qui primum apertiſſima illa de Bellino, quo de agebatur, verba omiſit, cum alia quædam in quibus eadem ſententia narratur, non impugnatur, protulerit? qui deinde ſiluit, quid de Needhamii, ſupra a ſe prorſus non omiſſa, opinatione Fantonus dixerit: ſiluit, Fantonum *nunquam non fuiſſe arbitratum*, hanc capſulam ab aliis *diverſam vix eſſe* quæ ad munienda magis, quam comprimenda vaſa, ut ratione, atque obſervatione oſtendit, videntur eſſe factæ: ſiluit, Fantonum *cum diligentius in homine* rem examinaret, *obſervaviſſe*, *ramos aliquot venæ portæ ſociari quidem ramis arterioſis, atque biliaribus, ſed tenuiſſima vagina obduci: Triplex inſuper genus hoc vaſorum non perpetuo in vaginali propagine ſimul decurrere: Porro faſciculos fibroſos, qui forte haberi pro carneis poſſunt, circa portæ venæ ſaccum exterius conſpicuum, ubi in jecoris ſinu vena recipitur, ac potiſſimum juxta minimum jecoris lobum occurriſſe*: hæc, inquam, ſiluit, Fantonum obſervaviſſe, quaſi nihil niſi *aliquot ingenioſas meditationes*, ut ait, *exeruiſſet*, qui ex propoſitis obſervationibus illud deduxit, quo poſito, *Bellino* ſe *aſſentiri poſſe*, apertiſſime negavit.

60 Quæ omnia cum ita ſint; patet, 1057
in quem tandem omnes illæ querimoniæ jure ac merito recidant quod ſcripta *in centones divellantur*, quod *ſcriptorum auctoritates mancæ offerantur*, quod *declamationibus, arte factis contradictionibus, Scommatibus, aliiſque ſimilibus acutiſſimi ingenii modis, & luſibus controverſia ineatur*. Quæ ſane querimoniæ a me erant eo gravius ferendæ quod prima earum origo ex iis extitit, quæ ſub initium hujus Animadverſionis a cl. Provocatore de me non ita obſcure dicta notavi: quaſi ego *rebus omnibus* ipſius *contradicendi partes aliquando complexus, hinc hujuſmodi capſulam, abſque ullo muſculari artificio, eſſe dumtaxat membranaceam dictitans, contra ipſam veritatem remis veliſque contendere inſudaverim*. Nam quid

(1) Anatom. corp. hum. Diſſ. 6.

Digitized by Google

quid respondere possit, si universa, & singula hæc negem? Quomodo probare possit, me *omnia*, quæ ipse affirmarit, refellenda suscepisse, qui nihil unquam eorum, nisi a Præcl. Mangeto propositum esset, attingere voluissem? aut me Glissonii capsulam, *absque ullo musculari artificio, esse duntaxat membranaceam* scripsisse, qui hac de re judicium non interposuerim meum? aut me (quod gravissimum & a vero alienissimum est) *contra ipsam veritatem velis remisque contendere insudavisse*, qui mearum cogitationum cognitorem unum habeam Deum? Verum ut ipsi *declamationes*, & *scommata* relinquam sua, & de Capsulæ duntaxat structura quidquid in Animadversione hac consulto omisi, paucis expendam: primum nego, in suis ipsum Tabulis ea *demonstrasse*, ex quibus illud consequatur, ut credit; Capsulam „ idcirco *veri* ubi„ cumque *musculi* nomine excipiendam „ esse. „ Nam ut daremus, ita rem semper se se habere, ut in ejus Tabulis; certe ipse Capsulam in ulterioribus partibus, & *ubicumque* non ostendit.

Atque ut in ulterioribus cunctis partibus id ostendi posset quod in primis illis duntaxat, ac majoribus ostendit Tab. VIII. Fig. I. quis tamen esset qui membranam, superadditis fibris quidem carneis, sed disjectis usque adeo, atque disjunctis, hic illic præditam, *verum* propterea *musculum* esse, & *veri ubicumque musculi nomine excipiendam* jure concederet? Id si liceret, *virorum* universi corporis *Musculorum*, catalogus mirum quantum excresceret. Deinde vero quod Auctores producit fibras carneas, vel musculosam ex parte structuram in ista membrana agnoscentes, ea in re tempus, ut solet, terit; neque enim mihi incogniti erant, aut eos aliter docuisse, unquam scripseram.

Neque ego unquam, quod meminerim, contendi, Provocatorem cl. erravisse *eo* duntaxat *quod* vel Bellinus, vel Lancisius contrarium senserint, sed ubi vel perspicuæ rationes, vel faciles, si opus esset, anatomicæ ostensiones in promptu esse possent, eorum quoque Amplissimorum scriptorum judicio, ac testimonio usus sum, præsertim cum disputatio mihi esset (id quod Provocator nunquam attendit) non cum ipso, sed cum Præcl. Mangeto, qui Cel. Lancisii ad cl. Provocatorem Epistolam, sine ulla censura in suum Theatrum receperat. Non ego igitur *in Præclarissimorum Authorum æstimatione varius, aut instabilis*, sed in seligendis firmioribus eorum locis, & quæ si quis mihi forte negare vellet, possem facile resistere, non ita fortasse imprudens. Quid enim simile? Glissonii Capsula ubicunque est verus musculus; & Ductus Cysticus oblique confluit cum Hepatico. Hoc possis facile neganti ostendere; illud non possis. Quanti autem ego Bellinum fecerim, & faciam, illud testimonio sit, quod cum multa dicere in hac re possem; malui tamen primum *silere*, neque modo quidquam præter id dicere quod satis esset. De Lancisio vero, cujus ego nomen haud minus mortui colo, quam viventis coluerim, longe alia res est. Neque enim omnes fibras carneas Glissonii capsulæ nego, &, si negarem, satis tamen Lancisio erat *musculus adjunctus*, cujus vices, quod ad jecur pertinet, proximum præstare Diaphragma fortasse posset. Hæc ego dicerem. Ille vero quocam istic cl. Provocator contendit, *metipse* quidam sane quid diceret, ignoro. Nam *ipsemet* quid sit, omnes 106
sciunt; *metipse* autem quid sit, neque ego scio, neque adhuc inveni qui nosset.

61 Animadversio XIX.; nam XVIII. nihil ad me pertinet; ad seria nos revocat. Extollit Provocator cl. *labores* tot suos, *tot, tantasque ad Tironum progressus, & commoda contentiones, & studia* in secretionis causis exponendis; 107
ut magnam, si Diis placet, in nos concitet invidiam, quod *strenue horrisonoque bello* in tam præclara, tamque universo terrarum orbi utilia sua cogitata *irrumpere* ausi simus. Verum si illa tam præclara, tamque utilia erant, quæ

Digitized by Google

quæ in prima Editione, nec primus tamen (1), propoſuerat; cur in hac altera tot addit, tamque omnia confundit, & miſcet, ut contra magnifica illa novæ Præfationis pollicita, non facile videam, quî *loca ab Adverſariis impugnata, neque immutata literula recogneſci undequaque poſſint*. Nulla alia, opinor, de cauſa niſi ut qui priore illa Editione carerent, iis minus vereretur obtrudere, me *nihil penitus*
1071 *probare adverſus* ipſum, *multum adverſus me ipſum probare*. Quonam id modo? *Quandoquidem*, inquit, *probare ipſe nitens* „ *neque viam a corde ad* „ *jecur eſſe omnium longiſſimam, neque* „ *viam a corde ad renes eſſe omnium* „ *breviſſimam & cæt.* „ *gravem ſub quadam FALLACIA larvatum errorem pro re certa intrudere laborat*. De ſe ipſo putat, an de me loqui? De me, inquit. Ubinam ergo *fallacia* hæc mea? Num ego, quod ipſe continuo ſub quadam apertiſſima *fallacia* obtrudere laborat, *breviorem eſſe, aut longiorem a corde* ad hepar, aut renes *viam ab apparenti dumtaxat inter utramque partem ſeu ad oculum menſurabili intervallo computavi*, aut *computaviſſe* ipſum, dixi? Si dixi; verba proferat, locum demonſtret. Ipſe vero qui de non ſervato a me ordine toties queritur; niſi meum, imo ſuum priorem ſcribendi ordinem hoc in loco perturbaſſet; non prius examinare debebat ea quæ a me ſuperiore pagina (2) ſcripta erant ſuper illis verbis ſuis de ſanguine ex quo bilis ſecernenda eſt, *per tot arcus portæ longoſque meandros uſque ad ejus truncum* ferendo, *& rurſus ab ejus trunco per novas & longas in ipſo hepate ramorum divaricationes*? At ſi hæc, ante, ut par erat, a me producta, ipſe quoque prius produxiſſet; cui tandem niſi ſtipiti, aut trunco obtrudere ſe poſſe, ſperaſſet, me viam illam *ab apparenti dumtaxat intervallo* inter cor, & jecur per *fallaciam* computaviſſe, aut ab ipſo *computatam* indicaviſſe? Quid ergo dixi, niſi hoc (3): *Quis eſt qui non videat, neque viam a corde ad jecur eſſe omnium longiſſimam, neque viam a corde ad renes eſſe omnium breviſſimam*? Num per hæc obtrudere id volui, unde aliquis *ſtatim* diceret, *longe breviorem eſſe viam a corde ad hepar, quam a corde ad renes*? an hoc potius, ut via a corde ad jecur ſit per *ambages*, non tamen *omnium longiſſimam* eſſe? Extendat enim, quantum ipſi libet, omnes illas *ambages*; certe nunquam nos adducet, ut ſecum exclamemus: *Quot ulnarum MILLIARIS, vaſa a corde ad hepar concurrentia longitudine æquiparanda*? Hoc nimirum proprium ipſius 58
eſt, *artificioſum*, in quod alibi (4) declamavit, *orationis genus, quod minima in maxima transformare poſſe, non vera in veriſimilia ſibi impune ſuaſit*.

Hæc tamen *tot ulnarum milliaris* dum demonſtret expectabimus; atque interea ab his *non veris*, quæ fruſtra *in veriſimilia transformare* conatur; ad ea tranſibimus *minima*, quæ *in maxima* transformare allaborat.

62 Dixeram: *eodem fere a corde intervallo & tenuiora, & craſſiora ſecerni, veluti pericardii humorem, & circumjectum cordi adipem, velut urinam, & circumjectam renibus pinguedinem, velut denique* (*nam ad ſalivam ipſe provocarat*, hoc eſt noviſſime ſalivæ exemplo nixus erat) *in eodem ore & craſſiorem, & tenuiorem ſalivam*. Quid ipſe ad hæc tria exemplorum paria? Ad primum, immemor, nullam mihi ſecum, ſed omnem cum Præſt. Mangeto diſputationem fuiſſe, qui (5) ſecretionem humoris pericardii non ſine *folliculis glanduloſis* fieri, agnovit, relictis ipſe Malpighii, & Littrii obſervationibus, de tribus, ab his diſcrepantibus, cogitatis neſcit plane quod amplectatur; & tamen hæc ipſa tria ſibi *acceptiora* eſſe, dictitat. Neque 1073
tempus modo mihi eſt, neque voluptas unquam erit cum ipſo diſputandi, ut hæc.

[1] Vid. Michelotti Diſſ. de ſepar. Fluid. pag. 251. & ſeq. [2] Adv. III. pag. 46.
[3] Ibid. pag. 47. [4] Orat. III. pag. 24.
[5] Theatr. Anat. Tom. I. pag. 183. 184.

Digitized by Google

hæc omnia poſſim, aut velim examinare. Sed quid ſi illud ipſum arriperem cogitatum cui magis confidere videtur, ut quod primo loco poſuit, humorem videl. pericardii *ab internis hujus foraminibus ſcatere cum ejuſdem arteriarum, ſine ullo flexuoſo artificio diſtributarum, apicibus facile communicantibus*? Quid enim putat? Certe hoc cogitatum oſtendere, multo brevius intervallum eſſe a corde ad fontes aquæ pericardii, quam ſit a corde ad cellulas cordis adipoſas. Nam ad illos, quamvis Diligentiſſimi Ruyſchi (1) repugnet Icon, *ſine ullo*, inquit, *flexuoſo artificio* feruntur arteriæ; ad has autem arteriæ pertinent *in innumeros*, quod ipſe ait, *gyros*, *& flexus diſperſæ*, *& intortæ*, *hinc in intricatiſſimos reticulos divaricatæ*. Vides, ut *ambagibus* hic quoque indulgeat ſuis, ſi forte viam hanc in *minutiſſimis*, quod ipſe inculcat, *capillamentis*, *& fixibus* arteriarum ferme deliteſcentem *transformare in maximam* poſſit, & quæ aliquot *ulnarum milliaria* longitudine adæquet. Verum ſi his flexibus non plus fortaſſe quam par eſt, tribuamus; iſti ipſi flexus, & quidquid præterea his addit, non in ſui, ut credit, ſed in mei ipſius commodum cedunt. Unde enim ſunt hæc flexuoſa adeo capillamenta? Certe ex arteriis, ut fatetur, coronariis, quarum origo minime omnium a corde remota eſt. Illæ autem pericardii arteriæ, *ſine ullo fluxuoſo artificio* diſpoſitæ, quarum ad hoc tempus cognita origo eſt, nonne ſunt, ut Ruyſchius (2) confirmat, vel ex mediaſtinis, vel ex mammariis, vel ex intercoſtalibus, vel ex phrenicis, quæ omnes quanto amplius quam coronariæ diſtent a corde nemo ignorat? Itaque ſuæ in iis capillamentis *ambages*, arteriarum quæ pericardio proſpiciunt, longitudinem penſantes, ad illud *idem fere intervallum* a corde efficiendum pertinent, quod ipſe negat, non affirmavimus. In altero autem *urinæ*, & *pinguedinis circumjecta renibus* exemplo non minus hic obliviſcitur quocum mihi res foret: qua de re cum infra iterum ſermo futurus ſit; idcirco ad tertium exemplum tranſeo *craſſioris*, & *tenuioris ſalivæ*, in quo non jam aliorum, ſed ſui ipſius oblitum miror. Neque enim *noſtra cum venia*, ſed cum ſua ſcribere debebat, *abſolute* ſe *negare*, illa *craſſiora liquida*, illa, inquam, *quæ a faucialibus — glandulis ſcaturiunt, ſalivas revera eſſe*: & *idcirco* ſe *glandulas cibarii tubi in ſalivales*, *& mucoſas diſtinguere*; quando ipſe non modo in prioris, ſed in hujus quoque Editionis I. Parte, non tantum ut hic, *palatinas*, *labiales*, *bucceales & cæt.* ſed diſerte *fauciales* etiam glandulas, inter *ſalivares*, inter eas quæ *ſalivæ rivulos inſtillant*, ſine ullo ab aliis diſcrimine, proponit. 1074 92.93

63 Neſcio deinde, cur quandam, quam & ipſe *nimiam* eſſe, ſubſenſit, de adipe digreſſionem inſtituerit; niſi forte idcirco fecit, ut ex III. ad II. Adverſaria, ſervantiſſimus ipſe ordinis; ſuarumque immemor querimoniarum, tranſilieńs, clamitare poſſet, *ex duabus* meis *propoſitionibus*, *ſi utravis vera cenſetur*, *alteram eſſe manifeſte falſam*. Nam certe nulla alia facere de cauſa potuit, ut continuo oſtendemus, poſtquam de *duabus* illis *propoſitionibus*. Altera eſt: *veriſimile eſſe cenſeo*, — *pinguedinem quoque aſſiduo quodam circuitu circumferri*: Altera: Adipoſæ membranæ *facculi pinguiferis globulis*, *quaſi glandulofis acinis*, *referti ſunt*, *ad quas vaſa pertigunt ſanguifera*. Cur igitur ſi vera prima eſt; ſecunda ſit falſa, neceſſe eſt? Quia, ut præpoſita a Provocatore verba declarant, hanc eſſe accipiendam non dubitat ſecundum eorum ſententiam, qui *adipem in propriis cellulis viventis animalis depoſitum*, cenſent, *veluti congelari in duriuſculos*, *ſaltem non amplius fluentis*, *pinguedinoſos globulos*. Jam miſſa omnia alia facio quæ meam illam Animadverſionem (3) legentibus ultro oſtendunt, me *globulorum* nomine 1070

[1] Reſp. ad Epiſt. Probl. 2. (2) Ibid. (3) 6. in Adv. II.

Digitized by Google

nil nisi subrotundas, inclusas sacculis, membraneas cellulas posse intelligere, quæ, ut sacculi glandularum lobulis, sic ipsæ lobulorum acinis respondeant.

Hoc tantum ajo: non *pinguedinosos* me, sive ex pinguedine globulos, sed certe *pinguiferos* scripsisse, ut nemo nisi qui forte credat sanguineos globulos, & sanguifera receptacula idem esse, credere me possit, cum *globulos pinguiferos* dixi, contentam pinguedinem, non continentes cellulas significasse. Nemo, inquam, non jam eorum dico, qui *nostræ hujus ætatis pro latina elegantia prurigine*, aut qui *hac tam dulci literatorum Hominum mentis ægritudine laborent*, sed eorum dico, qui hoc dumtaxat latine sciant, non esse idem *pinguedinem ferre*, & *pinguedinem esse*. Quod si quis forte id nescit; num verum æquumque est, ut pro ejus imperitia ego plectar, & *falsum manifeste* scripsisse dicar? Nulla igitur ob id causa erat, ut ista de Adipe digressio interjiceretur. Sed nulla quoque, ut *ego admonerer, ut viderem an forte allucinatus non fuerim, adipem inter crassiores animalis humores recensens*. Nam neque contrarium satis ostenditur, neque ego illud scripsi, neque *bile ipsa crassiorem* adipem reputavi.

Hoc tantum indicavi, quod adhuc confirmo: *circumjectum cordi adipem, circumjectam renibus pinguedinem* præ humore pericardii, & præ urina esse *crassiora*. *Admonendus* potius est cl. Provocator, ut videat, si adeps inter *tenuiora* recensendus sit, quorsum igitur suæ illæ *ambages*, flexusque pertineant quibus via a corde ad hujus cellulas adiposas usque adeo augeatur: itemque ut videat, sive inter *crassiora*, sive inter *tenuiora* pinguedo sit recensenda, cum hæc in omni fere corporis parte, & quod consequitur in omni a corde distantia secernatur; alterutrum inde effici, vel falsam igitur esse illam pro qua propugnat, sententiam, vel si mordicus retineri velit, in vasculis sanguiferis, pinguedinis secretioni dicatis, in singulis propemodum corporis partibus, majores, minoresve flexus esse confingendos certo ordine auctos, aut imminutos; quo tamen maxime precario commento uti, videat an satis sibi liberum sit, qui supra quidem ejus generis vascula *ad adiposam renum tunicam* scripsit esse *flexuosissima*, sed tamen ad 1073
cordis quoque *basim* in ejusdem generis vasculis *innumeros gyros*, & *flexus* agnovit.

64 Verum hujusmodi commenta jure ac merito *effugia* vocavi, & esse, probavi: ubi scripsi (1): *Neque effugium variorum angulorum, & flexuum, aut variæ (quam tamen Viri bene multi Doctissimi, & experientissimi, nullam agnoscunt) in sanguine fermentationis usque adeo prodesse potest, quando is sanguis qui a corde ad meatum auditorium fertur, non modo non ita longa, sed neque ita flexuosa, neque ita ad remorandum apta fertur via, ut is qui ad jecur deducitur; & tamen ex utroque materia lenta, flava, amara separatur, imo, velut infra agnoscit, ex illo magis SPISSESCENS bilis separatur, quam ex isto, contra atque fieri de ejus sententia oporteret*. Quæ verba descripsi, ut intelligatur, quam vera sint quæ ipse dictitat: „ *Angulorum*, „ *& flexuum* habitudines *effugium* esse „ pronunciat, sed quid unquam? Cur, neque verbulum ad hanc propositi „ *effugii* firmandam rationem adjicit?„ Illud vero quod in transitu innui adversus sanguinis fermentationem, abjicere quidem a se cuperet, scriptitans, me *forte mihi persuasisse, tenere se in sanguine Willisianam fermentationem, musto, ac panificio analogam*. Sed quî satis possit? qui ut alia præteream, certe in illo ipso quod examinabam, capite (2) sanguinem *cum liquoribus vinosis* diserte comparaverat, *qui spontanea solum fermentatione a mixtis impuritatibus defæcantur*. Nam etsi ab hac *defæcatione inhiberi* sanguinem, mox indicavit, *quousque motu cietur locali sensibili;* non multo post tamen scripsit, sanguinem ad hepar adventantem *ex recessu hoc notabili, & distantia a motus loca-*

[1] Adv. III. pag. 47. [2] Edit. I. c. 10.

Digitized by Google

localis impulsu, magis magisque inde in cursu suo tardigradum fieri, liberiusque inde, & vegetius vacantem fermentationi suæ, faciliusque inde biliosas extricantem sordes, & tanquam eructantem e plexu suo: idque *ad alias* deinde *omnes animalis secretiones* transtulit, repetens *præcipue ex majori inde aut minori in eodem devecto sanguine, depurativæ fermentationis libertate, varias hinc solutiones in sanguine, ut diversorum hinc generum liquida aut tenuiora, aut crassiora sejungantur in itinere a tota massa.* Quod legitimæ fermentationis genus etsi ex illis est quæ ab Doctissimis, & Experientissimis viris in sanguine negari, dixi, & merito quidem; neque enim sanguis tantum usquam memoratur, quantum ei rei satis sit, neque unquam ex sanguine, ut ex aliis quæ fermentationem subierint, liquidis inflammabilem spiritum elicere potuerunt; tamen si hoc quoque *effugii* genus cl. Provocatori permittamus, non facile poterit illud nobis expedire quod de bile *magis spissescente*, secretaque in meatu auditorio objeceramus. Si enim reliquæ bili scernendæ via illa ad hepar non modo longissima, verum etiam, ut addit, flexuosissima, & in qua sanguis *depurativæ fermentationi liberius vacet*, aptissima, necessaria est; quanto magis hæc omnia necessaria erunt ad spissiorem illam bilem in Auditorio meatu secernendam? Sed neque longiorem, neque magis flexuosam, neque vero magis aptam in qua sanguis fermentescat, hanc potest dicere, imo multis partibus ne tantum quidem.

Novum igitur quærit effugium, & qui jam antea in *ambages* se conjecerat, nunc in *angustias* se conjicit, ex quibus evadere an possit, vehementer du-
1077 bito. *Hæc*, inquit bilis *potius in aure, quam in hepate secernitur, non quia longior ad illam via, magisque flexuosa sit* (vides, ut adamatam deserere cogatur sententiam) *sed quia angustior, tum angustissimis devehentium vasorum apicibus adhuc apponitur glanduloſus intricatissimus tubulorum flexus.* Hæ autem veræ sunt *angustiæ*, eo confugere quod non modo ea qua accipi debet, ratione precarium sit, verum etiam multis aliis partibus in quibus tamen ejusmodi bilis non secernitur, commune. Sed nimirum angustiæ quæ in hac quidem Animadversione tam sæpe, & tantopere inculcantur, inter illa autem quæ nos ad examen vocavimus, cogitata inculcatæ non fuerant, novum, ut diximus, effugium sunt, quod aliis additum, mirificam Ideæ illius secretionis simplicitatem, & vim magis magisque patefacit, tum insuper cum aliis illis effugiis maximopere consentit; in angustissimis enim vasis aptior, ut opinor, locus est, & justum spatium in quo motus fermentationis a sanguineis particulis satis libere perfici possint, ita ut exempli causa, ea de qua dicere cœperamus, spissior bilis a sanguine separetur! Quid multis opus est? Ne ipse quidem Provocator cl. novo huic effugio satis confidit. Nam ubi *spissescentem illam ultra statum suum hepaticum bilem* meatus videl. auditorii memoravit, *non intellexi*, inquit, *bilem illam spissescentem esse in sanguine hepatica revera crassiorem.* Quid si non extaret Editio prior? in hac enim postrema multo cautius, quam fidelius eum locum vel omisit, vel illuc transtulit, atque retrusit, ut non possim invenire. In illa autem Editione (1) cum ostendendum proposuisset, bilem a sanguine non in hepate, sed alibi separari, *cum alium in* consistentia *induit genium, vel scilicet liquidius*, sic enim ait, vel *crassius*, postquam in renibus exemplum protulit secretionis *bilis bilis hepatica ordinaria subtilioris*, continuo exemplum subjecit crassioris, illis verbis: *non minus ac spissescens ultra statum hepaticum suum; dicto valedicens colatorio*, id est hepati, *per glandulas philtratur ovales meatus auditorii.*

Quæ omnia cum ita sint; & quid tunc intellexerit, & quo nunc modo evadere, quantumvis conetur, haud, possit, manifesto liquet.

65 Eâdem fide mox scribit: „ in

[1] Pag. 40. 41.

Digitized by Google

„ hoc loco Cenſor cl. valde (niſi fal-
„ lor) intempeſtive pronunciat, *a me*
„ *ipſum ad ſalivam provocari*. „ Nam neque ubi de bile auditorii meatus, ſed antea, ut vidimus, opportune ſcripſi quod ipſum niti ſalivæ exemplo ſignificaret; neque *me* ad ſalivam provocari, ſcripſi, ſed hoc prorſus modo (1): *velut denique (nam ad ſalivam ipſe provocat) in eodem ore & craſſiorem, & tenuiorem ſalviam*. Quamquam autem id eadem ſententia dictum eſt, qua ſæpe alia eodem modo, ut *Prevocet jam iſte ad Doctiſſimum Bellinum: quando ad lotrices provocavit & cæt.*; ipſe quo jure quave injuria in certiſſimæ contumeliæ locum trahit, & ad ea non veretur *intempeſtive* tranſilire quæ nunquam ab ipſo dici oportebat, ut in calce hujus Epiſtolæ demonſtrabitur.

Nunc enim de iſto, ut ipſe vocat, *Epiſodio* fere tantum attingemus, quantum huic loco ſatis ſit, ut *animus*,
1078 ſicut ipſe ait, *reficiatur*. Nam quod ipſe dictitat, adverſus *Hiſtoriam* ſuam *Herculeum*, & *inſigne* productum eſſe *argumentum*, ideſt „ famoſum illud *cecinebant* „ non id argumenti loco, ſed *Epiſodii*, ut *reficeretur animus*, productum eſt. Quod quando aliorum, ut ait, erratum tam mirifico ac recondito artificio defendit, ut *b* pro *r*, ſimillimam nimirum litteram, irrepſiſſe dicat, cum videlicet non *canebant*, ut fit, & proximo Epigrammati ſubſcriptum *dabant* ſatis indicat, ſed *cecinerant* ſcriptum eſſet; cur, quæſo, tot alia quæ ſua certe ſunt, neque iſto *cecinebant* leviora, tueri ad eundem modum non connititur? Sed fortaſſe timuit, ne ipſum viciſſim Typographi aliquanto verius recriminarentur, ſi omnem in eos culpam transferret.

Quid ergo fecit? Multo faciliorem, atque breviorem defenſionem excogitavit, ut ipſe qui latine tamen ſcribere vellet, latinæ linguæ curam inter inutilia, atque adeo inter *mentis ægritudines* aperte reponeret, ſecurus judicii cum Summi Scriptoris Fontenelii (2) cenſentis, *libenter homines inutile id dicere quod ignorat, & hoc eſſe quoddam ultionis genus*, tum vero etiam ipſius Hippocratis (3), aut ejus certe vetuſti Auctoris, cujus Epiſtolæ Hippocratis eſſe creduntur: *Excellentia*, is inquit, *morbi opinionem de ſe præbet propter judicantium imperitiam. Unuſquiſque enim ex his quæ ipſe non habet, judicat id quod in alio abundat, ſuperfluum eſſe*. Cujus utriuſque ſcriptoris ut ſententiam tam veram, quam inanem Provocatoris reprehenſionem eſſe, demonſtrem; idcirco quod aliis ignoſcerem, in hoc uno diſſimulare non poſſum, ſed ejus *imperitiam* linguæ, cujus inutilem curam dictitat, iis in quæ ſubinde incurro, prolatis exemplis patefacio.

Nunc autem ad *famoſum* illud *cecinebant*, ſive ad propoſitum *Epiſodium* revertamur, cui quidem hic addit quod novi *Epiſodii* loco eſſe poſſit. Perinde enim ac ſi vetus illud *Epiſodium* in meo, imo vero etiam in ſuo libro non omnibus proſtaret; miratur quo unquam modo contigerit, ut *Viri alii ingenioſiſſimi, eruditiſſimique* id ſcire, aut eodem poſtea uti, ad ſuos pariter *reficiendos* Lectores, potuerint. Nimirum hic ejus obliviſcitur quod in proverbio eſt: Pulchrum omnibus placere. Sed multo etiam magis obliviſcitur primum num ipſe *Viris illis aliis*, eorumve ſtudiis, atque dogmatitibus ulla unquam Præfatione, ullis unquam Theſibus inſultare conatus ſit, deinde quid illi, ſi ſunt, ut vere ſunt, *ingenioſiſſimi, eruditiſſimique*, ipſi per ſe poſſint, noviſſime illos quoque tot alia, & *herculea* quidem, atque *inſignia argumenta* objeciſſe, ad quæ ſi diſerte reſpondere ſe poſſe, ſperaſſet, nunquam certe ad iſtiuſmodi *Epiſodia* confugiſſet. Atenim inter illa, iſta etiam quæ in *Adverſariis* jam legebantur, objecere. Scilicet vera illa etiam, ac partim opportuna, partim ſatis firma cenſuere. Neque vero illorum dumtaxat, quantumvis ipſe diſſimulet, ſed & aliorum Præſtantiſſimorum

(1) Adv. III. pag. 47.
(2) Hiſt. de l'Acad. des Sc. 1699. Præf.
(3) Epiſt. ad Dionyſ.

Digitized by Google

rum Virorum idem inter me, & ipsum judicium fuit. Quoties id Cel. Heisterus ostendit! quoties Præcl. Santorinus! quoties is qui de *Fistula Lacrymali* postremo scripsit, Doctiss. Platnerus, cujus hæc verba sunt: Morgagnus *vero hæc omnia (Bianchi inventa) haud immerito in dubium vocat. -- & hæc Bianchi inventa nos nunquam vidisse, ingenue fatemur!* quoties denique illi, qui instar omnium esse possunt, Gravissimi Viri a quibus Lipsiæ *Acta Eruditorum* scribuntur, quorum ut multa alia verba præteream, certe illa quæ huc maxime pertinent, præterire non possum (1): *Bianchi*, inquiunt, *Historia Hepatica ---- manca, obscura, contradictoria, falsa, in celeberrimi Malpighii manes injuria & cæt. a* Morgagno *ample ostenditur*. Si igitur quæ hi jam satis indicaverant, alii postea, præter modo memoratos, Præclarissimi Viri, quorum judicium, doctrina, eloquentia satis superque omnibus spectata est, urgere voluerunt; num ego; an is potius qui erraverat, hosque lacessiverat, in causa est? (2) *Ego isthæc moveo, aut curo? non tu tuum malum æque animo feres?* Verum hæc in præsentia obscure ad ea quæ mussitat, satis sunt.

Nam *aliud est maledicere*, ut ait Tullius (3), *aliud accusare: accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet; maledictio autem nihil habet propositi præter contumeliam*. Ubi igitur quis accusare voluerit, non maledicere; videt quid sibi, si ullo modo possit, faciendum sit; nos quomodo ejusmodi inanem, futilem, atque, ut omnia uno verbo complectamur, vel ab ipso Provocatore desertam, accusationem certissimis, ubi opus sit, documentis penitus refellamus, & confutemus, jam vidimus.

1079 66 Nunc omni misso Episodio, ad reliqua pergamus; imo vero cum Provocatore cl. qui ordinem mirifice observat, ad ea quæ, ut ante a me scripta, sic prius examinanda ab ipso fuerant, retrogradiamur. Quanquam quid dixi *a me scripta*? Alia quidem litterarum forma perinde ac si mea essent, verba exscripta video, sed pro meis non agnosco. In *Adversariis*, ut supra admonui, in primaque *Historiæ Hepat.* Editione quid ambo scripserimus, quærendum; tum vero utri nostrum *difficilius fuerit exscribere, quam confutare*, est judicandum. Quod si *sensa obiter duntaxat* volebat *perstringere*; primum verba aliis characteribus scribere non debebat, deinde sic totam rem enunciare: Tradideram ego in I. mea *Historiæ Hepaticæ* Editione (4) id quod in II. ab *Adversariis* monitus, ut absonum, ex parte omisi, ex parte ita discerpsi, atque interpolavi, ut amplius vix agnoscatur: tradideram, inquam, ad solvendas ab reliquo sanguine bilis particulas, utpote quæ cæteris sint magis implicitæ, multiplicata fuisse instrumenta solventia „ scilicet an- „ gulos & latera „ vasorum; ad hæc enim in conum gracilescentia, & præcipue ad angulos ex ramorum partitione resultantes allisas sanguinis particulas solvi, paulo ante docueram. Illud vero ut ostenderem, scripsi, sanguinem ex quo bilis secernenda est, non modo per vasa arteriosa, ut reliquum, ferri, sed insuper per venam portæ; ut spectata hæc „ longissima omnium via, „ ideo inferretur, ad tantos angulorum „ & laterum vascularium occursus in „ tanto circuitu abundanter „ allisionem illam fieri, & solutionem. In *Adversariis* autem animadversum est, hoc additamentum venæ portæ ad illud propositum nihil pertinere, propterea quia a venæ portæ radicibus ad truncum inversa illa figura est, quæ in arteriis ad allidendum ita opportuna a me dicebatur; a trunco autem ad ultimos in hepate ramos etsi illa figura restituitur; maxime tamen, ut in tota illa vena, debilis est ea vis a qua sanguis allidatur. Verum si hæc omnia sua, & mea sensa, ita perspicue, integre, fideliter proposuisset; quomodo *brevi manu*

(1) A. 1720. M. Oct. (2) Terent. Andr. (3) Pro M Cælio.
(4) C. x. §. 3. 4.

Digitized by Google

nu potuiſſet noſtra *refellere*, ejuſmodi videlicet reſponſione in qua nihil diſerte de angulis, nihil de contracta in co-
108 onum figura, nihil de alliſione, ſed de alia prorſus re verba fiunt? vel quomodo unquam ſperaſſet, alicui ſe *obtruſurum*, id quod mox conatur, ab iſtis ſuis propoſitis ſenſis non ea penitus diſcrepare,
108 1 quæ alibi, aut hic expoſuit? videlicet figuram venæ Portæ tum a radicibus ad truncum, tum a trunco ad extremos
144 ramos ad ſanguinem magis implicandum facere: viam autem hujus ſanguinis per arterias figura ſua facere ad ſanguinem in genere ſolvendum, non ad ſolvendas peculiariter bilis particulas. Nam qui hæc contendat, poteſtne idem cum de peculiari bilis ſeparatione ageret, & hujus cauſam in via ſanguinis eſſe, traderet, per illas arterias, & totam venam portæ, poteſtne, inquam, omni ejus viæ longitudine deſcripta, & *ſuper alias omnes* inculcata, hæc ſcripſiſſe: *Nonne ideo inferes, ad tantos angulorum, & laterum vaſcularium occurſus in tanto circuitu, abundanter, & quantum ferat exigentia illidi in radice liquidorum hanc maſſam, & in componentibus etiam intricationibus diſſolvi, & abrumpi*. Nam ſi hæc hujuſmodi illiſio, & diſſolutio in Vena Portæ non eſt, ut certe non eſt; non erat igitur cur *ex longiſſima ſuper alias omnes via* illud eſſet *inferendum*: & ſi ea illiſio, & diſſolutio quæ in arteriis eſt, peculiariter pro bile non eſt, imo hujus obſtat ſeparationi, quæ requirit ut *congeneres particulæ a progreſſivo motu non diſtractæ veniant commodius in intimiores contactus, & cohæſiones*; qui ergo debebat qui peculiarem ſeparationis bilis cauſam proponeret, hanc in *multiplicatione inſtrumentorum ſolventium* collocare, *in multiplicatione ſcilicet angulorum, & laterum?* Lectores igitur qui hæc omnia in I. de qua agebatur, Editione, non in hac altera, de induſtria, quanquam Præfatio neget, maxime mutata, & interpolata, quæſiverint, facile conſtituent, uter noſtrum res *conſuderit*, & quid de illis Provocatoris cl. verbis cenſendum ſit: *jam dubito Cenſorem noſtrum cl. non intellexiſſe, aut potius, ut in contradictionem niteretur, finxiſſe non intelligere:* quibus de verbis, aliiſque iſtiuſmodi quibus uti non veretur, in extrema hac Epiſtola mentio fiet.

67. Nunc enim ne præteriiſſe omnino videamur id, quod ipſe obtrudit, me, quaſi *magnis* mihi viderer *ſuffultus rationibus*, objeciſſe; rogandus eſt Lector, ut *Adverſariis* inſpectis, animadvertat, ſic a me ſcriptum eſſe (1): *Prætereo admiſſam in ſanguine ſine ulla dubitatione fermentationem; prætereo admiſſam obſervationem notabilis in ſanguine portæ præ alio venoſo amaritudinis, quam alii, ut Verheyenius, non admittunt, & eorum qui admittunt, nonnulli malunt, inde reditum bilis ex inteſtinis, quam extricationem bilioſarum particularum comprobari*. Intelligent enim, ea a me præteriri, non objici, ut non ſit opus hic pluribus verbis tueri. Intelligent, illud a me non prorſus probari, quod ea quæ haud omnibus certa videri poſſent, *ſine ulla dubitatione* admitterentur, imo ne plurium quidem Scriptorum auctoritate confirmarentur, quæ nunc demum ob meum hoc monitum in poſtrema Editione addita eſt. Intelligent denique, me non unum Verheyenium negantem, ut cl. Provocator obtrudit, ſed & *alios* reſpexiſſe: reſpicere autem ex iis quæ ſupra dicta ſunt, me Verheyenium potuiſſe, cognoſcent, non minus certe quam cl. Provocator potuit, Reverhorſtii, cujus alibi eſſe *intolerandos* errores dictitat, in illarum earundem rerum altera auctori- 60
tatem ſequi, in altera hanc ipſam inter *inſomnia* collocare. Quod ſi noſtrum 97
alteruter hîc vere *obliviſcitur*; num forte obliviſcor ego, qui de bilis circuitu conſtituere nihil volui? an ipſe potius qui ſe credit *ſatis ſuis locis demonſtraviſſe*, bilis circuitum inter *moderno-* 97
rum inſomnia eſſe ponendum, *nil contra circuitus leges, & animalem machinam deformius excogitari poſſe bilioſo hoc motu circulari, ut vel Medicinæ initiatis patet*, imo vel *per lacteorum oſcil-* 98
la

(1) Adv. III. pag. 46.

Digitized by Google

la esse *dissonam*, *non possibilem*, *morbosam circulationem bilis* ; cum ipse tamen in Oratione VI. (1) inter *eximia* quæ *in liquidis omnibus animalis partibus*, *earumque itineribus oggerere valuit modernorum solertia* ; *circuitum universalem* diserte laudaverit ipsius *Bilis*, hæc etiam subjiciens : *ut sane cultiorum Medicorum neminem ad nitidos hos dies prætereat*, *nullum Humorum Hominis immotum degere* ; *quemlibet a propriis fontibus circumvagum ad unam aut plures partes corrivari* ; *ab hisce ad fontes restitui*, *novosque gyros aggressum*, *motuum perennitate recreari*. Quod tamen *ad expletum* attinet *bilis secretionem a sanguine etiam ante adventum suum in*
60 *hepar*, haud satis scio an quod Gladbachii verbis exponitur, *idem* alii quoque *observaverint*. Certe laudatus Th. Cornelius (2) neque ea, quod sciam, se ipsum observasse, scripsit, neque aliud scripsit, nisi *sanguinem juxta portas jecoris esse subamarum*. De hujus autem rei *veritate* & se *dubitasse* Præcl. Fantonus (3) significat, & Ampliss. Lancisium haud aliter sibi dubitationem sustuliss, quam indicando, oportere venam cavam supra jecur in vivo cane obligare, ut duas circiter post horas sanguis in vena portæ *obscure amaricans* inveniatur ; ni hæc fiant (quæ num secundum naturam nostris in corporibus fiant, omnes vident) *tantam bilis quantitatem*, *quæ lingua distinguatur*, *haberi non posse*. Atenim Provocator cl. rem fortasse extra omnem dubitationis
191 aleam posuisse se, credet, *observatione Realdi Columbi qui Romæ in ipsamet vena portæ Cadaveris Sancti Ignatii tres calculos biliosos invenit* ; *ut habetur ex vita ejusdem Sancti*. Verum quasi una dumtaxat haberetur, quo Auctore non addit ; cum ego præcipuis inspectis quatuor quæ vel accuratius, vel certe copiosius a Petro Ribadenera, Jo. Petro Maffejo, Danielè Bartholo, & Vigilio Nolarco scriptæ sunt, in nulla tamen, istos calculos *biliosos* fuisse invenerim, neque in ipsius Columbi libris (4) alia unquam legisse meminerim, nisi hæc : *Lapides autem innumerabiles pene hisce manibus extraxi*, *inventos in renibus*, *colore vario*, *in pulmonibus*, *in jecore*, *in vena portæ*, *ut tu tuis oculis vidisti*, *Jacobe Bone*, *in Venerabili Egnatio Generali Congregationis Jesu*. Quid ? quod num reapse in vena Portæ fuerint, non immerito dubitari, adhuc potest (5) ? Verumtamen hæc non eo pertinent ut oppugnem quæ in Adversariis me præterire, professus sum ; sed eo dumtaxat ut intelligatur, quam facile Provocator cl. quæcunque sibi favere, aut ad id de quo scribit, pertinere, credit, sine dubitatione arripiat, & sine diligenti examine pro certis, atque exploratis scribat ; velut illud quod, tanquam 51
sibi ab Amicissimo, & Præstantissimo Viro Jacobo Cicognino Regio Medico, & Consiliario narratum, litteris mandavit : *innotuisse præceptori quondam suo Bononiensi Bilem artificialem naturali simillimam fabricare ex multo oleo communi cum quadam portione cineris cujusdam*, *& quodam acido*. Et tamen ego qui iisdem olim cum Doctissimo Viro Bononiæ Præceptoribus usus sum, ex illo ipso Doctore una audivi, non *ex oleo communi*, non ex *cinere*, sed ex oleoso quodam, ex acri quodam, ex acido quodam, singulis ad certum quoddam pondus commixtis, posse illud confici, id quod deposito quovis pignore contendam, nostrum quoque ex Cicognino audivisse quanquam multo aliter atque audivit, deinde edidit ; quantum enim alterius vel in loquendo diligentiam, tantum alterius vel in scribendo negligentiam spectatam habeo ; neque injuriam homini facio qui supra se *properanter scribere*, confessus sit. Quid ? quod in iis quæ per se 924
vidit, & rebus quidem anatomicis, scribendis, in iis, inquam, ipsis usque adeo negligens est, ut ingentem in Nobili Cive meo (Georgio Marchesio) Mesenterii tumorem pro tumore Omenti describat. *Simile*m, inquit, *ipse descripto* 377
car-

(1) Pag. 47. (2) Prog 6. (3) Anat. Diss. 6.
(4) De Re Anat. l. 15. (5) Vid. Epist. I. Art. 49. & 66.

Digitized by Google

carcinomatoſum Omenti affectum in Nobili Forolivienſi cum cl. piæ memoriæ Valſalva Bononiæ videbam & cæt. At vero in accurata, quam Valſalvæ ipſius Præſtantiſſimi manu exaratam habeo, ejuſdem affectus deſcriptione hæc lego: *Ma ciò che aveva lo ſconcerto, era il Meſenterio, dalla corporatura del quale tutta detta mole pendeva. Era queſta coperta in tutta la parte antica del baſſo ventre dall' Omento, il quale eraſi attenuato, ed in molti luoghi lacero. Separato l' Omento, reſtò alquanto più in viſta il tumore, la di cui mole circondata nel miglior modo che ſi potè, moſtrava di potere aſcendere al peſo di venticinque libre:* cætera in Poſthumis, in quibus apparandis nunc totus ſum Valſalvæ Obſervationibus adjiciam. Sed quid majorem oſtendere negligentiam poteſt, quam *Epiſtolicæ Diſſertationi* hæc adſcribere: *Taurinorum Auguſtæ Pri-*
138 *die Nonas Februarii* 1719: & in ea tamen de Ampliſſ. Lanciſio jam mortuo verba facere, quem non niſi proximo inſequente anno amiſimus? Hoc certe iterum ad memoriam revocat Curionem illum (2) cujus M. Brutus vix credebat *tantam fuiſſe oblivionem in ſcripto præſertim, ut ne legens quidem unquam ſenſerit* ſibi aliquid, huic ſimile, excidiſſe, & *ne in ſcripto quidem meminerit quid paulo ante potuiſſet.*

68 Reliquum eſt; nam cætera expendimus ſupra; ut quid Provocator re-
1082 ponat ad eà videamus quæ a nobis animadverſa ſunt in illis verbis, unde *luculentam confirmationem* habere dicebat
r ſuæ de ſecretione ſententiæ: *Breviſſima omnium;* ſic enim ſcripſerat; *via eſt a corde ad renales glandulas; ac nullis pene flexuoſitatibus, angulive præter majuſculum unum, emulgenti, & Aortæ interpoſitum, externe divaricatæ, interne autem ſeu in viſceris corpore compendioſa eſt, & directa, uſque ad ſecretionis locum, ac vix in aliquot ramulos diſpertita.* Primum in nova Editione *ſuaviter* eximit illud *omnium* ex loco ob hoc potiſſimum verbum a me *impugnato*, contra atque in Præfatione 67
magnifice jactat. Id vero omnibus argumento eſſe debet, ipſum quoque ex iis quæ objecimus, & ſupra jam ſatis vidimus, errorem ſuum cognoviſſe; quanquam, ut ſolet, hic dictitat, ſe *ſuperius & alibi contrarium ſatis demonſtraſſe.* Et ſane, ut flexus prædicet coronariarum arteriarum; nunquam perſuaderi mihi poteſt, vel ipſum credere, ſe inventurum aliquem qui ipſi credat, eos flexus ad cellulas adipoſas, (ut brevitatis ſtudio de his tantum dicam) in ipſa cordis baſi prope initium coronariarum ſitas, tot tantoſque eſſe. ut viam omnem ſuperent, quæ ab eadem baſi per Arteriæ magnæ truncum primum aſcendentem, deinde deorſum inflexum ad emulgentes uſque, imo ad ipſas uſque *renales glandulas* intercedit.

Sed quoniam hanc *breviſſimam* eſſe *omnium*, haud amplius contendit, verbo *omnium* diſſimulanter deleto; verba reliqua nondum deleta, ſed in alia, opinor, Editione delenda, quî tueatur, videamus. Hanc totam eandem viam a corde ad renales glandulas *nullis pene flexuoſitatibus, angulive præter majuſculum unum emulgenti, & Aortæ interpoſitum externæ divaricatam* eſſe, dixerat. Ego vero primum objeci: *angulum hunc eſſe fere ex maximis.* Quod objectum *quid hic faciat*, ſe *certe* ait *non intelligere;* quaſi non eſſet longe manifeſtiſſimum, hic facere, 1083
ut omnes intelligunt, qui angulus *ſit fere ex maximis*, eum non fuiſſe ita extenuandum, ut *majuſculus* dumtaxat diceretur. Neque vero magis intellexit (ne; ut ipſe diceret; ego quoque dicam, *finxiſſe non intelligere*) quo pertineret id quod a me ſecundo loco objectum eſt. Objeci autem, alibi ipſum agnoviſſe, & ſcripſiſſe: *reſiſtentiam eo notabilem eſſe in trunco Aortæ ſuper aliam quamcunque arteriæ partem, quo arcus ejuſdem canalis non longe a corde notabiliter auctus fluentum ſanguineum ſubito, & violenter inflectit.* Ipſe vero hanc tantam flexuram non modo non negat, imo ipſam, ejuſque vim

(1) Vid. Cic. de Cl. Orat.

Digitized by Google

vim in *obsistendo impingentis liquidi velocitati* hoc in loco extollit: quæ omnia mirifice pro me faciunt. Cum enim hæc *in acutissimum*, ut hic ait, *angulum flexura*, cum hæc tanta *super aliam quamcunque arteriæ partem resistentia* non sint cum illo ad emulgentes angulo comparandæ; sint autem profecto in illa ipsa qua de agimus, *a corde ad renales glandulas* via; quo unquam modo ipse potuit, eandem illam viam dicere *nullis pene flexuositatibus*, *angulisve*, *præter maiusculum unum*, *emulgenti*, *& Aortæ interpositum*, *externe* esse *divaricatam*?

69 Sic ea defendit quæ de ista via extra renes scripserat. . . . . Videamus, num melius quæ de eadem intra renes affirmaverat: *compendiosam* videl. *esse ac directam usque ad secretionis locum*, *ac vix in aliquot ramulos dispertitam*. Opposui omnino adversantem anatomen Malpighianam, ut a Præcl. quocum disputabam, Mangeto *infra*, quod ibidem diserte dixi, propositam. Quid Provocator? *Ego*, inquit, *fateor hæc Mangetum*, *a cl. Malpighio in Anatomico Theatro exscribere*. Satis hoc mihi est; nunquam enim cum alio disputatio mihi fuit quam cum ejusdem Theatri Cel. Auctore, qui quod ego opposui, idem ipse pro vero proponebat. Cum tamen Figuras quoque Præcellentium aliorum Virorum, ac nominatim Ruyschii; & Eustachii subjecerit, in iisque Pro-
1084vocator cl. effugium quæritet; num sic evadat, quæso, attendamus. Primum in Cel. Ruyschii Figuris, quæ Tab. LXIV. repræsentantur dictitat, *renalium omnium in homine arteriarum tum externas*, *tum internas occurrere distributiones*: quod quidem tam a vero alienum esse, quam quod alienissimum, constat; neque enim Ruyschius in animo habuit, aut habere potuit alias iis in Figuris arterias ostendere, quam quæ in renum superficie, aut ea in sectione apparere possent. Quomodo ergo *omnes* ostendit? aut quomodo illam hic ostendere distributionem potuit, quæ ut appareret, alia dissectione opus erat; quo videlicet modo arteriæ humanos renes subeuntes, intra hos dividi primum incipiant, deinde aliis ramis obviam euntes, in arcum curventur, tum ab hoc arcu prodeuntes, in rete quoddam implicentur, & non intra lobulos, ut bene apparere hic possint, sed inter lobulos, ad renum usque superficiem excurrant. Hæc tamen distributio illa est quam Malpighius observavit, noscque objecimus. Ruyschius autem, ut de hac sibi laborandum non putavit, sic eam porro distributionem ostendere dumtaxat aggressus est, quam in arteriolis jam ad superficiem renum a Malpighio deductis, dum ulterius pergerent, animadvertit. His Malpighius dixerat, quod & nos postremo loco objecimus, *ab extima superficie aliqualiter ad latera reflexas*, *tandem interius terminari*, *& harum speciosam sobolem immissum atramentum perbelle describere*. Huic autem descriptioni Figuræ non repugnant Ruyschii, quæ & per eam superficiem, & ab hac introrsum illas ad latera reflexas, sive serpentino incessu eleganter pergentes exprimunt; imo longæ illi, & implicitæ priori Malpighii distributioni, quam minime, ut indicavimus, tollunt; ea addunt quæ contra Provocatorem cl. vehementer pugnent, dum ob oculos ponunt, usque adeo arterias in renum superficie inflecti, ab hac introrsum sic retorqueri, & per non modicum adhuc tractum ita convolvi, ut exercitatissimus, si quis alius, in arteriolarum incessibus explorandis ipse Ruyschius, de his suis Figuris verba faciens (1) testetur, *vasa sanguinea tam mirifice hic esse contorta*, *& circumvoluta*, *ut nusquam reperire sit in toto corpore*, *ut hic Fig. 2. & 3. exhibetur*. Et tamen Provocator (qui cum hisce Experien-1073
tissimi Viri verbis nunquam, opinor, sua illa de renum, & adiposæ eorum tunicæ vasis comparavit) quasi hæ ipsæ sibi plurimum faverent Figuræ, non dubitat scribere: in Fig. 6. (quæ eadem ac illa 3. est,) ut constat etiam

(1) Thes. Anat. III. n. 41.

ex Prodromo Thesauri VI.) in illa, inquam, *præcipue observare esse, insignem illam a centro ad usque superficiem hujus visceris sanguineorum vasorum directionem, atque brevissimum trajectum*: quibus in verbis quid magis mirer, haud facile reperio, num peritiam in existimando, *a centro ad superficiem* eas arterias deduci, quæ manifeste, ut decrescens earum crassities quo magis ad centrum accedunt, demonstrat, a superficie ad centrum feruntur; an veri studium in affirmando contra ipsius Figuræ fidem, *insignem directionem, atque brevissimum trajectum* in illis ipsis arteriis quas cogitur mox confiteri *vermicularem illam*, hoc est usque adeo contortam, *servare habitudinem*. Quid? quod cum in eod. Theatri Tabula, Figura 4. extaret, a Ruyschio idcirco addita (quod diserte ab ipso moniti sumus, itemque a Theatro monemur) *ut reptatus vasorum, præsertim sanguineorum, luculentius quam in præcedenti Figura, videri posset*; non hanc *præcipue*, at par erat, Provocator cl. spectari jussit, quæ dici non potest quam inflexas arteriolas monstret, & quam contortas; sed contra illam selegit in qua, ob aliam rem ostendendam, sibi primum satisfacere Ruyschius non potuerat, & in qua insuper scalptores Theatri ne tot quidem flexus, quot Ruyschius pinxerat, descripsere. Sic igitur ipsi favent hujus Figuræ. Quid autem de illa dicemus, in qua Eustachius, quantum ejus ferebant tempora, ita illam alteram de qua primo loco diximus, arteriarum distributionem a centro ad superficiem usque venis adumbravit, ut neque divisiones plures, neque dum sibi mutuo obviam eant, arcus illos Malpighianos prætermiserit, additurus pro sua diligentia etiam reliqua, si ita injiciendo, ac vitra adhibendo, ut Malpighius fecit, ea retegere potuisset.

Quæ certe omnia quicunque attenderit, atque insuper Provocatoris verba non ignoraverit, exclamantis alibi (1) tanquam *nobiliorem* Eustachii *inventorum partem, vasorum renalium arcuationes & mirificos plexus*; idem non poterit aliunde ipsius Provocatoris verba non mirari, hic jactantis, in ea Eustachiana Figura „non tantos *arcus*, *retia*, at„que ad *latera flexuras* in his sangui„ducis vasis exporrigi, sed plurimam „a truncis ad totum visceris ambitum „directionem, atque brevissimum iter; „quasi vero aut *arcus* illi non ultro in oculos eam Figuram inspicientium incurrerent, qui alicubi vel tres, alius alii succedentes, cernuntur, illam *anfractuum & arcuum cumulatissimam rationem*, adeo in mesentericis arteriis 063 inculcatam, æmulantes; aut reliqua ab iis temporibus requiri deberent quæ auxiliis ad ea retegenda opportunis destituebantur; aut rectissima, & brevissima omnino via picta esset, quam Eustachius ipse in ejusdem Figuræ explicatione in quatuor vel quinque scissam *ramos* esse, ait, *qui in multos alios rursus divisi, — vario modo dispensantur, ac invicem permixti uniuntur, & denique in tenuissimos, visumque propemodum fugientes furculos cessant*; aut tandem ibi ad superficiem revera cessarent, non per eam mirifice intorquerentur, introrsum deinde reflecterentur, atque ita inflexi, convolutique versus illam unde venerant, partem redirent, quemadmodum in iis saltem ad quas ipse modo provocaverat, Ruyschii Figuris ostenditur.

Quæ omnia cum ita esse, omnes perspiciant, non est profecto opus ut doceam, quam Ruyschii, Eustachiique, a Præcl. Mangeto additæ, Figuræ illi faveant qui, ad sententiam confirmandam suam, affirmare non dubitaverat: arteriosam intra renes viam *compendiosam* esse, *ac directam usque ad secretionis locum, ac vix in aliquot ramulos dispertitam*.

70 Quanto autem minus conjecturis, quam observationibus fidendum est, tanto minus movere nos debet quod porro conjicere nititur ex quodam experimento, præsertim cum Mangetus (2), quocum nostra erat disputatio, con-

(1) Orat. I. pag. 18. (2) Theatr. Anat. Tom. I. pag. 400.

Digitized by Google

contraria prorsus Malpighii experimenta sine ulla dubitatione proposuerit; Thomas autem Bartholinus libro I. *Anatomes quartum renovatæ* capite 17. scribat: *flatum aut aquam immissam, per emulgentes quidem fluere, per tubulos autem (ureterum) non effluere*; sic enim Auctores, eorumque loca indicantur, non, ut ipse solet, & hic facit sic: *Bartholinus conspexit*, ut neque de quo Bartholino dicat, neque de quo Opere, aut libro, intelligas, si forte velis quæ omnino contraria ex Bartholino profert, conferre: quanquam id minus in hoc loco necessarium est, tum ob ea quæ dicta sunt, tum quia non unum esset quod posset ad contraria illa, etiam concessa, responderi.

1085 Postremo *optaret* cl. Provocator, ab iis qui forte Adversaria non legissent, credi, me nihil prorsus attulisse unde id quod jure indicavi de ipsius *in re botanica usu*, intelligi posset, cum ea tamen ipsius protulerim (1) verba, 38 quæ in nova Editione, contra ac Præfatio pollicetur, *suaviter* mutare debuerit. Multo autem magis *optaret*, se nunquam scripsisse alia, quæ usque adeo, monentibus nobis, falsa esse intellexit, ut illa amplius in ejus *Historia* invenire non possimus. In illis exemplum est, quo suam *hipothesim luculenter firmari*, prædicabat (2). *Vides*, ajebat, *lactea vascula transverse ad angulos rectos, aut rectis parum dissonos, cum fistula intestinali concurrere*.

Vidi ego, quo ipse modo deciperetur extimum videlicet primumque illorum *concursum* pro intimo atque ultimo, qui unus ad rem faciebat, perperam attendendo. Nunc autem *vellet* obtrudere, se concursum intimum ultimumque attendisse, hac spe fretus quod ego rem sub sensus non cadentem, *dissimilem* atque ipse dixit, *ostendere* non possim. Neque interim videt, ut uno se ex laqueo expediat, in alterum se, & multo quidem omnibus manifestiorem, induere. Nam si *concursum* illum intimum, ultimum, & sub sensum non cadentem intelligebat; cur igitur, *Vides* ajebat? cur *luculenter* suam eo exemplo sententiam *firmari*, pronunciabat, eo, inquam, exemplo „ secretionis, quæ cum *sensibilibus* celebretur instrumentis, genuinum & „ modum *insensibilis* secretionis, hepaticæ indigitare posset nobis? „ Non igitur illos certos angulos ad *concursum* intimum reprehendi, *quasi quod dissimiles ostendere ipse possem*; sed ob hoc ipsum quod ostendi non possint, eosdem tanquam *sensibiles*, *luculentos*, *videndosque* ab omnibus in medium, *exempli*, imo *confirmationis* causa, productos reprehendi. Quæ ompia ejus effugia cum *tam facile comprimantur*; intelligere, etiam me tacito, per se possunt *cordati*, *solidaque rei anatomicæ Cultores*, 1 me jure meritoque in *Adversariorum* ora adscripsisse: *Commenta quædam de secretione animali, & speciatim bilis, confutantur*. Neque sane dubito, quin pari a nobis jure illud quoque adscriptum intelligant: *Hepatis commentitia structura confutatur*; qua de re infra videbimus. Interim de utraque quid censuerit Vir Celeberrimus Petrus Antonius Michelottus, cognoscere omnes poterunt qui ejus doctissimam *de Separatione Fluidorum in Corpore Animali* Dissertationem (3) inspicient.

71 Animadversionis XX. dimidium ferme perlegeram, priusquam intelligere possem, quid hæc tandem ad me pertineret. Quid enim ad me, quod 1087 cysticæ venæ non invehant, sed avehant sanguinem a folliculo fellis? Nunquam sane mihi venit in mentem ut id negarem; imo cum id agnoscerem, non facile unquam, & sic sine ulla dubitatione *decrevissem*, infra harum influxum, Venam Portæ habendam jam esse, pro arteria, quod cl. Provocator sua, *ut moris est*, *potestate* decernit, eademque iis unis venis *speciale privilegium* concedit, ut in Venam Portæ, non amplius Venæ, sed Arteriæ munus gerentem, sanguinem

(1) Adv. III. pag. 47. (2) Edit. I. pag. 37.
(3) pag. 225. & seq. 253. 325. & cæt.

Digitized by Google

inferant. Hoc nimirum est contra *decretum*, & *Canonem* continuo peccare, ut quidpiam admirandum, quidpiam singulare, quidpiam *non* levis *momenti*, — *quod hucusque ab Anatomicis alto fuerit silentio repositum*, videri possit inventum, quod tamen qui mutationem officii in Vena Portæ paulo altius incipere statuant, in nihilum confestim redigant, nec fortasse injuria; quid enim tanti est, ut quidquam ab naturæ consuetudine alienum potius admittamus, quam istos ambiguos fines tantillo altius constituamus; nam aut in primum fere sinus initium, aut infra hoc, in truncum ipsum Venæ Portæ, Cysticæ confluunt? Quid porro ad me illud alterum quod non minore conatu, neque paucioribus
1088 verbis agitur: *bilem ab arterioso sanguine in folliculi glandulis* non *fecerni*? Quonam in loco *Adversariorum* hoc affirmavi? qui mihi de me, sed de Malpighio, & Ruyschio diserte scripsi (1): *portionem aliquam ejus bilis quæ in vesicula continetur, ab iis Glandulis prodire, existimarunt*. Quod igitur *gravem hanc*, ut vocat, *allucinationem facile dolere se posse confidat*; per me licet; num vero etiam per alios, haud satis scio. Nam quod primum ait *arteriosum sanguinem ad biliariam secretionem non designari, apud cordatos omnes in confesso esse*; vereor, ne, quantum ad hanc controversiam attinet, se ipsum e numero *cordatorum* invitus expungat, qui, ut supra vidimus, docuerit, portionem quandam, & *amaræ* quidem, ac *magis spissescentis* bilis a meatus auditorii glandulis, &, quod consequitur, ex arterioso sanguine separari: quà ex re illud potius expectandum videbatur, ut argumentum peteret ad conjiciendum, non dissimilis bilis portionem a cysticis pariter glandulis ex non dissimili sanguine secerni, quæ reliquæ in folliculo bili affusa, hanc hepatica *crassiorem* quemadmodum *ut plurimum* esse, confitetur, *& amariorem* efficeret.
942 Quod autem addit, *ligatis arteriis omnibus cysticis* & cæt. vesiculam tamen *nova multaque bile* scatere, hoc vero maximam bilis partem per eas glandulas non secerni ostendit; nullam omnino portionem, non ostendit. Atenim hæ glandulæ, inquit, *mucosum illud, seu lymphatico aqueum duntaxat emungunt ab arteriarum sanguine, quod intimam cystis superficiem obtegere*, 1089
atque oblinire valet. Id vero est quod non dicere, & multo minus *innuere*, sed demonstrare eo magis oportet, quod a pluribus & experientissimis quidem Anatomicis minime agnoscitur. Nam Ruyschius (2); ut infra objicitur; *qualis earum glandularum humor sit, cujus saporis & consistentiæ*, negat *explorari posse*; Santorinus (3) autem cum in nobilissima fœmina id exprimeret, quod illæ continebant, *bili prorsus simile* ait se invenisse. Ac neutrum quidem horum fugiebat ista apud multos pervulgata, & protrita earum glandularum cum iis quæ in urinaria vesica sunt, comparatio, qua tantum nititur Provocator cl., ut affirmet, *jam luce clarius, vel per solam rationem ostendi, glandulas folliculi fellei bilis secretioni nullam operam impendere*. Attamen cum istam comparationem uterque commemorarint, in hanc tamen *luce clariorem* non ivere sententiam; credo, quod neuter eorum usque adeo perspicax esse potuerit, ut *ALBIDAM illam in utriusque* (*BILIS*, *& urinæ*) *vesicis mucosam crustam* videret, *ALBIDAM*, inquam, illam crustam quam Provocator intra bilis cystim non dubitat ponere, cum mox agnoscat, vel quæ extra cystim sunt, proxima intestina *bile valde suffusa, atque ideo flavescentia plerumque visi*. Quod si contra bilis *aoredinem* (non amplius *acorem*) mucosa intus crusta vesiculam contendit debuisse muniri; quam, quæso, mucosam crustam in exteriore facie eorundem intestinorum, *aliarumque finitimarum partium* contra istas bilis injurias opponet? quas quidem non cunctos pariter timere, ex verbis constat Gravissimi Bohnii, supra etiam

(1) Adv. III. pag. 65.
(2) Resp. ad Epist. Probl. V.
(3) Obs. Anat. c. 9. n. XI.

Digitized by Google

etiam ad XVI. Animadverſionem productis: *quamvis linguæ deguſtantis, ratione amaroris, notabilem ſui perceptionem imprimat* bilis; *minime tamen ideo tali acrimonia, vel ejuſmodi particulis gaudet, quæ tactus ſenſoria afficiant, atque ſtimulent*. Poſtremo etſi *majores & crebriores per totum hepaticum ductum*, quam in folliculo, *glandulas hujuſmodi* eſſe, confirmat; non tamen hinc ſequitur, contra Malpighianam (1) conjecturam bilem ab ipſis non ſeparari; nihil enim quod hoc prohibeat, profert; imo potius ſequitur, non *illud duntaxat* (ut dicit, ſed non demonſtrat) *mucilaginem linimentum* ſecerni. Cur enim plus linimenti, ubi a minus amara, neque ita immorante bile, minus incommodi timendum eſſet? Certe ipſe paulo ante ſcripſerat, *in uinaria veſica — ſubſidens lotium, ſuoſque idcirco commodius aculeos exerens, majus etiam ad excipuli faciem munimentum*, quam in ureteribus, *depoſtulare*. Quæ omnia cum ita ſint; haud ſatis videre me, fateor, cur in Viros tot Præſtantiſſimos, qui in contraria ſententia ſunt, *juvenilem* etiam hac ætate *diſplodat igniculum*, hac interrogatione longum ſuum concludendo
1090 ſermonem: *cur tam inſulſe, tantoque Tironum præjudicio quis adhuc pronunciaret, in glandulis fundi folliculi fellei bilem, non illam neceſſariam mucilaginem, ſecerni?*

72 Sed hæc alii viderint: ego ad ea jam tranſeo quæ ad me pertinent, vel ut melius dicam, quæ ad me pertinere, uſque adeo cl. Provocator exiſtimat, ut hæc fidenter quaſi in ſummas me coegiſſet anguſtias, ſubjiciat: *Ex his quæ nos hactenus diſcuſſimus, perpendat*, inquit, *pauliſper, ſi lubet, divinetque candidus, doctuſque Lector, quonam itinere bilem in felleum humanum folliculum importare valeat Cenſor noſter cl.* Mihi vero inanis hæc divinandi in re apertiſſima ſolicitudo conſimillima videtur comicæ illius ſolicitudinis, & admirationis quam in Demiphone, opinor, expreſſit Terentius (2).

— *quid mihi dicent, aut quam cauſam reperient?*
Demiror, ad quæ Geta hæc continuo reponit:
— *atqui repperi jam. aliud cura.*

Quis enim Lectorum eſt, non jam dico *doctus*, ſed qui dumtaxat latine ſciat, qui jam non norit quod ſupra etiam ad Animadverſionem XIII oſtenſum eſt, *graviſſime hallucinari* Provocatorem cl., non dubitantem, me in Adverſ. III. Animad. 25. *denegare, bilem ex hepatico ductu per cyſticum in folliculum deſcendere*, cum id tantum ſcripſerim (3): Recentiores „ bilem ab hepate ad in„ teſtinum deſcendentem *pene totam* di„ vertere in cyſtim ita *indubitabile*, ut „ ipſe poſtea dicit, non exiſtimare. „ Longe enim aliud eſt, negare, eſſe *indubitabile*, quidquid bilis ab hepate verſus inteſtinum deſcendit, id *pene totum* in cyſtim digredi; & *denegare bilem ex hepatico ductu per cyſticum in folliculum deſcendere*. Itaque tempus, chartas & *atramentum conſumpſit*, & perdidit, qui hæc non intelligens, magno hactenus conatu annixus eſt *refugium illud* (ſic enim putat) & *aſylum* ad cyſtis glandulas mihi præcludere, quaſi *oratorio*, cujus ipſe optimus artifex, & judex eſt, *ſtylo* illud a me unquam eſſet petitum, aut ſi eſſet, omnino id ipſe jam præſtitiſſet quod jactat: *Jam igitur biliaris cyſticarum glandularum ſecretionis commentum* (*ex quolibet hoc* 1092
fautore proficiſcatur, & quslibet ſit fautorum Auctoritas, qua niti Cenſor cl. ſtudet) *ſatis ſuperque exploſimus*.

Io triumphe! de quo alii, ut diximus, viderint, quemadmodum & de iſto alio, qui continuo canitur, at de quo Viro? de Experientiſſimo, Diligentiſſimo, Celeberrimo Sene, & Profeſſore Ruyſchio: *hoc jam de titulo*, inquit, *figura Ruyſchii nullo pacto æquiparanda* 1084
eſt cum mea. Supra autem, poſtquam renalium ſanguiferorum vaſorum Icones Euſtachii, & Ruyſchii perpenderat, nonne pariter hæc adſcripſerat: *Ex quibus quidem omnibus, donec in univerſali noſtra Anatomica Hiſtoria genuinam* rena-

(1) De Lien. c. 6. (2) Phorm. (3) Adv. III. pag. 52.

Digitized by Google

renalium ſanguineorum canalium diſtributionem aperire aliquando ſtudeamus, ſatis abunde liquet & cæt.

73 Sed quorſum hæc de eo potiſſimum Auctore cujus ex Figuris *plurima*, & in iis quædam difficiliora, etiamſi non faſſus eſſet, ipſum tranſtuliſſe interno ſcereemus ad ſuam illam maximam exornandam? Mirum quia ego ſcripſeram (1): *Ex* ea Cyſtis *Figuræ, ejuſque Explicatione intelligere omnes poſſe, de iis glandulis, quas olim Malpighius in ſuilla, & ovilla veſicula obſervaverat, quid Ruyſchio videatur.* Verum quid neceſſe erat iſtam Figuram uſque adeo abjicere atque contemnere; quando ex ea, qualitercunque in ea glandulæ oſtendantur, ſemper tamen intelligitur, quales ipſæ viſæ Ruyſchio ſint, certeque viſum huic eſſe id quod ego viſum eſſe contendebam, illas glandulas eſſe ponendas. Hæc enim continuo ſubjiciebam: *Nimirum ab ſummis duobus hiſce Anatomicis* (Malpighio, & Ruyſchio) *vel aliud agentibus, ea glandulæ jam olim fuerant luculenter propoſitæ, de quibus Hiſtoriæ Hepaticæ Auctor in prolixo, & eâ inſcriptione ornato opere vix obiter fecit mentionem, & iis quidem verbis, ut cum utrum ipſe admittat, ignores, tum illud certe ſatis intelligas quod addit:* „ *Bilem per* „ *haſce glandulas ſecerni, ridicula eſt* „ *aliquorum confabulatio.* „ Quid ipſe ad hæc? Meam fidem haud obſcure in dubium vocare non veretur: „ Vide„ rit, inquit, ingenuus Lector, „ an ipſe *in prolixo meo Hepaticæ Hiſtoriæ opere vix obiter* de his glandulis *mentionem fecerim, & iis quidem verbis, ut, utrum admittam ignores.* Faciamus igitur quod ipſum facere ad me convincendum oportebat, neque *tædeat ſua ipſa ſuper hac re verba omnia hîc exſcribere.* Num alia in prima Editione ſunt quam hæc, quæ & in hac nova retinuit illic, ubi de cyſtis tunicis ſermonem habet? *Qui* (moderniores) 101 *quarum* (tunicam) *addunt, inter nerveam, & muſcularem collocant, eamque glanduloſam vocant, glandulis ſicilicet numeroſiſſimis obſitam, per quas muccoſum illud tranſcoletur, intimam inde hujus burſulæ faciem totam inveſtiens. Bilem per haſce glandulas ſecerni, ridicula eſt aliquorum confabulatio.*

Ipſe vero qui hanc *ridiculam* eſſe *confabulationem* pronunciat, de his glandulis utrum ſint, quales, & quantæ ſint, & quid vere agant, ipſe, inquam, ibi quid cenſet? Quid addit de ſuo, unde intelligamus, num *modernioribus* illis has ponentibus, & muci ſecernendi officium aſſignantibus, adſtipuletur, an repugnet? quid, inquam, addit? Ne verbum quidem. Sed *de hiſce omnibus*, aliiſque *ulteriora non afferre ſe*, dicit, *prout largiſſime ab anatomes Hiſtoricis VENDITATA; ideoque hîc ſupervacanea.* Itaque ſermone omiſſo, in quem obiter inciderat, de harum glandularum *exiſtentia*, & officio, protinus ad tunicas de quibus loqui inceperat, redit. Quid igitur aliud eſt *vix obiter de his glandulis mentionem facere, & iis quidem verbis ut utrum admittantur, ignores*, ſi hoc non eſt? Contra, Malpighius, & Ruyſchius non in prolixa aliqua Hepatica Hiſtoria, ſed aliud agentes, ille videlicet in Exercitatione de Liene (2), hic in Figura, & Explicatione, ſubjectis Reſponſioni ad Epiſtolam Problematicam V. in qua plura, & varia a Frentzio quæruntur, eas jam olim glandulas luculenter propoſuerant. Quid ad hæc? *In Explicatione*, inquit, *illius Figuræ Ruyſchius nullam prorſus biliaris in his glandulis ſecretionis mentionem inſtituit.* De hoc poſtea videbimus; nunc illud primum agitur, an iis quas nos conjunctas objecimus, *Figura ejuſque Explicatione* eas glandulas Ruyſchius luculenter propoſuerit. De ipſis ita, ut par eſt, conjunctis ſilet.

De Malpighio vero quid reponit? Illud primum *ab ingenuo Lectore* videndum dicit, *an ſatis a Malpighio* ibi *probatum ſit* „ *portionem aliquam ejus* „ *bilis, quæ in veſicula continetur, ab* „ *hujus glandulis prodire.* „ Ita eadem ſemper chorda oberramus. Non hoc,

(1) Ibid. pag. 64. (2) cap. cit. 6.

Digitized by Google

hoc, inquam, primo hoc loco agitur; sed an Malpighius eas glandulas luculenter proposuerit. Verum ne illud quidem sibi videndum *ingenuus Lector* cognoscit, an *satis a Malpighio probatum sit*; neque enim unquam id dixi, sed hoc dumtaxat (1): Malpighium *portionem aliquam ejus bilis quæ in vesiculâ continetur, ab iis glandulis prodire, existimavisse, ex ejus de Liene Dissertatione satis constare.* Quid ergo videndam rem *suaviter* mutat? Cur hoc existimavisse Malpighium, ex ea Dissertatione satis constare, non probat? nisi forte id credit ibi se probare, ubi addit: „ hinc demum modestus Auctor
1093 „ *vix tantum probabilia* adducere fate-
„ tur. „ quo in loco vere ego possum dicere, quod immerito ipse alibi scripsit
1058 „ illud *vix* multa quidem industria fuit-
„ se a nostro cl. *Provocatore* in hunc
„ textum intrusum. „ Nam Malpighius ibi quoque, ut solebat, ea *modestia*, quam omnes laudare video, paucos imitari, quæ existimabat ipse, ut *probabilia* proposuit; non tamen ut *VIX TANTUM probabilia*, quarum duas priores voces etsi, ut Malpighii, alia litterarum forma scriptas conspicio, apud ipsum tamen in toto eo loco non invenio; imo hæc diserte, & asseverantius quam soleret, scripta invenio: *Altera portio constitutiva bilis, crassiuscula tamen, NISI VERIUS DICERE VELIMUS alteram bilis speciem, ex his, quæ post diutinos labores deprehendi in suillâ, & ovillâ vesicâ probabiliter evomitur a minimis glandulis miliaribus per tunicam biliariæ vesicæ dispersis, ad quam arteriæ desinunt.*

74 Atenim experimenta, inquit a Malpighio producta id *non probant; — sed solum aperiunt, hepaticam bilem in folliculum translatam, ibidemque flabulantem longæque moræ potitam, novis inductis internis motibus, aqueis evaporatis substantiis, atque asperioribus exaltatis particulis, ex dilutiori (ut fuerat in hepaticis ductibus) pallidiori, ac suaviori crassiorem, colore saturatiorem, amariorem, atque acriorem evadere, quod quidem ab omnibus admittitur. Imo . . . .* Sed alia non est opus exscribere, tum ne in multo longiorem divertamus sermonem, quærentes, num is qui improbat, satis ipse perceperit, cur illa a Malpighio eo in loco addantur; tum quia neque illa, neque ista quæ exscripsimus, ad controversiam nostram faciunt, quæ minime illa est, an jure id Malpighius existimaverit, sed hæc dumtaxat, an id existimaverit. Cur igitur ista exscripsimus? Ut sic in transitu conferri possent cum aliis quibusdam quæ idem Provocator cl. supra scripserat: videlicet se *in juvenis mulieris; febri acutâ denatæ cadavere bilem cysticam — tum* 942
multo tenuem, seu hepatica non crassiorem deprehendisse; tum nullo modo amaram, imo ad quendam dulcorem dispositam, hepaticâ interim satis amaricante bile. Breviori autem *forsitan folliculari moræ fuisse hoc phænomenon imputandum.* Nimirum ipse qui illationes Malpighii improbat, non intelligit, *breviorem* in folliculo *moram*, ne amarior bilis hepatica evadat, præstare forsitan posse; sed ex *satis amaricante* ut *nullo modo amara, imo ad quendam dulcorem disposita evadat*, facere non posse. Quid ergo præstitisset dicere? Non *breviorem* dumtaxat *moram*, sed commixtionem fortasse cum multo ex illo suo *lymphatico aqueo* glandularum cystis humore, vi morbi minus mucoso reddito, in ejus *phænomeni* causa fuisse. Sic aliquid saltem commentus esset quod cum aliis suis, qualia hæc cumque sint, placitis magis cohæreret. Sed ad graviora, & in viam redeamus. Neque, inquit, Malpighius, *ut Ruyschius per suam figuram instituit, memoratas glandulas in homine, sed in suillâ, & ovillâ vesicâ fellea duntaxat proponit; ut ideo falsum sit „ ab summis duobus hisce Anatomicis, vel a-
„ liud agentibus, eas (seu easdem)
„ glandulas jam olim forsse luculenter propositas.* „ Tandem aliquando obiecit aliquid, quod si minus ad rem faceret, at saltem facere videretur. Videretur, inquam, nam cum diserte ipse-

(1) Adv. III. pag. 65.

Digitized by Google

ipſemet dixerim (1) eas glandulas *Malpighium in ſuilla, & ovilla veſicula obſervaviſſe*; quo unquam modo ſuſpicari poteram, fore, qui *obtruderet*, me ab ambobus illis Anatomicis *eaſdem* glandulas dixiſſe propoſitas. *Eas*, inquit, *ſeu eaſdem*. Ego vero multo potiori jure, quam ipſe alibi illa *iſta ipſa*, affirmare poſſum „ bina hæc ver-
„ bula *ſeu eaſdem* ab *ipſo Viro* hic lo-
923 „ ci creata eſſe, & verbulo *eas* ad cen-
„ ſuræ locum ſuperaddita: & ut ſuper
„ hoc *ſeu eaſdem* tota objectionis ratio
„ ſita eſt, ita hoc idem *ſeu eaſdem* in
„ illa mea *Animadverſione* me ponere,
„ neque per ſomnium cogitaviſſe, ut
„ videre eſt. „ Quod ſi pro *eas* nihilominus velit ipſe *eaſdem* accipere; non *eaſdem* humanas, ſed *eaſdem* cyſtieas intelligat, quas ſi alii, vel in beſtiis dumtaxat cognitas, aliud agentes, propoſuerunt, quanto magis in homine jam notas, ipſe diſerte agnoſcere, & proponere debuiſſet, qui *Hiſtoriam Hepaticam* perſcribebat.

75 Illud ſequitur multum me *aberrare a vero, putantem Sylvii ſectatores aſſerere, Bilem per cyſticas glandulas ſecerni*. Verum me id *putaſſe*, mea certe ſcripta non oſtendunt. Scripſerat cl. Provocator, quod ſupra vidimus: *Bilem per haſce glandulas ſecerni, ri-*
101 *dicula eſt aliquorum confabulatio*. Adſcripſi ego (2), *Qui humaniſſimus* (ne vero nomine appellarem, quod gravius tuliſſet, quam nihilominus hoc ferre videatur (*Qui humaniſſimus*, inquam, *loquendi modus quam gratus ſit futurus, haud ſcio, non modo Sylvii ſectatoribus, de quo fortaſſe ille intellexit, verum etiam æquis æſtimatoribus Malpighii & Ruyſchii, quibus illa eadem verba non ſatis cavent*. Quid igitur aſſererent *Sylvii ſectatores*, non dixi, imo vero ne quid Sylvius quidem: hoc dixi, ipſum *de Sylvio fortaſſe intellexiſſe*; id autem diri, propterea quod non multis poſt illum *loquendi modum* interjectis verſibus hæc ſubjici, animadverti: *Quod autem in membranarum* Cyſtis *poroſitatibus machina ſedeat* (*ut ſupra*) *ſecretoria bilis a ſanguine — nonne ſunt vaniloquia, homini cæterum venerando jam ſuperius commemorato impatia? fabellæ, inquam; & cæt.?* Scilicet cum illud *ut ſupra* cum primo illo *loquendi modo* conferrem, hos autem alteros conſimillimos *loquendi modos*, ut libri ora diſerte ſignificabat, erga *Sylvium* adhiberi cognoſcerem, Provocatorem quem non nimis ſane diligentem eſſe in iis legendis Auctoribus quos redargueret, ſciebam, *de Sylvio fortaſſe* in priore quoque loco *intellexiſſe*, viſus ſum mihi haud injuria poſſe ſuſpicari. Nunc ille negat; ego mihi gratulor, non affirmaviſſe, ſed *fortaſſe*, ut videbatur, dixiſſe; ipſi profecto non gratulor, qui fateatur neceſſe eſt, non in eundem dumtaxat, ut ego ſuſpicabar, Sylvium, ſed & in Sylvium, & in alios præterea Celeberrimos Doctores iſtiuſmodi *loquendi modis* inſurgere ſe voluiſſe.

Et ſane tunc ipſe animadverti, priorem *loquendi*, qui plures reſpiceret, *modum* Malpighio, & Ruyſchio *non ſatis cavere, ut qui licet a Sylvii opinione* (quam ſine Doctore jam ſatis noram) *longiſſime abierint, portionem tamen aliquam ejus bilis quæ in veſicula continetur*, non a quibuſcumque hujus poris, ſed *ab iis*, de quibus ibi mentio erat, *glandulis prodire, exiſtimarunt, ut ex Adnotatione* a Præcl. Mangeto *exhibita, & Malpighiana de Liene Diſſertatione ſatis conſtat*.

Nunc ipſe de Malpighio ne conatur quidem; neque enim ullo modo poſſet; negare; Ruyſchio autem videri vellet *ſatis caviſſe*. Utinam poſſet; nam certe non minus dignus erat, quem obſervaret, nedum cui ab iſtiuſmodi loquendi modis omnino caveret. Quo magis ægre fero, in eum me locum eſſe adductum ut connivere, quod mallem, & continuo credere non liceat, niſi ipſe videri velim ſine ulla prorſus ratione quæ paulo ante retuli, verba ſcripſiſſe. Atque ut intelligere omnes poſſint, me invitum in hoc loco verſari; conjecturas duas, quæ ipſi excuſationis loco ſunt, quamvis facillime poſ-

(1) Ibid. pag. 64. (2) Ibid. pag. 65.

Digitized by Google

poſſem, non excutiam, non urgebo, non extorquebo: illud tantum dicam, Viros Graviſſimos, & in Auctorum ſenſibus intelligendis, ſiqui alii, Exercitatiſſimos, *Actorum Eruditorum*, quæ Lipſiæ eduntur, Scriptores (1) cum non hæc, aut illa Cel. Ruyſchii verba ſeorſum ſpectata, ſed omnia quæ Mangetus in illa Adnotatione etiam profert, conjuncta, ut par eſt, quid demum ſignificent, pro eorum nunquam ſatis laudando inſtituto paucis referrent, hæc ſcripſiſſe: *Explicationem viæ, quæ bilis ad veſiculam felleam deſcendat, jungit, eamque appellat cum celeberrimo Bohnio ductum cyſticum, glandulas tunicæ interioris veſiculæ EIDEM SCOPO INSERVIENTES adjiciens, quas in collo plures, circa fundum rariores delineatas exhibet.*

76 Verum, ſepoſito Cel. Ruyſchio, ad Provocatorem cl. redeamus hæc ſubjicientem: „ An autem *ſtructuram intimæ* „ ſuperficiei veſiculæ, imo & meatus „ cyſtici, ductuumque hepatici, & „ communis, ne memoraverim quidem, „ qui legerint, judices ſint. „ Hæc ego omnia negavi, atque iterum nego. Ipſe qui contra ad Lectores provocat, cur loca non indicat in quibus ea memoraverit? Sæpius, etiam ubi nihil opus eſt, qua in *Parte*, quo in *Capite*, quo in §. aliquid ſcripſerit, magna nobis ſedulitate inculcat. Cur hic illud facit quod iis fere in rebus ipſum facere animadverti, quas ſe ſcripſiſſe, aut ſic, ut contendit, ſcripſiſſe, probare non poteſt, ut neque §., neque *Caput*, neque adeo *Partem* unquam ſignificet? Quid ergo eſt? ſiqui ſunt qui illud poſſint facere, quod nos tunc fecimus, ut univerſum *Hiſtoriæ Hepaticæ* librum perlegant, ſed primæ Editionis (ſenſit enim in nova apparanda, quam nos vera diceremus; & quam neceſſaria requireremus, ideoque ſaltem in calce multa quæ omiſerat, aut vix attigerat, ſupplere conatus eſt) ſi qui igitur illud poſſint facere, & qua de ſtructura nos in *Adverſariis*, dixerimus, attendentes, hanc in toto eo libro perquiſierint; iis confirmo, me nondum ſcire ubi ſint ipſam inventuri. Sed quoniam is labor multo gravior eſt, quam ut multi ſubire velint; conjecturam faciant ex eo quod continuo ſubjicitur, & longe facilius expediri poteſt. Pari enim fiducia ad eoſdem provocat qui legerint, ut „ hi inſuper judicent, an *Aliæ hujus Tabulæ* (ſeu memoratæ LXIII. Theatr. Anat.) *Figuræ diſcrepent ab Hiſtoriæ Hepaticæ* ſive *diſquiſitionibus*, ut ipſe ait, ſive *commentis*, ut a me probatum eſt. Et quamvis ego cum *alias Figuras* dixi (2), non de omnibus aliis dixerim, ſed de iis tantum, de quibus *ſupra indicatum erat*; tantos ipſe ſibi ſpiritus ſumit, ut omnes inſpici velit, & cum ſuis placitis comparari. Morem, quando ita vult, geramus.

77 Ex I. Figura quædam aſſumit, cætera omittit. Inter ea quæ aſſumit, nihil eſt de quo controverſum ſit, niſi *interni hepatis lobelli*, de quibus, ut a Malpighio *in medium adductis*, cum mentionem injeciſſet, mox cenſuerat, 28
Malpighium *nil in hepate innovaſſe præter novi vocabuli introductionem*: & tamen hic eos lobulos, ut veros a Figura repræſentatos, *apprime cum ſua Hiſtoria convenire*, dictitat. Omittit interea oſtenſas in eadem Figura Malpighianas ſubrotundas glandulas, & *fibroſam*, ac *membranaceam* lobulorum *connexionem*, quarum hanc neſcio, ubinam in ſua *Hiſtoria* memoraverit, illas contempſiſſe, vel ex iis quæ modo dicta ſunt, omnes ſciunt. II. Figura, inquit, *Apicum Portæ Venæ, & Cavæ anaſtomoſes, nobis ſane acceptiſſimas, repræſentat.* Imo Auctor Figuræ Bidlous diſerte monet (id quod Mangetus in Explicatione non omiſit) illas venas *mutua anaſtomoſi nunquam jungi*; ut conſtet, reprehendendos eſſe Scalptores qui uno aut altero forte in loco erraverunt. Videtur enim Bidlous hanc Figuram apparaviſſe, ut intelligeremus, minutos ramuſculos earum Venarum neque jungi inter ſe, neque (id quod Provocatori maxime adver-

(1) A. 1697. M. Jan. (2) Adv. III. pag. 65.

Digitized by Google

ſum univerſa Figura indicat) decuſſari. III. Figura quantum ipſi adverſetur, ſatis ſupra ad Animad. XV. indicavimus. De IV. etiam Figura quid habendum ſit, ex iis quæ ad Animadverſ. IX. adnotavimus, ſatis liquet. Nam; ut omittamus, quid de ea ſummus Anatomicus Ruyſchius, aliique, ibi laudati, cenſuerint; nihil profecto, niſi *Radices Cyſticas*; ut Bidloi, Auctoris Figuræ, verbis utar; oſtendit *per Hepatis corpus diſperſas, earumque truncum majuſculum*, quæ certe nunquam omnino negavi; communicationem vero ipſarum cum ductu hepatico, de qua præcipuum dubium erat, nullo modo oſtendit; ut non intelligam quo jure cl. Provocator ſcribat: Hæc IV. Figura *ductus noſtros hepaticyſticos, & cyſti hepaticos melius, atque optabilius exhibere, atque firmare non poſſet*; Hoc enim ſi verum eſſet; nihil erat cauſæ cur Tabulam ſuam V. excogitaret, cum ad hanc Bidloi Figuram, qua nihil ad id, *melius, atque optabilius*, rejicere Lectores poſſet. VII. Figura (V. enim, & VI. deſiderantur) *internam ſuperficiem ſellei ſulliculi a nobis in Tab. VII. expoſitam, apprime*, inquit, *dilucidat*. Melius dixiſſet *emendat*, ut alibi indicabo. (*) Hic enim ſatis eſt animadvertere, ipſum *ſuaviter*, quod deinceps quoque facit, tranſilire ab *Hiſtoria Hepaticæ* prima Editione, de qua dumtaxat eo tempore loqui poteram, ad Tabulas, novæ huic Editioni nuper adjunctas, de quibus tunc lis eſſe non poterat. Dixiſſe igitur debebat, non *in Tab. ſed in Hiſtoria* expoſitam. Sed in hac, ut ex ſupra dictis colligitur cum eam ſtructuram ne memoraverit quidem; idcirco neque illud ipſe poteſt nunc dicere; & nos intelligere debemus, quantum igitur hæc Figura quæ illam in Veſicula & tribus bilis canalibus diligenter exponit, ab ea Hiſtoria diſcrepet in qua iſtæ horum omnium ſtructuræ, tanquam in rerum natura non eſſent, omnino prætermittuntur. VIII. inquit, Figura

1095 *arteriarum & lymphæ ductuum per fellam humanam veſiculam diſtributiones depingens ea confirmat, quæ nos in Tab. II. & III. de his vaſis delineavimus, & in Hiſtoria deſcripſimus.* Ecce iterum Tabulæ de quibus firmo tunc eſſe non poterat, in medium proferuntur, quibuſcum tamen num prorſus conſentiant quæ in VIII. hac Figura ab Diligentiſſimo Ruyſchio pinguntur, vaſorum inceſſus, diviſiones, & ulteriores præſertim, aut aliunde etiam accedentium arteriarum propagationes, omnes qui conferent, ſatis intelligent.

Sed quoniam hæc in *Hiſtoria* quoque *deſcripſiſſe* ſe, dicit; ſed quo in loco; non dicit; ſcire licet in primæ quidem Editionis deſcriptionibus hæc nuſquam a nobis quæ ad arterias has pertinent, inveniri; quæ vero ad lymphæ ductus, cum ſua ipſa Tabula III. non ſatis congruere. Atque ut hæc omittamus, illud certe non eſt omittendum, ipſum interea ſilere, quam iis quæ ſcripſerat, adverſetur in VIII. Figura *Ductus Cyſticus tortuoſus*. In IX. quoque Figura extra chorum ſaltat, dum hac ait *luculenter confirmari ea quæ ſane* ſuis in *Tabulis exprimit*; quaſi vero aut ego de his loqui poſſem eo tempore, aut non potuiſſet ipſe ex ea Figura quædam in ſuas transferre, aut demum quæ transtulit, ea diligenter tranſtuliſſet. Cui rei exemplo ſit illud unum, quod vere in ſua quoque *Hiſtoria* ſcripſerat, videlicet *lymphaticorum vaſorum in ſuſpenſorio hepatis ligamento diſtributio, atque reptatus*. Scripſerat enim id quod & pingere voluit, *per ſuſpenſorium ligamentum* ire ea vaſa *uſque ad glandulas lumbares*. Reverhorſtius autem cujus nos Figuram objecimus, non eo verſus ire contendit, ut ad IV. Animadverſionem docuimus. Ecce vero Incomparabilis Anatomicus Ruyſchius, qui in hac Figura IX. repentia per ſuſpenſorium ligamentum vaſa lymphatica non verſus lumbares glandulas euntia (quod Provocator) ſed verſus Diaphragma (quod Reverhorſtius) depingit. Quid officere magis Provocatoris rebus poterat? & tamen

(*) Vid. Epiſt. I. Art. 52.

Digitized by Google

tamen has ait per hanc ipſam Figuram *luculenter confirmari*! Sed quem Iconiſmum ſibi fatebitur officere, ſi vel X. Figuram *rebus ſuis non officere*, contendit? Quid vero? *rebus* igitur *ſuis non officit Colli Veſicæ, ut & Ductus Cyſtici reptatus ſerpentinus*? Quid magis poſſet adverſari? At hoc, inquit, *a nobis inter variora ſuperius repoſitum eſt*. Id videlicet, quod Figuræ Auctor Experientiſſimus Frid. Ruyſchius in ipſius Explicatione, *in plurimis Veſiculis Felleis humanis locum habere*, teſtatur, Utri magis credendum ſit, non eſt hic ambigendi locus. Satis eſt inſtituto huic noſtro, hanc Tabulæ LXIII. Figuram, ejuſque Explicationem tam *diſcrepare* ab Hiſtoria Hepatica, quam quod maxime.

78 Figuræ autem *XI. XII. XIII. & XIV. quæ quidem cum arterioſa ac lymphatica vaſa per hepatis tunicam reptantia, tum Portæ, & Cavæ per humanum, & vitulinum hepar ramificationes exporrigunt, noſtras denuo tabulas, confirmant*, inquit, *& amplectuntur*. Ad Tabulas *denuo* provocat ſuas, quas me tædet ſæpius dicere locum in mea illa diſputatione nullum habere potuiſſe. Quid? quod ab ipſis ejus Tabulis Figuræ hæ omnes, nedum ab *Hiſtoria Hepatica*, plurimum *diſcrepant*. XI. enim Figura primum lymphatica vaſa (ut numerum mittam quem tamen minime omittendum cenſet; urgetque Figurarum harum Auctor Ruyſchius (1)) longe alio ordine oſtendit atque cl. Provocator pinxit, & quendam faſciculum eorum imum, longe aliud iter affectantem, quam quod lymphæ ductibus hujus faciei hepatis in
21 deſcriptione aſſignavit. Deinde *arteriolas ex Arteria Hepatica oriundas, & per* hepatis *membranam reptantes* plurimas hæc Figura commonſtrat, quarum nullam in eadem membrana aut Provocatoris Tabulæ oſtendunt, aut *Hiſtoria* deſcribit, imo hæc (id quod a nobis (2) per hanc ipſam Figuram, noſtramque obſervationem re-
26 prehenſum eſt) illius Arteriæ *diramationes univerſas in vaſa ſolum hepatis*, & per *ſolas* horum *tunicas* deduci, inculcat. Reliquis autem Figuris tribus quid cum *Hiſtoria Hepatica*, aut etiam cum hujus Tabulis commune ſit, videre non poſſum. Nam cum illæ ſingulæ ſingula, & prorſus diviſa vaſa demonſtrent; *confirmare* certe non poſſunt decuſſationes illas quas *Hiſtoria* comminiſcitur, cumque omnes ſummo artificio confertiſſimos ramuſculos minimos commonſtrent, quod, quæſo, in *Hiſtoriæ* Tabulis ſanguiferum vas eſt, niſi forte ex Ruyſchio deſcriptum, quod pari cura, atque elegantia expreſſum ſit? Quis porro crederet, *Hiſtoriæ Hepaticæ* favere Figuram quoque XV. quæ *portionem hepatis hydropici, per morbum veſiculoſi facti, depingit*? Quidni? In diſputationem ejus loci, & temporis meam, quaſi aut ibi aliud quam naturales ſtructuras ſpectarem, aut quæ nuper addita ſunt, tunc redarguere potuiſſem, trahitur II. atque adeo, ſi ſuperis placet, III. inſuper noviſſima ejuſdem *Hiſtoriæ* Pars, & de *morbis hepatis ab obſtructione progenitis* mentio inducitur. At quanto congruentius erat perpendere, hepar *ab obſtructione* ſic *veſiculoſum factum*, magnum indicium præbere earum quas negabat *Hiſtoria*, Malpighii glandularum, quas reſtitans materia dilatando patefecerit? XVI. Figura illa Verheyenii eſt, quæ tametſi adeo a ſcalproribus depravata ſit, tamen ut *Hiſtoriæ* illi adhuc repugnet, ſatis ſuperque ad IX. Animadverſionem indicatum eſt. In Figura denique ex eodem Auctore XVII. illuc cl. Provotor relabitur, ut ad Tabulas provocet ſuas. *Si*, inquit, *vel primo intuitu, cum prima noſtræ hujus Tabulæ VIII. conferatur, quid aliud concors magis, & veritati unanimiter accedens, deprehendi poſſet*? Attamen ne *primo* quidem *intuitu* tanta iſta *concordia* deprehenditur. Ubi enim in Verheyenii Figura ſunt; ut alia omittam; aut ſinus iſte Ductus Hepatici, aut tot, taleſque iſtæ fibræ, & glandulæ quæ in Capſula a Provocatoris Figura oſten-

(1) Reſp. ad Epiſt. Probl. V. (2) Adv. III. pag. 39.

Digitized by Google

duntur? aut contra ubi in hac eſt tortuoſus ille Cyſtici Ductus inceſſus; qui etſi multo minus quam in aliis iſtius Verheyenii Figuræ Editionibus, in Theatro repræſentatur, non prorſus tamen omitti videtur? Quod ſi etiam Figura hæc cum illa Provocatoris Figura undequaque conveniret; num convenit pariter cum ea, quam ad ductus cyſtici, hepaticique confluxum *Hepatica* nobis deſcribebat *Hiſtoria*? Angulos certe illos quam manifeſtiſſime repræſentat, de quibus alibi dictum eſt, a parte jecoris acutum, obtuſum a parte inteſtinorum.

79 Quæ omnia cum ita ſint, ac nulla prorſus de tot LXIII. Tabulæ, Figura inveniatur, quæ cum *Hepatica Hiſtoria* conſentiat; tamenne clamabit Provocator cl. „ Ubinam ergo ſitæ ſunt „ Figuræ illæ hujus Tabulæ, quæ *diſ-*
1096 „ *crepant ab Hepaticæ Hiſtoriæ com-* „ *mentis?* „ aut quaſi nullæ ejuſmodi in hac Tabula omnino eſſent, in ea quæ proxime præcedit, fortaſſe quærendas eſſe, dictitabit? in qua *utinam pro fauſtis ejus rebus* nullæ eſſent quæ *diſcreparent*. At omnes in ea quoque *fat longe diſcrepant* duæ videlicet Reverhorſtii, totidemque Bidloi. Etſi vero duæ illæ *quam intolerandis erroribus ſcateant* (ſic loquitur qui *lapſuum* a me adhibitam vocem exprobat) *fat ſuperque demonſtraviſſe ſe*, ſcribit; in quo tamen diſcrepare, dixi, in eo, nonnulliſque aliis in rebus quam parum ſit *demonſtrationibus* iſtis fidendum, ex parte ſupra, atque adeo etiam paulo ante docui; ex parte alibi, ſi tu, Vir Optime, voles, docebo (1). De duabus autem reliquis affirmat quidem, *jam non eſſe ſuſpiciendum, quidpiam a ſua Hepatica Hiſtoria diſcrepare*. Sed ut harum Figurarum primam, de qua alibi (*) pariter mentio fiet, nunc, quod ipſe facit, omittamus, & in alterâ illa ipſa, quæ pro ſe ſtare contendit, quæramus; hæc illi adverſari *Hiſtoriæ* inveniemus. Nam influxus Cyſtici in Ductum Hepaticum talis pingitur, qualis jam a nobis ad XIV. Animadverſionem de hac Bidloi Figura loquentibus dictus eſt; *laudatæ* vero *illæ toties* a cl. Provocatore *Portæ venæ*, *& Cavæ decuſſationes* ſi præſertim in iis in quibus opus eſt, ramis quærantur, *minoribus* videlicet, ut inculcaverat, (2) *& minimis*, num *in quacunque hepatis parte ultimo aſſignabili* ab hoc ſchemate *perbelle*, ut dictitat, oſtendantur, omnium qui non ſunt oculis capti, judicium eſto. Neque enim neceſſe eſt, ut hanc, aut ullas ex meis reſponſionibus quis divinet, quæ ubique, vel me tacente, omnibus in mentem ipſæ veniunt, ut illud quoque, utri noſtrum *melius*, *atque laudabilius fuiſſet* (qua de re in extrema Epiſtola tamen ſcribemus) *promiſſum exequi*, & cætera illa quæ ad *ſcribendi genus* pertinent, obſervare, de quibus ipſe *hic*, & alibi *tam ſecure ad proborum Hominum judicium* provocat.

80 Quoniam vero Animadverſio XXI. non contra nos, ſed contra Ampliſſimum (quis crederet?) Lanciſium ſcripta eſt, de Provocatore cl., ſiquis alius, optime meritum; alio in loco eandem examinabimus (3). Interea autem nonnulla quæ nos reſpiciunt, eidem Animadverſioni præpoſita, expendemus. Hæc ad duo capita revocantur. Alterum eſt, Euſtachii Tabulæ XXVII. Figuram I. *intactam* ſe *deſumpſiſſe*, *ut* 1097
— *fidem omnem præberet perpetuæ per hepatis ſubſtantiam interſectionis*, *atque decuſſationis majorum*, *minorum*, *minimorumque ramorum Portæ & Cavæ a ſe in prima hujus Hiſtoriæ editione expoſitæ*, *ductiſque inde ratiociniis elucidatæ*, *a quibuſdam*, *fortaſſe* „ *in odium authoris*, *contradictæ*. „ Alterum caput eſt, ſe tamen ei decuſſationi non tantum, quantum ego ſcripſerim, tribuiſſe, imo eandem jam quaſi abrogaviſſe, *antequam quiſpiam in hanc ſuam hypotheſim inſurgere cogitaſſet*. Primum igitur de primo capite videamus. Et Euſtachii quidem Figuram, num ipſe *intactam*, ut profitetur, *deſumpſerit*, facile

(1) Vid. Epiſt. I. Art. 33. (*) Vid. Ibid. (2) Edit. I. pag. 28, 29.
(3) Vid. Epiſt. I. Art. 68. & ſeq.

Digitized by Google

cile omnes intelligent, qui præter auctam, de quo silet, totius Figuræ magnitudinem, videbunt, nec Venæ Cavæ truncum, nec quosdam aliorum vasorum ramos ita ab Eustachio pictos fuisse, ut exempli causa rami illius *g*, maxime attendendum, finem neque tam altum, neque unum in acumen contractum: trunculi autem *d* qui in Figura sinister est, ramum dexterum non cessantem paulo post, sed ulterius deductum, qua ex re quid sequatur, alias ostendemus (1): demum; ne plura adjiciantur; ramum illum oblongum, exilem, & singularem Venæ Portæ qui ad Cysticarum latus demittitur, nullo cum subjecti paralleli rami additamento, ut reliquos, ab Eustachio fuisse delineatum. Num vero hæc Figura Eustachii, *fidem omnem præbeat perpetuæ* illius *per hepatis substantiam*, Venarum *decussationis*; quod ad *majores* ramos attinet, ostendit pars Figuræ superior, ad quam nulli Venæ Portæ rami deducuntur: quod ad *minores*, pars ima dextra commonstrat, in qua minores iam facti Cavæ rami omnes minoribus Portæ ramis fere paralleli descendunt: quod denique ad *minimos*, eadem pars, extrema ipsa eorundem minorum ramorum omnino disjuncta demonstrat. Et quanquam palam est, Eustachium in vere minimis (de quibus videlicet lis nostra erat) harum Venarum furculis persequendis, commonstrandisque non eo accessisse, quo recentiora tempora pervenere; tamen si eam qua de agimus, decussationem in hac Figura ostendere voluisset, id saltem quod in ejusdem Tabulæ Figura XIII. forte spectamus, præstitisset, ut nulla fere pars esset, in qua magis decussatos minores, minimosque quos poterat, ramos non exhiberet. Non erat igitur cur Provocator illam I. Eustachii Figuram *accuratissimam* prædicaret, cum illud præsertim accedat; quod mirum est, ipsum non vidisse; ut si hæc *accuratissima* sit, sua Venæ Portæ in ramos divisionis, horumque distributionis delineatio ne accurata quidem credi possit, cum usque adeo ab *accuratissima* illa discrepet. Neque erat cur testaretur, se, cum scripsit, illam, utpote in tenebris adhuc latentem, videre non potuisse. Nam primum quod illa exhibet, vel magnis Fig a Piccolhomini (2) ostendit, quæ ab longo jam tempore in omnium manibus versatur, præsertim cum a Bauhino in Theatrum suum (3), & ante hunc, a Laurentio (4) pro *nova* (quod miror) & ab se *addita* in suam Historiam Anatomicam transcripta fuerit; Deinde Glissonius (5) diserte scripserat: *radices venæ cavæ, Portæ ramis fere decussatim incumbere: quoniam vena Portæ hepar circa cavi ipsius centrum ingreditur, radices autem cavæ necessario in medio superioris ac posticæ hepatis partis se se exonerant, ubi solum truncus venæ cavæ (in quem radices illæ deplendæ erant) nepati appropinquat*: quæ quidem Provocator, sed minus caute, ut alibi ostendimus, sua fecit; Novissime quæ ipse Provocator de minimis præsertim ramis omnibus huc addiderat, atque huic additamento *tanto* olim cum *strepitu* superstruxerat, hæc denique est ab *Adversariis* nostris coactus, ut falsa, & commentitia, in nova hac Editione abjicere. Quod quoniam non modo, ut solet, dissimulare, verum etiam negare in hoc loco aperte conatur; age, Vir Dossime caput hoc alterum examinemus.

81 Primum negat, *in prima suæ Historiæ editione — in insensili* illorum *vasorum ordine, quem a sensibili per rationem deduxerat, tam solemne, ut ego scripsito, biliosæ secretionis fundamentum fuisse a se jactum*. Quid ergo est quod Sapientissimus Vir Lancisus priusquam ego ejus *Historiam* examinarem, ad ipsum de hac scripsit: Duo illa a te proposita, in quibus *TOTAM explicandæ rei* (bilis secretionis) *rationem posuisti, mihi nullo pacto probari possunt*.

(1) Vid. Ibid. Art. 71.
(2) Anat. Prælect. l. 2. Lect. 17.
(3) L. 1. Tab. 35. Fig. 4.
(4) Præf. & Tab. 7. Fig. 1.
(5) Anat. Hep. c. 26.

Digitized by Google

ſun . *Primum* , *quod radices venæ Cavæ in QUACUMQUE hepatici parenchymatis portione cum ramis Portæ ſe ſe ad angulos rectos interſecent* , *&* cæt. Verum quid ego ad Lanciſianam Epiſtolam provoco , qui ad illam *primam* Hepaticæ *Hiſtoriæ Editionem* recta poſſim provocare ? Nonne ſtatim atque iſtam , de qua loquimur , decuſſationem propoſuit , hæc continuo ſubjecit (1) : *Hæc diſpoſitio in hepate , ramorum Cavæ cum porta MULTUM res noſtras elucidabit ; ut mox videbimus* ? Nonne *mox* , in illa inſiſtens *diſpoſitione* , concludit (2) , *ideo deventam* eſſe *jam mentem ad compoſitionem* illam hepaticæ *glandulæ* , quam neque Gliſſonius , neque Malpighius ipſe potuerant invenire ? Nonne hoc *applicari proportionaliter poſſe* , pronunciavit , *cæteris animalis glandulis conglomeratis* ? Nonne ſic *cognita glandulæ hepaticæ ſtructura* , *adſum jam* , inquit (3) , *modum expoſiturus* , *quo ibidem a ſanguineo latice liquidum exterminatur bilioſum* ? Nonne revera in eo modo explicando , ſtructuræ illi atque diſpoſitioni ſic inhæſit , ut ubi poſt multas ambages ad rem ipſam ventum eſt , ad *ultimum* videlicet *ſecretionis actum unico felicitcr intuitu conſpiciendum* , his verbis niteretur : *Cum etenim rectus ſit concurſus finis portæ eum ductus excretorii exordio; deflexus autem cum cavæ radice (ut etiam ſuperius demonſtravimus) evidens eſt* , particulam bilioſam *viæ rectitudinem multo facilius ſervare poſſe* , *quam mutata itineris directione in cavæ originem tranſverſe detorqueri* . Nonne huc tot illa , & tam prolixa ſpectabant , lacteorum vaſorum , nutritionis , cribri coquinarii ſimilia , ut dictitabat , exempla , & illud *oppoſitum* , ut ipſe quidem ajebat , Renum ſtructuræ ? Nonne his productis , cum ad *bilis conſiſtentiam* tranſiret , continuo ſubjecit : quæ *eſt altera jecorariæ ſecretionis cauſa* ? adeo ſibi perſuaſum habebat , primam ejuſdem eſſe cauſam , ſtructuram , diſpoſitionemque de qua hactenus tot verba fecerat ? Nonne poſtremo hæc omnia *inſervire proportionaliter poſſe* , dixit , *apud cordatos* , *ſolidæque rei anatomicæ cultores* , *ad ſecretiones alias animalis omnes explicandas* ? Tot igitur , *tantoque* , ut mox ipſe confeſſus eſt (4) , cum *ſtrepitu* ei vaſorum diſpoſitioni ſuperſtruxit ; & hic ſcribere non veretur; quaſi ego Lectoribus impoſuiſſem ; nequaquam in ea *tam ſolemne* , *ut Cenſor cl. ſcriptitat* , *bilioſæ ſecretionis fundamentum fuiſſe a ſe jactum* ! At niſi ego fundamentum hoc convulſiſſem , ipſum adhuc , eique ſuperſtructum magnificum in ſpeciem ædificium ſuſpiceret ac adamaret ſuum , ut poſt Graviſſimi Viri Lanciſii ſincera monita adhuc facere pergebat : id quod ex Reſponſo ad ejus Epiſtolam patet , in prima Editione appoſito , in hac ; quamvis a me redarguto ; contra promiſſa Præfationis ſublato . Quod quidem fundamentum , eique inædificata ipſe tandem aliquando ſic disjecit , atque ſubmovit , ut in Editione hac neque omnia quæ modo ex prima indicavimus , loca inveniri queant , & quæ inveniuntur , pleraque ſic mutata , interpolata , atque adeo emendata deprehendantur , ut quæ ego *commenta* jure appellaveram , ipſe quoque *nugas* jam vocet : *Sed* , *quid* , inquit , *in nugis hujuſmodi* 31 *inſiſtemus* , *diramationes* , *& concurſus adducentium* , *& abducentium vaſorum hepatis inaniter perquirentes* ? Quid præclarius ad candidi , ac docilis animi laudem ex errore agnito , atque emendato referendam? Verum hanc quoque laudem amittere maluit , quando una hæc edidit , quæ in præſentia examinamus . Primum namque negavit , ut vidimus , tantum huic ſe fundamento innixum eſſe , quantum oſtendimus , imo ait , pro *conjecturali dumtaxat re* habuiſſe ; quaſi vero in I. Editione (5) non ſcripſiſſet , *uniformem* , de quo loquimur , *ſtatum LEGITIMO JURE affirmare DEBEMUS in inſenſibilibus* , *ultimiſque venarum earundem Capillamentis* : ut paulo poſt : *hinc lege contra-*

(1) Part. 1. c. 8. (2) C. 9. (3) C. 10. (4) C. XI.
(5) C. 9.

Digitized by Google

mariarum innixi asserere COGIMUR *&* *cæt.* tum vero quæ paulo ante etiam produximus (1) : *cum etenim rectus sit concursus finis portæ cum ductus excretorii exordio ; deflexus autem cum cavæ radice (ut etiam superius* DEMONSTRAVIMUS *) evidens est & cat.* Quorum quidem trium locorum postremum nunc, quantum video, sustulit ; reliqua autem duo sic novam in Editionem retu-
29 lit, ut dicat in primo *conjectabamus*, in altero *nisi conjecturis in prima hujus*
30 *historiæ editione productis suffulti asserere velimus*. Sed qui utrumque præcedebat locum, multo evidentius huic novo colori repugnantem, ne mutare quidem una litterula ausus est : *Sequitur* (scripserat, & adhuc scribit nescio quanto cum cæteris mutationibus, & novo hoc colore consensu) *sequitur* NECESSARIO ; *quod Cavæ radices in quacunque hepatici parenchimatis portione, cum ramis portæ ea habitudine concurrere debeant, ut se se invicem transversim, seu ad rectos Angulos, aut saltem in decussim quamdam intersecent*. Verum enimvero vel vult, vel non vult istiusmodi commenta abjicere. Si non vult ; cur *nugas*, ut vidimus, appellat ? Sin autem vult ; cur supra, ut pariter vidimus, in extrema Animad-
1685 versione XIX. *cordatos* Lectores *deprecatur, ut videant, an bene egerim, quum ipso, modo illo, quem porrigit hæc Historia, Hepatis structuram describente, ego tamen tam facile posuerim :* „ *Hepatis commentitia structura confuta-* „ *tur*. „ Ego enim certe structuram illam, ut commentitiam confutavi, quam ipse quoque in *hac* Historia *nugas* appellat. Num forte ipsum cujus judicii non pudet, cum a se est : ejusdem pudet, cum a me est ? sic opinor.

Nam illud deinde hic addit, semetipsum longe aliter de ea structura sensisse, & judicium hoc suum *in nova primarum duarum partium hujus Historiæ impressione, quæ quidem ad perficiendam tertiam hanc, atque novissimam Editionem, antequam quispiam in hanc suam hypothesin insurgere cogitasset, ex Genevensibus prælis præstita est, jam scripsisse, publicique juris fecisse*. At quomodo *publici juris fecerat*, qui 1098 mox fatetur, *has ipsas primas Partes nunc solum cum Tertia, & reliquo Hepatico opere evulgari ? Has* quidem *ipsas*, inquit, *ab anno 1717. jam typis fuisse redditas, amplam fidem præstare poterunt optimi Viri Johannes Fantonus, & Jacobus Cicogninius, quibus ego tunc temporis earum copiam jam feceram*. Sed aliud est *publici juris fecisse*, aliud Amicis duobus ostendisse, tot præsertim gravissimis occupationibus distentis, ut haud facile fieri possit, ut post annos septem pro certo meminerint, an *has ipsas* tunc inspexerint, sic ut nullum folium, nullam paginam tam longo intervallo testari possint esse mutatam. Quid ? quod anno illo eodem 1717. nostra de quibus agitur, III. Adversaria edita sunt ? Verum quid ego in re apertissima argumentor ? Primum in manibus meis sunt utriusque eorum ipsorum litteræ A. 1718. scriptæ ex quibus constat, extremo jam mense Aprili ejusdem anni, anni, inquam, non 1717, sed 1718. Præclarissimum Fantonum, medio autem Junio Præstantissimum Cicogninum adhuc ignoravisse, an Genevæ ea nova Editio inchoata esset, hunc vero nihil de ipsa nisi Augusto demum mense vidisse. Quas litteras edendi facultatem ab Amicissimis Viris petiissem, nisi ipsius Provocatoris cl. testimonium, typis editum, in omnium manibus jam extaret, Epistola videlicet meis IV. *Adversariis* præfixa, in qua ipse ad Amplissimum Lancisium hæc scripsit : *Dum novam operum meorum Anatomico-Practicorum, qua nuper auxi, & illustravi, editionem Genevensibus typis APPARAREM, ad manus meas pervenere Adversaria II. & III. Cl. Morgagni*. Si ergo cum mea III. Adversaria vidit, novam hanc editionem adhuc *apparabat*, ideist (ut italice primum ad Lancisium scripserat in eo quod apud me servatur, autographo, dato A. 1718. mense Junio) *già già se ne allestiva la stampa ;* quonam

(1) C. 10.

Digitized by Google

nam hæc modo, *antequam quiſpiam in hanc ſuam hypotheſim inſurgere cogitaſſet, ex Genevenſibus prælis præſtita erat?* Permira hæc tibi videri ſcio, Vir Doctiſſime; ſed in calce tamen hujus Epiſtolæ quæ longe magis mira videantur, producemus.

82 Animadverſio XXII. ei quæ proxime præcedit, omnino reſpondet. Nam ut in ea *verum in* memorata *Figura Auctoris Bartholomæi Euſtachii ſenſum* adverſus Ampliſſimum Lanciſium ſe credidit demonſtraſſe; ita in hac verum in glandulosæ ſtructuræ hepatis deſcriptione Marcelli Malpighii ſenſum, non modo adverſus me, ſed adverſus omnes ſe credit revelare ſic, ut *liqui-*
1122 *do conſtet, neminem hactenus ante ſe ſuper hâc re illuſtrem iſtum Scriptorem, quantum quidem luculentiſſimam veritatem deceat, fuiſſe interpretatum.* O cor Euſtachii! medullam Malpighii! Sed nos primum feliciſſimi interpretis *textum* in *Hiſtoria Hepatica* videamus, ubi de Malpighio, ejuſque hepaticis Inventis ſermonem habens, rem in quatuor hæc
28 verba contraxit: *lobulis licet ſuis in medium adductis, totumque hepatis corpus complentibus, qui in acinos inde diſpertiantur exagonos, conflatos tandem ex ſubovalibus glandulis, quas intrent omnis generis capillamenta vaſorum.*

In hac interpretatione Malpighii ſententiam minime fuiſſe intellectam, cenſui, & adhuc cenſeo. Itaque in his quatuor verbis eſſe tres non ferendos errores, animadverti (1): Interpres negat. Ego ajo. Videamus de primo. Erat hic in acinis a glandulis hepaticis diſtinguendis, quas Malpighius nimirum eſſe ipſas acinos, voluit. Qua quidem re cunctis qui in Malpighii lectione vel mediocriter ſint verſati, nulla eſſe manifeſtior poteſt. Contra Interpres, illam veram eſſe contendit Malpighii ſen-
1120 tentiam exiſtimandam, ut *Hepatis ſubſtantia ex lobulis confletur, lobuli ex acinis, acini vero tandem ex glandulis.* Quid hoc eſt aliud, niſi vim illius; adeo Malpighii familiaris; ſimilitudinis non percipere, qua videlicet ſolebat glandulosos lobulos cum exiguis uvæ racemis, glandulas ipſas cum uvæ acinis comparare, unde & *acinorum* nomen traxit, quo folliculos ipſos, ſive glandulas ſignificaret? Ut enim in racemi diviſione ubi ad uvarum acinos ventum eſt, nulli præterea ſuperſunt globuli in quos acinos ipſos dividas; ſic in glanduloſi lobuli diviſione ubi ad ejus acinos veneris, ibi ſubſiſtas, neceſſe eſt. Itaque in hepate deſcribendo ſemper in acinis, ut ultimis particulis, Malpighius (2) ſubſtitit. Incepit (3) a Cochlearum jecinore. Diviſit in lobulos. Deinde hæc addidit: *nec ſat eſt naturæ hanc paraſſe diviſionem, ſed minimorum valde amica, ulteriorem, ſoloque microſcopio conſpicuam, molita eſt; nam ſinguli mox expoſiti lobuli, velut exigui uvæ racemi conglobatis ſubrotundis corporibus, acinorum inſtar conſtantur.* Nam ulterius in dividendo proceſſit? Nullo modo. Sic in lacertis *ſingulos lobulos* memoravit, *qui glanduloſis acinis conſtant*, & in his ſubſtitit. Sic in piſcium lobulis *glanduloſos acinos deprehendi*, ſcripſit, nihilque præterea addidit. Sic in Sciuro cum *elegantem & claram eſſe jecoris compoſitionem*, dixiſſet, quid tamen ultra lobulos, ut extremum, poſuit, niſi acinos? *& TANDEM*, inquit, *emergunt glanduloſi illi acini extra aſſurgentes.* Verum quid ego ulterius pergo oſtenſurus in tota illa hepatis deſcriptione ſemper Malpighium in acinis, ut in ultimis particulis, ſubſtitiſſe, quando ipſe in proxima *de Cerebri Cortice* Exercitatione (4) quidquid de Hepatis glanduloſa ſtructura modo docuerat, in ſummam ad hunc modum contraxit: *An cerebrum ſit inſtar hepatis jam expoſiti, quod totum quandoque in multiplices lobos diviſum, coagmentatur exiguis aliis minoribus, veluti glanduloſis portionibus, quæ & ipſæ ulterius in minimos acinos ſubdividuntur, in quos ULTIMO DESINUNT vaſa, dubitari poteſt.* Quid ergo Malpighio eſſe poſſunt hepatis glan-

(1) Adv. III. pag. 42. (2) Exerc. de Hepate. (3) c. 2.
(4) c. 1.

Digitized by Google

glandulæ, quando vasa *ultimo desinere* in acinos, dixit, nisi hi ipsi, quos ab uvarum similitudine sic vocavit, *acini?* Conferamus, quæso, duo Posthumi Operis loca. In altero quam in hepate structuram invenerit, & docuerit, narrat: *Hepar*, inquit, *innumeris fere glandulis, velut tot uvæ acinis, integrari, habui, quibus sanguinea vasa, venæ scilicet portæ, EXTREMI FINES, arteria pariter, & porus biliarius, tanquam proprium excretorium vas, appendantur.* In altero hæc scribit: *lobuli* hepatis *coagmentantur minimis glandulis, in quas DESINUNT EXTREMITATES pori biliari, & vasa sanguinea.* Cum igitur his in locis quid alias docuerit, exponat, hîc autem desinere vasa dicat in minimas glandulas; profecto acini in quos alias desinere vasa dixerat, nihil sint, nisi ipsæ minimæ glandulæ, necesse est.

83 Quæ cum ita sint; nemo erit plane qui non miretur illam Interpretis cl. interrogationem: *Ubinam, quæso, Malpighius aperuit, acinos hepaticos esse ipsasmet glandulas hepaticas?* A quo vicissim si quæramus, ubinam Malpighius *aperuerit*, acinos hepaticos eas glandulas non esse; ad hæc confugere videbimus quæ protinus examinabimus. Primum: peculiarem circumscriptionem, & figuram acinorum Malpighium proposuisse; igitur acinorum nomine hepaticas glandulas noluisse significare, *cum ultra omne dubium sit, non posse Malpighium, nec alium quemlibet Anatomicum sensibilem, manifestamque circumscriptionem, atque figuram proponere in hepaticis glandulis, quæ quidem sensui obvia non sunt.*

Ad hæc, atque alia quæ in eandem sententiam addit Interpres cl., mirum est, ipsum non vidisse duas paratas esse responsiones: alteram, si hæc vera sint, cur igitur ipse acinos contendat de Malpighii sententia ex *subovalibus glandulis* esse conflatos? alteram, cur neque a Malpighio, nec ab alio quolibet Anatomico præstari posse tam secure pronunciet, quod ipse, ipse, inquam, præstitit tum Figura Tabulæ VII. extra ordinem addita, tum ejus Explicatione. Pinxit enim *figuram, & capacitatem,* 1159
qua sunt hepatici *folliculi, seu sacculi, subtilissimâ tunicâ conditi*, fassusque se est tandem aliquando *multa ratione convictum, ex his sacculis ortum ducere canales felleos hepaticos; tum cum iisdem* (sacculis) *apices, seu fines Portæ, Cavæque venæ radices communicare.*

Qui igitur scripserat id quod in *Adversariis* (1) reprehensum, & hisce Animadversionibus indefensum, in hac quoque nova Editione retinuit: *hepatis pa-* 29
renchima glandulæ conglomeratæ nomine donatum nuper, non nisi ex vasorum Capillamentis glomeramen esse: & ostendere se, nil alio donari jecoris corpus, 26
præter vascularem texturam: qui infra etiam jactat, *ingerentium atque egerentium vasorum apicibus ubique glandulo-* 1130
sum folliculum interpositum se explodere satis, ut putat, valuisse, ille denique incipit se in hepate *convictum* fateri.

Et quanquam ad illud, ad quod solent, confugiat, *hosce folliculos glandulas* non *esse*, hæc tamen longe alia lis est, neque ita facile, ut ipse putat, nisi de glandulæ definitione inter omnes conveniat, dirimenda: hîc autem, ista controversia seposita, de glandulis certe loquimur, ut Malpighius intelligebat; eas vero Malpighius esse ipsos folliculos, non dubitabat. Quos si cl. Provocator veros vidit, si inter illa sua *præparata archetypa* veros *tenet*, neque in his (ut in aliis quibusdam interdum accidit, ob chartarum videlicet, chordarumque fidium similitudinem) ullum haud satis anatomicum artificium suspicionem cautis spectatoribus de se præbet; non video sane, cur id *non potuerit Malpighius, nec alius quilibet Anatomicus*, quod vel ipse tandem potest; multoque minus video, cur inter illas suas *invisas hactenus fabricas* hosce 1160
hepaticos folliculos reponere, eosque *suum inventum* diserte appellare non dubitet, quasi non essent illi ipsi, Malpighii Asseclis notissimi, loculi quos Malpighium acinos vocasse, nos dici-

(1) III. pag. 43.

Digitized by Google

mus; ipse vero, ex quibus Malpighius constare acinos, docuerit.

84 Cujus suæ interpretationis hoc alterum profert argumentum. Malpighius in Epistola *de structura Glandu-*
1121 *larum & cæt.* hæc scripsit: *in cancris loco acinorum, & folliculorum conglobatorum cæcales facculi occurrunt, quibus separatur, & coacervatur bilis;* Igitur Malpighius „ distinguit in brutis hepa- „ ticos *acinos* a *folliculis*, seu a glan- „ dulis.„ Sed mihi videtur munus Interpretis hoc fuisse, cum ex tot aliis, ut vidimus, locis res sic intelligi non posset, saltem paulisper considerare, an illud *&* esset pro *seu* a Malpighio usurpatum, sic ut non divideret, sed conjungeret *acinos* ac *folliculos*, præsertim cum ibi utrisque illis non duo distincta rerum genera, sed unum dumtaxat responderet *cæcales facculi*. Consuetudinem autem scribendi Malpighii in ea ipsa Epistola si attendisset, hæc certe invenisset, *arearum, & spatiorum. primus exortus, & origo. hiant, & aperiuntur. glanduloſis cribris, & porulis perpolitæ, læveſque. determinatis meatibus, & porulis. congeriem fistularum, & tubulorum*, aliaque ejusmodi in quibus omnibus locis quis pertinaciter negare posset, fuisse *&* pro *seu* collocatum? Quid vero, si Auctor ipse in eadem Epistola, atque adeo paulo ante locum ab Interprete productum, istum ipsum locum sic ut nos contendimus, accipiendum esse, præmonstravisset? At præmonstravit. Cum enim ad viscerum, & nominatim ad hepatis structuram istam confirmandam transiret, diserte scripsit: *Huc usque ex lustratis conglobatis glandulis videtur Natura una, simplicique incedere methodo, dum scilicet excretorio vasi appendit unum, modo plures FOLLICULOS, SEU ACINOS membranoſos, quibus mediantibus a vasis peculiarem separat humorem, eumque recollectum foras eructat. EODEM parite artificio in compangendis visceribus Naturam usam, alias indicavimus, monentes, JECUR, cerebrum, & renes glandulas esse & cæt.* Quid clarius posset desiderari cum ad paulo post subjectum locum intelligendum, tum vero ad demonstrandum, Malpighium *folliculos*, seu *glandulas* idem atque *acinos* esse voluisse?

85 Hinc quoque infirmitas cognosci potest ultimi quo Interpres nititur, argumenti. Oblitus enim eorum omnium quæ paulo ante in primo argumento usque adeo inculcaverat, Malpighium videlicet neque potuisse, neque voluisse hepaticis glandulis figuram ullam assignare, hîc repente affirmat, contenditque, aliam his glandulis, aliam acinis figuram assignavisse, ideoque aliud glandulas, aliud acinos esse, voluisse. Igitur glandulas ait *globoſas esse, aut a globoſis non valde dispares*, tradidisse, idque ex producto de cancris loco patere: *acinorum, & folliculorum conglobatorum*. Verum cum hæc sic esse accipienda ostenderimus ut si scriptum esset *acinorum, seu folliculorum conglobatorum;* liquet, quidquid ibi de folliculis dixerit, de acinis pariter esse intelligendum. Addit locum alterum petitum ab ipsa Exercitatione *de Hepate*, in quo ait, Auctorem „ de hu- „ mano jecore verba facientem hæc „ scribere: *Totum jecur constat multi-* „ *plicibus lobulis, qui coagmentantur* „ *glanduloſis globulis*.„ Hunc ego locum ibi invenio, ubi Malpighius (1) de imperfecto adhuc hepate secundum Harveii (2) non in *humano* fœtu, sed in avium ovis observationes verba faciens, de pluribus ab Harveio indicatis similitudinibus illam seligit, quæ sibi, ut supra diximus, acceptior erat, *uvarum*, & *racemi*, eamque sic explicat. *Sicuti enim singulis racemi fibris, & vaſorum finibus conglobata quædam moles appenditur, quæ ab excurrentibus per racemum vasis, sibique continuis humorem recipit, cribrat, & per alia diverſa, novaque vaſa contento semini, seu plantulæ communicat, ita omnibus venæ portæ EXTREMIS ramulis glanduloſos ACINOS addidisse naturam, probabile eſt, ut appulſo humori subservirent; & sicut totus uvæ racemus exiguis quaſi botris, vaſorum communione, & nexu*

(1) C. 3. (2) De Generat. Exerc. 19.

Digitized by Google

& nexu conflatur, qui & ipsi appensis acinis, conglobantur, ita totum jecur constat multiplicibus lobulis, qui coagmentantur glanduloſis globulis. Quis ex hoc toto, ut par eſt, perlecto loco non intelligeret, cum in acinis, qui *extremis* venæ portæ ramulis addantur, Malpighii diviſionem ſubſiſtere, tum vero ex vi ipſa ſimilitudinis, magno uvæ racemo totum hepar, exiguis racemi *botris* lobulos, uvarum denique acinis glanduloſos acinos, ſeu glanduloſos globulos reſpondere; quid enim acini ſunt, niſi extremi globuli, & quid extremi globuli, niſi acini? Igitur hic quoque quidquid de hepaticis glandulis Auctor dicit, de acinis etiam dicit. Quid igitur nobis Interpres comminiſcitur, aliud in hepate eſſe acinos, aliud globulos? præſertim cum Auctor, quem amplius atque attentius antequam ipſum interpretaretur, legere oportuiſſet, in Exercitatione *de Renibus* (1) diſerte ſcripſerit: *in HEPATE, cerebro, aliiſque glandulis hoc eſſe perpetuum, ut ſinguli quique glandularum ACINI, SEU GLOBULI proprium ramum excretorium, præter arterias, & venas, promant.* Negaverat, Malpighio *folliculos*, & *acinos* idem eſſe. Malpighius autem ipſe ſcripſerat; *folliculos, ſeu acinos.* Negat, Malpighio *acinos*, & *globulos* idem eſſe. Malpighius autem ſcripſit *acinos, ſeu globulos.* Atenim, inquit „ cum ſcribat
1122 „ Malpighius, *hepaticas glandulas eſſe* „ *globoſas*, ſcribatque ſimul *hepaticos* „ *acinos eſſe exagonos*, jam plane he„ paticos *acinos* ab hepaticis *glandulis* ipſe diſtinguit. „ Videamus quæſo, num ita ſcribat, & num *ſimul.*

Verba quibus Interpres nititur, *glanduloſos globulos*, ea qua diximus occaſione, ſcribit cap. 3. Capite autem 2. jam ſcripſerat, glanduloſorum acinorum *figuram*, non ſemper, non abſolute *exagonam*; quid ergo? dumtaxat *ut plurimum exagonam, vel plurium laterum eſſe*; quo videlicet intelligeremus, de tot quæ ſe inſpexiſſe, commemoraverat, tam variis animantibus, in pleriſque ſane, & præſertim *piſcibus* fortaſſe, & *imperfectioribus* quæ continuo nominat, glanduloſos acinos eſſe exagonos; in aliis autem non eſſe. Sic antequam id ſcriberet; *lobulos* pariter, *conicam ut plurimum ſervare figuram*, tradiderat; & tamen ipſe mox ſubjecit, *non eandem omnino in omnium animalium jecoribus ſimilem eſſe lobulorum figuram, ſed ut plurimum variari.* Sic videri in quibuſdam piſcibus *trifolium referre.* Sic *in aliis animalibus lobulorum figuram piſum æmulari, & in fele ſue, aliquando plura latera obſervari, in homine idem adamuſſim reperiri.*

Quod exemplum cum eſſet ita propinquum, atque adeo continens cum iis verbis quibus pariter *ut plurimum* acinorum figuram tradidit eſſe *exagonam*; perfacile profecto erat animadvertere, quo hæc poſſent modo ſic accipi, ut tot aliis, a nobis prolatis, Auctoris ejuſdem locis minime adverſarentur, potius, quam ea ratione intelligere, cui non tantum illa eadem loca repugnarent, ſed iſtud ipſum *ut plurimum*, inter hæc verba interjectum, non undequaque conſentiret. Quæ cum ita eſſe, omnes intelligant, ſemperque, ut puto, intellexerint; *liquido* ſane *conſtat, neminem hactenus ante* cl. Provocatorem *ſuper hac re illuſtrem iſtum ſcriptorem* ſic *fuiſſe interpretatum*; an vero etiam, ut addit, *quantum luculentiſſimam veritatem deceat*, non modo id non conſtat; ſed oppoſitum; niſi ego plurimum fallor; *liquido conſtat.*

86 Primo Interpretis errore oſtenſo, qui in eo erat, Malpighium *acinos a glandulis hepaticis diſtinxiſſe*; plura verba facere non eſt opus, ut alter oſtendatur error, qui in eo eſt: Malpighium *acinos ex ſubovalibus glandulis conflari, dixiſſe.* Nam ſi a me modo probatum eſt, Malpighium *acinos*, & *glandulas hepaticas* idem eſſe voluiſſe; conſequitur, pariter eſſe probatum, *acinos* qui eædem glandulæ ſint, ex his ipſis conflari, noluiſſe; nihil enim ex ſe ipſo conflatur. Sed Pro-

(1) C. 3.

Digitized by Google

vocator cl. qui sibi esset conscius, se illam vocem *subovalibus* ex Malpighio non descripsisse, in ea a me notatum
112 errorem fuisse, opinatus est. *Hic cæterum*, inquit, *alter ille est* „ *intolerandus* „ *error*, *in Historia nostra ab illo Censore effictus*, *in quem sane ruere quemlibet scriptorem posse putarem*, *si aliam*, *præterquam ovalem*, *hepaticis glandulis ex Malpighiana doctrina accomodare figuram contenderet*. Ego vero qui neminem unquam timui, ne *in* me *rueret*, præter ipsum, atque adeo ne ipsum quidem, verum in re notavi errorem, non *effictum* in vocula: quam non melius tamen quam rem tuetur, etsi *evidenter* hanc, a se *effictam*, objectionem *uno quidem ictu eversurum* se, spondeat. Profert enim ex supra laudata Malpighii Epistola (1) quendam locum, in quo sane scriptum est, *naturam folliculos rotundos*, *interdum ovales*, *non raro oblongos cæci instar efformare*. Sed hinc non ita *luculenter*, ut ipse putat, *confirmatur a Malpighio*, hepatis glandulas esse *rotundas*, & interdum *ovales*; nedum *subovales*, quod erat unice probandum. Illa enim verba inter ea interjecta sunt quæ de pancreate & facere inceperat, & facere continuo pergit; ut *luculenter* ad hepar non pertineant, & siquo modo magis pertineant, id eatenus sit (ut prædicta, & sequentia ibidem ostendunt) quatenus huius quoque folliculi glanduloſi in quibusdam animantibus instar oblongorum cæcorum inveniantur, quæ neque *subovalia*, neque ita in homine, aut in plerisque esse animantibus, quisquam dixerit. *Unus* ille igitur primus *ictus* aut incassum, aut certe non *evidenter* cecidit. Multo minus alter quem cl. Provocator ingeminat. Cum enim inter initia ejusdem Epistolæ, bene ac sapienter, ut methodi ratio postulabat, *omnium simplicissimam* glandulam proponat Malpighius, eamque *ovali*, *interdum rotundâ*, *quandoque lenticulari*, *vel oblongâ constare formâ*, doceat; hinc Interpres cl. *non melius huiusmodi scriptoris consilium interpretari me posse*, *mihi*, inquit, *visus sum*, *quam subovalem figuram*, *seu ovali*, *& rotundæ mediam in hepaticis glandulis ex his ejus locis recognoscendo*. At quibus ex locis? Ex superiore scilicet, atque ex hoc ultimo, in quibus modo rotunda, modo ovalis, modo oblonga folliculorum figura esse dicitur, nunquam *subovalis*, non modo absolute, aut semper *subovalis*. Quid? quod superior locus, ut ostendimus, non certe, ac luculenter ad jecur speciatim pertinet; hic vero alter certe, & manifesto ad jecur speciatim non pertinet. Neque enim *Malpighius per hunc textum de conglomeratis*, ut Interpres ait, *glandulis sermonem instituit*, sed de *disgregatis*, sive solitariis, unoque loculo constantibus, quarum videlicet plures in intestinis videmus. Sed unicus Malpighii Interpres, cum ejus Auctor ibidem loqui se, dicat de glandulis œsophagi, intestinorum, *& consimilium partium*; acute hinc infert „ in his certe *consimilibus partibus* pancreatis, atque „ hepatis viscera cum intestinis commercium ducentia ab auctore comprehendi verisimillimum esse; „ quasi vero Malpighius ibi vellet, atque adeo posset in proponenda *simplicissimæ glandulæ idea*, non quo in loco hæc esset, sed quæ viscera cum eo loco haberent commercium, spectare, & has quoque glandulas, quamvis maxime compositas, in illud suum exemplum adducere. Ille vero, ut par erat, & omnibus qui eam Epistolam vix legere inceperint, planum est, ab iis glandulis initium duxit, quæ uno, ut dixi, & manifestiore constarent folliculo, processurus deinde ad eas quæ pluribus constarent, hinc ad eas quæ multo pluribus, & obscurioribus, ut sic deinceps per multos gradus ad eas perveniret quæ tum ex plurimis, tum ex minus in nostro corpore manifestis folliculis compingerentur, quo in genere illa demum nominatim *viscera pancreatis*, *atque hepatis* collocavit; tantum abest, ut de peculiaribus horum folliculis *inter initia* verba fecerit, vel quod

(1) De struct. Gland.

Digitized by Google

quod pariter Interpres secure affirmat, *nullo alio loco de hepaticarum glandularum figurâ apertius se explicaverit.*

87 Tertius restat in Interprete notatus error, quem idem credit *ex se ipso citra ullam animadversionem corruere.* A Malpighio traditum esse, docuerat, hepaticas suas *subovales glandulas intrare omnis generis capillamenta vasorum.* Gravem ego errorem animadverti, negavique, a Malpighio unquam fuisse traditum, *omnis generis capillamenta vasorum, hoc est etiam lymphaticorum* ad eas glandulas *pervenire.* Num forte Interpres cl. aliquem Auctoris sui locum profert in quo lymphæ etiam ductus eo pervenire, docuerit? Tantum abest, ut id conetur; plus etiam mihi videtur concedere quam objeceram. Scribit enim, Malpighium *in memorata exercitatione de hepat. de vasorum distributione per hepatis lobulos mentionem inducentem, —— intelligendum certe esse de solis Cavæ, Portæ, & pori biliarii ramis.* Sed cum Malpighii Interpres, nostro, opinor, aliquanto melior, ipse Malpighius id non concedat; tanta alterius liberalitate uti fas, non arbitror. Ille enim in Posthumo Opere, ubi quæ sibi fuerit in laudata Exercitatione sententia, exponit, hæc verba quæ supra etiam descripsimus, sed hic iterare necesse est, diserte conscribit: Hepar *innumeris fere glandulis, velut tot uvæ acinis, integrari, habui, quibus sanguinea vasa, venæ scilicet portæ, & cavæ extremi fines, ARTERIA pariter, & porus biliarius — appendantur & cæt.* Cum igitur ex his verbis liqueat, num Auctor *intelligendus CERTE sit de SOLIS Cavæ, Portæ, & pori biliarii ramis;* de arteria quidem, neque tunc quidquam objeci, neque nunc est, ut objiciam. Satis superque esse, putabo, si mihi de lymphæ ductibus satis fiat, si hos quoque mihi ostendatur Malpighium ad hepaticas illas *subovales* glandulas pertingere docuisse. Sed tu attende, quæso, Vir Doctissime, non quomodo id ostendatur; sed novum prorsus, atque inopinatum defensionis genus: *Cum ego*, inquit cl. Provocator, *præ aliis omnibus ille idem sim, qui acriter ostendo, neque arterias, neque lymphatica vasa intimos hepaticorum vasorum concursus, seu glanduloſos, ut ajunt alii, folliculos penetrare, idque vix paucis lineis ante memoratum locum inculcem, quis jam a nostro Censore tam belle suaderi posset, ut crederet, me, cum scribo „ subova- „ les hepatis glandulas intrare omnis „ generis capillamenta vasorum „ intelligere etiam arterias, etiam lymphatica intrare?* Verum enim vero si quæ indicavit de arteria (de qua non agimus) 26
non tertia ab hac pagina, quæ autem de lymphæductibus non octava ab hac
pagina, sed *vix paucis*, ut dictitat, 21
lineis ante memoratum locum, inculcasset; si præterea in illo ipso, de quo agimus, loco, non Malpighii sententiam, sed suam exposuisset; nulla tamen ista defensio esset, in eo præsertim, quem usque adeo inconstantem, & oblivioſum ostendissemus. Quanto igitur minus firma, minusque adeo ad rem erit, cum longe aliter se habeant omnia, & quod caput est, cum eo in loco non de se amplius, suisque placitis, sed de Malpighio, & hujus observationibus verba facere, hasque, secundum ipsius Malpighii sententiam Lectori exponere instituerit? Quod ut longe manifestissimum est, ita certissimum quoque est, non hic a nobis actum, quæsitumque fuisse, quid ipse *intelligeret* in propria, sed quid *intelligere* deberet in aliena sententia referenda.

Quod si id etiam ponamus, quod ipse postulat, & quod nullo modo ponendum est, ipsum in Malpighii sensibus exponendis ad suos proprios respicere debuisse, atque ideo cum dixit *omnis generis capillamenta vasorum*, non *etiam arterias;* non *etiam lymphatica intellexisse;* contrarius quidem, sed non facilius ferendus, ex ejus interpretatione existat error, necesse est, Malpighium videlicet non lymphæ dumtaxat vascula, sed *etiam arterias* ad hepaticas glandulas pertingere, negavisse.

Quod quantum vero adversetur, non modo ex productis *Posthumi Operis* verbis,

Digitized by Google

bis, verum etiam ex iis cognoſcitur, quæ in Exercitatione *de Liene* (1) idem Auctor edidit eodem tempore quo Exercitationem *de Hepate* evulgavit: Materiæ, inquit, bilis *major copia, quæ fluidior eſt, erumpit a glandulis hepatis, in ipſas delata a venæ portæ ramulis, & non improbabiliter etiam ab extremis ARTERIARUM finibus, quæ a ductu hepatico excidentes, tandem in HEPATIS GLANDULAS TERMINANTUR.* Tribus igitur Interpretis erroribus demonſtratis, tanto minus in eo ferendis, quanto magis *de Malpighio, quem ne intelligere quidem valuit, libera*, ut alias diximus, idem *nobis judicia tulit*; æquum ſane eſt, ut huc illa ipſa verba adſcribamus, quibus iſtam ſuam animadverſionem concludere non dubitavit: *Quis noſtrum igitur Authores INTELLIGERE melius didicerit; An ego Malpighium, an Cenſor noſter Hiſtoriam noſtram, Lectores ipſi viderint.*

88 Etſi vero in proxima etiam Animadverſione XXIII. ſatis libere de Celeberrimis aliis Auctoribus videtur loqui; ego tamen non neceſſe habeo, quæ minus ad me pertinent, examinare. *Helmontii*, inquit, *aliorumque ſi-*
1125 *milium edentulæ nimium ſunt — objectiones, imo ex ſe ipſis regeruntur. — a Bohnio* vero, *atque Bellino prolatas — non difficilius comprimimus. — Quæ adverſus urinarum a bile tincturam pro-*
1126 *ponit Bellinus* de urinis *Part. I. minimi pariter momenti ſunt.* Hæc omnia alii viderint. Nos illud dumtaxat perpendamus, quid ad eam quam ex aliis omnibus in iſtiuſmodi controverſia argumentis ſelegimus, objecimuſque, *Bellinianam urinæ evaporationem* reſpondeat.
1127 *Non eſt neceſſe*, inquit, *ut ad probandam in lotio bilis tingentis præſentiam ſuperſtes ab evaporata urina ſedimentum cum flavum, tum amarum deprehendatur, veluti ejuſdem authoris* (Bellini) *eſt animus. Quippe plurimæ amaræ res ab igne valide tentatæ, torrefactæque, ut hoc pacto naturalem amittant conformationem, amaritiem ſuam deponunt; multæque vel quolibet ſaturato colore pollentes, hac conditione eodem facile exuuntur. — Re enim vera in evaporatione volatiliora, acutioraque ſalia, & ſulphura, quibus quidem ratio ſaporum, atque colorum eſt, abſumuntur, atteruntur, aut invertuntur, ut ſapidus aut coloratus eorum effectus non difficile pereat.* — Quod igitur *ſedimentum evaporationis urinæ nigrum appareat, — probare hoc ſolum, reſidua ab evaporatione ſolidiuſcula urinæ contenta corpora ab igne fuiſſe torrefacta; in nigrum idcirco neceſſarie colorem vergere.* Verum iſta omnia quam fruſtra dicantur, hæc oſtendunt. Primum num *urinæ ſolidiuſcula corpora* in propoſita a Bellino evaporatione ab igne tam *valide tententur, & torrefiant*, inde poterat intelligi, quod ſedimentum non ad ſiccitatem uſque deducitur, ſed ad *viſciditatem* dumtaxat. Deinde id ſedimentum *ſi totum ſimul aſpiciatur, nigrum* quidem *judicatur*, non tamen revera eſt, ut eſſet, *ſi ab igne fuiſſet torrefactum*. Denique; ut iſta, atque alia plura mittamus; ſi eo colore ſedimentum apparet, *falſiſſimi* autem *invenitur ſaporis, nulla unquam*, hoc eſt ne tum quidem cum torrefactum nondum dici poteſt, *contracta amaritudine*, ſi tale, inquam, eſt propterea quia *ſolidiuſcula urinæ corpora ab igne ſunt torrefacta, ut hoc pacto naturalem amiſerint conformationem*, ſive *abſumpta, attrita, aut inverſa* ſint; ſi ad hunc modum, inquam, res ſe ſe habet; quî fieri igitur poteſt, ut affuſa eidem ſedimento nulla alia re, niſi *aqua communi ad eam quantitatem, quam evaporaſſe diſcimus per ponderationem*, continuo redeat prior illa *citrea flavedo*, & priſtinus ille *ſapor naturalis urinæ? Num torrefactionis* effectus tam facile tolli? Num corpuſculorum *naturalis amiſſa conformatio* tam facile reſtitui? Num *abſumpta, attrita, aut inverſa ſulphura, & ſales* tam facile reparari, augeri, refici poſſunt? Non mihi videtur legiſſe Bellinum, qui has ejus obſervationes in propoſita controverſia *minimi*

mo-

(1) C. 6.

Digitized by Google

momenti esse, *neque difficile comprimi* posse, scripsit. Hoc mihi satis attigisse; cætera quæ adversus Bellinum, & Bohnium congerit, alii viderint.

Nam neque ad me pertinent, & quamvis pertinerent, nonnulla ejusmodi sunt, ut malim certe aliis credere, quam ipse experiri. Bilem exempli gratia in urinis ictericorum, cl. Provocator affirmat, *sensibilem interdum amaritiem,*
1128 *quæ quidem ipsius salsedinis superat sensum, degustanti cuilibet porrigere, ut plurimi, se præsente, sæpius in praxi experti sunt.* Factum male quod ex istis *plurimis* ne unum quidem alias invenerit. Neque enim in alio hujus *Historiæ* loco scripsisset: *ictterici urinam,*
181 *— totam sinceræ bilis personam referentem, forsan eadem quoque sapiditate præditam inveniissemus, si fœdis hisce observationibus daretur immiscere.*

Nunc vero non modo *plurimos* invenit, qui *sæpius in praxi fœdis hisce observationibus immiscerentur;* sed se ipsum *immiscuisse* videri potest. Nam contra eam, quam passim & communiter credimus, quam a Bellino, ac Bohnio videmus sine ulla dubitatione positam observationem, nescio quam sibi videtur in urina amaritudinem inveniisse. *Nos*, inquit, *plane affirmamus, in quacumque urina naturali — sub salsedine notabilem etiam amarorem gustu percipi, — ut cuilibet attendenti liquere facile poterit.* Verum istum *notabilem amarorem*, qui velit, *gustu percipiat*. & num a peculiari urinæ salsedine distinguendus, & ad illam ipsam qua de agitur, bilis amaritudinem sit referendus, *attendat;* ego ad alia, quæ visu, non *gustu percipi* possunt, & quæ ad me pertinent, transibo, ut ex his quæ mihi experiri etiam licet, intelligam quid de illis, quæ experiri nolo, sit judicandum.

89 *Croceum naturaliter urinæ colorem* esse, ipse litteris mandaverat (1) in eo loco, qui, ut de iis solet quæ clam delevit, ubi nunc sit quærendus, non dicit; ego certe in nova hac Editione nondum potui invenire. Sapienter fecit, si nostro monito usus est, illumque delevit; urinæ enim color, ut in *Adversariis* (2) admonuimus, *naturaliter croceus non est, sed dilute flavus.* Num vero pariter sapienter faciat, quod hic nihilominus, *colorem etiam dilute flavum* contendat *croceum prædicari* posse, *imo debere*, attendamus. *Si croci*, inquit, *granum unum in aquæ communis cyatho dissolvimus, hæc statim eundem, qui naturalis sanorum urinæ est, colorem induit, sive dilute flavum.*

Quid tum postea? ut enim laudo quod confiteatur, *naturalem sanorum urinæ colorem esse dilute flavum;* sic non video, quomodo quem *dilute flavum* fatetur, eundem *croceum prædicari debere*, possit nobis demonstrare. *Croceum*, inquit, *esse* dico *seu illius instar, qui a pauca quadam croci aquæ sociata quantitate dilutus, ac veluti citrinus progignitur;* quasi vero istiusmodi colorum nomina non a rebus, quas referrent, sed a rebus ex quibus existerent, imposita essent. Quod ipsum si concederem; nullo autem modo est concedendum; sequeretur sane, naturalem urinæ colorem *aqueum* potius, quam *croceum* esse vocandum, propterea quia ex multo majore aquæ copia, quam croci, ejus similitudo conficitur.

Sequeretur pariter, ut si crocus (id quod multæ res faciunt) colorem dare posset, quem ipse evidenter non haberet, cœruleum puta; color hic non cœruleus esset appellandus, sed croceus, quippe qui a croco fuisset inductus.

Denique, ne a proposito recedamus exemplo, sequeretur, ut si croci granum unum dissolveretur non in aquæ communis cyatho, sed in tanta copia, quanta ex uno croci grano aliquod vel dilutissimæ flavedinis servare vestigium posset, hic tamen color *croceus prædicari deberet*. Quid igitur est, cur Medici, de quibus potissimum sermo erat noster, id cum *deberent*, minime faciant, idemque cl. Provocator hunc ipsis *Canonem* inter illos suos non præscripserit? Tunc fortasse facere inciperent. Hactenus vero quid fecerint, ex eo palam est, quod cum ipse confitea-

tur,

(1) Edit. I. pag. 41. (2) Adv. III. pag. 48.

Digitized by Google

tur, *a Practicis croceum urinæ colorem solere plerumque vocari, quum — adeo tinguuntur urinosi latices, ut saturatam imitentur aquæ ex majori immixti croci mensura tincturam;* nullum tamen exemplum profert; cum istud *plerumque* plura non deesse significet; ex quo constet; eruditos, & recte loquentes Medicos naturalem urinæ colorem *croceum* quoque nuncupasse. Cum igitur neque hoc, neque *Belliniana* evaporationis *infirmitatem* probaverit; *videbit certe* in posterum, *quem in se usum habere po-*
1129 *tuerit* nostra *illa objectio*. Et *profecto* etiam *intelliget quid sibi velit* altera *memoranda objectio* quam *eodem loco idem ingeniosissimus* (sic enim *humanissime* loquitur) *objurgator oggerit;* cum videlicet si illa non satis sunt quæ ex illis ambobus locis descripta, & inter se collata legit, reliqua perleget, numque de illa re quam primo in loco pronunciat, in altero, quamvis *suo*, ut dixerat, *loco* quidpiam attigerit, incassum quæret, imo hasce inveniet non *subtilioris* bilis quæ *hepar declinaverit*, sed tantum *legitimæ bilis Hepaticæ tincturas esse, voluisse*.

90 Usque adeo XXIV. Animadversionis lectionem averser, & horreo, ut veniam petam a te, Vir Doctissime, ad XXV.., quæ ultima est, transeundi, qua perpensa ad istam, inviti quantumvis, ægreque, ut decet, ferentes, extremo loco redibimus. Quæ igitur, tot alios *Hepaticæ Historiæ* errores adnotando defatigatus, post ipsos, professus sum (1) me *indicando potius, quam notando*, scripturum, num *ejusmodi sint*, quæ Provocator noster cl.
1134 dictitat, *ut vel ipse Lector legendo repellat*, & *deleat*, videamus, an vero potius ejusmodi, ut quemadmodum, in cunctis superioribus Animadversionibus, ita in hac quoque, etiam me tacente, ipse per se Lector *repelli*, ac *deleri*, non sinat. Et primum cum meum istud quam brevissime ibidem scribendi institutum Provocator ipse commemoret, cur non ad hoc potius, siquid forte sibi videretur obscurum, retulit, quam illuc, ut *per mutilata exscripta verba, efficiumque hoc pacto centonem imponere fortasse studuerim?* præsertim cum *exscripta* a me ista *verba* ita apud ipsum proxima sint, ut a me relatum est. Atenim *solum comparate ad biliares ductus* in medium attulisse se dicit, *brevem* venæ Cavæ *a motus impulsu distantiam*. Num illud ipse negavi, aut nego? cui quidem satis sit hæc illos perpendere qui cum Malpighio censent, cœliacæ arteriæ, *primi*, 123
ut cl. Provocator scripsit, *aortæ emissarii* hepaticum ramum cum glandulis quæ bilis ductuum initia sunt, communicare: hepaticum quoque bilis ductum cum eodem certe *PERGRANDI sa-* 26
tis., *& notabili* arteriæ ramo concludi intra capsulam illam, *quæ secundum accuratiorum indagines verus est muscu-* 1054
lus, sive quæ *fasciculis muscularibus ROBUSTE instructa* est, *imo legitimus est musculus ad omnes portæ*, *& duc-* 27
tûs fellei diramationes, itinera, & concursus elongatus, & advolutus; ut non tantum momentis sistalticis suis, sed & contractilibus muscularibus suppleret defectui pulsationis in porta; trusiones ideo promovendo in concursibus, & canali excretorio, respectu ad liquida contenta, secreta, & per diversas hinc vias promovenda. Quæ omnia, atque alia ejusmodi, alibi, ut vidimus, a Provocatore proposita, vel etiam inculcata, *probi Lectores* opponent pri- 1135
mum *nulli* isti *competenter amplæ*, *& pulsantis arteriæ attiguitati*, deinde & *nulli* isti *tunicarum cingentium oscillationi*, *aut muscularium adjacentium, præter debilis capsulæ, præsuræ. Debilis*, inquam, *capsulæ*. *Cum* aliis enim minoris momenti ista vox *debilis*, ut pote superioribus Animadversionibus nimis aperte repugnans, sublata hîc est ex eo textu, qui cæteroqui sic profertur: *En textum, qui, neque litterula a prima Editione immutatâ, nunc habetur in §. III. & cæt.* Et ego ille sum qui *per mutilata exscripta verba imponere fortasse studeo!* Huc illud accedit, quod si contendere voluissem,

(1) Ibid. pag. 61.

Digitized by Google

ſem, non *comparate* ibi, ſed *abſolute* ab eo ſcriptam eſſe *brevem* venæ Cavæ *a motus impulſu diſtantiam*; jure fortaſſe potuiſſem. Nam *comparate* quidem tunc loquitur, cum ait: *bilis ductus longe minus turgere ſuccis ſuis, quam Cavam contento ſanguine.* At vero cum ſeorſum *momenta* enumerat hinc in Cava, inde in iis ductibus *ad fluxum urgentia*, & quaſi de Coronariis arteriis, non de Cava loqueretur, in hac ſtatuit *brevem a motus impulſu diſtantiam*; non omnes certe ita facile concedent minus *abſolute* hoc dici, quam id quod continuo præcedit, & *abſolute* verum eſt, *vaſis amplitudinem.*

Secundo loco cum hepati *proximi diaphragmatis alternum motum* non *nihil valere*, non *nihil poſſe* ad ipſam quoque hepatis *concavam* partem, indicavi (1) hoc nimirum volui, deprimi alternis a diaphragmate hepar non poſſe, quin hujus corpus univerſum, ipſique ideo biliarii ductus, & quod his ineſt, concutiatur, imo quin concava ipſa jecinoris facies contiguis partibus quadantenus apprimatur. Nihil igitur eorum volui, quæ egregius Interpres obtrudit, *me intellexiſſe*, ut *veritati*, ſi Diis placet, aut *mihi jam ipſi videar adverſari*. Tertio. Si *modus quo Boylæus, & Papinius* „ grandiora „ cujuslibet Animalis „ *oſſa in liquidam ſubſtantiam ſolvunt*, revera apud Taurinenſes uſque adeo familiaris erat, ut nunc eſſe, *affirmat*; cur igitur verbis illis neſcio quid reconditi promittentibus, ipſum deſcribere aggreſſus fuerat: *Modum edocent curioſiſſimi Auctores*, huncque ita Lectoribus qui ex Boylæo, & Papinio poterant jam noviſſe, deſcripſerat, quem *vel coquis ipſis, ipſiſque mulierculis familiariſſimum* eſſe ſciebat? Sed mirum non eſt, quid Auguſtæ Taurinorum coqui, & mulierculæ gerant, nos ignorare, cum ipſe ita quid Patavii Anatomici egerint, aut non egerint, ignoret, ut ex
909 uno eodemque, adhuc vivente, Anatomico duos fecerit. Quartæ meæ
1136 objectionis ſententiam totam, non modo verba ipſa, non refert, quamvis alia characterum forma perinde ac ſi mea eſſent, deſcripta producat. Attamen ne ſic quidem ſatis reſpondet.
119 Primum namque confiteri cogitur, ſe 1
non exacte, ſed *ſuo modo*, ventriculum circumjectis viſceribus ſtipatum *cum machina Papiniana conferre*; quaſi diſerte non ſcripſiſſet, ventriculum *in ſuperiori* orificio ab iis viſceribus *premi adeo*, 121
& conſtringi, ut tanquam operculis ſtricte appoſitis occluſus, TRANSPIRARE NON SINAT activiores — particulas, ac ſpiritus. Nam quod huc alia, tanquam ab ſe *eodem loco* inculcata, trahit; neque *eodem loco* ſcripta ſunt, quæ altera ab iſta pagina ſubjiciuntur, neque in illa de qua una agebam, comparatione producta ſunt, quæ poſt alteram prolixe deſcriptam comparationem adduntur. Quod autem ait, eo ſe Lienem *non in primis advocaſſe*, *ſed Hepar*, ſuiſque prolatis verbis, quaſi id ego diſſimulaſſem, confirmat; neque hæc opus erat producere, quæ ipſe produxi (2), & Lienem tamen de duobus iſtis *operculis* eo *ſtricte appoſitis*, unum fecerat, quorum alterum ſi paululum amoveri ſinit, reliquo dumtaxat, illud intercipere orificium quî poterit? De meo autem *aere* non laboro qui *halitus* illos *humidos per ventriculi parietes* non induco; ipſe qui inducit, videat ut ſuis *ſpiritibus* ſatis caveat. Poſtremo quod ad *majora chyloſæ functionis principia* refugit, recte facit; nam hæc minora non ſatis firme tueri ſe poſſe, videt.

91. Quæ in quinta objectione, probanda eſſe de Viperis, dixi (3), minime probantur; ſed probationis loco, quandam denique in Viros Doctiſſimos, atque Experientiſſimos inſultationem invenio. Probandum erat primo loco, Viperis *ſumme energeticum eſſe ſtomachi munus*, ut, vel poſt *Mures*, & *Canes*, quaſi hos voracitate vincerent, ipſas inter *voraciora animalia* recenſendo, ſcriptum fuerat. Quid ad hæc probanda allatum eſt? Affirmatum eſt tantum, ſed non probatum, *viperam*, *ſu-*

(1) Ibid. (2) Ibid. (3) Ibid.

Digitized by Google

per alia voracia bruta, ingesta solidiora quælibet (credo etiam ferrum, ut *super voracem* Strathiocamelum sit) *vel ipsa etiam viva, & integra non exilia*
1137 *animalia ut aves bufones & cæt.* (non est satis ; nam *super voraces* pisces esse debet) *animalia se majora sibi in escam comparare, devorare, & digerere.*

Equidem de passerculis, & parvis bufonibus nonnunquam a vipera devoratis non ignorabam, ut ex iis quæ alibi scripsi, olim apparebit : sed de *animalibus* revera ipsa vipera *majoribus*, de *solidioribus quibuslibet, super alia voracia bruta* a vipera ingestis, Redium aliquem qui testaretur, libenter sane productum vidissem. Quod si ego mihi deesse nolui, cum Redium testem produxi in re, *quæ, præterquam Redo*, ut Noster ait, *omnibus nota est ;* cur Provocator cl. sibi deest, nullum producendo testem in rebus quæ certe non *omnibus* notæ sunt ? Attamen si mihi concedit, omnibus esse *notum* id quod Redius (1) ut summum in viperis observavit, has *ad decimum usque mensem inediam* ferre, & si huc addit quod vere *omnibus notum* est, easdem *longis jejuniis se accomodare*, non modo *aliquando*, ut ipse fatetur, sed quam sæpissime, ut in captis & asservatis, quotidie videmus, ne quidquam dicam de hyeme, quo anni tempore, *solent plerumque*, & quidem *secundum naturam* (ut ejusdem Redii (2), si per cl. Provocatorem licet, verbis utar) *aut nullo modo, aut quam minime, rarissimeque alimentum capere ;* haud satis video quomodo ipsas, non dico *super alia voracia bruta* voraces jure statuamus, sed *murium* dumtaxat voracitati, earum voracitatem anteponamus, cum illos Redius (3), sæpius expertus, nunquam ad tres solidos dies sine cibo servare vivos potuerit ? Atenim viperæ modicos passeres, & bufones nonnunquam devorant. Num propterea voracissimas, adest inexplebili edendi aviditate præditas *super alia voracia bruta* censebimus ? Deinde istos passerculos, ista *ingesta solidiora quælibet* a viperis *super alia voracia bruta concoqui, & solvi*, quem testem habemus ? præsertim cum à quibusdam produci videam Libavium, qui illa animalcula à viperis *reddi* scripsit *exsiccata diu, nil comminuta per membrum sui secessus*, vel Plinium, qui *a serpentibus* prodidit *rejici suetas avium devoratarum plumas, & ossa.*

Quæ certe omnia seu falsa, seu parte ex aliqua vera sint, ab eo videnda erant, ac discutienda, a quo *summe energeticum* in viperis *stomachi munus* erat probandum. Ab eodem autem quomodo alterum probetur, *hepar* videlicet in viperis *non tantum supra, & circa ventriculum esse protensum, sed usque ad duodenum*, videamus. *Alterum*, inquit, *num ita sit, quis posset ingenuus dubitare, qui nempe nostrâ omniumque accuratiorum Anatomicorum autopsiâ suaderi luculenter potest ?* Quid ergo ? inter *accuratiores Anatomicos* non est Eduardus Tyson ponendus ? Hic (4) tamen hepar, jam contra ventriculum, extenuatum, ne ad pylorum quidem, non modo ad *duodenum*, perducit. Præterea Baldus Angelus Abbatius, M. Aurelius Severinus, Gerardus Blasius, Michael Bernardus Valentinus *ingenui* homines non erant, aut non sunt ? Quis *ingenuus* hoc dixerit ? Hi tamen omnes num de ea re dubitaverint, ex Tabula III. Abbatii ; (5) liquet, quam cæteri in zootomias, & Amphitheatrum suum sine ulla unquam dubitatione transtulerunt. In ea vero Tabula num Viperæ jecur ad totum ventriculum, nedum *ad duodenum, protendatur*, omnes satis vident.

Parcius ista Viris tamen objicienda memento. (*)

His ergo omnibus, & propria quadantenus memoria aliter docentibus, & *ingenui*, & non imprudentis hominis fuit de opposito saltem (id quod nos fecimus) *dubitare*, donec viperis iterum, & sæpius dissectis, alio in loco possemus (id quod nunc possu-

(1) Degli Anim. Viv. (2) Ibid. (3) Ibid.
(4) Act. Lipsi. A. 1684. Tab. 5. Fig. 1. (5) De adm. Viperæ nat.
(*) Virgil. Ecl. 3.

Digitized by Google

possumus (1)) nos quoque ipsos aliter vidisse, affirmare: quanquam; ut tunc illud omitteretur; nimis sane ultra inanem, ut plerumque observasse memineramus, viperarum ventriculum, jecur circumfundi, & protendi oportebat, qui illum etiam post comesta *animalia*, ipsa vipera *majora*, distentum & fovere posset, & ad duodenum adhuc pertingere *ad ultimam scilicet chilificationis opellam ibidem adjuvandam incubatu suo*.

92 In sexta objectione; cum Provocator negasset, quidquam *clarius illustrare posse* hoc hepatis munus, quam *notabilem indigestionis habitum omenti disjunctioni a fistulæ intestinalis incubatu* succedentem; contrarias Riolani, & Foresti observationes memoravimus (2).

Ipse autem regerit Galeni, aliorumque observationes, quasi vero aut Riolanus, aut Foreſtus, aut ego easdem ignorassemus, cum neque illi ambo suas fortasse fuissent scripturi, nisi illas, quas diserte commemorant, tanquam pro *Canone* ad suam usque ætatem passim esse habitas, novissent, neque ego eorum observationes objecturus, nisi vidissem, ceu de re undequaque certissima sine ulla dubitatione ad-
123 huc scribi: *quid clarius & cæt.?* Itaque cum illi Galenicas observationes probe scirent, Anatomen autem, & Chirurgiam callerent; quis ob illas audeat cum Provocatore pronunciare: *Riolanum parvam omenti portionem pro magna reputasse censendum est. Id pariter de Foresti omento intelligi volo. Quid enim omenti nisi paucum, & modicum, in communibus abdominis plagis, atque herniarum operationibus plerumque rescinditur?* Quid hæc aliud significant, nisi qui hæc pronunciat, neque primum attendisse quis Riolanus fuerit, ut tam facile, quasi imperitus Anatomiæ, & Chirurgiæ, *parvam omenti portionem pro magna reputaret*, aut communibus & quotidianis in istiusmodi re uteretur exemplis: neque deinde illam Foresti, de qua judicium ferre vult, observationem (3) unquam legisse, quæ de *communibus* certe non est, & in qua tantum abest, ut *quid omenti paucum*, & *modicum* duntaxat scribatur excisum; *paulatim totum omentum extractum* proponitur. Qui ergo illam attente perlegerint, num *nihil inde* ipsi *in contrarium oggeratur*, intelligent. Difficile enim concedent, in ejusmodi casu nihil, nisi eam, quæ neque in omnibus illuc usque extensa invenitur, omenti portionem ablatam esse, quæ *ad ilei intestini inferiores* duntaxat *flaxus propenderet*, reliquam autem omnem, *superioribus intestinis accumbentem*, relictam esse; ad quam nunc videlicet confugere cogitur, & de hac tantum affirmare *quod incubatu suo vere coctionem adjuvet*, ilei intestini *inferioribus flexibus* exclusis, quando universe de *fistula intestinali* in *Historia* 123
scripserat. Nam quod certam quandam suam *juvenilem* observationem 1138
Gravissimorum eorum Hominum observationibus opponit; ne ipse quidem, opinor, contendet, facilius ipsis fuisse *parvam omenti portionem pro magna reputare*, quam sibi, adhuc præsertim juveni, aut vasa quædam sanguifera ventriculo inservientia, quæ liganda non fuissent, non ligare, aut si ita, ut ait; *diligenter* omnia peregit; in non brevi illa operatione ita molossum non vexare, aut ita ejus viscera ab aeris injuriis tueri, ut quod semel observavit, aliunde esse non potuerit, sed tanquam multarum *observationum summa* quædam, nobis pro *Canone* esse debeat ad nostram, atque adeo Riolani *imperfectam*, si Superis placet, *objectionem* corrigendam.

93 In unam septimam objectionem multas contrahit. Prima illa fuerat: *Cœliaca primum aortæ emissarium esse dicitur, quod evidentissime falsum est.* Nunc *evidentissime* quidem id esse *falsum*, ipse confirmat, cum scribit, tot alia supra Cœliacam emissaria Arteriæ 1139
magnæ neminem *vel anatomiæ ignarum latere* posse. Quod autem addit, *nega-*

(1) Vid. Epist. I. Art. 64.
(2) Adv. III. pag. 62.
(3) Obs. Chir. l. 6. Obs. 7.

Digitized by Google

re neminem posse, cœliacam *primum esse aortæ sub diaphragmate emissarium*; ita verum est; ut si ipse quod hic demum facit, tunc ibi feciſſet, ut *sub diaphragmate* non omitteret; nihil ego objecturus fuiſſem. Nam quod intelligi id debuerit, propterea quia *de viscere in abdomine degente, seu de Hepate constans* suæ *Historiæ sermo sit*, neque hoc verum est cum tot alia viscera, & partes in medium passim, & præsertim ubi egit de viis sanguinis ad varia secretionum organa, attulerit, & potest, ut in nervis conspicimus, etiam vas aliquod sanguiferum non intra eam caveam cui prospicit, exoriri, imo certe carotides ex. gr. arteriæ intra thoracem incipiunt, & cranii caveæ novissime inserviunt. Ad secundam objectionem sic respondet: *ego tertiam circiter totius sanguinis in homine degentis partem in Portæ trunco atque ramificationibus continuo residere, citato*
123 *loco satis probasse videor*. Si hoc, non dico, præstitit, sed vel uno verbo præstare aggressus est; nihil causæ est, cur ego ejus *probationes* infirmas esse, seu *rem esse*, ut ait, *adversam, probare* non debuerim. Verum si nihil aliud ibi fecit præterquam ejusmodi rem *sine ulla dubitatione pronunciare*; quis est qui id legens, mecum jure meritoque non censeat, rem *saltem maxime in certam esse?* Et ipse tamen scribit: *id citato loco satis probasse videor?* Perlegat quicunque velit non modo *citatum locum*, sed universum in quo est, Partis I. postremum caput. Spondeo fore, ut errores quidem, a me in eo capite indicatos, aliosque præterea inveniat, ullam vero quæ ad illud probandum spectet, litterulam non inveniat.

Atque ut in transitu hîc duo ostendam; alterum, num verum sit quod infra ipse credi vellet, me ejus errata
1145 *summo studio* notavisse, cum reapse, aliud agens, ea tantum quæ scribenti succurrebant, notaverim; alterum, quantum in probando inter me, & ipsum discrimen sit; protinus id quod modo dicebam: esse alios præter eos quos in *Adversariis* indicavi, in eo ipso postremo capite errores, ex his uno exempli causa producto, apertissime demonstrabo. Scriptum est in illo capite: *animalium aquatilium hepata* 124
terrestrium jecinoribus esse minora.
Hoc ejusmodi esse, ajo, ut nemini illorum probari possit qui ingens multorum piscium jecur, quod interdum vel in duos amplissimos lobos divisum, a summa ad imam fere ventris partem extendi, mirati sumus, cum plerisque aliis eorundem visceribus comparaverint. Quid? quod in nullo ex tot Piscibus quorum dissectiones ad suum usque ævum editas collegit Blasius (1) quidquam de hepatis parvitate adnotatum invenire adhuc potui, cum ex adverso viderim, (2) in Acu Marino memorari *hepar pro animalis magnitudine satis grande*, (3) in Pisce ex Canum genere, una cum visceribus suis 26. libras æquante; sine visceribus 15. excedente, *hepatis pondus quinque libras superans* (4), in Crocodilo *hepar bifidum binis lobis insigne*, (5) in Galæo lævi *hepar in duas conspicuas fibras, & oblongos lobos divisum, velut insignes lineas abdominis longum percurrentes*, (6) in Lucio *hepar oblongum instar linguæ ad secundas pinnas extensum*, (7) in Orbe *Hepar maximum in sinistro latere* (quod & nos in aliquot piscibus observasse meminimus) *in dextro minorem lobum*, (8) in Phoca *hepar bene factum sex majoribus lobis discissum*, (9) in Phocena *hepar amplissimum, & totam, quæ est inter diaphragma, & ventriculum, abdominis cavitatem fere occupans*, (10) in Salamandra *hepar ingentis magnitudinis*, (11) in Xiphia denique *hepar grande satis: & exsangue*. Sed jam illuc unde digressi sumus, & quo tamen hoc etiam de *minore* piscium jecore pertinet, revertamur.

94 Ex iis quæ improbavimus, vole-
bat

(1) Anat. Animal. Part. III. (2) C. 1. (3) C. 11. (4) C. 14.
(5) C. 15. (6) C. 20. (7) C. 22. (8) C. 25. (9) C. 26.
(10) C. 29. (11) C. 36.

Digitized by Google

bat Provocator oſtendere, alterum eſſe hepatis uſum, ut ſanguinis copiâ, vel repentinâ etiam rarefactione turgentis *diverticulum ſit una cum liene*. De liene quidem, ob ejus ſtructuræ modum nolui unquam ab aliis etiam, id proponentibus, magnopere diſſentire; hepatis vero *ſubſtantiam prom: te, ac pro re nata ad modum laxiorum membranarum valde cedere, atque extendi poſſe*, negavi. (1) Contra, Provocator cl. hoc *compertiſſimum fieri, luculenter evinci*, de hoc nos *plane convinci*, aſſeverat. Si probationes quæris; duas omnino affert. Nam primum ait, *Portæ ramos, qui potiſſimam* hepatis *partem conſtituunt, — in jugulatis, aut improviſe denatis — longe ultra naturalem ſtatum ampliores, & ſanguine turgidiores deprehendi: in picrocholis vero, lentoque morbo demortuis graciliores admodum, atque inaniores*. Etſi in *Erratis* monemur, ut hic pro *jugulatis* intelligamus *præfocatis*, non tamen erratum adhuc ſatis ab Auctore correctum eſt; quot enim ſunt *improviſe denati* ob magni alicujus vaſis rupturam, quorum ſanguis magnam partem in aliquam caveam invenitur effuſus? quot *præfocati*, iidemque *lento* extenuati jam *morbo*? num in his etiam, quod ipſe mox negat, aut in illis, contra ac videmus, *longe ultra naturalem ſtatum* rami illi Portæ venæ *ſanguine ſunt turgidiores?* Verum ut eſſent; nonne id magis in Pulmonaribus interdum vaſis, in Auricula cordis dextera, & potiſſimum in Venæ Cavæ Truncis quam ſæpiſſime, & luculentiſſime deprehenditur? imo in his tanto magis, quanto minus circumprimuntur, cum contra, Portæ venæ rami ab arctiſſime, confertiſſimeque intra eandem hepatis membranam concluſis tot ramis aliis, & vaſis, & folliculis, & humoribus undequaque premantur.

Quæ cum ita ſint; ſatis planum eſt, num *hepatis ſubſtantia, quomodocumque Cenſor velit, valde cedere, atque extendi poſſit*, itemque num quia venæ Portæ rami ſanguine interdum pleniores inveniuntur, ob hanc rem, aliis etiam partibus, veniſque communem, imo longe magis facilem, continuo peculiare ſanguinis diverticulum in jecore potiſſimum ſtatuendum ſit.

Quid? quod veri ſimillimum eſt, illam idcirco plenitudinem inveniri, quod ulteriorum *fiſtularum hepatis cavitates* ita *ampliabiles* non ſunt, ut Provocatoris diverticulum poſtulabat; Earum videlicet anguſtias, ceſſante arteriarum & diaphragmatis impulſu, preſſione dumtaxat incumbentium partium, & vi elaſtica vaſorum promotus ſanguis, ſuperare non poteſt, ideoque in craſſioribus ramis ſubſiſtit, quos quanto magis diſtendit, tanto minus ulteriores ab hac diſtentione compreſſos, & quod conſequitur, tenuiſſimos illos ex quibus magna hepatis pars conſtruitur, poteſt *dilatare*. In hominibus autem adhuc viventibus, vel eas libere ſuperare anguſtias valet, & ſic tanta iſta in craſſioribus ramis plenitudo neque fit, neque fieri poteſt, tenuiſſimis & ipſis tum Portæ venæ, tum Cavæ ſurculis ſanguine plenis, ideoque locum non cedentibus; vel eas libere ſuperare non poteſt, & ſic a tergo plenitudines fiunt, unde *ſubitaneæ* illæ *hujus viſceris phlegmones, & celeres quædam ejuſdem obſtructionum ſpecies*, quæ non ita facile contingerent, ſi penitiſſima ſubſtantia hepatis ſic a natura eſſet compacta, ut diverticuli inſtar prompte cedere, & dare locum, non obſtare, majori ſanguinis copiæ poſſet: Tantum abeſt, ut ab illis phlegmonibus, & obſtructionibus de oppoſito *plane convincamur*, ut Scriptor noſter cl. putat, hinc alteram ſuam repetens probationem! Sic fuerat a nobis animadverſum (2) quod *perhumaniter* hîc ipſe diſſimulat, quam facilis idem ſit in *demonſtratione*, imo *plena demonſtratione* ſtatuenda. Hoc enim primum volebamus: tum verò deinde alterum, de quo ad Medicos judicium detulimus. Nam etſi inter omnes conſtaret, quod certe non conſtat, *hæmorrhagias narium in LEVIBUS etiam hepatis, & lienis obſtructionibus* OR-

(1) Adv. III. pag. 62. (2) Ibid.

Digitized by Google

ORDINARIO accedere ; non tamen continuo id quoque conſtaret, quod ipſe *plene demonſtratum* pronunciat . Sic longe aliud ex ea obſervatione conſequi cenſebat Tozzius (1), qui tamen non a *leviter* obſtructo , ſed *ab obſtructo , tumidoque* jam hepate contingere id ſcripſit , Volcherus autem , quem laudat , Coiterus (2) ab *hepatis MAGNA obſtructione , præcipue* cum *ex hac in hydropem incidunt* : ut duorum jam *Practicorum , & revera medentium judicium* , quale ſe *etiam* profitetur *amplecti* , Noſtro non favere , videamus . Ejuſmodi hominum judicio ea quoque commiſimus , quæ octavo loco indicavimus (3). Neque adhuc, ut Provocator cl. dictitat , hoc *pendet judicium.*

Nam uter noſtrum *laceratìonibus* ſit uſus , judicium non obſcure jam editum eſſe, infra apparebit . Uter vero *toties allucinatus ſit* , judicatum a pluribus eſt , ut ex iis quæ ad ſuperiores Animadverſiones , & nominatim XII. ac XIX. ſunt ſcripta , intelligitur . Num vero *facilius quam hactenus fuerit , ipſe morbos hepatis OMNES internoſcat inter ſe ſe* , qui poſſit adhuc *pendere judicium* , quando ejus confeſſio
209 jam extat , *jecoris ad attiguas partes adnaſcentias morboſas , varices , aneuriſmata , ductuum excretoriorum dilatationes præter naturam , tandem & hydatides , —— has , ut & alias hepatis nunc memoratas affectiones — revera per ſola extiſpicia palam fieri* . Denique an in I. de qua ſermo erat , Editione *in hepatis morborum ſignis nihil immutatus ſit ;* quomodo *judicium* nunc *pendeat* , cum ipſe in priore Præfatione jam edixerit , a ſe *omnia ſtylo explicari hiſtorico ; ſicque — nihil in ſignis , & curationibus exponendis immorante* . Illam enim , quamvis ſæpe a me redargutam, Præfationem in nova Editione omittere quidem potuit ; horum autem nullo modo inter ſe cohærentium , ob idque etiam a me (4) notatorum verborum, memoriam delere non potuit.

95 Multo autem minus *delere* poteſt 141
ea quæ porro *ſic per tranſennam* , ut diximus , *indicavimus* in II. *Hiſtoria* Parte quam eâdem Præcl. Mangetus *ſapientiâ* omiſit , qua alias pariter , etiam *anatomicas* , Provocatoris minas (5) in I. Parte prætermiſerat . Nos primo loco , cum plura congeſta videremus ad *manifeſte evincendum* id quod hic etiam affirmatur : *dari morbos a ſolido non dependentes a fluido ;* ne infiniti eſſemus , ideoque *ſapienter* ; alia omiſimus ; illud unum notavimus (6): *oſſa QUÆDAM duriora ad tantam redigi mollitiem POSSE , ut inſtar cera verſari facillime poſſint in omnem ſenſum in ſano quo ad cætera homine , hoc eſt ſine ullo vitio fluidi univerſalis* . Quid ergo queritur cl. Provocator , me ejus locum *mutilaviſſe?* Num alia omiſi , niſi quæ ibi nolui redarguere? Quod autem redargui , nonne ab ipſo affirmatum eſt ? Atenim *in aliquo* dumtaxat *caſu* , inquit , id volui affirmare? Num ego in omnibus affirmaſſe , dixi? Certe voces illæ *quædam* , & *poſſe* , quæ in ſupra ſcriptis , & ſic a me editis , leguntur , hoc nemini in mentem venire ſinunt . Nunc viciſſim attendamus , an qui immerito de nobis queritur , de eo nos merito hic queri poſſimus . Igitur inter Auctores quos pro ſe laudat , & quorum fere omnium ut nomina exiguo labore ex una Obſervatione Miſcellan. N. C. (7) exſcribere potuit , ſic pleraſque obſervationes non ſatis ad rem facere, animadvertere potuiſſet ; tres quibus *in primis* nititur , mihi objecit *Olaum Wormium , Fernelium , & Danielem Pruttenium in Miſcellan. Curioſ. ex relatione Abrahami Baudæ Chirurgi Regii* . Si quo in loco , quæras ; nihil, ut fere ſolet , præterea addit ; propemodum ut hic quoque , quod paſſim feci , ipſe debeam divinare , cum ego contra meis in ſcriptis, aliquo ſedulitatis , magno certe fidei teſtimonio , neminem fere , in rebus præſertim ejuſmodi ,

(1) Medic. Part. Pract. c. de Hep. & cæt.
(2) Obſ. Anat.
(3) Adv. III. pag. 62.
(4) Ibid.
(5) Vid. Adv. III., pag. 38.
(6) Ibid. pag. 62.
(7) A. I. 37.

Digitized by Google

modi, laudare Auctorem solitus sim, cujus locum, summo cum Lectorum, & Provocatoris in primis cl. commodo, diligenter non indicaverim. Non est tamen cur de Wormii, aut Fernelii verbis hic multum laboremus, primum quia Provocator nihil aliud urget, nisi utrumque eorum *nullam concomitantium* eam quæ in ossibus mollities erat, *in liquidis morborum mentionem instituisse*, quasi vero propterea ullum *in liquidis morbum* fuisse, negassent, aut non satis esset, si forte ii morbi præcessissent. Sic Fernelius, cujus locus est *de abditis rerum causis* l. 2. c. 9., *ex morbo tam mollia, & flexibilia evasisse* ossa, scribit; quem morbum nihil vetat, quominus fuisse in humoribus, si lubet, credamus. Deinde Wormius; quantum conjicio ex eo quem paulo ante indicavi, loco Miscell. N. C.; ossium mollitiem in puella *a nativitate* videtur observavisse; nos autem hic quærimus de *ossibus durioribus, ad mollitiem redactis*, non de cartilaginibus, fortasse nunquam induratis. Pruttenii vero, vel potius Baudæ observationem; quam Provocator satis superque indicavisse se existimat, cum *Miscellanea N. C.* (quasi hæc uno perpusillo libello continerentur) nominavit; ut nondum in ipsis neque memoriæ, neque tot Indicum ope mihi datum est invenire, sic facile in iis in quibus olim me vidisse memineram Th. Bartholini *Actis* inveni, quæ *Hafnienſia* inscribuntur (1). Animadverti autem, ex hac observatione quidquid pro se facere videretur, id Provocatorem exscripsisse; quidquid contra non modo oppugnare, sed penitus convellere suam sententiam posset, id omisisse, vel *suaviter* ut ipse diceret, *mutilavisse*.

Mitto *dolores* vel *maximos*, mitto *impotentiam omnium articulorum*, cum ossa adhuc *suam duririem*, & *soliditatem conservarent*, prægressam. Alia etiam mitto. Sed quæ subjiciuntur, pretermittere nullo modo possum: *Multi*, inquit Observator, *causam tam portentosi morbi inquirentes, scorbuticam saburram accusarunt; alii alias causas rimati sunt. Ego virus Venereum credo causatum esse hunc morbum, eo magis, quod certus factus fuerim, ægrum olim ante tredecim annos Gonorrhæa virulenta per aliquot hebdomadas laborasse, & procul dubio male curatum fuisse.*

Hæc igitur præcesserant; & nobis tamen hoc exemplum præ cæteris fuse, & diserte producitur ad *manifeste evincendum*, morbum *locari in solido independenter a fluido, — conceptibilem videlicet absque concursu fluidi?* Hoc enim in *Historia Hepatica* propositum erat, neque hic negatur, cum *compertissimum esse, dari morbos a solido non dependentes a fluido*, ibi *istâ* etiam *observationum* specie *firmatum, & ostensum* fuisse dicitur. Atenim *quid*, inquit, *vitii liquorum aderat in illo Foresti Homine?* Infantem voluit dicere natum *cum brachio dextro a cubito usque ad humerum non tantum resoluto, sed omnino osse non coagulato, ut brachium instar lori in omnem partem flexile flaccidumque concideret ita, ut in brachio a cubito usque ad humerum os abesse videretur.* Ad quem sic natum Infantem accitus Forestus cum esset, *intra tres septimanas* curationem absolvit (2). Hic vero Infans quomodo ad rem pertinet? Num quia, ut cl. Provocator ait, *dextro excepto humero, cæteræ omnes, non solum liquidæ, sed & solidæ partes* in eo *sanæ erant, & ab omni vitio immunes?* Atqui Forestus de *solidis* cæteris *partibus*, excepto capite, nihil; de *liquidis* autem prorsus nihil memoriæ tradidit. Num vero quia, ut *ejuscemodi ossium affectiones sæpe*, ita hæc quoque *sanata fuit per impositas ferulas, aut fascias, aut aluminosa balnea, aliave remedia, non quidem liquidorum sed ossium vitium duntaxat respicientia?* Verum neque suum istud *sæpe* a Provocatore probatur, neque, si ex Foresti curatione judicandum est, opportuna saltem victus ratio excludenda est, quæ in humoribus emendan-

127

143

(1) Vol. III. Obs. 24.

(2) Obs. Med. l. 17. Obs. 5.

Digitized by Google

dandis plurimum poteſt. Mater ipſa, inquit Foreſtus, (1) jam *recte habens & bene valens puellum optime lactavit, & commoda victus ratione uſa fuit, cibiſque boni ſucci & optimi nutrimenti, iiſque quæ & lac augmentare ſolent, UNDE quoque magno cum ſucceſſu, etiam adhibitis remediis ad hoc aptis, puellus citius ſanitatem conſequutus fuit.* Denique hiſce omnibus prætermiſſis, num infantis hujus os ex *duriore* ad illam *tantam redactum mollitiem* fuerat? an potius ex quo mater inter initia geſtationis *in dextrum cubitum verſus humerum* prolapſa erat, indurari amplius non potuerat? Atqui diſputatio non de hoc, ſed de illo eſt.

96 Porro in eo quoque, quod ſecundo loco notaveramus (2), diſputationem *perhumaniter* mutat. Contendit enim id quod nemo unquam negavit, *prolabente hepate*, hoc eſt *verſus umbilicum deſcendente*, *umbilicale* ejus *ligamentum — neceſſario pariter relaxari oportere*. At nos hæc ejus verba notaveramus: ligamentorum hepatis *omnium relaxationi debetur hæc affectio.*

135 Aliud autem eſt, ligamenti umbilicalis relaxationi prolapſum hepatis *deberi;* Aliud in ipſo hepatis prolapſu illius quoque ligamenti relaxationem conſequi *oportere*. Tunc ea relaxatio pro cauſa; nunc pro effectu habenda eſt. Primum notavi. De altero cur loquerer, nihil erat. Si ergo ullus eſſe Anatomicus poterit, qui ligamenti umbilicalis *relaxationi deberi* hepatis prolapſum, merito cenſeat; tunc illud quoque eſſe poterit quod Provocator affirmat, ut noſtram *ſecundam objectionem Anatomicus quilibet e limine comprimat.* Tertium quod notaveram, illud erat, felleæ veſiculæ perruptionem
140 *ſæpe in cadaveribus occurrere.* Provo-
1026 cator cl. ſi *tercentos fortaſſe*, ut ſupra
472 dixerat, *vidit & examinavit folliculos felleos*, cum unum, haud amplius, quantum hactenus invenire poſſum, eumque eroſione perruptum deprehenderit; præclare ſiquis alius, ſciat neceſſe eſt, ejuſdem folliculi perruptionem non niſi rariſſime in cadaveribus occurrere. Contrarium tamen defendit, vel potius ad hoc defendendum *ſat eſſe* putat *repetere e quibus citato loco varias ruptionum veſiculæ felleæ obſervationes eruerit, Bonetum, Hoffmannum, Benivenium, Salmuthum, Job. a Meekren, Fabricium Hildanum, Bertinum; tum qui in Tertia parte ſuo etiam loco adducuntur in cenſum.* Hic quoque divinemus oportet, non modo in Auctorum eorum locis, qui in II. Parte laudati ſunt, verum etiam in *ſuo* illo inveniendo *loco*, qui in III. Parte eſſe dicitur. Sed quis erit in III. Parte *ſuus locus*, quando ipſe confitetur, ſe in hac ſcribenda, non in eum quem in II. ordinem, ut videbatur expectandum, ſed *in alium, variumque,* —— *abruptum, & miſcellaneum* — 208 *perrexiſſe?* Rerum Indicem verſemus; nihil de *Cyſtis felleæ abruptione* invenimus, niſi quod in II Parte eſt. Ad *Elenchum totius Operis* redire oportet, ut tandem aliquando (quis crederet?) inter *Fluxum Hepaticum*, & *Bilioſam Phrenitidem*, *ſuum* iſtum de perruptione Cyſtis *locum* inve- 491 niamus. At ſi inde expungimus Georgium *Bertinum*, & Philippum *Salmuthum*, in II. jam Parte laudatos; duo tantummodo ſuperadditi Auctores reſtant. Primus eſt Joh. Matth. Faber, qui *Dec. II. Ann. IX. N. C. ex fellei folliculi ruptura ſæpius repentinam mortem fuiſſe conſecutam enunciare* dicitur.

Sed revera unam dumtaxat, ejus *rupturæ* obſervationem (3) producit, quam ab alio videtur accepiſſe, & hoc addit: *Ab ejus (Cyſtidis) ruptura pariter lethum extemporaneum vid. ap. Schenk. p. mihi* 460. Hoc nimirum eſt illud *ſæpius*; Schenkius autem nullum, quod ſciam, ejus diſruptionis profert exemplum præter illud idem (4), quod tamen ad repentinam mortem non pertinet, Georgii Bertini: Alter ex ſuperadditis Auctor, *fol.* 190. quærendus, Cl. eſt Lentilius, qui tamen, neque ſe obſervaſſe id

(1) Ibid. in Schol. (2) Adv III. pag. 63. (3) Pag. 466.
(4) Obſ. Med. l. 3. ubi de Veſica Fell.

Digitized by Google

id ſcribit, & per conjecturam id proponit ex quo demum Provocator, Cyſtis felleæ rupturam infert. Ille enim, ſaltem in *appendicibus anni* 5. *& 6. ephemer. germ.* (adde omiſſam a Provocatore *Dec. III.* & *pag.* 128.) per conjecturam loqui ſe, oſtendit. Itaque tota hæc acceſſio quæ in III. Parte facta eſt, ad unam redit obſervationem,
140 quæ, a quo habita ſit, neſcimus.

In II. autem Parte plures quidem laudantur Scriptores, ſed apud Bertinum una tantum obſervatio eſt, cujus Auctorem, quantum verba indicant a Schenkio (1), & Boneto (2) producta, ignoramus, ut illud etiam, quod cl. Provocator affirmat, an id *a calculis* fuerit *ductum opplentibus*. Neque patirer plura uno exempla, aut Obſervatoris nomen habetur apud *Hoffmannum*, ſi ille tamen eſt, ut opinor, cujus a Boneto (3) verba afferuntur; Noſter enim, quaſi unus, & unius tantum Hoffmanni liber extaret, nihil præter cognomen proponit. *Salmuthus* autem (4), & *Job. a Meek'ren* (5) habitas quidem a ſe ipſis obſervationes, ſed ſinguli ſingulas tradiderunt. De *Boneto* denique, *Benivenio*, & *Fabr. Hildano* hoc dumtaxat habeo quod dicam: Apud primum; quando perinde ac ſi non plura quam Benivenius edidiſſet, locus non additur; in *Sepulchreto* ſaltem, non alia adhuc inveniſſe me exempla veſiculæ *a percuſſione*, *aut alliſu* diſruptæ, quam duo illa, *Salmuthi*, & *Hoffmanni*: At nullum prorſus apud Benivenium, & Hildanum; quamvis apud hunc *parte* 4. *obſ.* 45. *caſui* ſuo *ſimilem* extare ſcribat Job. a Meek'ren (6); apud illum vero cap. 110. *ſimile quid* legi narratæ a ſe obſervationi, indicet laudatus Hoffmannus (7). Quorum hæc verba quomodo accipere oporteret, Provocator cl. intelleriſſet, ſi Benivenium, & Hildanum, ut par erat, antequam laudaret, inſpexiſſet. Nunc autem cum veſiculæ *a percuſſione*, *aut alliſu* diſruptæ *exemplum eſſe* ſcripſerit apud *Benivenium*; reapſe in indicato hujus capite veſicula ne memoratur quidem, imo ne diſſectio quidem cadaveris; *pugnus* tantum, quo *ſtomacho cujuſdam juvenis violentius impetito*, *homo interemptus eſt*, memoratur. Pariter cum Provocator ſcripſerit, ob *impedimentum effluxûs bilis*, *vel a ductûs Choledochi intus ſuſceptione in cyſtim ipſam*, *exhibitum; ex quo dicti Canalis ſtrangulatio*, diſruptæ veſiculæ *caſum* afferri a *Fabr. Hildano*; hic revera in memorata obſervatione *inteſtina* quidem, *& inprimis tenujora undique tam flava* commemorat, *ac ſi croco infecta fuiſſent*; at *veſiculam felis* non ruptam, ſed *omnino* dumtaxat *vacuam*, *cholidochum* autem, non *ſtrangulatum*, imo *præter modum laxum & apertum fuiſſe*, dicit. Quibus ex omnibus primum Lectoribus apparet, quantum auctoritatibus a Provocatore tam ſecure, & fidenter adductis credendum ſit, cum Auctores, quorum nomina in magnifico illo Indice *Hiſtoriæ* præfigit ſuæ, ego vel aliud agens, & quaſi præteriens, oſtenderim ab ipſo inſpectos non fuiſſe: Deinde quod ad rem præſentem attinet, conſtat, omnia quæcumque aliquo modo indicata huc ſummo ſtudio congeſſit, diſruptæ veſiculæ exempla, ubi examinentur ad quinque admodum obſervationes redire, quarum tres quos auctores habuerint, ignoramus. Quem ſane nimis exiguum numerum ſi cum ſcriptis omnium ad hunc uſque diem apertorum cadaverum hiſtoriis, quarum immanis, atque incredibilis copia eſt, comparemus; non video, qua ratione *quiſque videat* „ *an* „ *ruptio veſiculæ felleæ SÆPE in ca-* 472
„ *daveribus non occurrat*. „ Addamus enim quam alibi ſcribit aut a ſe ex eroſione, ut diximus, aut ab aliis ex vulnere obſervatam, inſuper quam nos apud Bonetum (8) animadvertimus; ne 452
ſic quidem effici poteſt, ut res oppido quam rariſſima, & a pleriſque exercitatiſſimis Anatomicis nunquam viſa,

(1) Ibid. (2) Sepulchret. l. 3. S. 8. Ob. 35. (3) Ibid. l. 2. S. XI. Obſ. 42.
(4) Ibid. l. 3. S. 16. Obſ. 10. (5) Obſ. Med. Chir. c. 46.
(6) Ibid. (7) Loc. cit. (8) Sepulchr. l. 3. S. 14. Obſ. 5. n. 4.

Digitized by Google

quaſi tertio quoque die inveniretur, dici poſſet *ſæpe in cadaveribus occurrere*.

97 In ea autem inconſtantia, quam jure, quarto loco notaveram (1), defendenda nullis non artibus utitur cl.
1144 Provocator. Nam primum *ad ſpirandi ſtrangulationem crudeliter deductum hominem* ab hepatis tumore, atque adeo *brevi etiam ſuffucandum* pingit, ut *in hoc caſu*, morte videlicet alioqui imminente, *apertionis lateris* demonſtret *neceſſitatem*, perinde ac ſi omnino eadem vel tunc fuiſſet, cum *ſæpius* ipſe *in incremento tumoris ad hujuſmodi ineundam operationem exſtimulabat Chirurgum*. Deinde hujus ait *intempeſtivam formidinem* non a ſe, verum *ab ipſa in cadavere inſpectione aperturæ, ab ipſomet naturæ conatu tentatæ ad exantlandum humorem*, fuiſſe redargutam, quaſi vero illa inſpectio per ſe voces emiſiſſet, non ejus qui ſcriberet, hæc verba eſſent. Tum vero *a natura ple-*
134 *nam & certam externæ apertionis indicationem oſtenſam eſſe per aperta ſponte tumoris clauſtra*; quaſi ad meliceridis locum, *ad hepatis verticem*, Chirurgi ferrum adigi potuiſſet, atque adeo debuiſſet, per quem Natura ipſa non ſine ægri pernicie, morboſæ materiæ exitum molita eſt: quod ſi *medicum aliud auxilium excogitari non poterat*; certe illud quod diximus, non *auxilium*, ſed pernicies ægro fuiſſet. Cæterum quod ad ſuam inconſtantiam attinet; poterat certe ex iis *quæ in ge-*
1145 *nere præcipue indixerat* contra iſtiuſmodi auxilium, aliquid *in ſingulari caſu, & ſecundum circumſtantias varias excipere*. Verum enim vero num *excepit*, qui quaſi nihil unquam contra præcepiſſet, nihil præſentanei periculi fuiſſet, tam cupide iſtius tumoris inciſionem urſiſſe ſe oſtendit? Atque adeo num excipere potuit, cum meliceridem *ad hepatis verticem* fuiſſe, fateatur, cum exterior quidem *intumeſcentia* etiam foret, vel potius appareret,
363 ſed non *parva admodum*, *non in acutum faſtigiata*, non *pus candidum* datura, non tandem ita cum latere conglutinata, ut, incidendo, materia *per abdominis cavum effuſa contenta viſcera* 150
non *præfocaret*, quæ verba; quamvis illa quæ profert: *Cito lethalia ſunt hujus generis apoſtemata, & ſubitaneam ſæpe necem afferentia & cæt.* continuo ſequantur; tamen ab ipſo *tacentur*, a me autem non omittuntur, ut intelligat, me *in practicis rebus* ita *delectari*, ut nunquam tamen Celſi (2) monitum contemnam: *eſſe prudentis hominis —— non ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſius interemit*.

Nam *abſceſſus jecoris eo ritu curati* non 150
tot denique viſi ſunt, quot ipſe exiſtimat; certe *Nic. Tulpii*, a quo in primis id viſum eſſe dixerat, afferre locum potuiſſet, quem ego invenire necdum potui. Atque ut melius intelligat quibus ego *in practicis rebus delecter*; ſic habeat: longe pluris a me fieri Medicos qui eſſe malint, quam videri; & rogari, quam ambire: qui plus in diligenter obſervando ægrotos operæ, quam in *Canones* præſcribendo conſumant: qui Hippocratem re magis, quam verbis imitentur: quibus *uſui frequentius ſint* ſimplicia illa medica- 626
menta, non uno in juſculo tredecim, quinimo duo & viginti, ſi Diis placet, incoquere remedia ſoleant: qui in alio- 350
rum obſervationibus producendis tantam fidem, ac diligentiam adhibeant, ut vel ex hac quantam in propriis habendis, & conſcribendis præſtiterint, ſatis perſpicere poſſimus; qui tametſi Hippocrati jure meritoque plurimum tribuant, non tamen contendant, (*) Medicinam *nihil ab Hippocratis ævo ad nos uſque profeciſſe*, præſertim cum paulo poſt, non ſine manifeſtiſſimæ inconſtantiæ nota, *ſuſpicere* cogantur, *Mercurialem*, *Martianum*, *Baglivium*, *Sydenhamium*, *Duretum*, *Mercatum*, *Cratonem*, quos inter; ut alios, cunctis longe notiſſimos, ſileam; cur Hollerium, Jacotium, Ballonium omittant, non video, ſane aliquo ex memoratis majores, neque ab iis, quorum ſimiam inepte

(1) Adv. III. pag. 63. (2) De Med. l. 5. c. 26.
(*) Præfat. nov. Edit. Hiſt. Hep.

Digitized by Google

inepte agunt, prætermissos. Sunt alia præterea multa quæ in vero Medico requiram, quæ siquando a me impetrare potero ut III. *Historiæ Hepaticæ* Partem perlegam, sciscitanti, provocantique indicabo. Neque me pro vero propugnantem istud jure absterrere poterit, quod ei Parti præfixit, Hippocraticum, initium libri *de Arte*, *post* 212 quod, tanquam post Ajacis *clypeum*, latere se posse sperat. Quid vero? si forte ex eo clypeo mox in extrema Epistola gladium efficerem, proferens in medium Hippocratis verba, quæ ab ipso ibidem omittuntur, per eaque insuper, si esset opus, ostendens: *siquis verborum inhonestorum arte ad ea quæ ab aliis inventa sunt, confundenda promptus fuerit, nihil quidem* jure *corrigendo*, si quis, inquam, id fecerit; eum *qui in —— artes hoc modo irruerit, ab aliis quibus hæ curæ sunt, quorumque id intererat, & præstare hoc poterant*, fuisse, auctore ipso Hippocrate, *prohibendum*. Sed nunc, hisce omissis, ad reliqua, olim in II. Parte notata, redeamus.

98 Tandem aliquando ad *objectionem* pervenimus, *cui suas inesse vires*, Provocator cl. *non diffitetur*. Hæc quinta est; in qua palmarem illum errorem perstrinximus (1), quo *Atheromatis*, & *Steatomatis* definitiones inter se fuerant permutatæ. Quid queris? In miseros *amanuenses*, qui suam dicere causam non possunt, gravissimum hoc erratum transfertur, quasi hic de verbo pro verbo, non de definitione pro definitione perperam inter alienum tum nomen, tum exemplum conscripta ageretur. Quæ excusatio tam ab omni veri similitudine ipsi qui utitur, visa est esse remota, ut parum huic fidens novam quandam & inexpectatam comminiscatur defensionem, sibique ab uno ad alterum graviorem, ut fit, errorem transitum paret. *Interea*, inquit, *neque hunc errorem in nova hac nostræ Historiæ editione emendare curavimus*. Cur, quæso? *Primum*, inquit, *ut intacta illa omnia candidorum Lectorum arbitriis plane dijudicanda superfint, quæ a nostro Censore summo studio petuntur, atque objurgantur*. Sed quomodo hoc vere spectare potuisset, nisi contra atque contendit alibi, has duas Partes nondum typis habuisset descriptas, priusquam nostram *Censuram* videret? quæ 1097 num *summo studio* parata sit, alia demonstrant quæ in istius ipsius Animadversionis examine, minus olim animadversa, vetera ejusdem errata notavimus: nam vero ipse *intacta illa omnia*, ut hic quoque confirmat, reliquerit, & satis antea visum est, & infra videbitur. Sed alteram cur hunc saltem locum non emendaverit, causam attendamus. *Secundo*, inquit, *quoniam error hujusmodi est, ut vel sibi plane relictus lecturis tironibus, aut Clinicis* 1146 *officere vix queat: Quum revera in praxi hactenus recensendus sit nemo, qui Atheroma, & Steatoma, tumores ambo folliculatos — ipsa curationis ratione haudquaquam dispares, — recte, & dilucide internoscere didicerit, aut edocuerit*. Scilicet hoc relinquebatur, ut, ne se isto saltem in loco erraviisse, confiteretur; miscere omnia, & turbare contenderet, ac tot Medicinæ lumina, Galenum, Paulum, Aetium, Tagaultium, Ingrassiam, Falloppium, Paræum, Foreslum, Fabricium ab Aquapendente, Barbettum, atque alios, quorum neque nomina, neque loca indicare necesse est, cum omnibus notissima sint, aut deceptos ipsos esse, aut nos decepisse, *obtruderet*, cum de duobus istis tumoribus vel internoscendis, vel dispari modo curandis diserte docuere. Non me quidem præterit, ante illos omnes, Celsum (2) scripsisse, hos tumores *mediocres differentias habere*, — *neque diverso genere curari: tum quid intus habeant, ut conjectura præsagiri posse; sic ex toto cognosci, nisi cum ejecta sunt, non posse*; tamen ipse quoque aliter Chirurgum rem gerere oportere monuit in steatomatis curatione, neque signa quibus hoc conjiceretur, omisit, nec, quod caput est, nomina tamen ita miscuit, ut quod alii omnes *Steatoma*, id

(1) Adv. III. pag. 63.

(2) De Medic. l. 7. c. 6.

Digitized by Google

Atheroma, & quod *Atheroma*, id *Steatoma* ſine maxima rerum perturbatione, atque *etymologiæ* ignoratione, vocari poſſe, innueret.

97 Quod autem ſexto loco notaveram (1): *In generalibus viſcerum abdominis obſtructionibus, quemvis legitime affirmare poſſe, primogenitam fuiſſe obſtructionem hepatis;* id me jure notaviſſe, ipſe probat, cum eodem in
160 loco ſcribat, hoc *ordinario* contingere, & *difficillime* rem aliter evenire. Ex hiſce enim ſequitur, interdum igitur id *legitime affirmari* non poſſe. Septimo loco illud reprehenderam: *præcipuam ad vitam animalis facientem ſecretionem bilioſam eſſe*. Ipſe vero *quid mihi velim, intelligere* ſe, negat, *quum nullum*, inquit, *vel minimum animal, terreſtre, aquaticum, amphibium, volatile, inſectum & cæt. hepate, bile, ejuſque pro vitæ muniis præcipuis, ſecretione deſtinuatur*. Verum ego qui non omnia animalia diſſecuiſſe me, fateor, neque in *vel minimis* hæc ſatis videre potuiſſe, iſtis univerſalibus, ſecuriſſimis pronunciatis ipſi perlibenter relictis, gravem ipſi auctoritatem hoc quoque loco opponam, ſuam. Alibi enim affirmat: *bilis, ſuccique pancreatici in œconomia animali uſus a ſe ſimplices aſſignatos, commodos quidem eſſe*
98 *ad vitam, non autem neceſſarios*: & paulo poſt: *ex forti obſtructione, Scirrho, aut alio vitio quocumque, jacente in animali jecore tanquam ſi non adeſſet, ſeu impedita in eodem bilis ſecretione, indeque & diſpenſatione ad duodenum, affectos ſæpe hoc ritu homines vitam aliquamdiu, imo apparentem & ſanitatem protrahere*. Deinde adverſus objectionem ultimam advocet jam quantum poteſt, *flatum furioſum*, & *flatulentum ambulonem*, & ſi quid eſt nominum horribiliorum; non facile illud vetuſtum flatibus *in animalibus imperium* reſtituet, *ut libere per univerſi corporis ambages celerrimeque expatiari poſſint*.

100 Reſtant quæ ex Lanciſiana ad Provocatorem ipſum Epiſtola animadvertimus. Ea, inquit, *commentitia* 1147
pleraque eſſe. Quæ reſponſio an vere *commentitia* ipſa ſit; quæ continuo ſubjiciuntur, commonſtrant. Se *non invenire* ait *in illa Epiſtola* „ *virum gra-*
„ *viſſimum Hiſtoria Hepatica perfecta*
„ *diſerte ea ipſa affirmare quæ in* hac
„ *negantur*. „ Non eſt opus ambages quærere; ea quæ ſint, ſatis ſuperque ſignificavi; indicavi paginas, columnas quas vocant, non omiſi; ut, ſi ipſe cl. Provocator nolit, at alii omnes; tum eâ, tum cætera quæcumque dico, & quatenus dico, poſſint *videre* atque *invenire*. Illud vero in iſta II. Editione ego quidem neque *video*, neque *invenio*, quod tamen ut a me notatum, ſecundum ea quæ ſæpius jactantur, nullo modo prætermitti debebat, Reſponſum videlicet Lanciſianæ Epiſtolæ in prima editione tum ſubjectum, tum ex parte antepoſitum. Illud ipſum cum iis quæ in *Adverſariis* in eaque Editione ſcripta ſunt, deinde cum iis quæ ad XXI. Animadverſionem, vel potius ad huic præpoſita ſupra adnotavimus, conferri volumus. Sic enim patebit, num a Cel. Lanciſio improbata tueri potuerit, an potius tum in eo Reſponſo, tum præſertim *Cap. IX. & XV. Part. I.* hujus Editionis *coactus* ſit unum ex potiſſimis ſuis *commentis* extenuare, atque invertere, & denique *nugas* appellare, atque *ab hoc impoſterum excutiendo miſterio ſe abſtenturum* polliceri. Sic opinor, agens, *non obſcuram ab* Lanciſio *approbationem nactus* fuerit. At ſi perperam Reſponſum illud omiſit; recte fecit quod Ampliſſimi Viri Epiſtolam non omiſit, quacum ea quæ nos animadvertimus, ipſe autem hic negat, conferri facile poſſint. Nam *Lanciſius a placitis*, inquit, *noſtris dubitanter re-*
cedit, imo *vix adverſus duo — dubita-* 1152
re videtur. Lanciſius autem diſerte ſcripſit: *duo illa, a te propoſita, in quibus totam explicandæ rei rationem poſuiſti, mihi NULLO PACTO probari poſſunt*: & paulo infra: in hoc *ſane diligentem ſolertemque anatomicum eſſe-*
re

(1) Adv. III. p. 63.

Digitized by Google

re minime decet, qui non artefactis iconibus, sed naturæ exemplaribus duci debet. Præterea cl. Provocator *videre* se,
1148 negat; „ in Lanciſii Epiſtola, *Malpi-*
„ *ghii*, aut *Lymphaticorum vaſculorum*,
„ *non in extima ſolum ſuperficie capſu-*
„ *læ ſubſiſtentium*, ullam mentionem
„ inſtitui. „ Ego vero ſic in *Adverſariis* animadverteram (1): „ Non credit
„ Lanciſius, nihil in hepate Malpi-
„ ghium niſi nomen glandulæ innovaſ-
„ ſe, ſed veras *glandulas*, veros *glan-*
„ *dularum folliculos* adhuc agnoſcit. „ Videamus an agnoverit. Certe inter ea quæ paulo ante protulimus Epiſtolæ verba, diſerte & ſine ulla dubitatione locutus eſt de *hepatici corporis glandula*, — de *communi*, inquam *loculo*, *ſeu glandularum folliculo*, *qui ad ſphæroidem*, *vel ovalem figuram accedit*. Qui ſic loquitur, num hos *folliculos* non agnoſcit, & ſi hos folliculos agnoſcit, num præſtantiam, & veritatem, contemptæ a Provocatore, Malpighianæ hepatis anatomiæ non fatetur? Illud deinde animadverti: *Non credere* Lanciſium *lymphatica vaſcula* „
„ *in extima ſolum ſuperficie capſulæ* „ *ſubſiſtere*, *ſed cenſere lympham*, *quæ antea bilis particulis intermixta erat*, *abſorbere*. Hoc vero cenſeat, an non, alia haud procul inſequentia ejuſdem
1153 Epiſtolæ verba ſatis indicant: *partes*, inquit, *bilis ſibi mutuo adhæreſcere coguntur*, *cum ſubtilis lympha*, *quæ illas in vena porta ſolvebat*, *agitabatque*, *tam per inſenſibilem tranſpirationem*, *quam per ſenſilem in rorifera vaſa derivationem*, *ab iiſdem recedit*, *ubi in ductus biliarios confluunt*, *atque aggregantur*. Si ex hoc igitur loco recedere a bilis partibus lympham in rorifera vaſa, cenſuit; certe hæc *in extima ſolum ſuperficie capſulæ ſubſiſtere*, nequaquam credidit. Itaque in iis quæ ex Lanciſiana Epiſtola adverſus cl. Provocatorem animadvertimus, nulla; non modo non, quod ipſe ſcriptitaverat, *pleraque*; *commentitia ſunt*; ne illud quidem quod illam *incredibili*, *ut Lanciſius ſolebat*, *humanitate ſcriptam* diximus; ſatis ſuperque hoc comprobant loca quæ Provocator ex ea producere non omiſit, hæc facile nimirum *inveniens*, ac *videns*, qui reliqua illa *invenire*, ac *videre* ſe, negat. Verum ei ſummæ atque adeo, ut vere diximus, *incredibili* Tanti Viri erga ſe *Humanitati* ut reſponderit, mox videbimus.

101 Nunc pauca quæ in calce hujus Animadverſionis cl. Provocator ſubjicit, 1157
unt inſpicienda. Et primum in meam cum Præcl. Mangeto diſputationem ſe intrudit; ſed fruſtra. Nam tametſi Hepaticæ Tabulæ, huic novæ Editioni adjectæ, ejuſmodi eſſent, ut unæ pro omnibus, iiſque in primis quas ab Incomparabili Ruyſchio Mangetus ſumpſit, poni potuiſſent; non hinc tamen ſequeretur, eam de qua tunc loquebar, *Hepatica Hiſtoriæ* Editionem, cujus vitia atque defectus alienis Tabulis, & quæ ex Tabulis eliciuntur, obſervationibus, ipſe Mangetus neceſſario corrigere, ac ſupplere debuit, talem fuiſſe, ut idem ſcribere jure meritoque potuerit, *omnia* in ipſa *ſumma ἀκριβείᾳ confecta nobis occurrere*, *nec eſſe quod aliquid pro Hepatis plena deſcriptione poſt* eandem *deſideraretur*. Quod autem Provocator cl. ſibi gratulatur, ſe *de Hepatica Re jam ad unguem perduxiſſe Vindicias*, ut *jam* alias *omnes*, quæ *reliquis Operibus* ſuis *medeantur*, — *exequi protinus poſſit*, *atque evulgare*; duobus omnino monitis videtur egere, altero ut ſi melius cæteris quam *Hiſtoriæ Hepaticæ mederi* non poſſit; videat, ne ſi, ut Celſus ait, (2) *eſt prudentis hominis*, *eum*, *qui ſervari non poteſt*, *non attingere*, imprudentiſſimi ſit, morbum inſuper medicamentis augere: altero ut prius tamen has primas *de Hepatica Re vindicias* revera *ad unguem perducat*, deinde ad reliquas aggrediatur. Neque enim quæ *vindicanda* ſuſcepit, *vindicare* potuit, ſed novis erroribus cumulavit, & multa præterea ſunt quæ ne vindicare quidem conatus eſt, ſed vel convictus abjecit, vel quaſi facile *defendenda* Lectoribus reliquit, vel etiam *ſuaviter* diſſimulavit: ut quæ de

(1) Ibid. (2) De Medic. l. 5. c. 26.

Digitized by Google

de venæ portæ muniis duo perperam dicta notavimus *Adverſ. III.* pag. 39. ut tot illa quæ XXI. Animadverſione perſtrinximus: ut pleraque pag. 43. 44. 45. redarguta: ut nonnulla quæ pag. 48. attinguntur: ut alia demum, quæ reprehendimus pag. 49. & 50. ex quibus tamen ultimis cum ipſe quædam alias ſe *vindicaturum* promiſerit, vel nobis ſilentibus, omnes perſpiciunt, num *Hiſtoriæ Hepaticæ* Vindicias, *ad unguem perduxerit*, ſicuti ex primo hoc in re ſelecta, & ab ipſo diu verſatiſſima, toties inter ſuos jactato, ac promiſſo conatu quid de reliquis exiſtimandum ſit, vident, & eo magis vident, quod quæ reliquarum Vindiciarum ſpecimina ſubinde elegit, quæ huc potiſſimum afferret, ea quam levia, infirma, vitioſa ſint, non difficile eſt judicare.

102 Quod reliquum eſt, minime video, qui *confidat illa omnia, & ſingula, quæ in his — ſcripta hactenus ſunt, neque ultra ſuæ hujus Hepaticæ Hiſtoriæ inſtitutum, neque ultra ingenuam, & honeſtam ejuſdem defenſionem prolata eſſe, probos quoslibet, atque prudentes Viros intellecturos fore.* Ne enim hic memorem quæ de Utero, atque Urinaria Veſica *ultra inſtitutum* admiſcuit, & tandem aliquando, quantumvis invitus, ad ſuperiorem, quam huc diſtuli, XXIV. Animadverſionem tranſeam; quid tandem illa ad *Hepaticæ Hiſtoriæ inſtitutum* pertinebat? Quid enim addit? quid defendit? quid docet? Nonne crambem recoquit pri-
1129 mum, & *in importuna* non modo ſatis ſuperque propoſitarum meditationum, ſed toto præterea cælo a priore illa quæ unice adverſus Animadverſiones meas defendenda erat, ſententiâ ſuâ
1130 diſcrepantium, *recenſione* verſatur? Deinde ſi priores illas *paleas, & tricas* ſuas, *aridas* quidem, ſed tamen a Præcl. Mangeto propoſitas, ſic *trituravi*, ut hoc ſaltem *Litterariæ Reipublicæ emolumentum emerſerit*, ut non modo omnes, ſed Auctor ipſe *nugas* eſſe confiteatur; num propterea in aliis, atque aliis, quas non jam Præſtantiſſimus Mangetus, ſed ipſe proponit, *triturandis* me bonas horas perditurum, ſperare potuit, eoque deſcenſurum, ut ſecum, quod nondum feci, *metiri ulnas* poſt hæc præſertim *meditarer?* Si ergo neque hoc adeo facile ſperare debuit, & illud primum cum alienum a priore diſputatione eſt, tum prorſus ſupervacaneum; quonam, quæſo, animadverſio iſta redit, aut quid in ea conſcribenda ſpectatum eſt, niſi id quod neque ad *Hepaticæ Hiſtoriæ inſtitutum*, neque ad *ingenuam, & honeſtam* pertinet *ejuſdem defenſionem?* Horreſco id referens, quod ipſe non horruit facere. Quis enim honeſtus, ac bene inſtitutus homo ignorat, *quam rigide, ſalubriterque Honoris diſciplina cautum ſit, ne* præteritarum *rerum memoria iterum evolvatur, poſtquam fœdere pacis inito, ſancta eas preſſit oblivio?* Ipſe vero *iterum evolvere* non reformidat, atque ita *evolvere*, ut ſcripta, ut facta, ut rerum ordinem invertere conetur, & quas ob res mihi olim ultro ſatis fecerit, ob eaſdem me, ſi Diis placet, objurgare, & criminari non dubitet. Hoc vult, hoc agit, huc iſta apertiſſime ſpectat Animadverſio. At ſi in cæteris, ut hactenus oſtendi, omnia quæ ſcripſit, ejuſmodi ſunt, ut me docti cujuſque judicio reſpondere neceſſe non ſit, in hac certe ea ſcribere non dubitavit, ut jam, honeſti cujuſque judicio, nihil ipſi debeam ullo in genere amplius reſpondere. Atque adeo hîc ego ſcribendi finem facerem, niſi ad te, hoc eſt primum ad me alterum ſcriberem, deinde ad Virum cum cæterarum, tum præſertim Diſciplinæ Honoris conſultiſſimum, quocum omnia idcirco communicem neceſſe eſt, ut ſiquid forte in mea cauſa ipſe fallerer, tu pro Tua ſumma & Prudentia, & Benevolentia me docilem, ut noſti, hominem, & meo in gravioribus præſertim rebus conſilio diffidentem, tuo regere, & juvare poſſis. Id ut facilius præſtare queas, rem Tibi, quemadmodum geſta eſt, ſumma cum fide ex ordine exponam. Quamquam enim tibi jam magna ex parte nota eſt, mihi

Digitized by Google

hi autem qui in omne tempus de ea me taciturum receperam, gravis supra quam credi possit ac difficilis est ad narrandum; tamen neque tu optimum, ut solitus es, mihi dare consilium posses, si quid forte in re de qua consuleris, adhuc ignorares, & ego (quod tu planius infra perspicies) jam omni promisso, receptoque solutus sum.

103 Cum *Hepaticæ Historiæ* Auctor ad me datis A. 1711. litteris amicitiam quæsivisset meam, cumque ego ipsum, ut Amicum decet, diligerem, atque adeo colerem; in me fecit quod neque ego, neque tu in ignotum hominem faceremus. Quot ad illud tempus Anatomicas Figuras ediderat, in tot, ne una quidem vel minima excepta, censuras suas, me inscio, imo ne suspicante quidem, in magno atque expectatissimo Præcl. Mangeti Theatro edendas, Genevam misit. Negatne ipse horum quidquam? Nihil prorsus.
1131 At hoc dicit: *sane putavi semper, & putabo, liberum esse cuilibet in anatomicas res insudanti, ea quæ non tam diverse ab aliorum descriptionibus, quam tute, & constanter observaverit, in publicam utilitatem sincere producere.* Quam neque *tute*, neque *constanter* ipse observaverit, non est hic ostendendi locus; satis hoc est in *Adversariis* demonstratum. Sed hic fingamus, & *tute*, & *constanter* observavisse; cur me pro amicitia non ante admonuit, quam ederet? cur in censuræ modum edidit? cur nihil tale in tot aliorum Figuras quas illo in Theatro sciebat esse proponendas, edidit? Ita enim tandem *liberum est cuilibet*, discrepantes suas observationes edere, dum non in Amicum, nihil ejusmodi promeritum, nec opinantem, aut si in Amicum, certe non in censuræ modum, aut si in censuræ modum, certe non eo loco, ut omnibus parcere, in Amicum dumtaxat insurgere videatur. Quid aliud est amicitiæ injuriam facere, si hoc non est? Quanto autem magis est, si quæ in neminem honestum hominem licet, ea in Amicum edantur, & censuræ in Amicum susceptæ, in litteraria provocatione non subsistant, sed in longe aliud provocationis genus excurrant? Quod cum in ejus adversus me tam solemniter editis Animadversionibus omnes perspicerent, ut neque dissimulare possem, neque negligere; enim vero, quamvis ægre ferens, & prope invitus, necessario coactus sum mihi ipse non deesse, eaque in Alteris, Tertiisque *Adversariis*, ut nosti, scribere quæ istiusmodi provocatio postulabat, in proximis autem; sic enim rerum ferebat ordo; illa me continuo editurum polliceri quibus sigillatim omnia, quæcunque non in meas dumtaxat, quod levius est, observationes, sed in meam quoque, quod multo gravissimum est, fidem, & existimationem intorta fuerant, evidentissime refellerentur.

104 Jamque ego omnia ad editionem parata habebam, cum tandem aliquando expergisci homo, & ad se redire visus est. *Fateri* jam cœpit, *justam mihi esse causam, ob quam de se quererer; quandoquidem ipse in suis animadversionibus quibusdam esset usus loquendi formulis, neque mihi debitis, neque sane a se bene animadversis:* quod editæ hæ essent, *se ægerrime tulisse:* imo etsi Illustrissimo Lancisio *videri* posse speraret, me *abunde mihi de se in meis Adversariis satisfeciisse;* insuper tamen memoratos *animi sensus, quibus mihi satisfieri posset*, ad Amplissimum eundem Præsulem scripsit, ut hic eos *vellet mihi afferre*, & *si referre existimaret, typis etiam vulgandos permittere* in ea Epistola in qua ad ipsum *confugiens*, rogavit, *ut suam cognoscere causam non gravaretur, in qua illum, quod ad se attineret, plenissima auctoritate arbitrum constituebat.* Cognovit Arbiter causam; tantumque abfuit, ut ego *abunde mihi de* Provocatore *in meis Adversariis satisfeciisse*, Arbitro *viderer*; non modo mihi eandem misit Epistolam, ut ante *Adversaria* IV., quemadmodum factum est, eam typis vulgarem, sed ut omnes intelligerent, quid ipse in ejusmodi causa censuisset, suas ibidem vulgari a me insuper voluit Epistolas duas, in quarum

Digitized by Google

rum altera, ad Provocatorem ſcripta, hæc poſuit: *Nemo, amiciſſime Blanchi, Te perpetuam cum optimo Viro pacem voluiſſe crederet, ſi ACTA cæteroquin IMPROBANDA defenderes;* in altera autem, ad me data, diſerte ſcripſit, *jam pro certo ſe habere, me conſueta benignitate, JUSTAS licet, SEVERIORIS Apologiæ cauſas magnanimo ſilentio prætermiſſurum.* Itaque ego, quem nunquam, ut Tullius (1) ait, *pœnitebit mortales inimicitias, ſempiternas amicitias habere*, Viro Ampliſſimo, & de me, ſiquis alius, optime merito, enixe petenti, ut par erat, continuo annui, atque ita *ſeverioris Apologiæ cauſas* cæteroqui *juſtas prætermiſi, ut omnia loca ad iſtas formulas ſpectantia, quaſi eæ nunquam ſcriptæ eſſent, ex tunc edendis Adverſariis deleverim*, meaque præterea ſponte hæc (2) *a Cel. etiam Viro, cujus ut nomen, & doctrina, ita integritas, ac prudentia omnibus, in primis autem* mihi, *eidemque Illuſtriſſimo Lanciſio probe cognita erat, ac ſpectata, diligentiſſime expendi voluerim, ne mihi forte*, tunc *ægro præſertim, aliquid contra ac recepiſſem, atque omnino vellem, elaberetur.* Quod conſilium magis ipſi, ut video, quam mihi neceſſarium, ſi Provocator ut minime ignorabat, ita ſequi voluiſſet, neque communium Amicorum ſincera de hoc monita, ridere maluſſet; non eo præcipitem ruiſſe, omnes mirarentur, unde ſe recipere nunquam poſſit. Sed hæc ipſe viderit. Mea certe illa de quibus cœperam dicere, tria poſtrema *Adverſaria* cum Lanciſius denique edita conſideraſſet, in litteris quarum initium eſt: *Cum primum* XI. *Kal. Auguſti & cæt.* ad me datis A. 1719. III. Non. Sept. hæc ſcripſit: *De Tuis vero Adverſariis dicturo multa ſimul, omniaque egregia, & ſingularia, poſtremis potiſſimum tribus, mihi offeruntur. —— Video admirorque — magnam in utroque Adverſario refellendo, tuiſque doctrinis propugnandis animi moderationem. Perdifficile ſiquidam eſt, amiciſſime Morgagni, dum bonam cauſam adverſus oppugnatores tuemur, id neque cum acri contentione efficere, neque a recta ſapientiæ via quidquam deflectere; rarum quippe eſt, laceſſitum lenem, humanumque ſe præbere. — De humanitate vero, ac moderatione Tua in poſtremis potiſſimum Adverſariis, non eſt ut quidquam addam, quandoquidem vel obiter eadem perluſtranti ubique obverſantur lenitatis, ac modeſtiæ tuæ argumenta.* En quomodo ego Arbitri, ab ipſo Provocatore electi, judicio ſteterim. En quomodo, fœdere pacis inito, ſuperiora omnia, quibus acrius laceſſitus fueram, altæ, ut honeſtum hominem decet, oblivioni mandaverim. Neque hoc ſatis mihi fuit; Amici etiam, & benevolentiæ erga Provocatorem officia præſtiti. Teſtantur id ejuſdem Arbitri verba in litteris quæ incipiunt: *Tenendo io*, die XI. Nov. 1719. ad *ſpontaneam* commendationem meam ſic reſcripta: *Lodo intanto, che V.S. Illuſtriſſima lo ajuti (il Sig. Dott. Bianchi) quanto più può, ed io non mancherò alle mie parti, eziandio per incontrare il di lei buon genio.* Ab eo autem tempore quemadmodum meam fidem, Amicique officia præſtiterim, ut cætera omittam, primum ſcripta alia oſtendunt mea, quæ nullam præteritorum memoriam redolentia, Lanciſio jam mortuo, tum emiſi, tum per Virum Præſtantiſſimum Jacobum Cicogninum Regium Medicum, & Conſiliarium amiciſſimis verbis meo nomine Provocatori reddenda curavi. Deinde Præſtantiſſimus idem Vir, itemque; ut duos pro omnibus memorem; Celeberrimi Collegæ mei Antonius Valliſnerius, Cæſareus Medicus Cubicularius, & Joannes Polenus, Marchio, ex aſſiduis ille epiſtolis, hi autem ſermonibus meis ſatis ſuperque perſpicere potuerunt quam mihi jugiter, fideique conſtiterim.

105 Ipſe contra quo plerumque animo adverſus me fuerit, non obſcure indicavit, eo præſertim e vivis ſublato, cujus reverentia, & metu in officio contineri videbatur, Lanciſio. Non eſt opus

(1) Pro C. Rab. Poſt. (2) Vid. Præf. I. B. Vulp. ad IV. Adv.

Digitized by Google

opus quæ aut Bononiæ, aut Augustæ Taurinorum de me dixerit, scripserit, credere se, ostenderit, commemorare, quando Bononiæ A. 1720. in ea, quam ibi unam publice habuit, sed non sic edidit, Oratione se cohibere non potuit, quin me nihil ejusmodi meritum, indigne ferentibus bonis omnibus, obliqué perstringeret. Verum hisce in præsentia omissis, ad majora de quibus cœperam dicere, confestim veniamus.

Jam illa ipsa non dubitat commemorando renovare, quorum omnino memoriam omnem sublatam funditus, ac deletam esse oportebat. De illis ipsis audet apertissime verba facere, atque ita facere, ut res prorsus mutet ac rerum ordinem invertat. Principio, *in*
1131 *illis suis Animadversionibus, injurio dicendi genere numquam*, si ipsum audiamus, *usus est*. Sibi tantummodo excidit *in unica ex his animadversionibus lepidum unum, aut alterum verbum, ex quadam revera juvenilis tunc animi hilaritate*. Quid, si ipse in ea quam edidimus, Epistola, cum suam Lancisio *causam exponeret*, ultro *fassus* non esset, me a se *provocatum fuisse illis formulis, iisque præsertim, quæ in PLURIBUS locis ejus animadversionis occurrunt, quam in III. meam Tabulam scripsit?* Nunc nihil est, nisi *unum, aut alterum verbum*, idque non *injurium*, sed *lepidum ex quadam juvenilis tunc animi hilaritate*. Utinam res ad hunc se modum habuisset. Dici non potest, quanto melior ejus causa fuisset, si nihil debuisset apud Lancisium nisi *leporem*, & *juvenilem tunc*, cum scripsit, *hilaritatem* defendere. At cur de *lepore*, & *hilaritate* in ea Epistola ne verbum quidem? præsertim cum de ea qua scripsit, ætate aliquid innuere conatus esset, videlicet *ex quo primum mea I. Adversaria in illam Urbem allata sunt*, res illas *in suum dumtaxat usum adnotavisse*. *Eas animadversiones cum ita scripsisset, nunquam deinde amplius inspexisse*. *Pluribus exinde annis elapsis,* ---- *ne relectas quidem*, Genevam *misisse*. Quæ tamen quam vera sint, cum alia commonstrare possint, quæ nunc prætereo, tum illa demonstrant, quod in ejus animadversionibus semel atque iterum (1) de Terraneo, ut jam mortuo, verba fiunt, qui anno saltem 1714. adhuc vivebat (2): quod *postquam* illa *cuncta jam scripserat* de Vesica urinaria quæ in ejus Epistola leguntur *die 1. Novembr. ann. 1715.* ad Præcl. Mangetum data, & ab hoc sui Theatri Tomo I. edita, *invisa adhuc* sibi esse testabatur (3) ea *Adversarior. I. folia*, atque adeo illam ipsam paginam (4), in qua de Linguæ Foramine ea scripserat quæ in ejus Animadversionibus (5) carpuntur; quod in his diserte scribitur (6): *Sed hæc omnia evidentius demonstrantur (in suum* videlicet *dumtaxat usum* hæc, atque alia ejusdemmodi *adnotabat*! illudque præsertim quod in alia Animadversione est (7): *præstat jam nostras hujus anni super hâc re observationes quâdam etiam extensione evulgare.) Sed hæc omnia evidentius demonstrantur per nuperrime evulgatam Dissertationem Epistolicam, cui titulus „ Ductus Lachrymales Novi.„* eam autem Dissertationem evulgavit vergente A. 1715. Ex hisce igitur cunctis præclare constat, quo demum tempore aut *scriptæ*, aut certe auctæ, non modo *inspectæ*, & *relectæ*, fuerint illæ Animadversiones, A. 1716. editæ. Si autem eo quod indico, tempore quo maxime amicitia nostra vigebat, quartum jam supra tricesimum agebat annum; quis locus *juvenili tunc* ni-miæ *hilaritati* in eo præsertim homine esse poterat qui sibi nunc *in anatomicis dissectioni-* 1019
bus, atque anatomicorum librorum, lectionibus jam prope consenuisse videatur? Vel si sua, nihil aliud quam *lepida verba* esse contendit, *juvenili tunc hilaritati* condonanda; cur non eadem mecum indulgentia utitur, quem præ se adeo putat juniorem, quod anno insequenti tum eundem fere agens annum, tum

(1) Vid. Mangeti Theatr. Anat. Tom. II. pag. 32.
(2) Vid. Anel. Suite & cet. pag. 226. (3) Pag. 421.
(4) 4. I. Edit. Adverf. I. (5) Theatr. cit. Tom. II. pag. 436
(6) Ibid. pag. 379. (7) Ibid. pag. 174.

Digitized by Google

provocatus, quod *fatetur*, II. & III. Adversaria conscripserim?

106 At qui sibi parcit, tristem mecum severissimi Patrui personam induit. Mea verba, si ipsum audiamus, *in-*
1131 *decentes* sunt *rerum*, *atque verborum translationes*, indecentia, inquam, *inter maturos*, *honestos*, *atque in dignitate* (utcunque, tandem aliquando)
1131 *repositos Viros scenica Dicta*, — *offensiones*, *atque nimis absona dicteria*, — *sonora convicia*, — asperrima *dicteria* — *cum quibus* nullo videlicet modo *æquiparandæ illæ sint adhibitæ a se loquendi formulæ*, sive *lepidum* illud *unum*, *aut alterum verbum ex quadam juvenilis tunc animi hilaritate*. Miserum me, qui obstrictam Lancisio fidem, quamvis post ejusmodi alterius facta solutum, liberumque me censeam, servare tamen quoad possim, vehementer velim, neque eas formulas proferre, quas nunquam me spopondi commemoraturum; miserum, inquam, me, si illæ Animadversiones non extarent, aut quibus me *formulis* potissimum provocatum esse, censuerim, non aliqua ex parte intelligerent omnes, tum ex pene ultimo versu meæ in II. *Adversaria* Præfationis, tum ex Responsionis ad Lancisium meæ, quam *Adversariis* IV. præfixi, capite secundo, & tertio! Usque adeo, sine ulla prorsus causa, ab eo qui mihi se amicissimum profiteretur, repente provocatus, quid demum continuo in II. & III. *Adversariis* reposui, quod ex æquo illis omnibus *formulis* responderet? Quatuor quæ sibi gravissima visa sunt, selegit Provocator ipse specimina, quorum tamen num ullum sit quod mores, hoc est voluntatem ipsius aperte lædat, tu pro Tua eximia in ejusmodi judiciis Prudentia, satis vides, præsertim cum primum ubi ipse indicat, non inveniatur; ubi ubi autem sit, non unam habeat interpretationem; alterum, hoc est *Archipoetam* non ipsum quidem esse dixerim, sed eas *locutiones Poetam magis*, *vel potius Archipoetam quam Anatomicum decere*; tertium in ipsum dictum esse, convincere nemo possit; quartum denique *non meo*, *sed amicorum judicio fuisse positum*, sic ab omnibus *intelligatur*, ut ita *intelligi*, sine ulla dubitatione confirmare ego quoque potuerim, *confiteri* autem; qua satis impropria *formula* Provocator nunc utitur; neque potuerim, neque debuerim, neque adeo unquam voluerim. Quæ cum ita sint; idem *confidenter* admodum, qua satis propria hic formula utitur, profecto scribit: *Quale de hoc mordaci acerbissimoque stilo apud Transalpinas sapientissimas Academias, totque exteros prudentissimos, doctissimos Viros judicium fore putabimus? Num istis in hoc decantata illa per omnes ætates Italorum scriptorum gravitas, num moderatio, num saltem publica utilitas elucebit?* Verum enimvero (1)

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Scilicet sapientissimi illi Viri ignorant, quæ nos pueri ex Terentii Prologis edidicimus (2)

— siquis est, qui dictum in se inclementius
Existimavit esse, sic existimet,
Responsum, non dictum esse, quia læsit prior. ——

(3) *Hic respondere voluit, non lacessere.*
Benedictis si certasset, audisset bene.
Quod ab illo allatum est, sibi id esse rellatum putet.

At benedictis, inquit, certavi, cum *quibus locis de me amplius conqueritur Censor*, *his sane plures ingenue laudes eidem intexerim*. Quid aliud hoc est, nisi eidem homini sinistra blanditi, cum dextera vulnus infligas, & deinde ob blanditias illas contendere, ne inflicti vulneris dolorem ostendat, eidemque ne medeatur? Imo vero, si vir sit, non modo *ingenuas* ejusmodi blanditias non credet, sed hoc magis conqueretur, quod sibi quasi puero per blanditias præterea imponere, & fucum facere impune speraveris. Quid autem minus ferendum esset, quam si qui sic vulnus inflixisset, quereretur ipse, quod blanditiis

(1) Juven. Sat. 2. (2) Eunuch. (3) Phorm.

Digitized by Google

ditiis ſuis non ſatis grate reſponſum eſſet? Non in eo reponendus eſſet

——*hominum numero, qui ita putant*
Sibi fieri injuriam, ultro ſi quam fecere ipſi, expoſtulant
Et ultro accuſant? (1)

Hoc vero ipſum eſt, quod ſupra alio in
988 loco facere Provocator non veretur, mihi propterea minus *grati animi*, ſi Diis placet, notam imponens, quod in eodem *Theatro*, ſuis tum ingenioli mei laudibus, tum in meam fidem, & veracitatem vulneribus una propoſitis, de horum potius juſta medicina ſollicitus, quam illarum memor fuerim, quaſi hæ, ut paulo ante oſtenſum eſt, non mihi potius augere dolorem debuiſſent, & certo tamen in loco (2) illi de qua loquitur, Diſſertationi reſpondente, ego quoque *Ingenium* ejus *libenter* non *agnoviſſem*. Utinam tam in me alia vigerent, ſi qua ſunt, bona, quam gratus, candidus atque pacificus, natura, & inſtitutione animus profecto viget. Nam ſi non hunc, quid in me aliud ament tot, & tam clari tum apud nos, tum apud exteros Viri, quorum conſtantiſſimis amicitiis ornor, certe non video. Alia enim omnia quæ pro ſuo erga me amore tribuunt, fortaſſe cupio magis, quam habeo; grati autem, candidi, & lenis animi laudem facile agnoſco. Hanc unam de multis probo, quæ pro incredibili eorum erga me benevolentia congeſtæ in me ſunt ſive ſolutâ oratione, a Cl. Collega meo Jo. Bapt. Vulpio (3), ſive in elegantiſſima carmina conſtrictâ, a Præſtantiſſimo Viro, qui Scientiarum Academiæ Bononienſi a ſecretis merito eſt Franciſco Zanotto (4), cujus Elegias aliquot, *quas ipſum Catullum ſcripſiſſe non puderet*, hic nuper cum ſuorum laudatiſſimorum Carminum libris edidit Vir Præcl. Jo. Antonius Vulpius.

107 Sed quoniam Provocator quid *de meo* potiſſimum *mordaci*, ſic enim ipſe ait, *acerbiſſimoque ſtilo Tranſalpinæ ſapientiſſimæ Academiæ, totque exteri prudentiſſimi, doctiſſimi Viri judicium* ferant, tantopere ſcire avet; miror, non ipſum attendiſſe, neminem unquam, quod ſciam, vel apud Exteros, de meo ſtylo conqueſtum eſſe, imo apud eos quoque præclara de hujus *candore*, & *modeſtia* extare teſtimonia: de quibus duo noviſſima dumtaxat ſeligam, alterum Graviſſimorum Virorum, a quibus Lipſiæ *Eruditorum Acta* conſcribuntur, alterum Cel. Viri Georgii Danielis Coſchwitzii in Alma Fridericiana Halenſi Academia Prof. Publ. Ordin. & Potentiſſ. Poruſſ. Regis, Phyſici Meritiſſimi. Hic enim quod nobilem Diſſertationem ſuam, quæ *Ductus ſalivalis Novus* inſcribitur, mihi etiam, nunquam antea officiis ullis, aut epiſtolis noto, pro eximia ejus Humanitate dicatam eſſe voluerit, hanc cauſam edidit, ex qua ipſe, ut ex aliis quoque mox neceſſario a me proferendis, aut indicandis de me locis, nihil niſi quod ad meos attinet mores, agnoſco, reliqua ut magno & perliberali Laudantium animo paria eſſe, video; ſic mea eſſe fateor mediocritate longe majora. Ita igitur Vir Præclariſſimus: *Te denique quod publice compellem, inter Anatomicos noſtri ævi ſumme Morgagne haud mireris: tanta enim apud me Nominis Tui ab eo quo tempore Adverſaria tua Anatomica cognita mihi fuere, fuit, & manet æſtimatio ut excuſationis ob temeritatem meam abs Te expetendæ fundamentum in Magni Tui Nominis æſtimatione TUOQUE CANDORE E SCRIPTIS TUIS elegantiſſimis UBIQUE ELUCENTE, reponam.* Nobiliſſimi autem Doctiſſimique Lipſienſes de mea in Serenum Samonicum Epiſtola ſic perbenigne loquuntur (5): *In hac judicium ſuum juſtus rerum æſtimator interponit de editionibus* pluribus, *& quid in ſingulis vel probandum cenſeat, vel improbandum, INGENUE MODESTEQUE enuntiat*, & paulo poſt: *UBIQUE autem MODESTIÆ ita litat; ut dubites, utra viri virtus major ſit, MO-*

(1) Terent. Adelph. (2) Adv. III. pag. 97.
(3) In Epiſt. Dedic. Celſi. (4) Eleg. 5. & 6. (5) A. 1724. M. Jul.

Digitized by Google

DESTIA, *an eruditio*. Sed de ipsis II. & III. *Adversariis* cum Provocatoris Animadversionibus, ut par est, collatis, *Transalpinorum* judicia attendamus. Et primum iidem Prudentissimi Viri Lipsienses cum quæ nunquam antea edita Cl. Mangetus Theatro Anatomico inseruisset suo, & in his cætera Provocatoris scripta diligenter commemorarent (1), nullam hujus in me Animadversionum mentionem injecerunt. Contra, de illis singulis *Adversariis* meis non modo singulas, easque præclaras relationes habuerunt, sed (2) me *temere lacessitum*, & *optime* tamen *de publico mereri pergere* in iis *Adversariis*, pronunciaverunt. Insuper cum in IV. *Adversariis* recensendis, scripserunt (3), hæc me *temperatiori stylo cum reliquis* edidisse, *quod Blancus celeberrimi Lancisii --- interpositione post ingenuam culpæ confessionem ex Præfatione Vulpii quatuorque Epistolis præpositis mihi videatur reconciliatus*; profecto neque *temperatum* II. & III. *Adversariorum stylum* fuisse, negaverunt, & cur non æque temperatus esse debuerit, præclarissime indicaverunt. Certe Provocatoris cum *ingenuam culpæ confessionem* dixere; non *lepidum unum, aut alterum verbum*, vel *quandam juvenilem tunc animi hilaritatem* designaverunt, imo infra aperte declaraverunt, meam illam *Tabulam* III. *INIQUIUS fugillatam pomum Eridos præbuisse*.

Et cum hæc tam luculenta de utriusque stylo testimonia Virorum inter Transalpinos spectatissimorum extarent; Provocator tamen *Transalpinarum sapientissimarum Academiarum*, & *exterorum prudentissimorum, doctissimorum Virorum judicium*, quasi secundum se esset, memorare non dubitavit! Verum aliorum, credo, judiciis nititur, quorum nullum tamen pro se, aut adversus me ab ipso adhuc proferri video, nisi forte Prudentissimi, ejusdemque Doctissimi inter exteros Anatomicos Viri, Heisteri sententiam sibi propitiam esse, putaret. Sed hæc hisce gravissimis verbis concepta est (4): *Bianchus in Mangeti Theatro Anatomico Morgagnum ACRITER AGGRESSUS EST*. En *lepidum* illud *unum*, *aut alterum verbum*; en illam *quandam juvenilis tunc animi hilaritatem*; *Morganum*, inquit, *acriter aggressus est*, *valvulam coli negavit*, *atque simul novos vesicæ musculos ibidem delineavit*. Morgagnus autem quid tum fecit? *Hæc vero omnia* (pergit judicium ferre Heisterus) *a Morgagno in Adversariis suis examinantur*, *atque excutiuntur*. Num *mordaci acerbissimoque stilo?* Nihil ejusmodi? Num *acriter*? Ne id quidem. Quid ergo? Cum alia in Editione (5) Vir Gravissimus eandem hanc iisdem verbis sententiam posuerit; ultima dumtaxat sic leguntur: *quæ vero omnia a Morgagno in Adversariis suis nervose refutantur*. Sed cur ille *acriter*; hic tantum *nervose*? Nimirum quia ille *aggressus est*; hic *refutavit*. Cur ille *iniquius* dicitur *fugillasse*; hic *temperato stilo* non negatur scripsisse, imo scripsisse dicitur *candore ubique elucente*? Videlicet quia ille *culpam* admiserat, & *pomum Eridos præbuerat*; hic autem *temere lacessitus* fuerat. Norunt enim Doctissimi Viri, quid natura doceat, quid Prudentissimus Princeps Vespasianus pronunciaverit (6): *Non oportere maledici --- remaledici civile fasque esse*. Esse igitur in his quoque rebus (7)

Duo cum idem faciunt, sæpe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod qui facit.

Imo (8) *ut in fœminibus est causa arborum, & stirpium*, sic acris, si est, defensionis meæ in *acri aggressione* causa fuit, ut *omnia denique, si recte ratiocinemur, uni* debeamus *accepta referre* Provocatori. Atenim mihi quoque *acerbus*, ut dictitat, *stylus* fuit. Fuerit fortasse, quando ita vult, fuerit; sed

(1) A. 1717. M. Maji.
(2) Suppl. Tom. 7. Sect. 5.
(3) A. 1720. M. Mart.
(4) Progr. de Invent. Anat.
(5) In 4.
(6) Sueton. l. 8. c. 9.
(7) Terent. Adelph.
(8) Ex Cic. Phil. 2.

Digitized by Google

sed certe in refellendo, non in provocando fuit; (1)

sed hic stylus haud patet ultro
Quenquam animantem: & me veluti custodiet ensis
Vagina tectus: quem cur distringere coner
Tutus ab infestis mucronibus *? o pater, & rex*
Jupiter, ut pereat positum rubigine telum:
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis, at ille
Qui me commôrit (melius non tangere clamo)
Flebit.

Quod si hæc Flaccus sine *italicæ gravitatis*, & *moderationis* nota edixit, nec sine *publica utilitate* etiam fecit; siquidem (2) — *avidos vicinum funus ut ægros*

Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit,
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent vitiis;

quid *lepidorum verborum*, & *juvenilis hilaritatis* Patronus, novus repente Cato nobis efficitur, & a *decantata illa per omnes ætates Italorum scriptorum gravitate*, *moderatione*, *publica* demum *utilitate* idcirco defeciſſe me, indicat, quod mea sponte lenis in alios, necessario severus in ipsum fuerim *?* quasi vero non omnis ætas Italos etiam Scriptores vidisset eo severius qui provocaverat, refellentes, quo graviores ipsi erant, quo in reliquos moderatiores, quo publicæ utilitatis cupidiores. Quod si quia me sic ut par erat defendi, idcirco dedecorasse Italorum Scriptorum opinionem, & publicæ obfuisse utilitati, vel apud nostrates, vel apud exteros censendus sum; quid ergo est, quod post illa emissa *Adversaria*, major in me Prudentissimi Principis Liberalitas, major tum nostræ, tum Exterarum Nationum erga me benignitas, & favor extitit? Non est opus quæ nota sunt omnibus, commemorare, neque vero pudoris mei est omnia recensere. Tamen cum hic locus sit non gloriolæ aucupandæ, sed contumeliæ repellendæ, coactus faciam, quod & paulo ante facere debui, ut nonnullos de tot erga me benignissimis Transalpinis saltem nominem, quorum judicio, mea neque Italiæ decori, neque publicæ utilitati obfuisse *Adversaria* constet. Consummatissimi apud Amstelodamenses Professoris Ruyschii *Adversaria Prima*, Eximii in Lugdunensi apud Batavos Academia Medici Boerhaavii *Institutiones*, & ad Ruyschium *Epistolæ*, Præstantissimi jampridem in Altorfino nunc in Helmstadiensi Lyceo Magistri, Heisteri *Compendium*, Illustris in Parisiensi Regia Scientiarum Academia Anatomici Winslowii non una *Commentaria*, Amplissimi Cæsareæ N. C. Academiæ Præsidis Schrockii *Observatio L. Cent. VIII.*, Nobilissimi Halæ Magdeburgicæ Professoris, & Regii Consiliarii Friderici Hoffmanni *Medicina Rationalis*, Præclarissimi apud Wittenbergenses Professoris Abr. Vateri *Dissertatio de Ductu Salivali*, Celeberrimi ex Regio Londinensium Medicorum Collegio Viri Richardi Mead ad magnificentissime editam, Cowperi Myotomiam (quam hæc dum scriberem, a Munificentia accepi Viri summi Alcysii Ferd. Com. Marsilii) *de motu Musculorum Introductio* inspiciantur, præsertim vero Regiæ Scient. Societatis Anglicæ humanissimum de me judicium spectetur; & tum denique quid de meis *Adversariis* quæ certe omnia apud Lugdunobatavos recusa sunt, *Transalpinæ sapientissimæ Academiæ*, *totque exteri prudentissimi*, *doctissimi Viri judicium* tulerint, existimetur.

108 Verum hæc omnia ita, an secus se habeant, quid tandem attinet disputare, quando electus ab ipso Provocatore *plenissima cum authoritate Arbiter*, sapientissimus Vir Lancisius tantum abest, ut *moderationem* in II. & III. *Adversariis* non esse a me servatam censuerit; *justas* adhuc mihi superesse *Apologiæ severioris causas*, ideoque mihi publice satis adhuc faciendum esse,

(1) Horat. Serm. l. 2. S. 1. (2) Id. l. 1. S. 4.

Digitized by Google

esse, ut supra vidimus, judicavit, & ita quidem satisfaciendum, ut ex vulganda Provocatoris Epistola omnis de ipsius provocationis genere, de meæ refutationis moderatione ambiguitas, omnis de Exterorum judicio sermo tolleretur. Nam cum ad Amplissimum Præsulem, impetrandæ a me pacis causa, Provocator ultro confugisset Epistola primum italice scriptâ die 12. Junii 1718. in qua cum alia quæ Lancisius minime tulit, tum hæc ponebantur: I. *per avere io nelle mie animadversioni usate espressioni, a lui, dirò così, non dovute.* — II. *: e non sembra a VS. Illma che il Sign. Morgagni siasi presa una abbondante soddisfazione, e direi anche, eccedente?* — III. *Così non avranno gli Stranieri di che deridere, o condannare nelle nostre Contese;* Lancisius eadem italica Epistola jam constitutus *Arbitro autore volissimo*, litteris pariter italicis ad Provocatorem datis die 9. Jul. 1718. quarum initium est: *Ha VS. Eccellentissima & cæt.* hunc ita monuit: I. *questo „ dirò così „ va levato affatto, perchè distrugge tutta la soddisfazione*; & infra: *ella ha da detestare con sensi chiari, e non punto ambigui.* Certe *lepidum unum aut alterum verbum* oportere *detestari*, nunquam dixisset. II. *io toglierei quell' „ eccedente „ se vogliamo l'aggiustamento:* & supra: *il rispondere con asprezza a chi vi tratta senza dolcezza, è accordato infin da libri sacri, non che da Vespasiano.* III. *Andrebbe parimente trasandato quel luogo „ così non avranno gli „ stranieri & cæt. „ perchè ritorna ad alterare gli animi loro.* Hæc diserte præscribebat Arbiter, hæc aperte monebat. Hæc in vulganda Epistola Provocator, ut mihi secundum Arbitri judicium satisfaceret, observare debuit, & reapse cum eandem latine redditam Idibus Octobris 1718. ad Lancisium remisit, certe observavit. Hæc ipsa nunc, ut supra vidimus, minime observat. Quid faceret Amplissimus Arbiter, idemque Honestissimus pacis sequester, si viveret, non est obscurum, cum ex inexpectata qua sua Provocator monita excepit, mora, & tergiversatione, cæterisque tricis, de quibus postea dicemus, quasi hæc quæ nunc acciderunt, animo præsentiret, in meis manibus esse voluerit & Provocatoris autographa, & exempla suarum ad eum litterarum, quæcunque tum eo tempore ad suam mihi probandam fidem, ac sinceram agendi rationem, tum olim, si hæc quæ Vir Prudentissimus jam tunc veteri videbatur, acciderent, ad Provocatorem undique convincendum magis idonea existimavit. Iis in præsentia utor, Tibi atque omnibus, quotiescunque oportuerit, ostendendis, & facile ab omnibus quicunque aut cum Provocatore, aut cum Arbitro litterarum commercium habuerint, pro legitimis sine ulla dubitatione continuo agnoscendis. Quod si Provocator noviset; fortasse aliquanto cautior fuisset iis scribendis, quæ protinus examinabimus.

109 Nam quasi suas in me *formulas* non jure, & merito, neque ita censente Arbitro, detestari debuisset, sed ex animi liberalitate, sed Amplissimo atque Amicissimo Viro rogante, atque adeo deprecante, ut huic gratum faceret, damnare voluisset; Lectoribus hæc narrare non dubitat: se illas *formulas* ,,131
ita avente, ac deprecante amplissimo illo Viro piæ recordationis amicissimo Lancisio (cui nempe, veluti qui super se, suamque omnem voluntatem perpetuum valuit, nihil unquam renuere potuisset) per epistolam publici juris redditam, omnibus, ut ille jussit, atque jubere potuit, mansuetioribus, & amicioribus sensis cumulatam, generoso, atque incredibili pene modo condemnavisse. Non est satis. Attende quæ addat, & quid moliatur. *Namque ut comperta*, inquit, *sit omnibus mea in illa scribenda Epistola (II. ad initia Adv. Anat. IV.) erga gravissimi Præsulis vota observantia, animique mei liberalitas, & tanta profecto, ut melius hanc fore ab Adversariis nostris remunerandam toto corde censuissem* (de quo videbimus postea) *liceat obiter innuere, quibus hanc a me Epistolæ formam efflagitaverit*

Lan-

Digitized by Google

Lancisius, & quibus ea, tandem post longum elapsum tempus, plurimosque Epistolarum itus, ac reditus, a me obtenta, plauserit ille sibi, mihique voluptatis suæ, gratique animi argumentum protulerit. Ita igitur ad me rogans, de Epistola scribebat Lancisius „ *Caro* „ *Signore D. Bianchi fa d'uopo devol-* „ *vere qualche cosa al giudizio ancor* „ *mio & cæt. VS. . se si arrende a* „ *questa condescendenza, consola me &* „ *cæt. Ella dunque si degni darmi* „ *questa consolazione & cæt. Aspet-* „ *to una breve risposta di reciproca* „ *quiete, e contento: Me la dia per* „ *obbligarmi sempre più, & cæt.* „ *Accepta vero aliquando nostrâ illa Epistola* (quæ an proprie nuncupata *Confessio* sit, infra videbimus) *suam statim lætitiam ornatissimus Lancisius datis ad me latinis his litteris significabat.* „ *Viro Doctissimo & cæt. Maxi-* „ *mam, Clarissime Bianchi, ex novissi-* „ *mis tuis litteris VI. Kal. Aprilis ad* „ *me datis voluptatem cepi, quod* „ *quem speraram, atque optaram, nun-* „ *cium attulerint, scilicet Te in meam* „ *tandem sententiam venisse: qua dis-* „ *sensiones omnes inter litteratos Viros,* „ *præsertim vero amicos, penitus abi-* „ *gendas esse arbitrabar. & cæt. quare* „ *tibi, Vir optime, vehementer gratu-* „ *lor, mihique gaudeo, quod meis con-* „ *siliis adductus cum Præstantissimo* „ *Morgagnio, prioribus scriptis tuis of-* „ *fenso, posterioribus tuis erga illum* „ *observantiam testantibus, pristinam* „ *amicitiam redintegrare studueris. &* „ *cæt.* „ Incipiamus, quæso, ab his latinis Lancisii Litteris, quibus hunc Provocator ait suam *statim* lætitiam ob acceptam illam, ut dicit, Epistolam significavisse. Quo die, obsecro, datæ sunt? Non apparet dies. At quo anno? Ne is quidem. Illæ vero aliæ italice scriptæ *rogantes*, atque edeo *deprecantes*, illamque, ut ait, Epistolam *efflagitantes*, quo tandem tempore missæ sunt? Harum quoque tempus silet-
1133 tur. Quid, si hæ missæ fuissent *die* XI. *Martii* 1719. illæ vero latinæ *ipso Sabbato Sancto VIII. Idus Aprilis MDCCXIX.* ut nos luculenter omnibus qui velint apud nos inspicere quæ Lancisius ad nos scripsit, & quæ litterarum exempla misit, ostendere continuo possumus? Num ad illam quam ait, Epistolam pertinerent, quæ jam sic emendata ut a nobis edita est, ad Lancisium missa fuerat; quod supra etiam diximus, & ipsa ostendit; *Id. Octobris* 1718? Certe nullo modo. Qui enim posset Lancisius pro nobis *efflagitare* id quod anno superiore ante menses ferme quinque acceperat, & ad nos sic omnino edendum, continuo tunc miserat? Provocatorem sane paulo magis oportebat esse memorem. Nam illæ ipsæ quas producit, lætabundæ Lancisii litteræ, si non in fine, unde illud quo scriptæ sunt, tempus ademptum est, at certe ipso initio differre significant omnibus, eam voluptatem ab Lancisio captam esse *ex novissimis* Provocatoris *litteris VI. Kal. Aprilis ad se datis*; non igitur ex ea Epistola quæ *Id. Octobris* data fuerat. Quid ergo est? Nempe istæ ambæ quas producit, Lancisii Litteræ ad longe aliam rem, ad longe aliam Epistolam pertinent, de qua infra dicam, ubi ostendero, ut non eas de quibus in istis litteris, sic nullas Lancisii preces ad justam illam obtinendam vulgatæ a nobis Epistolæ emendationem intercedere debuisse.

110 Ex quo enim a Provocatore die 12. Jun. 1718. ultro ad se *confugiente* illam, ut supra ostendimus, multiplici emendatione dignam Epistolam Lancisius acceperat, ad *Idus* usque *Octobris* ejusdem anni 1718. quo tempore emendatam recepit, rescripsit primum die 9. Julii anni ejusdem tum illa tria quæ supra retulimus monita, tum hæc quoque: *dicendole apertamente*, „ *che* ---- „ *a volere una vera pace, e ritornare all'antica litteraria amorevole corrispondenza,* „ *bisogna nella discolpa non stare attaccato a certe parole, e non porre alcune* „ *voci, che distruggono tutto l'aggiustamento*: & infra: „ *Illos ferre non pos-* „ *sum* „ *dice pur bene Cicerone* „ *qui* „ *dum se pacem velle simulant, acta* „ *de-*

Digitized by Google

„ *defendunt* : „ & paulo post : *Il confessare i proprj falli non è vergogna è prudenza*. In his ergo litteris hæc quidem invenio, quæ monentis, an deprecantis sint, patet: verba autem *rogo*, aut *deprecor* omnino non invenio. Et sane cur eum qui ad se ultro confugisset, seque Arbitrum constituisset, rogaret, nulla nisi forte humanitatis, & ejus, qui ad se confugisset, utilitatis causa erat. Ad has autem litteras cum respondisset ille die 26. Augusti 1718. Epistola quæ incipit: *Per la maggior & cæt.* qua se esse, & fore in Monentis arbitrio *constantissime* confirmavit his verbis quibus Epistolam concluſit suam : *Monsignore : Intiera le replico la mia in ogni modo constantissima sommissione, e tutto nel soggio di lei aribitrio l' onor mio depongo ;* post hæc profecto non video, qui locus amplius Lancisii precibus esse debuerit.

Hæ igitur fuerunt Lancisii *deprecationes*. illæ, *efflagitationes rogationes*, hi *plurimi* illi *Epistolarum ius*, *ac reditus*, hæc illa tanta, & tam *generosa*, *atque incredibilis* Provocatoris erga nos provocatos *animi liberalitas !* Quam certe non intelligo quomodo cum tot illis *deprecationibus*, *& efflagitationibus*, cum *plurimis* illis *Epistolis*, cum illo *tandem longo elapso tempore* componi & conciliari posse, putet. Sane interceſſit aliquod tempus priusquam ipse ad Arbitri a se rogati sincera monita rescriberet. Sane in Epistola, *Id. Octobris* tandem missa, quædam relicta sunt, connivente Lancisio, *dura*, & parum cæteris *consonantia*. Num illud *generosam, atque incredibilem animi liberalitatem ;* num hæc, *omnia mansuetiora, & amiciora sensa* revera ostendunt? Quanto aliter ego, qui etsi dare operam omnino debui in mea, quæ una edita fuit, Epistola, ne illa viderer aut non intelligere, aut comprobare ; tamen *confessionem* Provocatoris *vel ut ipsi gratum facerem, vel ut naturæ ingenioque meo indulgerem, vel ut Lancisio, quod caput erat, Amplissimo, & de me egregie merito Viro obsequerer* (quamvis adeo provocatus ; neque adhuc sigillatim provocationibus a me repulsis ; magno insuper mihi in mutandis reliquis *Adversariis* impendente labore) certe *promte ac libenter accepi*. Meaque illa ipsa Epistola usque adeo tota Lancisio placuit, ut continuo ad me rescribens die 5. Nov. 1718. eas litteras, quibus initium est : *Per farle & cæt.* eam & vocaverit, & judicaverit, *gentile*, imo ad Provocatorem ipsum scribens illas quæ latine una editæ sunt, litteras, *humanissime* in ea me egisse, pronunciaverit, neque unquam, suo quidem judicio (id quod infra in loco meminisse te velim) in ea mutandum, nedum emendandum censuerit quidquam. Quod autem de ea Epistola sensit, multo nunc magis, si viveret, ac legere hunc posset locum, de me sentiret, qui etsi alii eas quæ nunquam fuerunt, illius *efflagitationes*, & *deprecationes* productis litteris huc minime pertinentibus jactare voluerint, ipse contra qui ejusdem Lancisii epistolas huc maxime spectantes, & sive non vulgares efflagitationes, sive summam erga Provocatorem commiserationem exprimentes producere vicissim possem, non faciam tamen, sed apud me premam, & ne illis quidem ad hoc utar quæ ante IV. Adversaria editæ sunt. Omnino enim sic intelligo, atque ita sentio, qui *generosæ animi liberalitatis* laudem cupiat, nihil ei minus convenire quam pervicaciam & tergiversationem suam in liberalibus, nedum in justis actionibus edendis jactare. Tum ab iis qui utriusque nostrûm animum velint recte internoscere, atque uter pacis studiosior ac cupidior fuerit, intelligere, nihil est quod malim spectari, quam Provocatorem ad injurias Amico inferendas ultro decurrisse, Provocatum ad repellendas *prope invitum*, *coactumque* ab sapientibus Amicis, descendisse : rursusque Provocatorem cum de satis faciendo ageretur, tardum se & pertinacem tum hic jactare, tum alibi etiam scribere :1079 *quod voluit Lancisius, & se TANDEM voluisse ;* Provocatum autem delatam *tandem* satisfactionem *prompte ac libenter accepisse*. Uter est, in quem con-

Digitized by Google

conveniat illud Terentii (1):

hic ubi opus eſt;
Non verentur: illic, ubi nihil opus
eſt, ibi verentur?

Et hic tardam ſuam, neque omnino caſtigatam, ſatisfactionem *melius fore ab Adverſariis ſuis remunerandam toto corde cenſuiſſet?* Num continuo? an poſtea? ſi poſtea, in ipſiſque ultimis *Adverſariis*; quid de his ſtatuerit Arbiter, ſupra oſtenſum eſt, illudque præterea hic addi poteſt, quod idem Arbiter die 22. Julii 1719. ad nos ſcripſit iis litteris quarum initium eſt: *L' altra ſera & cæt.* Sic enim ait: *Mi ſono avveduto, ch' ella uſa ogni poſſibile dolcezza nel ributtare le cenſure del Signor Bianchi, e ſingolarmente ove ragiona delle glandole ſebacee, e delle mammelle. Certo, che a quel Profeſſore durando la temperie di mente, con la quale ſi era determinato di volere pacificamente vivere ſeco in avvenire, non potrà, che ringraziare lui del tratto civile, che uſa con lui.* Si vero continuo, atque adeo in illa noſtra quæ una edita eſt, Epiſtola *ſe melius fore remunerandum*, cenſuit, videat ne ſperarit id quod ſua non ſatis caſtigata Epiſtola, meo ſalvo honore, haud permittebat. Nam certe & Lanciſius meam, ut ſupra dictum eſt, humanam, imo *humaniſſimam* judicavit, & ipſe probavi ex verbis, quæ protuli, certe præcipue in ead. Epiſtola attendendis, quibus, ut ipſi etiam Provocatori *gratum facerem*, me ejus *confeſſionem prompte ac libenter accipere*, diſerte ſignificavi.

111 Verum in hoc ipſo ſibi invenire videtur quod nobis exprobret, atque adeo de quo conqueratur. Noſtram, inquit, Epiſtolam *multâ ovatione Cenſor noſter* „ *Confeſſionem* „ *ſæpius nuncupat*. Scilicet qui juſtum apparatumque triumphum ipſi remitterem ac condonarem, *ovationem*, credo quærebam, atque aucupabar! Sed tamen non totam quidem ejus Epiſtolam, quæ aliquot in locis a me penitus probari non poterat, ſed illam dumtaxat partem, qua culpam confitebatur ſuam, cum me *prompte ac libenter accipere*, nec parvi *facere* ſignificarem; quo minus quæſito, quo magis proprio, quam *confeſſionis* vocabulo uterer? aut cum ſemel ſic appellaſſem, quomodo, ſi intelligi vellem, appellare aliter poſſem, non quidem *ſæpius*, ſed in uno aut altero loco, in quibus in non ita brevi Epiſtola eandem iterum oportuit deſignare! Quid ſi *deteſtationem* vocaviſſem? Sic enim Lanciſius jam die 25. Jun. 1718. ſcriptis ad me litteris hoc initio, *Avendo io ricevuto & cæt.* indicaverat: *egli (il Sig. Bianchi) conoſce, confeſſa, e deteſta il ſuo errore.* Certe cum ad me hujus emendatam Epiſtolam miſit, ſcriptis etiam italice litteris die 15. Oct. 1718. quarum initium: *Manda a VS. Illma & cæt.* in ea eſſe dixit *la confeſſione del Sig. Dot. Bianchi*. Num igitur ut Arbiter præibat, non loquerer? At quomodo alii vocaverunt? Actorum quidem Lipſiæ Scriptores, ut ſupra vidimus, *culpæ confeſſionem* vocavere. Num Viri Doctiſſimi, Prudentiſſimique improprie locuti ſunt? Quid? quod ipſe Provocator in ſua illa eadem Epiſtola ſatis præivit mihi, hæc diſerte conſcribens: *Equidem fateor, juſtam illi eſſe cauſam, ob quam de me queratur: — fateor, me illud agerrime tuliſſe & cæt.: — Concedo, a me, quamvis, ut iterum fateor, id nolente, primum ipſum provocatum fuiſſe.* Num *ſæpius* ego *confeſſionem* dixi, quam ipſe *fateor*? Quod ſi illud ipſi vocabulum in mea Epiſtola uſque adeo diſplicebat; cur de eo nunquam aliquid, quod ſciam, ad Lanciſium ſcripſit? Multo id mihi proclivius fuiſſet mutare, quam res alias quaſdam, quæ, ejus non mutata Epiſtola, mutari vix poterant, & quas tamen ut Lanciſii non judicio quidem (hoc enim quod fuerit, ante oſtendi, idque, ut meminiſſe velles, rogavi) ſed novo deſiderio obſequerer, quoad potui, omnes mutavi.

112 Unde autem hoc novum in Lanciſio deſiderium ſit ortum, expo-

(1) Andr.

nens, id quod ſupra pollicitus ſum, præſtabo, ut quò pertineant eæ duæ productæ a Provocatore, Lanciſii Epiſtolæ, doceam. Meam ad ſe Reſponſionem ut *humaniſſimam* cenſuit, ſic continuo Lanciſius Novembri jam menſe ad Provocatorem miſit. Hic vero cum priſtino more nihil diu ad Lanciſium & Arbitrum, & Virum tali dignitate præditum, mirantem atque ægre ferentem reſcripſiſſet, tandem *die* 19. *Decembris* eam dedit epiſtolam, quæ ſic incipit; *Alle repplicate prezioſiſſime lettere &* cæt. in qua illas de quibus modo indicatum eſt, mutationes cum juſtas fore, probare vellet, mirum eſſet omnibus, ea quæ poſtea contigere non ignorantibus, animadvertere quo inter cætera argumento, ut certiſſimo, niteretur. Verum ego, ni gravius (ſi tamen gravius poſſum) ab ipſo adhuc provocer; id ſemper ſilentio apud me premere conſtitui, ut illa pariter, quæ circa ejuſmodi præſertim tempora in certis quibuſdam Lanciſii litteris de ipſo ſcripta penes me habeo. Ea dumtaxat quæ ad præſentem rem pertinent, nec ipſi æque aut obeſſe; aut diſplicere etiam poſſunt, indicabo. Lanciſio igitur cum hanc novam de mutationibus moleſtiam ad hactenus toleratam accedere viderem; non ſum paſſus, ut id a me vehementius peteret, ſed quamvis meis publicis ſolemnibus occupationibus diſtinerer, morem libenter geſſi, & quoad potui, mutavi. Itaque ipſe quid a me impetraſſet, gravibus, & bene longis litteris, die 28. Januarii 1719. datis, Provocatori ſignificavit, quibus hoc initium fecit. *Sono già corſi otto meſi, caro Sig. Dot. Bianchi, da che VS. Eccell. ſi compiacque ſcrivermi &* cæt. In iis litteris cum ſua, atque adeo aliorum multa judicia ſatis aperte expoſuiſſet, ac præſertim quid inter me, & Provocatorem intereſſet, & qua ratione mea verba eſſent accipienda, diſerte declaraſſet, rem jam confectam arbitrabatur; cum ecce tibi aliæ a Provocatore longiſſimæ ad ipſum litteræ, quibus ejus auctoritati non acquieſcens, novam adhuc flagitat mutationem.

Enimvero Lanciſius multo gravius ferre, & quorſum hæc ſpectarent, præclare intelligere. Attamen cum ego oblatam Ampliſſimo Viro moleſtiam ne tum quidem perpeti poſſem; eo deſcendi, ut rurſus, quoad res ſineret, eum Epiſtolæ locum mutarem. Quam mutationem poſtremam cum accepiſſet, tunc denique eas italice ad Provocatorem, cujus rem egerat, litteras dedit, quarum ipſe verba produxit, quaſi a Lanciſio de longe aliâ illâ re, jam ante plures menſes confectâ, enixe rogante ſcripta eſſent, cum revera, ſiquis recte rem ſciat atque perpendat, eum ſibi maxime in rogando finem propoſuiſſe intelligat, ut tandem aliquando nulla ſibi amplius moleſtia ab eo qui ultro ad ſe *Arbitrum pleniſſima auctoritate*, confugiſſet, & pro quo tot egiſſet, crearetur, neve amplius cum omnium faſtidio nodus in ſcirpo quæreretur. Hoc ſatis apparet ex eo quod de iſtis ipſis litteris ſuis ad me ſcripſit *die* XI. *Martii* 1719. hoc initio: *Che ſi ha da fare &* cæt. Sic enim ait: *Io ho fatta una lettera miſta di agro, e di dolce, e mandatala queſta ſera al Sig. Dot. Bianchi, e non diſpero quel fine, che ſarà migliore per lui, che per lei, che già trovaſi con la ſua fama in ſicuro.* Ut mihi igitur ſatisfieret, non laborabat; nam res hæc longo ante tempore confecta erat. Ne ullæ amplius tricæ excogitarentur, ut judicio ſuo meis de verbis ſtaretur, ne quid contra promiſſa, aut novi fieret, ut omnes tandem, & ipſe præſertim vexatiſſimus Arbiter, quieſcere poſſemus, hæc vero, hæc volebat, hæc, ſi æquum erat, illum ipſum qui ad ſe confugiſſet, rogabat. *Aſpetto*, inquit, *una riſpoſta di reciproca quiete, e contento.*

113 Sed Provocator, qui preces Ampliſſimi Senis, & *dulcia* Epiſtolæ verba edidit, cum alia quædam omiſerit, illa quoque verba omittere poterat: *Nè ſtimo giammai vero ciò, che da qualch' uno mi vien riferito, penſar ella di dar fuori le lettere famigliari, ſcrittele dal Signor Dottore Morgagni* . . . Hæc enim verba ſic deſcripta, neque ad pre-

ces

ces pertinent, & in animis legentium, ac in meis illis familiaribus litteris quid ſcriptum ſit ignorantium, gravem quandam excitare ſuſpicionem poſſunt, aliquid fortaſſe ejuſmodi a me ſcriptum eſſe, cujuſmodi in iis quas paulo ante a me premi litteris dixi, a Provocatore, aut de Provocatore ſcriptum eſt: quod videlicet ſi produceretur, mihi aut obeſſe aut diſplicere per ſe poſſet. Nihil vero iſtiuſmodi eſt. Imo omnia ejuſmodi ſunt, ut ſi proferrentur, magis Provocatori, quam mihi apud ſapientes homines ſane obeſſent. Nam mea denique omnia crimina in iis litteris; ut ex ipſarum quæ apud me ſervantur, exemplis intelligo; eo pertinent, quod in iis aliter atque in *Adverſariis* de Provocatore, aut de ſcriptis ejuſdem ſenſerim, & quod ipſi in controverſia quadam litteraria aliquid ex me ſciſcitanti, aperte, ut inter Amicos fieri par eſt, ea reſponderim, quorum ſi me pœnituiſſet, eorum nullam, ne ſubobſcuram quidem, in *Adverſariis* mentionem feciſſem. Quod ſi aliter res ſe habet, in iiſque Epiſtolis quidpiam eſt quod hic diſſimulem, & quod prolatum, nocere, aut diſplicere mihi poſſit; proferat; jam per me licet, ut alter alterius familiares omnes litteras edamus. In meis cunctis quidquid eſt, in lucem prolatum, ipſi profecto obeſſet, non mihi. Ego enim tantum amicitiæ tribuebam, ut quæ aliis ſubobſcure, ipſi aperte ſignificarem. Ille eodem ipſo tempore amicitiæ tantum deerat, ut illas ſuas in me Animadverſiones appararet. Ego ut (1) *fere libenter homines id quod volunt, credunt*, mihi ab amicitia fucum fieri patiebar, ut quæ reapſe in Amico bona non inerant, ea ineſſe; & laude digna eſſe, libenter putarem. Ille ex mea hac credulitate, & facilitate tantos ſibi ſpiritus, tantam fiduciam ſumebat, ut ſe poſſe Amico impune inſultare confideret, & ne illa quidem æquo animo mihi relinquere, quæ noti, ignotique omnes ſemper conſtantiſſime tribuerunt, veri ſtudium, & fidem. Quid ergo erat cauſæ, cur Lanciſius nollet, meas illas familiares litteras a Provocatore publicari? Primum id ipſum, quod modo dictum eſt, ne quanto major meis ex litteris amicitiæ vis appareret, tanto major culpa Provocatoris qui amicitiam læſiſſet, agnoſceretur. Quid enim diceret? Hoc puto quod de Tullio quondam Antonius: Aliter de me iis in litteris ſentiebas. Ipſe vero quod Tullius (2) reponerem: *At ego non nego: teque in iſto ipſo convinco non inhumanitatis ſolum, ſed etiam* imprudentiæ. *Quod enim verbum in iſtis litteris eſt non plenum humanitatis, officii, benevolentiæ? omne autem crimen tuum eſt, quod de te in his litteris non male exiſtimem: quod ſcribam tanquam ad* Amicum, *tanquam ad* doctum *virum, non tanquam ad* inimicum *&* tot in erroribus deprehendendum. Deinde nolebat Lanciſius ut mihi viciſſim daretur cauſa, eaque juſtiſſima, familiares ad me Provocatoris litteras publicandi, quæ (ne alia nunc dicam) mirum quantum ab ejus Animadverſionibus diſcrepant. Quid enim, obſecro, cauſæ eſt, cur modo nullas, niſi Lanciſii, aut ad Lanciſium pertinentes, familiares epiſtolas, imo ex his ipſis hoc illud dumtaxat tranſcribam quod poſſit; ſi tu Vir Doctiſſime eſſe opus exiſtimes; Lanciſii ipſius honori tuendo ſatis eſſe? nimirum quod nullas Provocator adhuc niſi familiares Lanciſii litteras, ut me, & in me Lanciſium ſequeſtrem pacis offenderet, publicavit. Nam ſi publicaſſet meas; quid ego jure poſſem facere, & omnes intelligunt, & aperte Cicero ſignificavit, hæc addens (3): *At ego tuas litteras; etſi jure poteram, a te laceſſitus; tamen non proferam.* Noviſſime etſi meæ litteræ nihil prorſus habeant, quod prohibeat, quo minus, me annuente, vulgari poſſint; id ipſum tamen quod injuſſu meo, vulgarentur, ejuſmodi eſſe, videbat Lanciſius, ut etiam inter homines eâdem, aut quâdam aliâ ſed certi & peculiaris generis offenſione laceſſitos ferri poſſit, inter alios tamen, nedum inter nuper

(1) Cæſar. de Bell. Gall. l. 3. (2) Phil. 2. (3) Ibid.

Digitized by Google

reconciliatos, homines ferri non poſſet. Neque enim Eruditiſſimum Virum fugiebat, quid ſupra in Antonium nulla ejuſmodi a ſe laceſſitum offenſione dixiſſet Cicero (1): *At etiam litteras, quas me ſibi miſiſſe diceret, recitavit homo & humanitatis expers, & vitæ communis ignarus. Quis enim unquam, qui paullum modo, bonorum conſuetudinem noſſet, litteras ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita, in medium protulit, palamque recitavit? Quid hoc eſt aliud, quam tollere e vita vitæ ſocietatem? tollere amicorum colloquia abſentium? quam multa joca ſolent eſſe in epiſtolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur? quam multa ſeria, neque tamen ullo modo divulganda?* Non, inquam, hæc ignorabat Lanciſius, imo quam ægre ferrentur, expertus erat.

Sic enim in quadam Epiſtola cujus initium eſt: *Debbo rendere un eſatto conto a V.S. Illuſtriſſima di molte coſe & cæt.* de quodam cui cum ipſe ignoviſſet, tanto magis neceſſe eſt ut ego ſic ignoſcam, ut ejus nomini hic parcam: *Il Sig. Dottor . . . . . è un Uomo cavo. Mi ſtampò, come lei avrà veduto, una riſpoſta ſopra la . . . . . ſenza farmene parola: ringrazio Dio, che per quanto ho poi ſcorto, non vi erano gran ſpropoſiti: ma un Uomo può talora in lettere famigliari non far tutte le neceſſarie riflеſſioni.*

114 Verum ut illa de meis familiaribus Epiſtolis Lanciſii verba Provocator melius omiſiſſet; ſic illa recte poſuit: *Per altro io credo, che ſtampando V.S. le ſue nuove Opere ſaprà contenerſi nei termini di oneſta civiltà, e di gravità degna d' un ſavio letterato.* Iſtam autem alteram Lanciſii Epiſtolam, lætitiæ plenam, multo etiam rectius edidit. Nam cum ad priorem illam italicam Provocator ita reſpondiſſet, ut ejus ſe auctoritati, & conſiliis acquieſcere profiteretur, atque ea quæ modo dicta ſunt, non tantum ſe obſervaturum, neque paſſurum unquam, ut ſibi quidquam excideret, quod nos ſincere conſtanterque in gratiam reſtitutos non eſſe, ſuſpicionem facere poſſet, verum inſuper ſcripta ſua apologetica, ſi Lanciſio placeret, nunquam editurum polliceretur, hæc autem omnia ampliſſimis verbis, & Lanciſii vota ac ſpem ſuperantibus complecteretur, ut ſe ſibi ſatisfacere negaret, ni pluſquam ille optaſſet, re præſtitiſſet, ut mecum certare officiis ſtudere ſe, confirmaret, ut gratiſſimum ſibi fore diceret, ſi quæ tunc officioſe de me ſcriberet, mihi ipſe nunciare vellet; quid multis opus eſt? Senex optimus, antiqua fide, qui ex ſua natura cæteros fingeret, his tunc verbis, & pollicitationibus tantum credidit, ut; ſi Provocatoris emphaſi uti fas eſt; *plauſerit ille ſibi*, ipſique *voluptatis ſuæ, gratique animi argumentum protulerit*. Nimirum ad hanc officioſiſſimam Provocatoris Epiſtolam incipientem: *Etſi noviſſime ad illum & cæt.* non ad eam quæ *Adverſariis* IV. præfixa eſt, *confeſſionem* complectentem, jam miſſam *Id. Octobris* 1718. cujus initium eſt: *Dum novam operum meorum & cæt.* non ad eam, inquam ut hic Provocator *obtrudit*, ſed ad hanc poſtremam, datam 27 *Martii* 1719. latinas iſtas, quæ proferuntur, reſcripſit litteras, lætitia redundantes, quemadmodum idem prorſus dies, hoc eſt VI. *Kal. Aprilis*, harum initio memoratus, luculentiſſime demonſtrat. In his tamen ipſis verba illa, cum ſuperioribus italicis convenientia, & ad rem præſentem maximopere pertinentia, diſerte a Lanciſio poſita ſunt: *Nolim tamen una cum diffidiis utilia etiam ſcripta ſepeliri. Delendam utique, abſtergendamque omnem ab iis amaritiem, ac diſſenſionis memoriam ſuaderem*: non eſt ſatis: *quod certe*, inquit, *abs te jure expectandum cenſeo*. Hæc videlicet ultima *Arbitri*, *pleniſſima auctoritate* a Provocatore ipſo *conſtituti*, hæc poſtrema ſequeſtris pacis ſententia eſt, non ſine juris formulis concepta & pronunciata: *quod certe abs te JURE expectandum CENSEO*. Hac autem ſententia ut Provocator ſteterit, illa ipſa quam hactenus examinavimus, Ani-

(1) Ibid.

Digitized by Google

Animadversio, siqua alia, demonstrat.

Quo enim modo *deleta*, *abstersaque omnis ab* istâ est *amarities*, *ac dissensionis memoria*, cum huic eidem *amaritiei* refricandæ, ac universæ *dissensioni* commemorandæ ista Animadversio peculiariter dicata sit? cum id agat, cum id moliatur, ut rursus evolvantur omnia quæ sancto pacis fœdere *sepulta* fuerant, atque ita evolvantur, ut rerum ordo, & summa evidentissime invertatur. Quid tantum mali ab Lancisio Provocator unquam accepit, ut in ejus memoriam, & in obstrictam ipsi fidem peccare tam aperte potuerit, ut qua in Animadversione ejus nobis Arbitri sententiam edat, eandem Animadversionem contra hanc ipsam sententiam scribat! Atqui non modo nunquam de Lancisio conquestus est, imo ut Virum erga se humanissimum, & vel in controversia nostra sibi æquum, imo universe amicissimum, commendavit, atque commendat. Statim enim atque *confessionem* illam suam ita ut Lancisius jussit, emendatam ad hunc remisit, Epigramma quoddam scripsit, cujus ad me Lancisius misit exemplum, quo in Epigrammate de hoc verba faciens, diserte ejus erga se *æquitatem* laudare voluit; nunc autem suam quandam edidit Dissertationem in qua de
838 Lancisio sic universe loquitur: *Illustrissimus Præsul, dumque viveret, mi-*
1132*hi amicissimus, Joannes Maria Lancisius*, atque adeo in his ipsis paginis de eodem sic meminit: *amplissimo illo Viro piæ recordationis amicissimo Lancisio.* Siccine igitur cum *amicissimis* Viris agitur? Sic obstricta ipsis fides, quæ vel hostibus servanda esset, servatur? Quid aliud est, *duas res sanctissimas*, ut Tullius ait (1), *violare*, *amicitiam*, *& fidem*, si hoc non est? En cui credas! quem inter Amicos recipias! en memoriam mortui Amici! en metum vivorum existimationis!

115 Sed, credo, in hac una Animadversione adversus obstrictam Arbitro Amicissimo fidem peccatum est. Quid igitur tot alia sibi volunt loca in quibus de iis queritur, quæ post constitutam pacem non erant amplius commemoranda, de formulis videlicet quibus ad eas quæ in me intortæ fuerant, refellendas in III. *Adversariis* uti debueram; ut pag. 988; de *scommatibus* quæ ipse vocat pag. 1057; de *lacerationibus* (sic enim ait pag. 1140.) *Historiæ suæ*; de *illo* demum *quod probi homines noverint*, *ac judicabunt*, *scribendi genere*, quemadmodum loquitur pag. 1096. At meas, opinor, duntaxat formulas commemoravit; ipse vero in suarum delectu, cæterisque rebus cautus, comisque nunc fuit, ac pacis observator religiosissimus. Quidni fuerit, qui & suum ipsum hunc librum *in perpetui obsequii*, *atque amicitiæ Tesseram* (sic enim sua inscripsit manu!) mihi dono miserit, & in hisce Animadversionibus diserte confirmaverit, *se studere constanter res suas defendere moderatione illa comitateque*, *quas eru-* 1079
ditissimo dignissimoque Adversario debitas esse videt, *atque vult*; *tum perpetuam sibi pactum esse legem*, *diligenter illam tueri amicitiam*, *quam inter nos instaurabat Lancisius*. Humanissima profecto & munera, & verba, laudes insuper nimis benignæ, neque a me sine grati animi significatione prætermittendæ, nisi hæc tandem omnia, quasi cum stipite, aut puero aliquo ageretur, cui facile imponas, aut temere insuper illudas, quanto ad speciem sunt amiciora, tanto ad sensum essent, cogitationemque acerbiora. Huic enim dono, huic confirmationi, hisce laudibus nimis multa passim in me jacta repugnant, adversantur, reclamant, quorum pleraque non in Amicum modo, sed ne in honestum quidem hominem torquere licet. Verba omitto, *scriptitandi*, *clamitandi*, *oggerendi*, *irrumpendi*, *objurgandi*, *explodendi*, *intrudendi*, atque *obtrudendi*. *Lepida*, *edentula*, *insulsa* etiam nomina, *objurgatoris* item, aut *Censoris* invidiosum vocabulum, quo Provocatus (quis crederet?) passim insignitur, prætermitto. Levia hæc sunt, ac fere indigna

(1) Pro Sex. Rosc.

gna quæ inter tot alia longe graviſſima hic memorentur. Ironias quoque omitterem, ut pag. 987. *Herculeæ profecto rationes, quibus inde anatomicas inauditas res doceri poſſumus.* ut 1091. *Cenſoria, ut moris eſt, poteſtate locutus, — ſuam ſuper hepaticas res noſtras humaniſſimam Cenſuram ſtrenue abſolvit, atque coronat.* ut 1119. *ſequens elogium mihi a noſtro cl. Cenſore humaniſſime inſcriptum.* ut 988. *ſua in eandem diſſertationem Cenſurâ gratî animi teſtimonium rependit, me ipſum inter alia honorifica atque humaniſſima elogia & cæt.* has, inquam, pariter ironias fortaſſe omitterem, niſi pleræque ad ea ſpectarent, quæ poſt initam pacem refricare non licebat. Veruntamen ſunt alia graviora, ut 1057. a me *plurium ſcriptorum (verbo abſit invidia) auctoritates mancas offerri*, ut 1141. ejus locum *ſane mutilatum exſcribi*, ut 1000. in alio *plurima omitti, & mutilari, potiſſimam in obſervatione nervi partem facientia*, ut 938. ab ſuis textibus *verba alias plerumque perhumaniter aſſolere* a me *mutilari*. Neque tamen hæc ſunt uſque adeo gravia, ut quod ponitur 1135. *Cenſor cl. per mutilata exſcripta verba, effictumque hoc pacto centonem imponere fortaſſe ſtudet.* ut quod 1081. ſcribitur: *jam dubito Cenſorem noſtrum cl. non intellexiſſe, aut potius, ut in contradictionem niteretur, finxiſſe non intelligere*, ut quod 1018. quæritur: *Quo igitur conſcientiæ conſilio ſcribere hæc potuit cl. Cenſor?* ut quod, cum ego ingenue alios me majores Viros ſecutus, ſcripſiſſem: *Alterum num ita ſit, dubito;* pag. 1137, non *ingenue* profecto reſpondetur: *Alterum vero num ita ſit, quis poſſet ingenuus dubitare?* Quis crederet, ſupereſſe graviora? ſuperſunt tamen. Longe enim apertius, & ſine ulla dubitatione affirmatur 984. *cum a nemine negari ullo modo poſſit; — tamen in rei veritatem remis* me *veliſque niti*, quod & pag. 1056. in me, non obſcure deſignatum, rurſus torquetur his verbis: *contra ipſam veritatem remis veliſque contendere infudant*. Apertiſſime autem 1147. *Quæ congerit cl. Cenſor circa Lanciſii Epiſtolam de re hepatica — hæc commentitia pleraque ſunt.* 984. *fingit illico Cenſor noſter cl. illud — non intelligere.* 1017: *Quid autem de inconſtanti noſtra — aſſertione Clariſſimus noſter effingit?* 1072. *gravem ſub quadam fallacia larvatum errorem pro re certa intrudere laborat.* 1018. *Fictæ igitur — ſunt mihi iſtæ imputatæ inconſtantiæ.* 951. *efictum ab Adverſario — fundamentum.* 1057. *arte factæ contradictiones.* 1060 *a vero alienus ſenſus* Auctori *impoſitus.* Quid ſingula perſequor? cum hæc quoque omnia, atque alia ejuſmodi in voluntatem magis quam in intellectum contorta, ſupra aliud agens, in ſuis quodque locis confutaverim, pleraque etiam alio charactere ſcripta, merito in Provocantem retorquere potuerim. Hæ igitur novæ formulæ *moderationem, comitatem, inſtauratam amicitiam*, quam verbo profitetur, decentes, ab ipſo poſt ſeptennii ſtudium ſelectæ ſunt, ut in his tandem *Tranſalpinæ ſapientiſſimæ Academiæ decantatam illam per omnes ætates Italorum ſcriptorum gravitatem, moderationem*, quæſitam *publicam utilitatem* agnoſcerent? Sane quid *publicæ utilitati* conducibilius, quam poſt initum tam ſolemne atque illuſtre per Ampliſſimum ſequeſtrem, pacis & amicitiæ fœdus, idque typis ultro permiſſum, totoque terrarum orbe vulgatum; quid, inquam, *publicæ utilitati* conducibilius, quid humanæ ſocietati ſervandæ utilius, quam ita agere, atque ejuſmodi Animadverſiones, & formulas typis mandare? *Fidem qui lædit*, inquit Cicero (1), *oppugnat, omnium communе præſidium, & quantum in ipſo eſt, diſturbat vitæ ſocietatem.* Enim vero ſi hujuſmodi exemplum a bonis omnibus non improbetur; quis impoſterum id velit facere quod ego feceram, ut culpæ confeſſionem per Illuſtriſſimum Virum mittenti crederem, ignoſcerem, amicitiam redderem? Nemo, mihi crede, Vir Doctiſſime, invenietur, qui pacis ſequeſtres audire velit, cum ego qui

(1) Ibidem.

Digitized by Google

qui Ampliſſimum Præſulem audiverim, hunc meæ facilitatis, atque humanitatis fructum retulerim. Sed hoc homines viderint. Ego certe quod Diſciplina Honoris conſtanter docet, ſervabo, & quidquid ille aut modo in me intorſit, aut alias fortaſſe intorquebit, nulla reſponſione dignum credam, niſi forte ea quæ exercitationis, & conſultationis cauſa, ut hæc, ad intimum aliquem Amicum mittatur, a meis certe manibus non facile in publicum exitura. Vale.

D. Patavio Prid. Kal. Aprilis
CIↃIↃCCXXVI.

EPISTOLÆ SECUNDÆ FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google